ANT. POSSEVINI
MANTVANI
Societatis IESV
APPARATVS SACRI
Ad

Scriptores veteris, & noui Testamenti.
Eorum Interpretes.
Synodos, & Patres Latinos, ac Græcos.
Horum Versiones.
Theologos Scholasticos, quique contra hæreticos egerunt.
Chronographos, & Historiographos Ecclesiasticos.
Eos, qui casus conscientiæ explicarunt.
Alios, qui Canonicum Ius sunt interpretati.
Poëtas Sacros.
Libros pios, quocumque idiomate conscriptos.

Tomus Secundus.

Quo plures, quàm bis mille Auctores partim indicantur, partim ad rectum vsum expenduntur. Addita est prætermissorum aliorum Appendix ad calcem.

Cum Priuilegijs Sacræ Cæs. Maiestatis, Christianiss. Regis Galliæ, Sereniss. Reipub. Venetæ, & Serenissimi Magni Ducis Etruriæ.



VENETIIS, Apud Societatem Venetam. M DC VI.

Permissu Superiorum.



LECTORI BENEVOLO, AVCTOR.



EN tibi, Amice Lector, alterum APPARATVS SACRI Tomum, quem mox tertius, isque postremus, Deo aspirante, subsequetur. Iam enim etiam ipse maiore ex parte egressus è prę lo aspicit lucem, cupitque partui proximus, totus sese dare in manus tuas. Interea hic secundò genitus, non tam pręit, vt indicet Tertium, quàm vt eodem tempore intelligas adornari omnium trium rursus editionem, quandoquidem, qui primus separatim prodijt, distractus est. Tuum erit, vt futuræ nouæ editioni, symbolum & tu, si quod habes ad manum, conferas nobis. Quod certè vt viri alij doctissimi haud abnuerunt, sic ętas mea plusquam ingrauescens, occasioque, ac fructus, quem hinc sperant, videntur exposcere.

ÆTAS. Nam Septuagesimumtertium annum ingresso intelligis, quantulum vitæ superest, si tamen superest. Cum autem motus in fine sit velocior, tu quoque appropera; & labentibus viribus, suppetias, si quas potes, per CHRISTI sanguinem affer. Et affer inquam, vel Monitis, si non ignotorum (sed Catholicorum) Auctorum indicatione. Doceri autem semper cupimus, qui integriori futurum vsui hunc fætum intelligimus, quanto fuerit integrior, &, vt ita dicam, in grandiorem virum excreuerit.

OCCASIO. Quod enim annis quadraginta, versandis insignioribus Bibliothecis, datum est nobis ocij ex alijs Instituti nostri muneribus, cum non omnino ociosè in gratiam tui huc impenderimus, credo cogitabis, si quid fuerit addendum, quod à te porrigatur, id à nobis, quibus hoc negocium in manibus sæpissimè fuit, suis facilius (ne dicam & aptius) locis iri collocatum, quàm ab alijs, qui lucro tantum suam operam metiuntur, vel ab hoc genere, ac genio laboris siue cogitatione, siue occupationibus abfuerunt.

FRVCTVS. Videlicet Thesaurus absconditus ecquid prodest? sapienter autem Sanctus inquit Augustinus: TOLLE INVIDIAM, TVVM EST, QVOD HABEO. TOLLAM INVIDIAM, MEVM EST, QVOD HABES. Quamobrem & tanta grauissimorum Testium nube, quasi impenetrabilibus clypeis aduersus omnia Satanæ iacula tegimur: ac simul arctius inter nos iuncti, quantoscunque hostium cuneos perrumpimus, vt aliquando in communione Sanctorum vberrimos è LIBRO VITAE haustus in mentes nostras, idque perpetuò deriuemus. Quod tibi, mihique Æterna FILII DEI Sapientia concedat.

Eccles. 10. Aug. in Symbol. Apostol.

CLAVDIVS AQVAVIVA,

Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVM *Sacrum hunc Apparatum ad Scriptores Ecclesiasticos à P. Antonio Posseuino Societatis nostræ Theologo compositum, quattuor eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinebit, ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.*

Romæ 10. Augusti 1602.

Claudius Aquauiua.

Locus Sigilli.

GLI *Ecc.mi Sig.ri Capi dell'Ill.mo Cons.o di X. infrascritti, hauuta fede dalli Sig.ri Reformatori del Studio di Padoua, per relation delli doi à ciò deputati, cioè del R.do Padre Inquisitor, & del Circ. Secret.o del Senato Zuanne Marauegia con giuramento, che nella Seconda Parte dell'Apparato Sacro del R. Padre Antonio Posseuino della Compagnia del Iesu, non si troua cosa alcuna contra le leggi, & è degno di stampa, concedono licentia che possi esser stampato in questa Città.*

Datum die 6. Maij 1605.

D. Constantin Rhenier.
D. Zuanne Marcello.
D. Iacomo da ca da Pesaro.
} Capi dell'Ill.mo Cons.o di X.

Ill.mi Cons. X. Secr.o

Leonardus Otthobonus.



INDEX AVCTORVM,

QVI PARTIM EXPENDVNTVR, PARTIM INDICANTVR IN HOC VOLVMINE.

A



ABAKVK.
Haccados.
Hadriani Isagoge.
Hadrianus.
Hadrianus Amaltea.
Hadrianus Card.
Hadrianus Finus.
Hadrianus cognom. Florent.
Hadrianus Gemellus.
Hadrianus Hecquet.
Hadrianus Iungius.
Hadrianus Lametius.
Hadrianus Primus.
Hadrianus Quartus.
Hadrianus Venetus.
Hæretici.
Haggaus.
Haicarius.
Haimo.
Hakkados Rabbi Iudaus.
Hakkados Rabbi alius.
Halitgarius.
Hamraldus Romanus.
Hamularius Fortunatus.
Hamulus Lugdunensis.
Hanco Forteman Frisius.
Hannibal Firmanus.
Hannibal Rossellius.
Hannibaldus Romanus.
Hanringus Sifridi.
Harmenopulus.
Hartmannus Scedel.
Hartmundus Germanus.
Haynicus.
Hatto Germanus.
Haymo.
Haymo Anglicus.
Haymo Cantuariensis.
Haymo e Fauerescbino.
Haymo Floriacensis.
Haymo Fuldensis.
Haymo Germanus.
Haymo Hirsaugiensis.
Haymo quidā Hom. in Euang.
Hebraicæ linguæ Dictionariū.
Hector Boetius Scotus.
Hector Pintus Susitanus.
Hecquetius Atrebatensis.
Hedda Anglus monachus.
Hedius Stefanus Anglus.
Hedericus Italus.
Heduense Concilium.
Hegesippus.
Heimericus.
Heideuricus Hallensis.
Heldad, & Medad.
Heldibertus Cantiæ Rex.
Helena Flauia Augusta.
Helena Vtiuensis.
Helgaldus.
Helias Capreolus.
Helias Cretensis Archiepisc.
Helias Hanubaldus.
Helias de S. Heredio Gallus.
Helias monachus S. Trinit.
Helias Thesbites Propheta.
Helinandus Gallus.
Heliodorus presbyter.
Heliodorus alter Antiochia.
Helisabeth Abbatissa.
Helladij.
Helmandus.
Helmanus Theutonicus.
Helmesius.
Helmoldus Canonicus Butzo.
Helpericus Germanus.
Helpis vxor Boetij.
Heluidius Auxentij discipulus
Henoc Septimus ab Adam.
Hēricus de Audernaco Germ.
Henricus Angliæ primus huius nominis Rex.
Henricus Antheus Sacerdos.
Henricus de Aquila Germ.
Henricus Aquileus.
Henricus de Arena.
Henricus Ariminensis.
Henricus Arnoldi.
Henricus Bedericus.
Henricus Benedictinus.
Henricus Bituricensis.
Henricus Blyssemius Belga.
Henricus Bonicolli.
Henricus Botæus.
Henricus Boic I. V. C. Brito.
Henricus Boik Germanus.
Henricus de Boyo.
Henricus Boych Merseburg.
Henricus Brabantinus.
Henricus Bracton Anglus.
Henricus Breitenaau Abbas.
Henricus Brundsbaum.
Henricus Bruxellensis.
Henricus Bury.
Henricus Buschey.
Henricus Canisius.
Henricus Card. Ostiens.
Henricus Castela.
Henricus Comes à Calune.
Henricus Consueldius.

Hugo

Ioannes

K


Leuinus

N

Neste-

Nico-

Appendix quorundam Scriptorum, qui omissi fuerunt, quive postea prolati sunt in lucem, ad Calcem huius Secundi Tomi addita est, vt nisi in ipso eos compereris, in Appendice ipsa inuenias.



APPARATVS

Ad Scriptores, qui non ſunt Eccleſiaſtici, extant in Bibliotheca Selecta eiuſdem Auctoris, in cuius Bibliothecæ poſtrema præter Romanam, Editione Veneta (quæ quidem eſt auctior, & diſtinctior) agitur de Ratione Studiorum.

Ad

Philoſophiam veram, ad Platonicam, ad Peripateticam.

Iuriſprudentiam.

Medicinam.

Mathematicas Diſciplinas. Vbi & de Muſica, de Architectura, de Geographia.

Hiſtoricos omnium gentium.


Poeticen. Vbi & de Pictura.

Artem Oratoriam. Vbi & de Ratione concionandi, ac Epiſtolas ad omnium hominum genera conſcribendi, cum Appendice de Miſcellaneis quibuſdam Scriptoribus.





ANTONII POSSEVINI
SOCIETATIS IESV
APPARATVS SACER.



H A



ABAKVK. Vide in verbo, Abacuch.

HACCADOS Iudæus Rabbi. Vide infra in verbo, Hakkados.

HADRIANVS Hadriani F. Antuerpiæ in Belgio natus, in Societatem Iesu adscitus, eiusq; Collegij primus apud Louanium institutor, consilijs, & exemplo præstitit, omnium ex æquo Pater, moritur Louanij festo die S. Lucæ ann. 1581. totius Academiæ humeris elatus. Reliquit ingenij sui monimenta vulgari suo, hoc est Germanico idiomate aliquot Opuscula, quorum tituli Latina lingua hi sunt.

Commentarius in Orationem Dominicam.
De monte Spirituali.
De vita actiua.
Deque vsu rerum temporalium.
De inspirationibus Diuinis.
De operibus misericordiæ.
De Confessione.
De origine Monastices.
De obedientia.
De paupertate.

At duo libri, alter de Paupertate, alter de Inspirationibus Diuinis Latinè prodierunt opera G. Brunesij Canonici. Et quidem hic de Inspirationibus Diuinis ex Officina Birckmannica. Coloniæ Agrippinæ ann. 1601. Cuius libri censuram cum Cunerus Petri Episcopus Leuuardiensis tulisset, his verbis est vsus. *Opus verè pium, Sanctum, & eruditum, ac proinde dignißimum, quod impreßum ab omnibus legatur.*

HADRIANI Isagoge Sacrarum literarum è codice Bauaricę Bibl. m.s. prodijt Augustæ Vindelicorum Græcè ann. 1602. Vide item in verbo, Adrianus.

HADRIANVS Amaltea Neapolitanus, & Monachus Cœnobij S. Seuerini, quod est Neapoli, I.V.D. Rotam, siue Calculum Astronomicum perpetuum iuxta Gregorianam correctionem edidit Brixiæ apud Sabium ann. 1593. Et verò De Conscientiæ (vt vocant) casibus, ac de alijs rebus Ecclesiasticis scripserat, quæ inchoata reliquit. Obijt ann. 1592. in Cœnobio SS. Faustini, & Iouitæ, Brixiæ sepultus. Arnold. Vion.

HADRIANVS Cardinalis libros quattuor scripsit de vera Philosophia eruditè, ac piè pleraque ex Augustino, Hieronymo, Gregorio, decerpens appositè: Quæ, vt mẽtibus obiecta, hasce facilius ad se alliciant, seriem rerum de quibus agit, expediet ex ipsarum elencho operi præfixo prælegere, vbi de Fide, de Ratione humana, de Virtute, de ijs, quæ infra, quæ iuxta, quæ supra rationem sunt, deque Diuina Scriptura, & reuelatione, perutilia tribus libris primis edisserit. At quoniam Quartus ea continet, quæ sunt vniuersaliora, ideo eiusdem capita operæpretium est hic inserere. Ea verò sunt.

HADRIANVS Finus Ferrariensis librum edidit, quem inscripsit *Flagellum in Iudæos ex sacris scripturis excerptum*, Venetijs ann. 1569. verè vtilem librum, & quidem etiam concionatoribus commodum.

HADRIANVS cognomento *Florentius*, natione autem Traiectensis in Belgio, Caroli V. Imper. Præceptor, qui postea fuit Pont. Max. & dictus *Hadrianus Sextus*, scripsit disputationes, ac discussiones Quarti libri Sententiarum, vbi de Sacramentis agitur accuratè. Excusæ sunt primum Romæ, deinde Lugduni apud Iacobum Iuntam ann. 1546. Præter alias verò insignes eius epistolas extant eæ, quas scripsit ad Senatum Ciuitatis Bambergensis, atque ad singulos quosque Principes, & Ecclesiasticos Laicos eiusdem argumenti, sed præsertim ad Ducem Saxoniæ Fredericum, in cuius ditione viuebat Germanici incendij fax Lutherus. Et aliam ad Marcum Marulum virum optimum, atque doctissimum plenam honoris, & erga illum beneuolentiæ. Romæ quoque impressam.

Annal. 1522.

HADRIANVS Gemellus è Latina in Gallicam linguā conuertit Opuscula S. Augustini. De vita item S. Monicæ scripsit. Vide in verbo, Adrianus Gemellus.

HADRIANVS Hecquet Carmelita Atrebatensis scripsit quæ varijs è locis prodierunt in lucem, præsertim Opus varium, inscriptum *Peripetasmaton*. Eruditas Conciones in Euangelia Dominicalia, & Quadragesimale Parisijs excusum ann. 1570. Orationes & Epistolas, atque Epigrammata. Floruit adhuc post ann. 1560. sepultus Atrebati.

Petrus Lucius.

HADRIANVS Iungius Plocensis (Et Plozca enim Ciuitas est in Polonia) Societatis Iesu, adhuc viuens scripsit Responsionem Polonicam ad Quingentas Quæstiones Caluinistarum Catholicis propositas: Latinè item Synopsin noui Euangelij sectariorum vindicijs Ministri Radeouiensis Caluinistæ oppositam, & alia, quæ Posnaniæ (quæ item Ciuitas est in Regno Poloniæ) prodierunt.

HADRIANVS Lametius Henencurius Theologus è multis Patrum commētarijs Opus construxit, quo primos vigintisex Psalmos exposuit. Opus incipit. *Beatus vir, &c. Sententia Hieronymi*. Viuebat Carolo V. Imper. ann. 1550.

HADRIANVS Primus huius nominis Romanus Pont. Max. & optimus, abrogata Synodo, quam Græci septimam vocabant, Felicianam hęresim de tollendis imaginibus in Synodo 350. Episcoporum apud Francofurtum damnari curauit. Scripsit vero de veneratione Imaginum, & ad Carolum Imp. & Epistolas quidem plures, quippe qui, vt habet Platina, tres & viginti annos rexit Pontificatum.

HADRIANVS IIII. huius nominis Pōt. Max. *Nicolaus* antea vocatus, apud Anglos obscuris parētibus ortus. Scripsit ante Pontificatū. De Conceptione B. Marię semper Virg. ad Petrū Pontiniacū, lib. 1. De sua legatione, lib. 1. Decretales verò Epist. plures. obijt an. 1159.

Ann. 1154.

HA-

HADRIANVS Venetus Ord. Præd. Episc. Iustinopolitanus Pio V. Pont. Max. charissimus, scripsit De arte inquirẽdi hæreticos. Viuebat ann. 1572. Qui item in Patauino Gymnasio sacras literas, & Scholasticam Theologiam, quadraginta annos honorificè docuit.

HAERETICI quibus notis indicati omnibus sęculis à Catholica Ecclesia fuerunt, expedit, vt cognoscatur, ne in eorum pedicas incidant imprudenter, qui eos sub ouina pelle indutos aut alloquuntur, aut legunt. Quod tamen nemo præsumere debet, cum id amantissimo ipsius Matris Ecclesiæ erga filios suos studio caueatur sub anathematis pęna, nisi quibus idoneis ad hæreticos oppugnandos ab illa concessum fuerit.

Nos, quamuis libro septimo Bibliothecę nostræ Selectæ de Methodo tractandarum cum hæreticis cõtrouersiarum egerimus, selectioresq; aliquos scriptores Catholicos demonstrauerimus, huc tamen alia quædam adijcimus peropportuna, quæ cum illis coniuncta viam solidiorem complanent, quandoquidem *Hæreses nosse, iugulasse est*, vt inquit Tertullianus.

Præter igitur illos, quos in eodem Bibliothecæ libro citauimus, qui in Elencho ad eius finem adiuncto sunt obuij, hic addimus. Primo, legendum esse Timotheum Presbyterum Constantinopolitanum, qui Græcè libellum scripsit, *De differentia eorum, qui accedunt ad fidem*. Hic verò Auctor, quoniam nusquam (quòd sciam) Græcè, siue Latinè prodijt, a nobis insertus est huic Apparatui Sacro, in Verbo, *Timotheus Presbyter*. Deinde Card. Bellarmini decurrendam esse potissimum Præfationem illam, quæ præfixa est initio Tomi Quarti postremæ editionis suarum Controuersiarũ. Ea enim quale tandem sit animal Lutheranus, siue quis alius Hæreticus scitissimè aperit. Post quem, Iacobus Gretserus nostræ Societatis Professor publicus Theologiæ in Academia Ingolstadiensi vbère cum fructu legendus erit, tum in Responso ad Theses Aegidij Hunnij hæretici, in Epistola dedicatoria, qua cum spinis, & lupis confert hæreticos, tum in præfatione ad Lectorem, vbi agit de modo, quo hæretici sacram scripturam citant. Ac certè totum illud Responsum Monita huc spectantia spirat egregiè.

Quin & accedat eiusdem Auctoris Gretseri Lectio Epistolæ dedicatoriæ, & Præfationis ad Lectorem, quæ præcedunt eius disputationem de Hunnio, quam prænotauit, *Labyrinthum Creticohunnianum*. Nimirum in Epistola illa expendit appositè, (idque paucis) Lutheranæ hæreseos Genealogiam, vt qualis insana mater, talis insana sit filia, ac si quid hæretici conentur colligere, & ratione concludere, nec pes, nec caput vni reddatur formæ. In præfatione autem comparat Gabaonitas veteres illos populi Israelitici deceptores cum ijsdem hæreticis, qui & ipsi interrogati respõdent *Se de terra longinqua* VALDE *venire in nomine Dei sui*, ac propterea saccos veteres, & vtres scissos, atque concisos, & lacera vestimenta se habere ad indicium vetustatis.

Quòd si quis demum, præter alios sexcentos, legere voluerit Gallicum librum, quo . . . . . Ebroicensis Episcopus Danielem Tilenum Caluinianum Ministrum de Verbo Dei scripto, & tradito confodit, plusquam satis erit aduersus hæreticorum imposturas, (nõ enim vocauero stratagemata) præmunitus. Atqui Præfatio Francisci Feuardentij in Opera Pselli huc maximè pertinet, in qua hæreticorum cum Cacodæmonibus, & Magis conuenientia describitur, ea verò prodijt Parisijs ann. 1576. apud Gulielmum Chalderium. Quòd si quid adhuc lepidũ, breue, neruosum quærat, legat Epistolam Gallicã eius, qui an. 1600. Gallicè scripsit aduersus librum prænotatum, *Et cætera Philippi Mornai hæretici*. in qua hæresim cum pestilentia comparat aptissimè. editus autem est hic liber Tolosæ apud Viduam Iacobi Colomiez. Sed & nouissimè hoc est ann. 1603. est Ingolstadij edita Oratio habita à Nicolao Serrario Theologo nostro. *Virum verum sit, Lutherum, quemadmodum de se ipso ipse scripsit. Diabolo Magistro, & Doctore vsum esse. Quæ sanè huc in primis pertinet*.

HAGGAEVS. Vide in verbo, Aggæus.

HAICARIVS *(Sed rectius Halitgarius)* Cameracensis Episcopus numero decimus, ad Ebbonum libros sex de Pœnitentia scripsit. Viuebat ann. 840. Carolo Magno imperante. Eiusdem autem Halitgarij De octo vitijs principalibus & virtutibus, lib. 5. ad eundem Ebbonum Archiepiscopum Rhemensem. Extat m.s. in Bibl. Monasterij S. Galli in Heluetia.

HAIMO. Vide in verbo, Haymo.

Hakkados Rabbi Iudæus, qui floruit ante Chriſtum Dominum, ſpiritu Prophetię commendatus, de ipſo Domino pręclara dicitur prædixiſſe, ac ſcriptis tradidiſſe, pręſertim in libro inſcripto *Galerazeya*, hoc eſt, *Reuelator ſecretorum*. Vide Galatinum.

Hakkados Rabbi alius apud Iudæos celebris, quem alij ſcribunt *Hakadoſch* ſcripſit ad Antoninum Imp. *Higgeret Haſodot*, ideſt *Epiſtolam myſteriorum*. Quin & ab Hieroſolymę excidio primus ad Moſaicæ legis explanationem *Talmud Babylonicum*, ſeu *Doctrinale*, ſeu *Miſna* cępit perſtringere, quod, Iudæi velamen ante oculos ſuæ perfidiæ habentes, velut ore Moiſis traditum amplectuntur. quem ſecuti ſunt Bar Cappara, auctor libri, qui inſcribitur *Toſaphta*, R. Haia, R. Oſena, R. Simeon Auctores librorum, qui pręnotantur *Barlethoth*, (alijs Biriethoth) & Mechiltoth, ideſt extranea, & aduentitia. id cōſtat in *Seder Olam*, & in R. Abraham in Cabb. Hiſtor. quin & in lib. 3. Chronographiæ Genebrardi ſub annum Mundi (ſecundum eius Chronologiam) 4121. ſed caueant ſtudioſi, tum quoniam Talmud à ſancta Apoſtolica ſede proſcriptū eſt, tum quòd tam in Hieroſolymitano, quod ſcriptum eſt ann. Dom. 300. quàm in Babylonico, quod ſub centeſimum, poſt fuit compoſitum, putidiſſimi extant errores, & quiſquiliæ peſtilentes. Vide in hoc Apparatu, in verbo, *Talmud*.

Halitgarius, Vide paulo ſupra in verbo, Haicarius.

Hamraldus Romanus Theologus, ſcripſit in Magiſt. Sentent. & Quodlibeta. Vixit ann. 1270. Trit.

Geſta Treuerenſia. Hamularius Fortunatus (de quo egimus ſupra in verbo, *Amalarius*) Archiepiſcopus Treuerenſis, Germanus, Monachus Luxouienſis, S.R.E. Cardinalis, Gręcè ac Latinè diſertus, miſſus à Carolo Magno Imp. Conſtantinopolim ad Michaelem Imp. pacem, & amicitiam inter vtrumque compoſuit. Officium verò, quod vocamus *Mortuorum* in eum, quem habemus, ordinē digeſſit, vt ipſe teſtatur in libro de ordine Antiphonarij c. 79. Quod quidem ab Eccleſia comprobatum, & in vſum fuit receptum. Qui verò hoc S. Odiloni Abbati Cluniacenſi tribuunt, eos falli docet Arnoldus Vion. Odilo enim diem commemorationis omnium Defunctorum poſtridie feſti omnium Sanctorum inſtituit, non autem officium mortuorum diſpoſuit, quod ſanè multis antea ſeculis in Eccleſia erat in vſu, vt patet tum ex Gregorio Papa I. Alcuino de Diu. off. titulo de 2. 7. & 30. die pro Defunctis, & ex alijs, qui pro Defunctis ſacrificium Deo offerebant, vti & S. Monica iuſſit Auguſtino pro ſe offerri: & Apoſtoli in eorum Liturgijs faciebant, non omnino tamē eadem ſerie Orationum vſque ad Hamularium, cuius eſt etiā Inuitatorium illud, *Non ſit vobis vanum*, quod dicitur tēpore Quadrageſimæ; & alia nonnulla ad rem Diuinam pertinentia. Porrò ſcripſit De Diuinis, ſiue Eccleſiaſticis officijs, ſiue *Officiales*, ad Ludouicum Pium Imp. lib. 4. qui excuſi ſunt Coloniæ cū alijs Scriptoribus De Diuinis officijs ann. 1568. & Romæ an. 1591.
De ordine Antiphonarij, lib. 1. qui paucos ante annos primo Romę prodijt cum pręcedente.
De Myſterijs, ſiue officio Miſſæ, lib. 1. impreſſum in Speculo Miſſæ Venetijs ann. 1572.
De ordine Cantatorij, lib. 1. Lectiōnarium, lib. 1. Diurnale officij, Epiſtolas ad diuerſos.

At Honorius Auguſtodunenſis libro de Eccleſiaſticis Scriptoribus, libros huius Hamularij tribuit cuidam Amelario Epiſcopo Metenſi, ſic inquiens: *Amelarius Metenſis Epiſcopus, ſub Ludouico ſcripſit Libros quattuor De Diuinis Sacramentis*, ſed eum errare docent, tum conſenſus aliorum omnium, qui de Eccleſiaſticis Scriptoribus agentes, ne meminere quidem huius Amelarij: tum etiam quòd apud Democharem De Sacrificio Miſſæ Tomo 2. c. 33. in Catalogo Metenſium Epiſcoporum, nullus huius nominis illius ſedis Epiſcopus reperitur: corrigendus eſt ergo Honorius, & qui eum ſequuntur. Vide etiam in verbo, Attularius.

Hamulus Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, ſcripſit ad Carolum Imperatorem contra Iudæos Opus inſigne. Vixit ann. 830.

Hanco Forteman Friſius, *Vir* (inquit Suffridus) *primaria nobilitatis, & rei bellica gloria inſignis fuit, de quo in opere De Ducibus, Comitibus plenius dicturi ſumus. hic ſcripſit Expeditionum ſuarum memorias, quas Carolo Magno fecit, vti teſtatur Andreas Cornelius: floruit ſub Carolo Magno circa annum Chriſti 804. ſcripſit item Orationem luculentam contra Arianos, & Sabellianos De Trinitate*. Hęc Suffridus Petrus, lib. de Friſiæ Scriptoribus.

Hannibal Firmanus. Vide in verbo, Annibal Firmanus.

Han-

HANNIBAL Rossellius Ordin. Min. cum librum De septem Sacramentis edidisset Posnaniæ apud Ioannem Volrabum ann. 1590. Grande Opus deinceps in plures Tomos distinctum Cracouiæ apud Adamum emisit, in Mercurium Trismegistum. Vide in verbo, Mercurius Trismegistus.

HANNIBALDVS Romanus, Parisiensis autem Theologus, quem alij Cisterciensem, alij Carmelitam fuisse scripserant, à Patribus, qui Gesta Dominicani Ord. conscripserunt, sui fuisse Ordinis euincitur: id quod Antonius itẽ Senensis testatur. Sed & Cardinalis creatus est, cui plura Deus contulit dona, scripsit autem Commentaria in quattuor lib. Mag. Sent. Quibus in Commentarijs secutus D. Thomę, ac Petri de Tarantasia doctrinam, eorum tamquam Abbreuiator est habitus. Reliquit item librum Quodlibetorum. Viuebat ann. 1270.

HARINGHVS Sifridi Sinnama ex Hagis Frisiæ Oriundus (ait Tritemius, qui cum eo locutus est) scripsit Opus insigne super titulis vtriusque Iuris, omnibus harum facultatum studiosis non minus vtile quàm iucundum. Is vulgo Hermannus appellabatur, docuit Coloniæ. Viuebat ann. 1495.

HARMENOPVLVS, qui Græcè scripsit de Fide Orthodoxa, & Nomocanones, extat m.s. Gręcè in Cæsarea Bibl. Viennæ, adiunctis quibusdam Opusculis SS. PP. adnexo item Matthęi cuiusdam Tractatu De gradibus consanguinitatis. At denique ann. 1603. Liber eiusdem Harmenopuli Latinè est editus Francofurti Primo Tomo insertus De iure Græco Romano tam Canonico, quàm Ciuili. Vide in verbo, ius Canonicum.

HARTMANNVS Scedel Norimbergensis ab Orbe condito vsque ad annum Domini 1492. contexuit, & in vna veluti tabula seriem Pontificum, Cæsarum, Regum, & aliarum rerum memorabilium Lectori spectandam exhibere conatus est. Viuebat ann. 1494. Tritemius.

HARTMVNDVS Germanus, idemque monachus Monasterij S. Galli, quod est apud Heluetios Ord. S. Benedicti, Rabani Mauri quondam auditor, Gręcè, Latinè, Hebraice, & Arabicè noscens, scripsit Carmine, ac soluta Oratione. Feruntur autem in quosdam D. Scripturæ libros Commentarij ipsius. Epistolarum ad diuersos liber. Sermones item, Cantus, Hymni, & varij Tractatus. Vixit ann. 870. Trit. de script. Germ.

HATTO Germanus Abbas Monasterij diuitis Augię legatione functus est ad Michaelem Imper. Constantinopolitanum pro Carolo Magno Imp. Quo tempore Librum prænotatum, *Hodeporicum* scripsit; Tandem reuersus, & vitam priuatam optans, Episcopatui, ad quem antea fuerat promotus, & Abbatiæ cessit; & anno Domini 822. regiminis sui 16. ad Monasterium suum redijt, vbi Orationibus, & scripturarum lectioni operam dans obijt ann. 836. scripsit item Visiones S. Vuettini Monachi. Hermannus Contractus in Chronico, tam veteri, quam recentiore. At Tritemius in Chronico Monasterij Hirsaugiensis meminit Hattonis, qui ex Abbate Augiensi factus est Archiepiscopus Moguntinus ann. 891. Veruntamen nihil de hoc pręclarum affert, etsi eum præfuisse dicit Ecclesiæ Moguntinæ vno & viginti annis.

HAYMO, (inquit Sixtus Senensis) Halberstatensis, tertius in Saxonia Episcopus, natione Germanus, Albini, qui Caroli Magni Augusti præceptor fuit, Discipulus, Fuldensis quõdam Benedictini Cœnobij Monachus, & Abbas Monasterij Hirsfeldensis eiusdem Ordinis, vir sanctitate, & eruditione insignis, composuit in omnes libros vtriusque Testamenti Commentarios, pietate, breuitate, dictionis simplicitate, ac perspicuitate laudandos, in quibus quæ à veteribus Interpretibus vel erant scripta doctis, vel apud populum dicta fusius, in compendium redegit adeo perspicua, & lucida breuitate, vt & ab occupatis paruo temporis dispendio legi, & à simplicibus, leuiterque literatis facillimè intelligi possint. Versatus est autem fermè semper in allegoricis, & anagogicis sensibus: quos velut spiritualis apicula, ex omnium antiquorum hortis, ac pratis florentibus decerpsit, quo legentibus esset parata, scripsit itaque, In quinque libros Moysi, lib. 5. In Iosuè, lib. 1. In Iudicum, lib. 1. In Ruth, lib. 1. In Regum, lib. 1. In Paralipomenon, lib. 1. In Tobiam, lib. 1. In Esdram, & Neemiam, librum 1. In Iudith, lib. 1. In Hester, librum 1. In Iob, lib. 1.

In Psalmos Commentaria, excusa Friburgi Brisgoiæ, & Parisijs ann. 1533.
In Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, XII. Prophetas, & Cantica Canticorum. Commentaria excusa Coloniæ ann. 1533.
In Epistolas D. Pauli interpretationem, quæ prodijt Parisijs ann. 1556.
In Apocalypsim, lib. 7. ibidem excusos Parisijs ann. 1540. cum antea Coloniæ 1529. apud Eucharium editi fuissent.
In Euangelia duos Homiliarum Tomos excusos Coloniæ, ann. 1532. & 1540. & Antuerpiæ 1559.
In Acta Apostolorum, lib. 1. In Epistolas Canonicas, lib. 7. De varietate librorum, lib. 3. De Mundi voluptate, lib. 1. De Sancta Trinitate, lib. 1. De Christianarum rerum memoria, lib. 3. Qui excusi sunt Coloniæ ann. 1573. & Romæ.

At ad libros decem De Christianarum rerum memoria. Petrus Galesinius notationes haud inutiles adiecit, quæ extant in editione Romana Pauli Manutij ann. 1564. Miror autem nihil à Galesinio dictum fuisse de Haymone, qui in Præfatione, qua Eusebij libros tamquam in compendium redegisse scribit Eusebium (virum alioquin Arianę factionis) Beatum nominat, quodq; plus est, addit hæc verba. *Itaque Diuino Operi tuo meum non confero, sed te ipsum refero, te inspiciens, te adorans, quem pene penitus è vestigio sequor, sed via breuiore. Sit igitur liber ille tuus exemplar, hic exemplum: sit ille forma expressior, hic repræsentatio, & imago: sit ille rerum notitia, iste memoria. Nam quod ille ducit ad notitiam, iste reducit ad memoriam.* Nimirum Haymo non perpenderat altius, quæ in alijs Operibus Eusebij digna notatu scripsimus, vbi de eodem Eusebio egimus, quæ omnino videnda sunt. Porrò quadriennium prædicationis Christi, quod ille ponit, non conuenit cum Lucæ c. 3. nec cum Nicephoro, lib. 1. cap. 18. Vide autem Galesinium etiam de alijs quibusdam. Obijt ipse Haymo apud Halberstatenses ann. 834. Trit. quibus tredecim annos præfuit.

HAYMO Anglicus, Ord. Minorum Minister Generalis, quattuor libros Sent. Lombardi exposuit. Hunc autē credo esse eundem, qui in Cantiorum Comitatu non procul Cantuaria natus, de Breuiario quoque Romano, ac Sermones scripsisse fertur. Viuebat ann. 1240.

HAYMO Cantuariensis Archidiaconus Ecclesię, Anglus, scripsit De fructu Incarnationis. item De imitatione Sanctorum, De Martyribus quibusdam, Pugnam virtutum, & vitiorum. Viuebat ann. 1040.

HAYMO è Fauereschino, Anglus, Ord. Minorum. *honestatis speculum* dictus, electus est Generalis Romæ ann. 1239. Gregorio Nono Pont. Max. Qui iussu Innocentij Pont. Max. deinceps Breuiarium Romanum correxit, & Rubricis illustrauit. Scripsit autem librum de Missæ Ceremonijs: Incipit, *Indutus planeta Sacerdos, &c.* Commentarios in quattuor libros Sentent. Item Sermones nonnullos. Eo item curante declaratio Franciscanæ Regulæ prodijt à quattuor Magistris. Missus etiam fuit à Gregorio X. Pont. Max. Legatus ad Græcos. Obijt Anagniæ ann. 1244.

HAYMO Floriacensis Monachus, circa annum Dom. 1020. Scripsit Martyrium Sancti Abbonis Abbatis Floriacensis, lib. 1. & Historiam à Iustiniano Imperatore ad Carolum Magnum.

HAYMO Fuldensis. Vide supra in verbo, Haymo Halberstatensis.

Eisingr. Arnold. HAYMO Germanus, Monachus, & Prior Hirsaugiæ, Congreg. Cluniacensis reformatę circa annum 1100. scripsit vitam S. Gulielmi Abbatis, lib. 1.

HAYMO Hirsaugiensis Cœnobij Prior, scripsit vitam, & miracula Vuilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, & Homilias, quæ falsò ascriptæ fuerunt Haymoni Halberstatensi. Tritem. in Chronicis Hirsaugiensibus.

HAYMO quidam Homilias in Euangelia, & librum de Voluptate Mundi composuit.

H E

HEBRAICAE linguæ Dictionarium Diuinæ scripturæ perutile. Vide in verbo, Pagninus, & in verbo, Marinus Brixianus.

HE-

HECTOR Boethius Scotus, qui ann. 1526. viuebat, Aberdonensium vitas Episcoporum, & Scotiæ Regni descriptionem; atque Catalogum Regum eiusdem Regni, & decem & septem libros historiæ Scoticæ, diuersis voluminibus scripsit. quæ quidem Badius Typographus Parisijs excudit ann. 1556. Atqui deinceps duo alij libri accesserunt eiusdem historiæ à prima gentis origine cum aliarum rerum, & gentium enarratione. Sed & huic editioni addita est eiusdem Scotorum Historię continuatio à Ioanne Ferrerio Pedemontano emissa in lucem Parisijs apud Iacobum du Puys ann. 1580. Veruntamen vide, quæ in sextodecimo libro nostræ Bibliothecæ Selectæ scripsimus De historicis Regni Scotiæ, vbi pleraque planius, & ad hunc Apparatum accommodatius.

HECTOR Pintus Lusitanus Ord. D. Hieronymi in Hispania, & in Academia Conimbricensi Professor, edidit varia, quæ demum in tres Tomos distributa prodierunt apud Bartholomæum Honoratum Lugduni ann. 1584. Quæ item postea auctiora ibidem apud Ioannem Veyratum ann. 1590. Nempè in Danielem. In Ezechielem. In Isaiam. In Nahum. In Threnos Ieremiæ. Deinde pro quarto Tomo Imaginis vitę Christianę Dialogorũ Opus. De vera Philosophia, & de Introductione veræ philosophiæ. De Religione. De Iustitia Retributionum. De vita solitaria. De tranquillitate vitæ. De vera amicitia. De causis Dialogus, in quo colloquuntur vnus Scholasticus, alter Canonista, alius Humanista, vt vocant, alius Theologus. De veris & falsis bonis. At Commentaria in Danielem, in Nahum, & in Threnos Ieremiæ recognita prodierunt Antuerpię apud Martinum Nutium an. 1595. cum antea prodijssent in Isaiam prophetam, Antuerpiæ an. 1567. & in Ezechielem ibidem apud Viduam, & hæredes Ioan. Stelsij in 4°. 1570. & ann. 1582. apud Petrum Bellerum. Quin & hoc eodem anno in Danielem, Lamentationes Ieremiæ, & in Nahum Coloniæ.

HECQVETIVS Atrebatensis. Vide in verbo, Hadrianus Hecquet.

HEDDA, Anglus, Monachus Vintoniensis (alijs *Vuentanus*) Congr. Benchorensis, scripsit ad Ecclesiarum pastores, lib. 1. Epistolarum ad diuersos, siue ad Adhelmum, lib. 1. Obijt ann. Domini septingentesimoquarto.

HEDIVS Stephanus Anglus, Monachus Cantuariensis, Congr. Giribennæ, hortatu S. Actæ Episcopi Hagulstadensis circa ann. Domini 720. scripsit vitam S. Vuilfridi Archiepiscopi Eboracensis, & B.B. Eatæ, ac Tumberti.

HEDERICVS Italus, Monachus Monasterij S. Gregorij Papæ, S. Andreæ Romæ, Congregationis primæ Benedictinæ, circa annum 640. ex scriptis D. Gregorij in Iob sententiarum librum composuit.

HEGESIPPVS, cuius Scriptorum meminerunt Eusebius, Hieronymus in Catalogo, Nicephorus lib. 2. c. 28. & lib. 4. c. 7. Sanè Eusebius recitat nonnulla fragmenta Scriptorum eius, quæ magno cum damno historicæ veritatis eorum temporum interierunt. Eius, vt viri Sancti, anniuersarius dies in Ecclesia celebratur septima die Aprilis, Beda, Vsuardus, Ado, & reliqui cum Baronio Card. ad Martyrologium Romanum. Qui verò à Tritemio censetur esse Hegesippus ille antiquus, non est ipse. (Quippe ille prope Apostolorum tempora vixit) sed iunior, qui post Constantinum magnum historiam Græcè reliquit. cuius in Latinum versio falsò ascribitur D. Ambrosio Mediolanensi Episcopo, quæ prodijt apud Io. Soterem excusa Coloniæ. Et verò Hegesippus hic iunior à Iosepho quodam Gorionis, qui tempore excidij Hierosolymitani vixit, tum aliqua alia, tum lamentationem ad Hierusalem ad instar Threnorum Ieremiæ collegit. sed & Iosephus ille suppositititius, & in multis errasse non à me solum, verum, & ab alijs, & adeo à Baronio Card. existimatur. Vide Annal. Baron. Card. Tom. 1. sub ann. Domini 72. pag. 657. primæ editionis.

HEIMERICVS. Vide in verbo, Heymericus.

HEIDENRICVS Hallensis in Saxonia Præpositus, librum scripsit De cura Pastorali. Viuebat ann. 1137.

HELDAD, & Medad, de quibus quinto cap. Num. legitur, ab Auctore Hebraicarũ traditionum, quę Hieronymi nomine ferebantur, putantur ijdem fuisse, quos prior Annalium liber c. 1. Paral. appellat Epher, & Ialon de tribu Leui, filios Ezræ, qui & Amram dictus est, & Mosis Pater fuit. Athanasius autem in Synopsi hunc librum inter apocryphos numerat.

HEL-

HELDIBERTUS Cantiæ Rex in Anglia, Epistolam cum donis misit S. Bonifatio Moguntiæ Episcopo, gratulatus ei de plurium gentium conuersione ad Christum Dominum. Bed. lib. 5. c. 24. hist. Angl.

HELENAM Flauiam Augustam, Magni Constantini Cæsaris Matrem, insigne de Prouidentia Dei volumen composuisse, atque alterum De animæ immortalitate commentarium, alium item de recto viuendi norma scripsisse, insuper pietatis monita & Carmina Græca, & Epistolas ad diuersos, nescio vnde acceperint Eisingrenus, & alij quidam, cum eorum Operum nullum apud Auctores viderim, altum autē sit silentiū apud Cęs. Card. Baronium, apud quem tamen, quænam monimenta reliquerit; eaque Britanna non Græca fuerit, vide in Notis ad Martyrologium die 18. Augusti, & 3. Annal. Tomo.

HELENA Vtinensis, siue de Vtino, miraculorum frequentia illustris, ad Christum migrauit ann. 1458. quarto Nonas Aprilis. cuius vitam Iacobus Philippus Bergomensis in libro, quem de claris mulieribus edidit, pulchrè conscripsit.

HELIAS Capreolus, qui de confirmatione fidei scripsisse dicitur, & cuius olim in Catalogo Basileensis officinę Heruagij fiebat mentio; à me visus non est, vt, qualis sit nequeam asserere. Et verò in ijs, quæ inde prodierunt, oculatum esse Lectorem est opus.

HELIAS Cretensis Archiepiscopus. Vide in verbo, Gregorius Nazianzenus, ad quem idem Helias scholia reliquit.

HELIAS Hanibaldus Theologus, Ordin. Minorum, Patriarcha Hierosolymitanus, & Episcopus Vtinensis, ab Innocentio Sexto Pont. Max. Lemouicense ann. 1356. Cardinalis tituli S. Stephani in monte Cęlio, ab Vrbano autem Quinto, Ostiensis factus, scripsit Postillam in Apocalypsim. Obijt Auenione sub Vrbano V. Pont. Max. ann. 1367. iiij. Nonas Octobris.

HELIAS de S. Heredio Gallus, Ord. Minorum, scripsit De vita Contemplatiua. Vixit ann. 1356. Eisingr.

HELIAS Monachus Sanctæ Trinitatis Cauæ, scripsit librum De obseruatione Paschæ. Arnold. Vion.

HELIAS Thesbites Propheta, è Thesbis Arabum Oppido Oriundus, de tribu Aaron, Leuita, scripsit Epistolam ad Ioram Hierosolymę Regem, cuius mentio fit 2. Paralip. c. scriptam autem ab eo apparet antequam in Cęlum tolleretur, sed datam multo post: nam tempore Iosaphat sublatus est. Vide 4. Reg. 2. Quidam putant alium esse istum Eliam. Qui verò Heliæ nomine liber extabat, qui *Ascensio*, vel *Assumptio*, vel *Apocalypsis* inscribebatur, dudum reiectus est, vt Athanasius in Synopsi scripsit. Vide Hieronymum in cap. 64. Isaiæ, ad illa verba. *A seculo non audierunt, neque acceperunt*. quidquid Origenes de eo dixerit Tractatu in Matthæum trigesimosecundo, & Stratonicus Cumarum Episcopus in Collectaneis suis.

Eisingr. qui ann. 1069. scripsit vixisse. Arnold. Vion qui 1200.

HELINANDUS Gallus, Monachus frigidi montis, Congreg. Cluniacensis anno circiter 1200. scripsit historiarum à Creatione Mundi, lib. 48. De reparatione lapsi, lib. 1. Sermones plures, Epistolarum ad diuersos, lib. 1. Vide Vincentium Bellouacensem in Speculo suo historiali lib. 30. c. 108. & S. Antoninum in 3. par. Chron. ti. 18. c. 5.

Genn. in Catal.

HELIODORUS Presbyter, scripsit librum de Naturis rerum exordialium, in quo ostēdit, vnum esse principium, nec quicquam coęuum Deo, nec mali conditorem Deum, sed ita bonorum omnium creatorem, vt materia, qua ad malum versa sunt, post inuentam malitiam à Deo sit facta, nec quicquam materialium, absque Deo credatur conditum, aut fuisse alium rerum creatorem præter Deum, qui prę scientia sua cum præuideret *morti dari* naturam, præmonuit de pœna. hæc Gennadius. sed m.s. codex Gemblacensis, & viridis Vallis, pro *morti dari*, habent *mutandam*, vt & Sigebergensis. sic item obseruauit. Suffr. Petrus.

HELLADII, qui successit D. Basilio, cuius item discipulus fuit. Commentarius de rebus gestis Basilij Magni scriptus, & à Io. Damasceno commemoratus in Oratione prima de Imaginibus, desideratur.

HELIODORUS alter Antiochiæ presbyter, edidit (vt inquit Gennadius) de Virginitate egregium, & Sacris scripturis instructum volumen. Viuebat ann. 490.

HELISABETH Abbatissa Cœnobij Schonaugiensis, Ord. S. Benedicti, soror Eckeberti Abbatis, quæ sanctitate vitæ celebris, libros Reuelationum diuinitus acceptarum duos reliquit. *Omnes qui lecturi sunt*. Alterum item prænotatum Viarum Dei vtile opus. *Factum est in exordio*. De vndecim millibus Virginibus Coloniæ, lib. 1. *Vobis qui pios*. Ad fratrem suũ Eckebertum, lib. 1. *Petis à me frater*, Epistolarum ad diuersos, lib. 1. *Ex Episcopatu Metensi*. Ad sanctam Hildegardem, lib. 1. Vide Notas Baronij Card. ad Martyrologium 8. die Iunij.

HELMANDVS, siue forsan *Helinandus* dicitur is esse, cuius carmen De potestate mortis est editum, quæ nulli ordini, vel ætati parcat. singuli versus incipiunt. *Vado mori*.

HELMANVS Teutonicus de Nechemburg. Ord. Minorum, scripsit Sermones de Tempore. Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuæ in Historia Seraphica.

HELMESIVS. Vide in verbo, Henricus Helmesius.

HELMOLDVS Canonicus Butzouiensis, Historiam conuersæ ad veram Christi religionem gentis Henetæ, siue Slauicæ, ad Littus Maris Balthici prope Lubecam, & in Ditione Ducum Magapolensium, enarrat: & à Caroli Magni bellis, quibus in Saxoniam Christi Religio propagata est, vsque ad Friderici Barbarossæ tempora & annum Christi Do. 1168. peruenit, quo & viuebat.

HELPERICVS Germanus, Monachus S. Galli, Congr. Cluniacensis, circa ann. 1030. scripsit De Computo Ecclesiastico, ac De Musica. Viuebat ann. 1069. Tritem.

HELPIS vxor Boetij, scripsit Hymnos in Apostolos, qui extant inter ipsius Boetij Opera.

HELVIDIVS Auxentij discipulus (vt Gennadius habet in Catalogo) Symmachi imitator quidem religionis studio, sed non secundum scientiã librum scripsit, neque sermone, neque vera ratione nitidum, in cuius Opere ita Sanctarum scripturarum sensum ad suã peruersitatem flectere conatus est, vt earũ testimonijs asserere voluerit Sanctam Mariam post Natiuitatem Domini, quem Virgo peperit, Ioseph sponso suo iunctam, & ex eius consortio filios suscepisse, qui fratres Domini appellati sint. cuius prauitatem Hieronymus arguens, libellum documentis scripturarum sufficienter factum, aduersum eum edidit. Hæc Gennadius, qui minus quàm par est optimum illum Hieronymi librum commendat.

HENOC Septimus ab Adam scripsisse quædam fertur: sed cuius scripta vel non extant, qualia fuerant; vel non habentur legitima; licet Tertullianus in libro De habitu Mulierum dicat eius librum esse Canonicum, & Beda in Epist. Iudæ asserat fuisse tempore Iudæ Apostoli. De illo autem præter id, quod scriptum est in Epistola Iudæ Apostoli, vide Origenem in vlt. hom. super Numeros. Augustinum in quintodecimo libro de Ciuit. Dei, c. 23. & in decimooctauo libro de eadem Ciuitate Dei, cap. 38. Nam quòd ex Testamento duodecim Prophetarum sæpe Origenes, & Procopius multa ex Henoc proferant vaticinia, siue quod Sixtus Senensis afferat 2. lib. Bibl. Sanctæ, de ijs, quæ Annius in Commentarijs ad Berosum de Henoc scripsit, non multam fidem merentur. Ac nos quidem, (quod non semel fuit dicendum) in Apparatu nostro ad historias sat solidis argumentis euicimus, nõ verum, sed supposititium fuisse Berosum, vti & alios, quos Annius pro veris proposuit. Ceterum vt Hieronymus in cap. 1. ad Titum, & Augustinus in supra citatis locis. dicunt, etiam in apocryphis esse aliquid veri, sic potuit Iudas in sua protulisse Epistola, quod verum erat, nec tamen propterea totum librum approbasse. Nam & Paulus Act. 17. & prima ad Corinth. 15. & ad Titum 1. profert testimonia ex Ethnicis Poetis Arato, Menandro, & Epimenide, nec tamen propterea Poetas illos consecrauit. Vide Bellarm. Cardinalem lib. primo, de Verbo Dei, cap. 18. Tom. 1.

HENRICVS de Andernaco Germanus, & Carmelita, scripsit in Magistri Senten. lib. 4. Ann. 1470. Sermones de Tempore, lib. vno. Sermones de Sanctis altero. Quæstiones Philosophiæ alio. Tritemius.

HENRICVS Angliæ primus huius nominis Rex cognomento *Bellocleticus*, siue *Beauclere*, pius & eruditus, edidit Decreta, quæ prænotauit *Emendationes*. Obijt ann. 1135.

HENRICVS Ansleus, Sacerdos, disputationem De Virgine incomparabili, & Sacrosancta Dei Genitrice Maria edidit Ingolstadij apud Dauidem Sartorium ann. 1589.

HEN-

HENRICUS de Aquila Germanus, at Parisiensis Theologus, & Carmelita, scripsit in Canticum Canticorum Commentarium. Librum item aduersus Petrum de Crosa. Quodlibeta libris duobus. Quæstiones ordinarias libro vno. Vixit ann. 1330.

HENRICUS Aquilius, Moralium libris duobus cum Dominica Oratione Paraphrasticè reddita, prodijt Coloniæ ann. 1568.

HENRICUS de Arena, (alijs *Harena*) Anglus patria Norduolcas Carmelita, scripsit Ordinationes (vt vocant) Conuentuum, siue locorum sui ordinis. Conciones aliquot. Formulas scribendarum Epistolarum. Obijt Stanfordiæ ann. 1399. vt extat in Indice Iacobi de Plebe Pisani Ordinis Seruorum, & apud Petrum Lucium.

HENRICI Ariminensis, Ordin. Prædicatorum, De quattuor virtutibus Cardinalibus Tractatus quattuor scripsit, ad Ciues Venetos, Philosophiam moralem complectens, cum epistolis, & historijs, ex Diuinarum humanarumq; scripturarum Auctoribus, librum item De Politia Venetorum. Viuebat ann. 1513. PP. Min. Ord.

HENRICUS Arnoldi (ait Tritemius) natione Saxo, professione monachus Cartusianus, domus Basileensis, scripsit Opuscula multa valde pia, & salutaria, è quibus hæc sunt.

De diuersis Sanctis Orationes, lib. 1.
Sermones plures, lib. 1.
Historiæ de diuersis Sanctis, lib. 1.
Concordantiam Euangelistarum de Passione Domini, lib. 1.
Meditationes de Vita Christi Domini, lib. 1.
De Conceptione imaculata Beatiss. Virginis, Tractatus.
De nouitiorum instructione, Tractatus.
Dialogus inter Iesum, & Mariam.
Dialogus de exercitijs spiritualib. inter Margaritam, & eius Seruulum.
Alius Dialogus inter eosdem de Cruce.
De commendatione charitatis, Tractatus.
De sancta humilitate sub forma Orationis, Tractatus.
Iterum, de humilitate, Tractatus. *Fratres charissimi*.
Chronica Domus Cartusiensium, apud Basileenses. Vixit ann. 1440. alijs 1480.

HENRICUS Bedericus. Vide infra in verbo, Henricus de Bury.

HENRICUS Benedictinus Abbas in Breitenauu. Vide inf. in ver. Hẽricus in Breitenauu.

HENRICUS Bituricensis, Ord. S. Augustini, reliquit Sermones Quadragesimæ tempore habitos, Lugduni excusos. Hæc Ioseph Pamphil.

HENRICUS Blyssemius Belga, Societatis Iesu, Theologus, edidit Tractatum De Sacræ Eucharistiæ percipiendæ ritu, & vsu sub vna specie, contra grauissimos aduersariorum errores Ingolstadij ann. 1585. Cum autea emisisset Defensionem Assertionum Theologicarum de vera, & sacrosancta Christi, quam habet in terris, Ecclesia militante, contra disputationem appositam Tubingensis hæretici. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium an. 1577.

HENRICUS Bonicolli, Gandauensis, dictus *de Gandauo*, ex antiqua Eutrachelorum, quos vulgò Gothalsios indigetant, familia in Belgio, Ord. Seruorum, si Chronico Seruorum credimus, deinde Archidiaconus Tornacensis, à Scoto propter insignem doctrinam commẽdatus, & in Parisiensi Academia, *Doctor sollemnis* appellatus, edidit summam Quæstionum ordinariarum, siue Theologiæ, quæ prodijt Parisijs ann. 1570. librum De Virginitate, & Quodlibeta in Sententiarum, lib. 4. De Pœnitentia. Commentaria ad Physicorũ, & Metaphysicorum libros. Sed & librum De Viris Illustribus. In quo mirum videri potest, quod Operum D. Thomæ Aquinatis haud meminerit. Obijt ann. 1293. visitur etiam nunc Sepulchrum apud Neruios in Æde primaria Deiparę sacra, vetustate penè obliteratum.

HENRICUS Botæus, alijs *de Botis* scripsisse dicitur De Synodo, ac De Statutis Synodalibus Episcoporum. Extat inter Tractatus Iuris. To. 13. P. 2. fol. 377.

HENRICUS Boyc I.V.C. Brito, Diœceseos Leonensis scripsit libros quinque super Decretales. Vnum autem super Sextum Decretalium. Alium super Clementinas. Sed posterior editio Commentariorum ad quinque libros Decretalium habetur emaculatior. Ea verò prodijt Venetijs ann. 1580.

HENRICUS Boyck Germanus Carmelita, Episcopus Croatiensis, scripsit De celebratione Missarum. Epistolarum familiarium librum. Ad Ioannem item Hildeshemensem. Viuebat ann. 1360.

HENRICVS de Boyo, Brito, Carmelita in Sententias Magiſtri ſcripſit. Viuebat anno 1450. Eiſingren.

HENRICVS Boych Merſeburgenſis, Ord. Franciſcani, Profeſſor olim publicus Magdeburgenſis, ſcripſit Summam Decretalium in quinque libros diſtinctam, iuxta quinque Diſtinctiones Decretalium.

HENRICVS Brabantinus, Belga, Monachus, & Abbas Monaſterij S. Ægidij Brunſuicenſis, vnanimi cleri, & Canonicorum conſenſu delectus in Epiſcopum ann. 1270. præfuit Epiſcopatui ſanctiſſimè annis quindecim, qui moriens ann. 1284. reliquit Homiliā in Euangelium. *Stabat iuxta Crucem Ieſu*: Arnoldus in ſupplemento Helmoldi, cap. 8. Tritemius, lib. 4. cap. 268. Crantius in Metropoli, lib. 7. cap. 2. ſepultus eſt in S. Ioannis Monaſterio à ſe pro Benedictinis fundato.

HENRICVS Bracton Anglus, & vir Illuſtris, ſcripſit De Conſuetudinibus Anglicanis. Viuebat ann. 1240.

HENRICVS in Breitenauu Abbas, vir Sanctitate celebris, ſcripſit Dialogum in perſona diuitis Epulonis, & pauperis Lazari. De contemptu ſeculi. Libellum Orationum. De conflictu virtutum, & vitiorum. De duodecim abuſibus. De lapſu primi hominis, ac De tædio præſentis exilij. De Ciuitate, cuius nomen *Dominus*. De habitu Virginis, & de Beatitudine. De Reſurrectione Sanctorum. De cogitanda mortalitate. De Domino noſtro Ieſu Chriſto. De corpore Chriſti myſtico. De Fide Catholica ad Carnotenſem Epiſcopum. Floſculorum librum. Hymnorum Opus. Viuebat ann. 1132.

HENRICVS Brundshauu, Anglus, Monachus Benedictinus ann. 1346. vel circiter, ſcripſit vitam S. Vueburgæ virginis.

HENRICVS Bruxellenſis in Belgio, Monachus Affliginienſis calculatoriæ artis peritus (vt verbis vtar Henrici de Gandauo) *diſcordiam naturalis cōputi Lunæ, & Cycli decemnouennalis, diligenter abſoluens*, Calendarium ita diſtinxit, vt poſitis ſecundum Cyclum decēnouennalem ſuo loco primilunijs, ipſe è regione nō ſolum qua die, vel qua hora, ſed etiam qua parte horę ſingularum Lunationum, ſingulis menſibus acceſſio contingeret, annotaret.

HENRICVS Bury (ſiue *Bedericus*) Sudouolcas Anglus, Auguſtinianus, in Clarenſi Cœnobio S. Auguſtini, ſcripſit in quattuor libros Sent. Sermones de B. Virgine, & de Tempore, ac Quæſtiones Theologicas. Vixit ann. 1480. Colbius, Eiſingrenius, Ioſeph Pamphilus.

HENRICVS Buſchey, Belga, Ordin. Minorum, è Baſtonia, quod eſt Oppidum in tractu Leodienſi, Dialogum edidit De Sacra incarnati Verbi œconomia. Addidit Precationes ad Sanctiſſimam Trinitatem, & ad B. Virginem. Henr. Vuillot.

HENRICVS Caniſius Nouiomagus Germanus, & Petri Caniſij Theologi noſtræ Societatis patruelis I. V. D. & Canonum publicus in Academia Ingolſtadienſi profeſſor edidit Ingolſtadij Theſes iuridicas De præſumptionibus, & iureiurando, ann. 1594. apud Dauidem Sartorium. Summam autem Iuris Canonici in quattuor Inſtitutionum libros contractam ibidem ann. 1599. apud Eliam Vuillerum. Poſtea ann. 1604. recognitam, reſtitutam, & notationibus illuſtratam. ibidem ex typogr. Adami Sartorij.

Tomos antiquæ lectionis: Quorum PRIMVS continet ſequentes Auctores nunquam antea editos, qui ſunt. Alcuini Epiſtolæ ad Carolum Magnum, & alios.

Tironis Proſperi Chronicon auctius vulgato, & Pitheano, quæ etiam hic adiuncta.

Vuingarienſis de Guelffis Principibus. Eiuſdem Chronicon ad annum 1197.

Henricus Stero auctior.

Eberhardi Altahenſis Ratiſponenſis Archid. Annales à Rodulpho Habſpurgio ad an. 1305.

Sangallenſis de Geſtis Caroli Magni, libri duo.

Hermannus Comes Veringenſis, auctior.

Concilia Saliſburgenſia tria, & Viennenſe vnum.

S. Columbani. Carmina. Salomonis Epiſcopi Conſtantienſis. Carmina.

Vualdrammi. Carmina. Metelli Tegernſcienſis Quirinalia. Carmina.

Quæ ex officina typographica Ederiana, apud Andream Angermarium prodierunt Ingolſtadij ann. 1600.

Secun-

SECVNDVS autem, qui ann. 1602. prodijt ibid. apud eundem, plusquã viginti monumẽta antiqua nunquam edita, & ab se notis illustrata complectitur. Quorum nomina hęc sunt.
Meginfredus Magdeburgensis De S. Emerano.
Arnoldus Comes à Cham, & Vochburg. De SS. Emerano, & Vuolfango.
Auctor σύγχρονος De S. Lamberto martyre, & Episcopo.
Vuponis Panegyricus ad Henricum III. Imperator.
Vladicalcus, De controuersijs Hermanni, & Eginonis, vbi & Epistolæ Paschalis, Arnoldi, Eginonis.
S. Eberhardi discipulus De Episcopis Salisburgensibus, vbi & vitæ Sancti Ruperti, Sancti Vigilij, Sancti Eberhardi, & Hartuuici, & S. Gebhardi.
De S. Ottone, & Pomeranorũ conuersione, vbi & Epistolæ SS. Ottonis, Paschalis, Calixti, Innocentij, Polizlai, siue Boleslai Ducis Poloniæ, & Imbriconis Oratio.
Arno Archiepiscopus Salisburgensis, sub Carolo Magno De Donis Ducum Bauariæ Salisburgensi Ecclesiæ datis.
Priuilegium Philippi Regis pro Salisburgo.
Prumfflingensis De S. Erminoldo primo Abbate Prumfflingensi propè Ratisponam, lib. 2.
Auctor σύγχρονος De S. Gunthero S. Stephani Regis Vngariæ cognato.
Collectio Historica ex Anonymo, qui sub Alexandro Seuero Imperatore vixit, Idacio, Toromacho, alijs, Collectore Gallo quodam sub Carolo Magno.
Menologium Græcorum ex Bibliotheca, & interpretatione Gulielmi Card. Sirleti.
TERTIVS Tomus bipartitus, qui ibidem ab eodem est excusus ann. 1603. continet vndecim antiqua Monimenta nunquã antea edita. sed & ab Henrico Canisio Notis illustrata.
Et in Prima quidem Parte, S. Gregorij Thaumaturgi Episcopi Neocæsariensis, Anathematismi Græcolatini.
Germani Patriarchæ Constantinopolitani fragmentum ex Oratione de hæresibus Græcolatinum.
S. Zachariæ Pont. septem capita ex libro tertio Dialogorum S. Gregorij Magni Græca hactenus desiderata.
Hippolyti Thebani Chronicon Græcolatinum.
S. Anastasij Sinaitæ Patriarchæ Antiocheni Orationes duæ Græcolatinæ: Prima De S. Synaxi: secunda in Psalmum sextum.
Alterius Anastasij Abbatis Liber contra Iudæos.
Francicorum Annalium Fragmentum ab anno 741 ad ann. 793. quos Regino Prumiensis se fatetur secutum.
In Secunda Parte, Ioannis Ragusini Oratio, qua in Concilio Basileensi respondit per octo dies ad Articulum primum Bohemorum De Communione sub vtraque specie propositum à Ioanne Rockyzana Hussita.
Ægidij Carlerij Decani Ecclesiæ Cameracensis, qua in Concilio Basileensi respondit per quattuor dies ad Articulum Bohemorum, De corrigendis peccatis publicis, quem proposuit Nicolaus Taborita.
Disputatio Capituli Ecclesiæ Pragensis cum Rockyzana, de Hussiticis Controuersijs habita per dies quinque ann. 1565 coram Gytzycone Rege Bohemiæ.
Præter hos tres Tomos idem Henricus Canisius edidit ibidem apud eundem ann. 1600. Chronicon Victoris Episcopi Tunnunensis, & Chronicon Ioannis Biclarensis Episcopi Gerundensis, & Legationem Luitprandi Episcopi Cremonensis ad Nicephorum Phocam Græcorum Imp. nomine Ottonis Magni Imp. Augusti, & Synodum Bauaricam sub Tassilone Bauariæ Duce, tempore Caroli Magni, omnia nunquam antea edita.
QVARTVS Tomus, in quo sunt.
Leontij Byzantini varia Opuscula, siue libri
Timothei sancti Auctoritates è Sanctis Patribus.
Sanctus Damascenus in Acephalos, & in Nestorianos.
Anonymi Collectanea in Seuerianos.

Seue-

Seuerianorum Oppositiones cum responso incerti Auctoris.
Sanctus Nicephorus in Iconomachos.
Theodorus Hagiopolitanus.
Henricus Kalteisen De libera prædicatione Verbi Dei. } *In Concilio Basileensi.*
Ioannes Polemar De Dominio Clericorum. }
Sanctus Vuilibaldus de Sancto Bonifacio.
Othonus Fuldensis de eodem.
De Fundatione Illminensi.
Fragmentum chronici Thadæi Scoti.
Hodæporica Sancti Vuillibaldi, & eius Vita.
Heidenheim Sanctimonialis de Sancto Vunibaldo.
Ermonoldus de Sancta Sola.
Philippus Aichstadensis de Vualpurga.
Vuolphardus Hasenrietanus de eadem.
Anonymus de Sancto Kiliano, & Sancto Burchardo.
De Sancto Tyemone Archiepiscopo Saltzpurgensi martyre æqueuus auctor.
QVINTVS Tomus, *In cuius Prima Parte hæc sunt.*
Serapion Episcopus Thmueos contra Manichæos.
Didymus Alexandrinus contra Manichæos.
Titi Bostrensis Episcopi libri tres contra Manichæos.
Zachariæ Episcopi Mitylenensis Syntagma contra Manichæos.
Excerpta ex libris S. Hippolyti Episcopi Portuensis De Theologia, & Incarnatione.
Epistola Gregorij Nysseni contra Apollinarium.
Scholium Eunomij, & Disputatio Orthodoxi contra eum.
S. Basilij Magni Rationes Syllogisticæ contra Arianos.
Expositio De sancta, & Catholica Fide S. Basilij, & S. Gregorij Nazianzeni.
Epistola Photij ad Michaelem Bulgarorum Regem.
Eiusdem Photij Dissertationes sex De Diuinitate, & Incarnatione.
Fragmentum ex Leontio Cyprio contra Iudæos.
In Secunda Parte. Engelhardus Abbas de vita Mechtildis Virginis.
Friderici I. Imperatoris expeditio Asiatica.
Gulielmi de Baldensel Equitis Aurati Hodæporicon in Terram sanctam.
Theodorici Turingi libri tres de Sancta Elisabetha.
Halitgarij Episcopi Cameracensis De Vitijs, & Virtutibus, & Ordine pœnitentium libri 5.
Eiusdem, siue alterius Pœnitentiale.
Alcuini Epistola De Confessione.
Anonymus De S. Adalberto Pragensi Episcopo.
Guntheri monachi Historia de capta à Latinis Costantinopoli.
Anonymus de Adelhaide Imperatrice.
Fausti Rhegiensis Admonitio. Eiusdem Epistolæ.
Cæsarij, Sedati, & aliorum Epistolæ ad Ruricium Episcopum.
Ruricij Episcopi Lemouicensis Epistolarum libri duo.
Desiderij Episcopi Cadurcensis Epistolarum liber vnus.
Epistolæ variorum ad eundem Desiderium.
Euanthi Abbatis Epistola.
Adamanni Scoti de Sancta Columba, libri tres.
Cogitosus de Sancta Brigida Virgine.
Acta duplicia Sancti Albani martyris.
Vita Henrici Prioris Oxenhusani.
Synodus Regiaticina. Genealogia Caroli Magni.
Vita Sancti Gudberti carmine scripta à Beda.
Epigrammata, & Hymni illustrium virorum Monasterij Sancti Galli.

Althelmi Episcopi De laude Virginum, liber carmine scriptus.
Eiusdem liber carmine scriptus De octo principalibus vitijs.
Theodulphi Episcopi Aurelianensis Elegiæ Epistolares de suo exilio.
Modoini Episcopi ad Theodulphum Epistola Elegiaca.
Sermo Sancti Galli Confessoris.
Theodorus Monachus de Sancto Magno.
Orosij Abbatis libellus de sex cogitationibus.
Anonymi Carmen de Sancta Cruce.
Alcuini Dialectica. Eiusdem Grammatica.
Synodus Augustana. Synodus Ingelheimensis.

Scripsit porrò, atque edidit idem ibidem apud eundem eodem anno Refutationē trium Tractatuum nuper editorum à quodam I. C. Heidelbergensi suo, Marsilij de Padua, & Gulielmi Occammi nomine. Qua refutatione optimè agitur De causis Matrimonialibus ad Iudices Ecclesiasticos spectantibus.

HENRICVS Cardin. Ostiensis hortatu, Alexandri IIII. Pont. Max. scripsit in omnes Decretales. Volat. lib. 12. Vrbanorum Comment. Eius Summa fuit excusa Venetijs apud Bernardum Iuntam, ann. 1570. cum etiam Lugduni ann. 1517, prodijsset apud Ioannem Morlinum.

HENRICVS Castela, Tolosanus, Ordin. Minorum, scripsit Gallicè, sanctum iter Hierosolymitanum, quod ipse suscepit anno Iubilæi 1600. Burdigalæ editum, sed Parisijs prostabat apud Laurentium Sonnium, ann. 1603.

HENRICVS Comes à Caluue, Monachus, & Abbas Augiæ diuitis, Congregat. Cluniac. qui floruit ann. 1220. scripsit vitam S. Pirminij, primi Augiensis Abbatis. Arn. Vion.

HENRICVS Consueldius, siue (vt vocant) *de Consueldia* Germanus, & Cartusiani Ordin. Prior domus Sanctæ Mariæ propè montem B. Gertrudis in Hollandia, scripsit

In Exodum mysticè.
In Epistolam D. Pauli ad Romanos.
De tribus votis substantialibus.
Contra vitium proprietatis.
De Institutione Nouitiorum.
De Sacramento Altaris.
De Annunciatione Dominica.
Eulogium D. Pauli Eremitæ.
Sermones { De Sanctis. De Tempore.
De tribus custodijs monasticis.
De Sanctissimo Altaris Sacramento.
Circuncisorium mysticum.
Epistolas ad diuersos.

Opus Gulielmi Parisiensis de vniuerso in Compendium redegit. Moritur in domo Vallis Gratiæ propè Brugas, vij. Idus Iul. ann. 1410. Trit.

HENRICVS Constantiēsis scripsit Horologium æternæ Sapiētiæ. Viuebat ann. 1368.

HENRICVS Cremonēsis, Ord. Minorum, redegit in Epitomen quattuor libros Sent. & libros naturales Aristotelis iuxta principia Scoti. Henric. Villot.

HENRICVS Crixtede, Anglus, Monachus Ordin. D. Benedicti, scripsit in Regulam Monachorum.

HENRICVS Cuickius Ruremondensis Episcopus Ioan. Cassiani Opera expurgata, & Scholijs illustrata edidit. Accesserunt Regulæ SS. Patrum ex antiquissimo Affliginiensis monasterij manuscripto codice desumptæ, Antuerpiæ apud Christophorū Plant. an. 1578. Eiusdem Speculum concubinariorum Sacerdotum, Monachorum, ac Clericorum Coloniæ apud Bernardum Gualterium, ann. 1599. Duæ item Orationes Panegyricæ. Prior de vitandis, & è Rep. proscribendis libris perniciosis. Posterior aduersus politicos. Ibidem apud Arnoldum Mylium.

Tritemius. Petr. Lucius. Eisingren.

HENRICVS Dolendorpius Germanus, & Carmelita, ante Tilmannum Prouincialis Prior inferioris Germaniæ, scripsit in Sentent. lib. 4. In Philosophiam moralem. Sermones de Tempore, & de Sanctis. Obijt in Monasterio Coloniensi ann. 1365. Indict. 3. quarto Idus Februarij. At sciendum à Tritemio in Opere magno de Scriptoribus Eccles. asseri hunc adhuc vixisse ann. 1370. quod etiam testatur Index aliquot Scriptorum Carmelitarū Iacobi de Plebe Ord. Seruorum, Quare putatur mendum irrepsisse in exemplar Antuerpiense,

uerpiense, vt pro 1365. legendum sit 1375. eo enim anno currebat Indict. 3. vt annotauit Io. Lucidus Ord. Præd. in sua emendatione temporum.

HENRICVS Dorsius Summam Azonis multis in locis emaculatam Venetijs edidit ann. Domini 1568.

HENRICVS de Eimbeck dictus *Magister Engelus*. Saxo, 4. libros Sentent. Lombardi exposuit præter Logicam, & Vocabularium, quod reliquit. Obijt in Saxonia an. 1430. Trit. de Script. Germ.

HENRICVS de Erfordia Ord. Præd. Prouinciæ Saxoniæ, conuentus Mindensis Theologus, scripsit Chronicon Generale à creato Mundo vsque ad annum Domini 1355. Tractatum de Conceptione Beatiss. Virginis. Alterum de ornatu Clerici. Summam de Casibus Conscientiæ. De Dijs gentium. De Inuectiuis in Hebridam metricum. In illa verba Euangelij, *Super Cathedram Moysis*. Sermones plures. De metris, & eorũ pedibus. De Prouerbijs. De principio Oratorum, & Poetarum. Composuit etiam Opus, in quo de quolibet ente more problematico secundum veram entium cohęrẽtiam disputat. Quod inscripsit *Catenam auream*, quam in decem partes præcipuas distribuit. In cuius Prologo dictorum Opusculorum meminit. Extat m. s. Neapoli in Cœnobio D. Dominici in Bibliotheca. Viuebat ann. 1355.

HENRICVS Esserburne Ord. Præd. scripsit in Salomonis Prouerb. & in Ecclesiasten. Lecturas Bibliorum, lib. vno. Processus in Theologia, lib. altero. Sermones lib. alio. Viuebat ann. 1280.

HENRICVS Euta, alijs *Oyta*, siue *Hoyta* Germanus, Gymnasij Viennensis in Austria fundator, scripsit in Mag. Sent. De contractibus item. De Conceptione Beatiss. Virginis. Sermones quoque plures de Sanctis. Viuebat an. 1390. Trit. Hunc etiam alij esse putant eum, qui cum scripsisset librum De reditibus, annexus est alicubi Gersonis operibus.

HENRICVS Euticus Franco Orientalis, præter alia humaniorum literarum, & Medicinæ Opera, scripsit in laudem Beatiss. Virginis. Viuebat ann. Dom. 1494. Trit.

HENRICVS Fabricius Laurentij Surij Chronicon è Latino Germanicum reddidit, atque edidit Coloniæ, ann. 1568. Catechismum item Romanæ Ecclesiæ ex maiore Catechismo Tridentini Concilij excerptum.

HENRICVS Ferrariensis, Ordin. Prædic. qui vixit ann. 1390. Scripsit Tractatum de Quadruplici Instinctu.

HENRICVS Friso Cartusianus scripsit Chronicon sui Ord. Librum item De Nouitiorum Instructione. Alterum De Vita. Meminit eius Iacobus Vuimphelingus in Epitome rerum Germanicarum cap. 52. sub Frederico Tertio. Obijt ann. 1500. Suffridus Petrus lib. De Frisiæ scriptoribus.

HENRICVS Gallus, Monachus S. Benedicti Congreg. Luxouiensis, qui vixit Carolo Caluo Imp. Scripsit De vita S. Albani martyris versus: qui adferuntur à Renato Benedicto, in Vitis SS. Galliæ, in linguam Gallicam translati.

HENRICVS Gandauensis, siue de Gandauo. Vide supra in verbo, Hẽricus Bonicolli.

HENRICVS de Gauda, siue *Gaudanus* Batauus, Professor Heidelbergensis Gymnasij, scripsit in libros Sentent. De celebratione item Missarum, & Quæstiones disputatas. Vixit ann. 1435. Tritem.

HENRICVS de Geilnenhusen, Germanus, monachus Monasterij S. Martini Spanheimensis, Congregat. Brunsfeldensis, scripsit ad Nouitios Monasterij Portæ Mariæ, Ord. S. Vuilhelmi vberem Epistolam De profectu & institutione spirituali. Vitam S. Benedicti carmine elegiaco. Sermones de Tempore, & Sanctis. Contra pluralitatem beneficiorum. Epistolas ad diuersos. Obijt ann. 1488. Trit. de Script. Germ.

HENRICVS Gorickem, Germanus 4. libros Sentent. Lombardi exposuit. Scripsit etiam De Superstitionibus, librum. Alterum contra Hussitas. De festorum præterea celebratione. Summarium S. Thomæ. Sermones, & Collationes. Quæstiones, & Determinationes varias. Viuebat ann. 1460. Tritem. At prodierunt ann. 1502. prænotatum *Opus Sententiarum Petri Lombardi cum conclusionibus Henrici Gorichem, & Concordantijs*

Biblicis, & Canonum, necnon in principio singularum Distinctionum vtilissimis Summarijs: Errores item varij in Anglia, & Parisijs reuocati, & articuli, in quibus Magister communiter non tenetur. Item Registrum totius libri. Extant eiusdem Positiones de Cælo, & Mundo Aristotelis ibidem editæ apud Henricum Quentelium ann. 1501. & Quæstiones Metaphysicæ De Ente, & Essentia D. Thomæ, ibidem ann. 1602.

HENRICVS Grauius annotatiunculas in Cæcilij Cypriani Opera, cum eodem Auctore edidit Coloniæ apud Quentelium, ann. 1544. Sed Iacobus Pamelius suis Adnotationibus postea cumulatius. Porro Henricus Grauius, vt Romam venit Gregor. XIIII. Pontif. Max. (Sixtus enim Quintus iam obierat) mirificè se probauit, gratusque Borromæo, Caraffæ, Columnæ, Cusano, alijsque Cardinalibus. Cum Cæsare Baronio nondum Cardin. diu, multumque versatus familiariter contulit. Septimum namque B. Augustini, qui de hæresibus est, Tomum post Martinum Lipsium Notis iam antea illustrarat, & Paullini Nolani Episcopi Opera castigauerat; qui valetudine vsus imbecilla Romanum aerem ferre non potuit, obijtque Quinto ab aduentu suo mense in Vaticano Palatio, postridie Kal. Aprilis, ann. 1591. cui Baronius tumulum posuit ad S. Mariam Animæ Germanorum, & iusta alumno suo Louaniensis Academia persoluit. Extat laudatio funebris Iacobo Sansonio Doctore Theologo editore. *Opus* vero ipsius *Catechisticum*, aliaque apud hæredes latent, quæ expectamus.

HENRICVS Gulpen Abbas monasterij S. Aegidij Norimbergæ Ordin. D. Benedicti, Germanus, scripsit De Pœnitentia, & super lib. De Consecratione, & librum de Passione Domini. Viuebat ann. 1417.

HENRICVS Hachenburgensis Germanus, Ord. Præd. scripsit Sermones de Tempore, de Sanctis, & Quadragesimales. Clarvisse Confluentiæ innuitur à Tritemio, qui eum laudat, veruntamen tacet quoto anno vixerit: Quod item Antonius Senensis facit, qui sui Ord. scriptorum catalogum texuit.

HENRICVS Harcheleius, Anglus (vt opinor) scripsit in libros 4. Magist. Sentent. Librum item De Transubstantiatione. Alterum De Quæstionibus Theologiæ. Alium inscriptum, *Determinationes.* Alium Quodlibetorum. Viuebat ann. 1396.

HENRICVS de Harena. Vide supra in verbo, Henricus de Arena.

HENRICVS Harphius Mechliniensis in Belgio, ac quem Tritemius vocat de *Hierp*, qui vixit ann. 1470. Paulo Secundo Pont. Max. Theologus, Ord. Minorū (cuius Theologia mystica prohibetur in Romano Indice Pontificio, nisi repurgata fuerit ad exemplar illius, quæ Romæ impressa est ann. 1585. cum tres libros mysticæ Theologiæ scripsisset, qui ijs præsertim, qui vitæ contemplatiuæ dant operam, atque ad perfectionem aspirant, vsui esse possunt, recognitus quadantenus, & secundò iam excusus, tertiò prodijt in lucē, Opera Brunonis Loheri, Cartusiæ Agrippinensis Procuratoris, ann. 1555. ab eodem, quæ fuit eius pietas, dicatus B. Ignatio Loiolæ (qui tum erat superstes) fundatori Ord. nostri, ac reliquæ Societati nostræ, Demum ann. 1585. cum omnino expediret, vt hoc Opus altioribus refertum sensibus, tum castigatus, tum præmunitum aliquibus cautionibus versari tutius posset, propterea id sanctæ Sedis Apostolicæ cura perfectum est. Primum enim Theologi plures cum hoc præstitissent, addita est deinceps introductio ad doctrinam secundi libri perneceſsaria à Petro Paulo Philippio Theologo eximio Ordin. Præd. quamuis etiam antea extaret altera Petri Blomouennæ Cartusiani ad eundem secundum librum perutilis, ac pia. Factum est autem postea, præcepto Sanctæ eiusdem Sedis, nemo vt ederet, legeretve Theologiam hanc mysticā Henrici Harphij, nisi esset ad postremam Romanam emēdationem aptata. Ac licet Introductiones illæ Philippij, & Blomouēnæ præfixæ sunt secundo libro, præstat tamen vt prælegantur, antequam primus liber decurratur. Nam & Harphij scopus in suis libris, & verba pleraque sublimiora, quæ scrupulum multis possent inijcere, & profundior illa contemplandi via, quę incautos, aut minimè capaces posset in auia deducere, ac sanctitas ipsius viri, qui hanc tradidit, inde innotescunt, aut declarantur.

Ceterum Operis huius liber, seu pars prima, Diuini amoris, spiritualiumque Nuptiarum *Epithalamium* continet, quo Canticum Canticorum Salomonis etiam exponitur.

Itaque

Itaque Diuini Amoris *Inflammatiua* (vt ille vocat) complectitur; videlicet De Filij Dei Incarnationis, Conuersationis, Passionisque mysterijs, ac fructu: Deque institutione, & vsu Sacramentorum.

Secunda verò pars, quæ prænotatur, *Directorium aureum contemplatiuorum*, agit De vitæ actiuæ præparatione, atque ornatu, & De amabili ad Deum conuersione; deinde De Præparatione, atque ornatu vitæ contemplatiuæ spiritualis, eiusque impedimentis. Deni que de Præparatione, atque ornatu vitæ spiritualis supereminentis, de ipsius dignitate, deque operatione Sanctiss. Trinitatis in supremis animæ viribus.

At quidem secunda hæc pars ab Auctore Germanicè conscripta, & deinceps latinitati donata à Blomouenna Cartusiano fuit; denique Italicè versa, plures ante annos minus aptè, ac sine ea, quæ omnino erat necessaria, præuia face, siue introductione; sed nouissimè Benedictus Osanna Mantuanus, qui ad Cartusianum Ord. probus iuuenis accessit, vtrumque accuratè vertit, vt si quis hanc partem versare voluerit, eam cōmodius sit percepturus.

Tertia postremò pars inscribitur *Eden, siue Paradisus contemplatiuorum*, quæ licet eadem contineat (& quidem susius) quæ in secunda parte extant, Pars tamen secunda videtur esse vtilior, quòd in ipsa pleniore, ac planiore ordine agatur de ijs, quę ad perturbationes animi sedandas attinent, hoc est ad mortificationes, & ad actiuam vitam, atque spiritualem contemplatiuam, quoad vires animæ inferiores.

At prudente Doctore eget, qui perfectionis semitas istas ingreditur. Et verò vt nonnulla secundæ partis capita pluribus prodesse possunt, nimirum, quæ ad vitandas murmurationes, ad virtutes morales consequendas, ad dona Spiritus sancti spectant, sic reliqua non sunt omnium, neque exigui temporis, nec eiusdem ordinis, vt continenter agenda sint, quemadmodum sunt posita. Quod præmonuit sapienter Petrus Paulus Philippius, in ea, quam diximus, Introductione ad secundam Partem, commendans in plerisque huius Auctoris capitibus, lectionem, & rationem meditandi, quam Ludouicus Granatensis sui Ord. vtilissimè, atque ad omniū captum proposuit, nec tamen respuens istam Harphij, si qui eam rectè, ac sine periculo velint insistere.

Verum enimuero Harphius præter hos libros edidit Opus sat grande, siue *Speculum aureum de Decem Preceptis*. Alterum. De Pęnitentiæ partibus tribus. Sermones per Quadragesimam. Tractatum De effusione cordis. Directorium aureum contemplatorum. Collationes tres cupientibus ad rectissimam Religionis formam, & contemplationis perfectionem peruenire.

HENRICVS de Hassia iunior Cartusianus, & Prior Domus Monachorum Beatiss. Virg. Mariæ, Sermonis elegantia (vt scribit Sixtus Senensis) ad illuminandum intellectum, & inflammandum affectum satis accommodatus, scripsit in Magist. Sentent. In Genesim. In Exodum. In Prouerbia Salomonis. In Apocalypsim Ioannis. Dialogum inter Episcopum, & Presbyterum. Sermones plures ad populum habitos. Regulas item ad noscendum discrimen inter peccatum mortale, & veniale, quę vnà cum Beati Antonini Opere De eruditione Confessariorum excusa sunt primò ann. 1483. Obijt autem Viennæ 4. Kal. Aug. ann. 1317. vbi & sepultus, vt ait Eisingrenius. At Trit. & Sixtus Senensis cum scribant illum sub Sigismundo Imperatore claruisse ann. 1428. non cohærent cum Eisingr. Minus autem cum ijs, qui aiunt eum obijsse ann. 1397. nisi quędam æquiuocatio sit inter seniorem, ac iuniorem. Sanè Georgius Purbachius testatur eum scripsisse Theoricas Planetarum, & alia quędam in Astronomia. Sed & libellus olim est editus, hoc prænotatus titulo. *Henrici de Hassia Plantatoris Gymnasij Viennensis in Austria, liber contra Disceptationes, & contrarias prædicationes Fratrum Mendicantium super Conceptione S. Mariæ Virg. & contra maculam S. Bernardo mendaciter impositam.*

Porrò liber De Contractibus, ac De ordine censuum, qui operibus Gersonis fuit adiunctus, eidem Henrico ascribitur. Quin & explanatio Orationis Dominicæ, atque Angelicæ Salutationis, & Prologi Bibliorum, ac Tractatus De habitudine caussarum, & De influxu Naturę superioris respectu inferiorum: & alter De Verbo Incarnato: & alius De discretione spirituum cum huic tribuantur, quæ quidem m. s. alicubi in Germania dicun-

tur asseruari, vereor, quin alterius Henrici de Hassia sint, de quo iam dicturi sumus. Vide item in verbo, Henricus de Langenstein.

Henricvs alter de Hassia, Ordin. D. Augustini, scripsit Tractatum de Clauibus. Item de Indulgentijs. Item de Potestate Ecclesiæ.

Henricvs Hazer Ordin. Præd. cuius meminit Antonius Senensis, cum ab eodem scribatur fuisse expositos quattuor libros Magist. Sent. cuias tamen fuerit, aut quo tempore vixerit, tacetur.

Henricvs Helmesius, Germipolitanus, Ord. Minorum Prouinciæ Saxoniæ (vt vocant) Minister Prouincialis in Coloniensi Ecclesia maior cōcionator, scripsit Tomos quinque homiliarum in Euangelia, & Epistolas. De Verbo Dei, libros tres. Aduersus captiuitatem Babylonicam Lutheri. Quæ omnia Parisijs excusa fuere apud Audoenum paruum, ann. 1553. At Sermones ipsius deinceps apud Gulielmum Rouillium editi sunt Lugduni in Gallia, ann. 1589. ipse verò ann. 1550. erat superstes.

Henricvs Henriquez Lusitanus, non ille, qui de Casibus Conscientiæ, siue Summam Theologiæ Moralis scripsit, quàm recognitam expectamus, sed qui ante 38. annos ad excolendam Orientalem Vineam à nostra Societate missus est, plures SS. vitas, in primis autem Christi Dom. & Beatiss. Virginis in linguam Malauaricam, quæ Orientali Oræ communior est à se versas excudi eadem lingua curauit. Vide in verbo, Sancti. Porrò scripsit ille alia, cum (licet multò ætate senior) vitam quinquaginta annorum egisset Apostolicam apud Indos in Ora Piscaria, in qua & sanctè obijt.

Henricvs Horneby Anglus Linconiensis, Cantabrigiensis Academiæ, dum esset Catholica, Theologus, edidit Historiam nominis Iesu, libro vno. Historiam Visitationis Beatiss. Virginis, libro altero. Viuebat ann. 1510.

Henricvs de Huecta Germanus, Ord. Carmelitani scripsit Breuiarium Sent. lib. 4. Quæstiones Scholasticas, lib. 1. Viuebat ann. 1390.

Henricvs Huntingronensis Archidiaconus in Anglia, vir eruditus, ac celebris suæ ætatis Historicus, qui viuebat ann. 1148. scripsit,

De Imagine Mundi, librum.	Prosecutionum Bedæ, librum.
De appetitu Mundi, librum.	Historiam rerum Anglicarum, lib. 8.
De Contemptu Mundi, librum.	Seriem Regum orbis, lib. 1.
De Sanctis Angliæ, librum.	De Herbis, Aromatibus, Gemmis, librum.
In Psalmum Beati immaculati, librum.	De Ponderibus, & Mensuris, lib. 2.
De Summitatibus rerum, lib. 8.	Laudes Alphredi, & Elstedæ, lib. 1.
De lege Domini ad Petroburgēses, librum.	Epigrammatum, lib. 8.
De Origine rerum Britanniæ, librum.	Epistolarum ad diuersos, librum.

Henricvs Iacobinius Brito Pænitentiariorum Apostolicorum suo tempore Decanus De Confessione Sacramenti Dialogum, & librum De libero arbitrio Romæ edidit, hunc quidem ann. 1531. Illum autem ann. 1532. apud Antonium Bladum.

Henricvs Institoris, Ord. Præd. scripsit librum, quem prænotauit *Malleum Maleficarum.* Qui prodijt Norimbergæ ann. 1496. Librum item aduersus quosdam dicentes Eucharistiam adorandam esse sub conditione. Tractatum alium contra negantes illam verum esse Sacramentum. Alterum Tractatum aduersus dicentes ad quamlibet mutationem specierum Sacramentalium cessare nouitatem Sacramenti. Opus Sermonum de eodem Sacramento. Alterum contra errores Maleficarum. Tractatum de Potestate Papæ aduersus Antonium Rosellum. Viuebat ann. 1496. PP. Mon. Ord.

Henricvs Isnensis Benedictinus Abbas in Sueuia, scripsit De tribus custodijs Monasticis carmine Hexametro. Viuebat ann. 1348. Eisingr.

Henricvs de Kalkar, Germanus, & Cartusianus, Prior Domus S. Barbaræ Coloniæ Agrippinæ, edidit Exercitatoriū Monachale, lib. 1. Loquagium de Rhetorica lib. 1. Cantuagium de Musica, lib. 1. De Ortu ordinis sui, lib. 1. Viuebat 1390. Trit.

Henricvs Kaltycen, Archiepiscopus Ecclesiarum Nydrosiensis, & Cæsariensis, Ordin. Prædic. Germanus, Patria Confluentinus, scripsit Sermones de Tempore, lib. 1.

Sermo-

Sermones de Sanctis, lib.1. Sermones per Quadragesimã, lib.1. Super Magnificat, lib.1. Quæstiones varias, lib.1. Collationes ad Clerum. Quæstiones plures. Obijt ann.1465. PP. Mon. Ordin.

HENRICVS Comes à Kaluue Germanus, Benedictinus Abbas, scripsit vitam Sancti Pitminij Meldensis Episcopi. Viuebat ann.1210. Eisingr. Hic verò idem ipse est, qui su pra Henricus Caluue.

HENRICVS à Klingenberg. Vir Nobilis, & Ord. Benedictini, atque Constantiensis Episcopus, scripsit Quæstiones de Angelis, & Historiam Habspurgensium Comitum. Viuebat ann.1287. Eisingren.

HENRICVS Kyspenningius Venlonensis, edidit ann. 1573. Coloniæ Agrippinæ libros septem De Meditatione Mortis, & De varijs modis eos consolandi, qui mortem lentam, subitamve, aut violentam obeunt. Precationes item Christianas, & pias Admonitiones ad rectè viuendum ex Sacra scriptura, & Patribus selectas, apud Arnold. Brikman.

HENRICVS de Langenstein dictus *de Hassia*, Germanus, August. Ordinis, sed (vti ex eius Epistola colligitur) antea Ecclesiæ Vormatiensis Canonicus, claruit primum in Academia Parisiensi, vbi Lauream Doctoratus promeruit, deinde ob decus nouę (vt vocant) Vniuersitatis Viennensis in Austria illhuc se contulit, vbi docendo, & scribendo celebris fuit. Scripsit autem In Sententias, lib.4. Qui asseruantur Mediolani in Bibl. Augustinianorum S. Marci: suntque insignes Commentarij. In Genesim, & Prologum, lib. 5. In quibus tamen non excessit caput quartum Geneseos. Adeo abundabat sensibus. Ioseph. Pamphil.

In Canticum Canticorum, vt scribit Sixtus Senensis.
De Antichristo, & Schismate, lib.1.
De eruditione Sacerdotum, lib.1.
De contemplatione, & anima contemplatiua, lib.2.
Speculum animæ, lib.1.
De horis Canonicis, lib.1.
Contra Astrologos, lib.1.
De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica.
In Symbolum Apostolorum, lib.1.
De contemptu Mundi, lib.1.
Contra Fratrem Telesphorum, lib.1.
Contra quemdam Vuiclefitam, lib.1.
Sermones de Sanctis, lib.1.
Epistolarum ad diuersos, lib.1.
Quæstiones varias. Viuebat an.1400. Trit.

HENRICVS Longen Cartusianus Prior Domus prope Bruxellas Psalterium explanauit. Sixtus Senensis.

HENRICVS Lubecensis Ordinis Prædic. Quodlibeta m. s. reliquit, sed quæ nescitur an vsquam sint excusa.

HENRICVS Marionouuensis Germanus, propè Pannoniam Carmelita, qui teste Baptista Mantuano astrorum, ac Cœli scientia claruit, scripsit contra Simoniacos librum. De Ordine suo, librum. De Syderum cursu, librum. Episcopus floruit ann.1440.

HENRICVS Maurox Gallus, Ord. D. Francisci, Apologiam ad Toletanum Archiepiscopum edidit, pro ijs, qui è Iudaismo in Christum Iesum crediderunt, & Catholicæ Ecclesiæ insiti fuerunt, Parisijs apud Vincentium Gualterotium, & Sebastianum Niuellium, ann. 1553.

HENRICVS Merburgh, siue Merpurgensis, Ord. Minorum edidit Summã Casuum.

HENRICVS à Monte Iardino, Genuensis, Ord. Minorum, edidit Commentarios in Ioannem, & in Euangelia per annum. Item quinque Quadragesimalia. Initium primi est: *Assumpsit Iesus duodecim discipulos.* Secundi, *Conuertimini ad me.* Tertij, *Cum ieiunatis.* Quarti, *Sapiens Magister.* Quinti, *Erant mirantes.* Henric. Villot.

HENRICVS Mortheymensis Germanus, qui viuebat ann.1494. scripsit librum prænotatum, *Diometromachiam* Metro, & Prosa ad Fredericum Marchionem Misnię, Ducem Saxoniæ. Quod Opus à Tritemio, commendatur, vt pręclarum. Scripsit item De Conflictu virtutum, & vitiorum.

HENRICVS Octauus Angliæ Rex, scripsit ad Leonem huius nominis X. Pont. Max. Assertionem Catholicam, De Sacramentis. Qui liber prodijt Lipsiæ ann. 1541. deinde verò alibi, & Lugduni in Gallia circa ann.1570. si rectè memini. Hic verò (licet postea

stea discessit ab Ecclesia Catholica) permittitur in Indice Romano à Clemente VIII. Pontif. Max. extatque m. s. in Vaticana Bibl. eius manu subscriptus.

HENRICVS Oxoniensis Anglus, Ord. Minorũ, scripsit Sermones Dominicales, lib. 1. Sermones feriales, lib. 1. Henric. Villot.

HENRICVS Oyta scripsit De contractibus redituum annuorum. Extabat m. s. in Germania: sed & Gersonis Operibus fuit adtextus. Articulos contra quendam Magistrum Albertum. Sermonem de omnibus Sanctis. De Conceptione. De Natiuitate. De Purificatione. De Annunciatione Beatiss. Virginis. Magistrales Tractatus de Anima, & Potentijs eius.

HENRICVS de Palma Meditationem ante, & post celebrationem Missæ, & in ceteris quotidianis actionibus edidit. Ascribiter item ei liber De Theologia mystica, qui est inter Opuscula S. Bonauenturę.

HENRICVS Parker Carmelita, scripsit Dialogum Diuitis, & Pauperis, lib. 1. De Paupertate Christi altero. In Meteora Aristotelis lectiones 34. lib. 4. Viuebat ann. 1470.

HENRICVS Penneterius (Gallicè Pennetier) olim hæreticus Minister, deinde resipiscens, doctè, vereque respondit Ministris hęreticis Geneuensibus.

HENRICVS Pepinus Ord. Minorum, Prouinciæ inferioris Germaniæ Minister Prouincialis, è tenebris in lucem reuocauit, ann. 1560. libellum Francisci Verueort, cui titulus, *Vestis nuptialis amoris Dei*. Germanicè. Eius plurima alia Opuscula, quæ prelum merebantur latent. Henr. Villot.

HENRICVS Petri, Ord. Præd. scripsit in 4. lib. Sent. Quæ commentaria m. s. in Conuentu Ilerdensi in Aragonię Prouincia Ant. Senensis testatur se legisse.

HENRICVS de Piro, qui alijs, *Henricus Brunonis*, Coloniensis, Germanus, Cartusiani Ord. scripsit librum ad Nouitios. Sermones item de Tempore, ac de Sanctis. De cõtractu annui census cum pacto redemptionis. Consilia ad diuersos casus. Libros 4. super Instituta Iustiniani. fuerat enim ante ingressum in sacram illam familiam I. V. D. Viuebat ann. 1470. Tritem.

HENRICVS Pistor Theologus Parisiensis Sequentias composuit, quę extant in Elucidatorio Ecclesiastico.

HENRICVS de Plano Astensis, Ordin. Prædic. scripsit Sermones Quadragesimales, atque alios varios.

HENRICVS Plantagenes, secundus eius nominis Rex Anglię ad Hadrianum Quartum Pont. Max. Ad S. Thomam Cantuariensem. Ad Ioannem Carnotensem, & ad Richardum Cantuariensem plures scripsit Epistolas. Librum item Legum, & Statutorum. Obijt ann. 1189.

HENRICVS Potinus Normannus, Rothomagensis Carmelita, & Episcopus Philadelphensis Carolo Octauo Francorum Regi acceptus, scripsit lecturam in Mag. Sentent. libris 4. Parisijs. Conciones ad Clerum, & Populum, lib. 2. Quadragesimale, quod habuit coram eodem Carolo Rege. Obijt Rothomagi ann. 1502.

HENRICVS cognomento Prudens, Ord. Cartusiani, Prior Domus Vallis propè Brugas in Belgio, Tetralogum deuotionis tribus commentarijs edidit. Collocutores sunt Angelus, & Monachus, Iesus, & Pater cęlestis, Maria amabilis Sanctarum, Petrus animarum. Viuebat ann. 1484.

HENRICVS Regius Padebornensis Prouinciæ Saxonicę S. Crucis Alumnus, Guardianus (vt vocant) Suerinensis, scripsit Biblia Alphabetica, Opus (vt aliqui putant) locupletius, & commodius inuentioni, quàm sint maiores concordantię. Nouesianus excudit Coloniæ, ann. 1535. Quo tempore viuebat idem Henricus.

HENRICVS Sachsius, siue *Saxius*, ann. 1540. Coloniæ Agrippinæ apud Ceruicornum edidit inuentos à se Fuldæ in Germania libros 3. de contrarijs in speciem vtriusque Testamenti locis: cui editioni adtexta fuere Honorij breuia in libros Salomonis commentaria. At Venetijs ad signum Spei, sunt recusi, ann. 1552. pręnotati, liber contrapositorum (siue contrariorum in speciem) vtriusque Testamenti.

HEN-

HENRICVS Saltercyensis monachus scripsit De Purgatorio D. Patritij librum, vbi agit De pœnis Purgatorij. Viuebat ann. 1140.

HENRICVS Sedulius, Ord. Minorum, Belga, Cliuensis, Prouinciæ inferioris Germaniæ, Scholia, siue Notas addidit libro D. Bonauenturæ, qui ipsum inscripserat *Speculum ad Nouitios*. deinde Legendam B. P. Francisci à D. Bonauentura primum conscriptam commentarijs illustrauit. Antuerpiæ apud Plantinum.

HENRICVS Siluius Papiensis Carmelita, Theologus, scripsit Sermones, & Tractatus in Euangelia, & in alios Sacræ scripturæ libros. Viuit etiamnum indies complura con scribens, inquit Petrus Lucius Carmelita, dum de illo ea scriberet.

HENRICVS Standitius, Ord. Minorum, Asaphensis Episcopus, edidit librum Sermonum ad Populum, & alterum contra Versiones Erasmi. Viuebat ann. 1520.

HENRICVS Stero Altahensis, Germanus, quem alij scribunt *Heinricum*: Quique Hermanni Abbatis Altahensis se *Capellanum* vocat, scripsit Annales ab ann. 1152. vsque 1273. Qui quidem acutiores, atque emendatiores prodierunt, quàm qui fuerant editi Francofurti ad Mœnum. Henricus enim Canisius V. C. Tomo primo Antiquæ lectionis eos inseruit desumptos è m.s. Codice Augustani Monasterij Sanctorum Afræ, & Vdal rici. Qui Tomus prodijt Ingolstadij ann. 1601. apud Andream Angermarium.

HENRICVS Suso, qui alijs dicitur *Amandus*, Ord. Præd. natione Sueuus, sanctitate, & miraculis (vt ferunt) clarus, scripsit Germanicè librum, quem prænotauit *Horologium Sapientiæ*, in quo colloquentes facit æternam Sapientiam, atque Discipulum. Qui liber Latinè redditus prodijt tum alibi, tum Venetijs, ann. 1492. quem deinceps rectius, & elegantius versum à se Laurentius Surius Cartusianus edidit ann. 1555. Scripsit verò idem Henricus centum Meditationes de Passione Domini, (quemadmodum in eiusdem Horologij prologo testatur) totidem petitionibus additis. Quin & composuit Officium quotidianũ De æterna Sapientia. Et Conciones aliquas, atque Epistolas. Librum de nouem Rupibus. Dialogum de Veritate. Quæ omnia ab eodem Surio latinè reddita, fuerunt Coloniæ euulgata. Viuebat ille circa ann. 1340.

HENRICI Teutones Quattuor Ordin. Præd. Quorum primus Alberti Magni discipulus, scripsit in Mag. Sent. & vixit ann. 1290. PP. Mon. Ordin. Secundus autem, cui cognomen, *Ceruus*, & Coloniensis, qui item scripsit in eundem Mag. in Compendium redigens, quæ S. Thomas in eundem scripserat. Eaque scripta extant Louanij in Conuentu Dominicanorum. Tertius, cui cognomen *Hunnus*, qui itidem scripsit in Mag. Sentent. Quartus, qui Tractatum composuit De verbis illis Euangelij, *Quod est magnum Mandatum in lege?*

HENRICVS Thaborita Frisius, asserit se religiosam vitam fuisse professum in Thabor; Quod Monasterium fuit propè Snecam Regularium Canonicorum. In quo multos (ait Suffridus Petrus) animaduerto vixisse viros, qui singulari diligentia versati sunt in cõ scribendis Historijs Patriæ, & in Actis eius publicis fideliter conseruandis. Hic igitur auctor (subdit Suffridus) scripsit Opus vastum, stylo monastico, vt ea ferebat ætas, quo com plexus est historiam mixtam, hoc est, Ecclesiasticam simul & Politicam, à Natiuitate Christi vsque ad annum eiusdem 1508. Collegit multa studiosè, & vtiliter ex diuersis Scriptoribus, quorum tamen nomina raro citat, ordinem sequitur annorum, quo multum lucis non suis modo, sed & aliorum quoque scriptis adfert. In rebus Frisonicis multa præclarè tradit, quæ alibi non facile reperias. Hic auctor noster vixit circa annum 1510. Hæc ille lib. De Frisiæ scriptoribus.

HENRICVS Viti Oosthouij De descensu Iesu Christi ad Inferos, ex Symbolo Apostolorum, & sacris scripturis. Antuerpiæ, ann. 1585.

HENRICVS de Vrimaria Germanus, Ord. Augustiniani, Sanctitate, & doctrina insignis. De quo Iordanus hæc refert: *Ab omni procul ocio, verborumq́ vanitate, nunquam à studio sacrarum literarum, & oratione cessabat, nisi fuisset aliqua in re vtiliter occupatus: illudque in ore frequenter habebat, quòd quando orabat, ipse Deo loquebatur; quando studebat, Deus sibi loquebatur: cum verò consilium, aut doctrinam impendebat, aut negotia aliqua disponebat,*

ipse

ipse de Deo, & propter Deum loquebatur. Ioannes verò Tritemius in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. hæc de eo scribit. *Henricus de Vrimaria Ord. fratrum Eremitanorum S. Augustini, Vir in scripturis eruditus Sanctis, à pueritia studiosissimus, in Philosophia Aristotelica nulli suo tem pore secundus, qui multis annis in gymnasio Parisiensi Doctor egregius extitit, & celebri doctrina insignis effulsit, scripsit multa præclara volumina*, Quorum circunferuntur

Super libros Sententiarum, lib. 4. Super Cantica Canticorum, lib. 1. De decem præceptis, lib. 1. *Audi Israel.* Flores de Collatione Sanctorum PP. lib. 24. *Quia multa prædicabilia*. De perfectione hominis, lib. 1. De Incarnatione Verbi, lib. 1. De exemptione, lib. 1. Expositio Decretalis, Cum Marthę. De celebratione Missarum, lib. 1. De quadruplici instinctu, lib. 1. *Semen aliud cecidit in terram bonam*. Tractatus autem hîc extat Venetijs impressus, ann. 1498. Cum libro De delicijs Paradisi Bartholomęi Rimbertini Episcopi Coronensis, sed sub titulo alterius Henrici Ord. Fratrum Prædicatorum.

Super Orationem Dominicam, lib. 2. Super Aue Maria, lib. 1. De quattuor sensibus Sacræ scripturę, lib. 1. De quattuor Virtutibus, lib. 1. Manuale Sacerdotum, lib. 1. De vitijs capitalibus, lib. 1. De origine Ordin. Fratrum Eremitarum S. Augustini. Quodlibeta duo. Sermones de Tempore.

Atqui m. s. expositio Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, & Tractatus de Nocturnis illusionibus, ac De mortificatione proprię voluntatis, extare dicitur in Germania. Sed, & scripsit in libros Ethicorum Aristotelis copiosa Commentaria, Anibaldo Canonico Atrebatensi dicata; quæ Bononię in Augustinianorum Bibliotheca S. Iacobi asseruantur. Additiones autem eius in lib. Sententiarum cũ Aegidij Romani in eosdem Commentarijs, prodierunt Coloniæ ann. 1513.

Itidem Sermones de Sanctis excusos in Germania in Oppido Hagenau per Henricum Gran. ann. 1513. prænotatos, *Opus Sermonum exactissimorum de Sanctis, per excellentem, ac verè Seraphicum Doctorem Henricum de Vrimaria Ord. Eremitarum D. Augustini compilatum*.

Huic Henrico, vt idem Iordanus commemorat, cum benignissimus Deus vellet dare requiem statim post laborem, prius per biennium ante mortem grauibus eum renum & vesicæ doloribus, calculi quoque ac stranguriæ passionibus paternè castigauit. Quæ omnia patientissimè, ac deuotissimè tolerauit, tandem verò ad cęlestem patriam migraturus, cum Sacramenta Christianæ Religionis percepisset, cum fratribus suis vltimum vale dicens, oculis ad Cęlum erectis, hæc verba deuotione maxima pronunciauit: *In manus tuas Pater Deus, commendo spiritum meum: In manus tuas Fili Deus, commendo spiritum meum: In manus tuas Spiritus sancte Deus, commendo spiritum meum*. Quibus dictis sanctam Deo reddidit animam valde senex, qui multis in vita & morte claruit miraculis. Floruit ann. 1340. Vide Iosephum Pamphilum.

HENRICVS Vuerlius, alijs *Verklera*, siue *Verkleir*, Teuto, Ord. Minorum, Prouincię Coloniensis Minister, & eiusdem Vniuersitatis Doctor, scripsit In Sententias Mag. lib. 4. De potestate Ecclesiastica, lib. 1. Sermones quoque varios: Quorum, qui de Passione Domini est scriptus, magnopere probatur. Quæstiones item in vniuersalia Porphyrij. Viuebat Eugenio Pont. Max. ac tempore Florentini Concilij.

HENRICVS Vuillot Ord. Minorum, Belga, ex Oppido, quod dicitur, *A Fontibus Episcopi*, in finibus Tractus Leodiensis, scripsit Notas *ad Monomachiam Christi incruentam*. Epitomen Concionum, quæ prodierunt Louanij apud Masium. Sexdecim homilias De augustissimo Altaris Sacramento, quarum primæ octo typis Ioannis Bogardi, ann. 1592. incipientes, *Apostolos, Diuinosq́ præceptores*, reliquæ Leodij typis Christiani Ouuex ann. eodem prodierunt. Quarum initium, *Multis, varijsq́ Diuinæ scripturæ, &c.*

Librum, quem inscripsit *Athena*, in quem sui Ordinis quotquot potuit scriptores colligere, inseruit. Alia verò se sub prelo habere scribebat. Viuebat ann. 1597.

HENRICVS Vuithyngen Anglus, scripsit in Isaiam Prophetam. In Apocalypsim D. Ioannis. Sermones de Tempore, ac de Sanctis per totum annum. De Quadruplici Aduentu. De Conceptione Beatissimæ Virginis Deiparæ. Obijt Nordouici ann. Domini 1447.

HENRICI à Zuuifaltach Sueui, in monasterio Ochsenhausano Prioris, vita breuiter descripta à monacho Ochsenhausano, extat in secunda parte Tomi Quinti antiquę lectionis, Henrici Canisij.

HEPIDANNI Monachi de vita S. Vviboradæ Virginis, libri duo m.s. in Bibl. celebris Monasterij Sancti Galli in Heluetia.

HERACLIANVS Episcopus Chalcedonis viginti libros Gręcè scripsit aduersus Manichæos, sicuti Photius in sua Bibliothecâ testatur; qui cum illius dictionem probet, quòd sit concisa, sine superfluitate eminens, perspicua, mixtaque Atticismo, addit quoque ab eo euerti, quod apud Manichæos vocabatur *Euangelium*, & *Gigantinum Librum*. Thesauros porrò (inquit) colligit, & quotquot ante ipsum contra impietatem Manichæi conscripserant, Egemonium, Titum, Georgium, Serapionem Episcopum Thmuensem, & Diodorum, qui libris vigintiquinque certauit contra certamen Manichęorum. Quorum Patrum cum meminit, si qua languidè asseruerant, omittit; sin aliqua mutila, & manca dixerint, aptè supplet, eosq; simul ordinat ἔστι δὲ ὁ ἀνὴρ (ait) πνέων καὶ τὴν ἀπὸ φιλοσοφίας ἰσχὺν, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἄλλων μαθημάτων πλουτῶν θεωρίαν. hoc est. *Est autem vir spirans, & à Philosophia robur, & ab alijs diuitibus disciplinis speculationem.* Itaque & fabulas Manichæi vehementissimè subuertit. Cum autem Photius illum θεοσεβέστατον, idest *religiosissimum* nominet; scripsit quidem quo tempore vixerit, at è codice Græco excidit seu vetustate scriptionis, siue quo alio casu. Quæ voluimus indicasse, vt cui Auctor tantus innotuerit, cum non inuideat communi Ecclesiæ bono.

HERACLITVS sub Conradi, Seueriq; imperio in Apostolum Cõmentarios composuit. Hieron. in Catal. Martiniensis autem Cod. in Belgio vocat hunc, *Heraclium*. Reliqui Codd. *Heraclitum*. Vixit ann. 200.

HERBENVS Monachus, & Abbas maioris monasterij S. Martini, quod est situm propè Turonensem Ciuitatem: Qui deinceps fuit Archiepiscopus Turonensis, scripsit de Laudibus S. Martini Turonensis. Quonam verò tempore claruerit, haud satis constat, cum Molanus in suo Martyrologio ad diem secundam Nouembris hoc minimè explicet. Quamobrem dispiciendum est num idem sit, qui Hildebertus Gallus monachus, Cęnobij Cluniacensis. Vide in verbo, Hildebertus.

HERBERTVS. Vide in verbo, Herebertus.

HERCVLANVS cum alijs Episcopis scripsit duas Epistolas, quæ extant apud Sanctum Cyprianum.

HERCVLES Vincemala, Collegij Mediolanẽsis I. C. libros tres miraculorum Marię Virginis sacratissimæ scripsit, qui prodierunt Mediolani, ann. 1579. At in hoc scriptore desideratur citatio locorum, è quibus hauserit plura, quæ affert, miracula eiusdem Beatissimę Virginis.

HERCVLES Vtinus (sed proprio, & antiquiore cognomento *Faber*) nobilis Mantuanus, Decem Commentationes Italicè culto stylo scripsit in Orationem Dominicam, prænotatas *Discorsi*. Ann. 1602. Venetijs apud Ioannem Baptistam Bertonum. Sed & Poemata in Italicam linguam feliciter vertit, nempe Virgilium, & Psychen, quæ ad hunc Apparatum haud attinent.

HEREBERTVS de Hoscham Anglus, scripsit Gesta B. Becketi, quem pro sancto, Stephanus Langton Cardinalis S. Chrysogoni habuit. Viuebat ann. 1183.

HEREBERTVS Losinga Anglus, & monachus Congreg. Cluniacensis, qui obijt ann. 1120. scripsit librum ad Anselmum Episcopum aduersus malos Sacerdotes. Alterum item, quo Sermones duodeuiginti continebantur. Alium De prolixitate temporum. Alium De fine Mundi. Alium Constitutionum monachorum. Epistolas ad diuersos, libro vno.

HERENVS de Boyo Carmelita, natione Brito, fertur nonnulla præclara volumina Tritemius.
cudisse, è quibus extant Commentarij in Mag. Sent. & Quæstiones variæ. Petr. Lucius.

HERIBERTVS Archiepiscopus Coloniensis de Ecclesiasticis officijs. Sed opinor Ann. 1011.
hunc esse *Herigerum*, de quo infra. Eilingr.

HE-

Sigib. in Catal. ann. Domini 990.

HERIGERUS Abbas Lobiēsis (vt ante Tritemium scripsit Sigebertus) literali scientia clarus, edidit Gesta Episcoporum Leodiensium: Quin & metricè vitam Sancti Vrsmari: & ad Hugonem Epistolam de quibusdam Quæstionibus. Item suo, & Adeboldi Episcopi nomine Dialogum de Dissonantia, quæ videbatur, Ecclesiæ de Aduentu Domini: Congessit etiam aduersus Ratbertum complura Catholicorum Patrum scripta De corpore, & sanguine Domini; De diuinis item officijs, librum. At etsi omnes codices habent *Ratbertum*; Martiniensis tamen vera lectio habet *Ratherium*. hic enim est ille Ratherius, de quo dicitur cap. 128. Catalogi Sigeberti. Viuebat ann. 590.

Suffridus Petrus.

HERMAM (inquit Hieronymus) cuius Apostolus Paulus ad Rom. scribens meminit, *salutate Asyncritum, Phlegontem, Patrobam, Hermam, & qui cum eis fratres sunt*, asserunt auctorem libri, qui appellatur Pastor, quique apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publicè legitur. Re uera vtilis liber, multique de eo Scriptorum veterum vsurpauerunt testimonia; sed apud Latinos penè est ignotus. Hæc Hieronymus.

Vide etiā Bellarm. Cardin. de Verbo Dei lib. 1. cap. 20. To. 1.

At Hermas vixit temporibus Apostolorum, cuius liber sæpè ab antiquis est dubitatum, num inter canonicos esset numerandus. Clemens autem Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Iren. lib. 1. Origen. homil. 9. in Numeros, cap. 14. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, Cassianus Collat. 13. cap. 12. Origenes Periarchon lib. 1. cap. 3. lib. 3. cap. 2. lib. 4. cap. 2. homil. 35. in Lucæ cap. 16. Athanasius item Apologia 2. pro Synodi Nicænæ Decretis contra hæresim Arianam, Eusebius hist. lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 8. & Nicephor. lib. 1. cap. 46. lib. 4. cap. 14. & Theodoritus hist. 4. primo lib. cap. 8. etsi eum citant, Gelasius tamen in Conc. 70. Episc. inter Apocryphos libros retulit.

Atqui Damasus Papa in vita Pij I. Pont. Max. in Pontificali ait hunc Hermam, siue Hermetem fratrem fuisse Pij I. Pont. Max. At Pius ipse I. vt constat in Epist. Decretali ad omnes Christi fideles, ita de Herma scribit. *Istis ergo temporibus Hermas doctor fidei, & scripturarum effulsit inter nos: & nos licet idem Pascha prædicta die Dominica celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas eorum animas eidem Herma Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico celebretur, vnde & vos Apostolica auctoritate instruimus omnes eadem seruare debere.* Ita Pius primus.

Portò Opus hoc diuisum est in tres libros: Quorum PRIMUS, quattuor visiones cōtinet: Primam, Contra elatas, & turpes cogitationes, & negligentē Hermę filiorū castigationem. Secundam, De negligentijs vxoris loquacis, & filiorum libidinosorum castigatione, & eius modo.
Tertiam, De triumphantis Ecclesię structura, & varijs hominum reproborum ordinibus.
Quartam, De tentatione, & tribulatione hominibus superuentura.

SECUNDUS liber habet mandata duodecim ab Angelo custode. Nimirum:

1 De fide in vnum Deum.
2 De fugienda obtrectatione, & eleemosyna facienda in simplicitate.
3 De fugiendo mendacio, & Hermæ pœnitentia ob simulationem.
4 De dimittenda adultera.
5 De tristitia cordis, & patientia.
6 De agnoscendis vniuscuiusque hominis duobus genijs, & vtriusque in spiritualibus.
7 De Deo timendo, & Dæmone non metuendo.
8 Declinandum esse à malis, & facienda bona.
9 Postulandum à Deo assiduè, & sine hæsitatione.
10 De animi tristitia, & de non contristando Spiritum Dei, qui in nobis est.
11 Spiritus, & Prophetas probari ex operibus, vbi & de duplici spiritu.
12 De duplici cupiditate; Dei mandata non esse impossibilia, & Diabolum non metuendum à credentibus.

TERTIUS similitudines decem.

1 Nos, qui in hoc mundo Ciuitatem permanentem non habemus, debere inquirere futuram.
2 Vt vitis vlmo fulcitur, sic diues oratione pauperis iuuatur.

3 Vt hyeme virides arbores ab aridis, sic in hoc sæculo iusti ab iniustis internosci non possunt.
4 Vt æstate viuidæ arbores ab aridis, fructu, & virentibus folijs internoscuntur, sic in futuro seculo iusti ab iniustis beatitudine differunt.
5 De vero ieiunio, & eius mercede, & de corporis munditia.
6 De duplici genere hominum voluptariorum, & eorum morte, defectione, & pœnarum duratione.
7 A pœnitentibus faciendos esse pœnitentiæ dignos fructus.
8 Electorum, & pœnitentium peccatorum multa esse genera, omnes autem pro pœnitentiæ, & bonorum operum suorum modo habituros esse mercedem.
9 Aedificandæ militantis, & triumphantis Ecclesiæ mysteria maxima.
10 Operis conclusionis vice esse potest.

Reiectum porrò hunc librum, siue Auctorem scribit Sixtus Senensis, quòd ex eo hæretici sumebant præsidia execrabilium dogmatum, siue eius verba ad suas statuendas hæreses detorquebant.

HERMANNVS Augustanus, Ord. Prædicatorum, qui vixit ann. 1355. scripsit Tractatum De cognitione creata, sensitiua, & intellectiua. Determinationes plurium quæstionum. Plura Quodlibeta.

HERMANNVS Bruchen Northusianus, Ord. Minorum, Sermones in honorem Sanctorum habitos scripsit. Eisingrenius. Viuebat ann. 1376.

HERMANNVS de Campo, Vuestphalus, Germanus, & Monachus Cisterciensis, scripsit de vocibus diffinitionis, lib. 1. De potestate Papæ, & Concilij. De schismate. De neutralitate. Viuebat ann. 1440. Eisingr. & Arnold. Vuion.

HERMANNVS Contractus Monachus, qui fuit Antiphonarum, quæ incipiunt, *Salue Regina*, & *Alma Redemptoris* pius Auctor, Astrolabijque illustrator, natus est in Sueuiæ alpibus, & apud Danubium supra Riedlingam, ex illustri Varingensium Comitum sanguine, Vuolferadi, & Hiltrudis Comitum filius. Hic ab ineunte ætate sic omnibus membris est captus, vt cognomen *Contracti* acceperit, quam fortè ob causam Monasticæ vitæ in Monasterio diuitis Augiæ, in quod olim non nisi Principum, Comitum, atque aliorum nobilium liberi admittebantur, Ord. D. Benedicti, Congregationis Culmacensis, traditus, cum hebeti esset ingenio, multis precibus, meritisque B. Virginis à Deo optionem impetrauit, siue vt corpore sanaretur, siue vt membris omnibus præter linguam inualidus, ingenij tamen sapientia, & eruditione excoleretur. quod posterius cum delegisset, ab eo tempore tantos progressus in omni literarum genere, ac linguis Latina, Græca, Hebraica, & Arabica facere cœpit, vt in ijs natus putaretur. Artibus igitur & disciplinis ita plurimis antecelluit, quemadmodum Bertoldus eius continuator, & æqualis scriptum reliquit. Scripsit Carmine, & soluta Oratione, De sex Mundi ætatibus Chronicon, quod excusum prodijt Basileæ vnà cum Eusebio ann. 1536. Iterum verò cum nouo quodam altero Chronico, & cum Othone Frisingensi, atque alijs Francofurti ad Mœnum ann. 1585. cum & ibidem biennio antea cum alijs scriptoribus Germaniæ ann. 1583. fuisset euulgatum. Sed & postremò, hoc est ann. 1601. editum est multò auctius, atque diuersum, cum à superioribus editionibus, tum ab ea quoque, quæ à Christiano Vrstisio Tomo primo illustrium Germanicorum Scriptorum locupletior, quàm erat vulgata, prodierat. Ergo legenda est postrema hæc editio Ingolstadiensis, quam Opera Henrici Canisij in primo Tomo antiquæ lectionis sumus consecuti.

Quin & Contractus scripsit De Musica, lib. 2. De quadratura circuli, lib. 1. De Monochordo, lib. 1. De Eclypsibus, lib. 1. De Computo, lib. 1. De Physionomia, lib. 1. De conflictu Rithmomachiæ, lib. 1. De Vitis plurimorum Sanctorum, Hymnos item, ac prosas varias, inter quas *Aue præclara*. De Beatissima Virgine, quæ cātabatur olim in eiusdem Assumptione; & *Rex omnipotens*; quæ dicebatur in Ascensione Domini, & Antiphona, *O gloriosum lumen*. Historiam quoque siue Officia Annunciationis Beatissimæ Mariæ Virginis, & S. Mariæ Magdalenæ, ac Responsorium *Simon Bariona*. Transtulit verò ex

Arabica in Latinam linguam, Rhetoricam, & Poeticam Aristotelis. Quæ verò de Astronomia ad rationem cõputi Ecclesiastici spectantia, & de compositione Astrolabij reliquit, eiusmodi fuere, vt à multis, inter quos sunt Durandus de Diuinis officijs, lib.4. cap.22. & Antonius Demochares de Sacrificio Missæ Tomo 4. cap. 15. auctor ipsius Astrolabij fuisse sit existimatus. Quin & Demochares ipse, eodem loco putat illum auctorem eius sequentiæ, quę quotannis in sollemnitate Pentecostes, & in eius octaua ab Ecclesia in Missæ Officio sollemniter decantatur, videlicet: *Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium, Veni Pater pauperum*. Claruit ann.1054. Quem etsi opinantur Tritemius, & alij fuisse Monachum S. Galli, Arnoldus tamen Vuion ab ijs dissentit, quòd scilicet in manuscriptis, & vltimo Chronico excuso ann.1515. *Monachus Augiensis* vbique vocetur, & ex eiusdem Chronici locis aliquot, rectè colligi posse videtur: vti & sub annum 1048. vbi ait, *Imperator Augiam nostram ingressus*, & infra *Festo sancti Marci apud nos acto*. Item sub annum 1053. ait, *Vuerinharius frater meus Augiensis Monachus*; Sunt verò alia, quæ *Augiensem* Monachum, & non *Sangallensem* fuisse testantur. Obijt ann.1054.

Suffridus Petrus de Frisiæ Scriptoribus. HERMANNVS Doccomiensis, Frisius, scripsit cum alia quædam, tum in 17. priores Psalmos Dauidicos, & cum ad 18. peruenisset in mentis alienationem incidit, ex qua & obijt. Vixit circa annum 1514.

HERMANNVS Eremitarum in Nariscis, seu Vualdsassensis, Benedictinus Abbas, scripsit De Cherubim, & Seraphim, & ceteris Angelorum Choris. Vixit an.1214.

HERMANNVS, alijs *Hermandus*, Germanus, Ord. Prędicatorum, Patria Mindensis, Theologus, scripsit librum De Inquisitoribus criminum. Alterum De interdicto. Epistolas ad diuersos. Viuebat ann.1270. PP. Mon. Ord. & Leander.

HERMANNVS de Neezemburgh Ord. Minorũ, scripsit Serm. de Tempore. Henr. Vil.

HERMANNVS Petra de Sutdorp (vt eum vocat Eisingrenius) siue *Studorpaus* (vt scribit Sixtus Senensis) Germanus, Cartusianus, Rector domus S. Annæ sanctimonialium sui Ordinis propè Brugas in Belgio, scripsit in Orationem Dominicam stylo Scholastico Sermones quinquaginta, librum De Regimine Monialium, & alios aliorum argumentorum. Viuebat ann.1428.

HERMANNVS de Schildis Ordinis Sancti Augustini edidit,

In primum Sententiarum, lib.1.	De vitijs Capitalibus, lib.1.
Exaemeron duplex, lib.2.	De Conceptione S. Mariæ, lib.1.
De materia Canticorum, lib.1.	Introductorium Iuris, lib.1.
In Aue Maria, lib.1.	De horis Canonicis, lib.1.
De quattuor sensibus scripturæ, lib.1.	Contra Flagellatores, lib.1.
Manuale Sacerdotum, lib.1.	De diuisione Philosophię, idq; carmine, li.1.
Claustrum animæ, lib.1.	Super c. Omnis vtriusque, lib.1.
De modo studendi, lib.1.	Collationes prędicabiles, lib.1.
De vera, & falsa amicitia, lib.1.	In Ethica librum.
De quinque sensibus, lib.1.	De 42. Mansionibus, lib.1.
In Genesim Lecturam, lib.1.	De comparatione Missæ, lib.1.
In Canticum Canticorum, lib.1.	Sermones varios, lib.1.
In Orationem Dominicam, lib.2.	Quęstiones diuersas, lib.1.
Breuiloquium, lib.1.	In Rhetoricam Aristotelis, lib.1.
Dispositiones Missæ, lib.1.	Viuebat ann. 1340.

HERMANNVS Schoten Hessus libellum scripsit, quem prænotauit, *Vita honesta, siue Virtutis, Quomodo quisque viuere debeat omni ætate, omni tempore, & quolibet loco apud Deum, & homines*, Lugduni apud Theobaldum Paganum, ann.1543. Cui adiuncta est Adriani Barlandi Institutio Christiani hominis Aphorismis digesta.

HERMANNVS Taruisinus, Ord. Prędic. Postillam reliquit in Canticum Cantic.

HERMANNVS Zithardus Coloniensis, Ord. Prędicatorum, qui viuebat ann.1406. Scripsit metricè, Manuale Confessorum.

HERMAS. Vide supra in verbo, Hermam.

HER-

HERMELANDVS vir Sanctus, Abbas, & Confessor, Ordinis D. Benedicti, cuius vita sat copiosa extat apud Surium Tomo 2. quæ ex m.ss. libris, & legendarijs (vt vocant). Ecclesię S. Magnobodi Andegauensis desumpta est.

HERMES Hauruaert Rotuacenus, Ord. Minorum, scripsit in primum, & secundum Sententiarum, ann. 1560. Extabat Louanij m. s. in Bibliotheca fratrum Minorum Mechliniensium. Henricus Villot.

HERMES Trismegistus. Vide in verbo, Mercurius Trismegistus.

HERMIAS Philosophus, breuem Tractatum emisit, quem inscripsit *Irrisio Gentilium Philosophorum*. In quo primum ostendit, cur Philosophorum Decreta inter se neque consentiant, neque approbentur. Deinde inuehitur contra Pythagoricam Metempsychosim. Mox infert, cum hominis animum Philosophi deprehendere nequeant, multò minus de Deo posse integrè loqui, aut aliquid intelligere. Anaxagoræ, Platonis, Pherecidis, & aliorum Philosophorum, qui omnes varia principia posuerunt, sententias expēdit.

HERMIAS Sozomenus. Vide in verbo, Sozomenus.

HERMOLAVS Barbarus, Nobilis Venetus, vir maximi ingenij, acris iudicij, & ingentis laboris, Ord. D. Augustini, Episcopus Veronensis, scripsit Conciones, quæ Patauij manuscriptę extant apud Eremitanos.

HEROPHILA, quę & Sibylla Erythręa, Suidas, & Volaterranus in Anthropologia, & in verbo, Sibyllini versus.

HEROLDVS ex Hirsaugiensi monasterio Spirensis Diœceseos Benedictinus Monachus, scripsit De laude Martyrum. Viuebat ann. 1149.

HERRANDVS, qui est *Stephanus Monachus, & Abbas Ilsemburgensis*, creatus an. 1104. præfuit annis tribus, Obijt ann. 1107. & sepultus est in Reinsburch honorificè Trit. lib. 4. cap. 244. Scripsit autem in persona Ludouici Comitis elegantem, & vtilem Epistolam ad Vualtramum Episcopum Niemburgensis Ecclesię defendentem Henricum Imperatorem qui Sedi Apostolicæ aduersabatur. Defensorium item Papæ, lib. 1. cuius initium est, *Sicut bonus homo*. Epistolarum ad diuersos librum.

HERVEVS Natalis, Brito, Generalis Magister Ord. Præd. numero quartusdecimus scripsit Commentarios in Epistolas D. Pauli, qui falsò ascripti sunt Anselmo. Vide dedicatoriam, qua iudicium fertur de ijsdem Cōmentarijs. & cur cū sint Heruei, Anselmo tribuantur. Antiqua autem, & vera Operis huius inscriptio erat hæc. *Interpretatio literarum Doctoris gentium, quam Herueus à maioribus, vel ab ipso Deo sumens, composuit*. Ceterum idem Herueus, scripsit in quattuor libros Magist. Sent. qui editus fuit Venetijs ann. 1503. apud Lazarum Soardum. Quodlibeta maiora, quæ prodierunt in lucem anno 1486. Quodlibeta alia, quæ Venetijs ann. 1513. apud Octauianum Scotum. Tractatum De Sacramentis. Alterum, De Christi Domini, & Apostolorum paupertate. Alium, De vtraque potestate, Papali, & Regali. Alium, De potestate Papæ. Alium, De Beatitudine. Librum contra Durandum, quoad illa, in quibus D. Thomæ aduersabatur. Tractatum De virtutibus moralibus. Contra Henricum à Gandauo, Librum De ente, & essentia. Contra eundem, De pluralitate formarum. Contra eundem, De intellectu. Libros porrò alios; De vnitate formæ in homine. De vnitate formarum contra Durandum. De cognitione primi principij. De Aeternitate Mundi. De materia Cęli. De voluntate. De Verbo. De motu Angeli. De relationibus. Tractatus duos De secundis intētionibus. De ordine secundæ intentionis ad primam. Obijt Narbonæ in Gallia, ann. 1325.

HESYCHIVS, siue Isichius Hierosolymę presbyter, ac deinde Patriarcha S. Gregorij æqualis fuit, qui ad initium anni 600. Romę sedebat in Cathedra Sancti Petri. falluntur enim, qui Isichium Hieronymi, & Augustini tempore floruisse scribunt. Nam Patriarcha fuit Hierosolymę, vt Glossa ordinaria in Leuiticum testatur; nullus autem fuit Hierosolimę Patriarcha, qui Isichius diceretur, nisi ille, ad quem scribit S. Gregorius, lib. 9. registri ep. 40. Et prętereà exponit hic auctor in Comment. in Leuit. versionem Hieronymi tamquam communem, & receptam in Ecclesia, cum satis constet eam non fuisse ita passim receptam, nisi diu post Hieronymi obitum. Hic ergo cum mysticè scripsisset Com-

mentarium in Leuiticum, quod Opus sæpè fuit excusum. *Habet* (inquit Sixtus Senensis) *genus quoddam dictionis insuetum, & à communi dicendi consuetudine alienum*. Sed & Photius in sua Bibliotheca meminit tum Hesychij presbyteri Costantinopolitani, qui Sermonem scripsit in Serpentem æneum; tum alterius (opinor) presbyteri Hierosolymitani, qui Sermonem de S. Thoma reliquit, cum & Hesychij Hierosolymitani Episcopi, mentionem fecerit, qui Sermonem habuit de S. Iacobo fratre Domini. Fuit item adhuc alius Hesychius Illustrius Milesius à Photio eodem commemoratus, sed qui historiam texuit à Belo Assyriorum Rege incipiens, & pergens vsque post mortẽ Anastasij Imp. Romanorum. Quin & alius fuit Episcopus Salonitanus, cuius Epistola de fine sæculi extat in 2. Tomo Operum D. Augustini, num. 79. qui & ad eundem aliquas proximas, sed vnã vberrimam eiusdem argumenti rescripsit, quæ numero est octogesima, perdigna lectu. At Hesychij cuiusdam extat in Bauarica Bibliotheca Sermo De sobrietate, & virtute in centum capita. Eiusdem alius totidem in capita distinctus, m.s. Feruntur item extare in Bibliotheca Regia in Gallia m.s. Liber De quiete animæ, & corporis, & liber De oratione. Sanè duos Sermones de S. Maria Deipara, quos è Græco Latinos fecit Io. Picus Parisiensis, Margarinus Biblioth. SS. PP. inseruit.

Hesychii autem Hierosolymitani στιχηρὸν, siue κεφάλαια, hoc est capita in duodecim Prophetas minores, & in Isaiam, ex membranis Bibliothecæ Augustanæ prodierunt in lucem ann. 1602. Augustæ Vindelicorum. Græcè.

Hexapla cur dicta Bibliorum editio, & compositio, vide in verbo, Origenes.

Heymericus de Campo, Germanus, scripsit Compendium Quæstionum, lib. 1. Commentaria in libros Magistri Senten. Compendium Diuinorum Officiorum, lib. 4. Quæstiones varias, lib. 1. Sermones multos, lib. 1. De auctoritate Concilij librum. De esse, & essentia alterum. Viuebat ann. 1438.

H I

Hidelphonsus Archiepiscopus Toletanus. Vide in verbo, Hildephonsus.

Hierax Aegyptius Græcè, & Aegyptiacè in Hexaemeron, scripsit docta (inquit Sixtus Senensis) sed hæretica Commentaria, lib. 5. Bibl. Sanctæ Annot. 90.

Hieremias, siue Propheta, siue alij, qui cum aspiratione à plerisque scribuntur, vide in verbo, Ieremias.

Hierocles non vnus fuit Scriptor. At ille qui de Prouidentia, & Fato scripsit, expenditur à Photio in sua Bibliotheca Græca, quemadmodum & à Suida; sed cum Christianus non fuerit, non habet locum hic inter Ecclesiasticos Scriptores. Porrò de Hieroclis libro, quo Apollonium Thyanęum ausus est impiè comparare cum Christo Domino nostro, vide in verbo, Eusebius Cæsariensis; queve in Apparatu nostro ad Historias monuimus, vbi de Philostrato, qui eiusdem Thyanęi vitam conscripsit.

Hieronymus Albanus Bergomas, Cardinalis, scripsit De Cardinalatu. Extat inter Tractatus. To. 13. par. 2. fol. 105. De donatione Constantini. To. 15. parte 2. fol. 66. De immunitate Ecclesiarum, & de personis confugientibus ad eas. To. 13. par. 2. fol. 18. De potestate Papæ To. 13. par. 1. fol. 16. Scripsit & alia multa ad leges ciuiles pertinentia, vt Additiones ad Bartolum, Consilia, & reliqua.

Hieronymus vnus è quattuor primarijs Ecclesię Doctoribus, vide infra in verbo, Hieronymus Stridonensis.

Hieronymus Albertucius Bursellus Bononiẽsis, Ord. Præd. Chronicon texuit ab Orbe condito vsque ad annum 1491. Annales item Conuentus Dominicani Bononiensis ab instauratione vitæ Regularis vsque ad sua tẽpora. Annales item Fratrum Ord. Prędic. Tabulam de Generalibus Magistris Ord. sui. Alteram De viris illustribus eiusdem Ord. Sermones varios. Viuebat ann. 1490.

Hieronymus Almonacrius, Ord. Prędicatorum, atque in Complutensi Academia Professor Commentaria in Canticum Canticorum edidit Cõpluti in Hispania, ann. 1588. apud

apud Ioānem Inniguez à Leguerica Typographum: adiecit pręter ordinarium rerum Indicem, alterum concionatoribus perutilem: Commentaria verò ipsa (quod saluo meliorum iudicio dictum velim) nemini eorum, qui in idem Canticum Canticorum antea scripserat, cedere crediderim.

HIERONYMVS ab Angesto De via tuta in cōtrouersijs, Gallicè fuit editus Auenione.

HIERONYMVS Armellinus Ordin. Prædic. librum edidit aduersus Tiberium Calabrum Philosophum, qui in Disputationibus publicis proposuerat Diluuium Noeticum ex astrorum obseruatione prenosci potuisse. Vide Sixtum Senen. Bibl. Sanctæ lib. 5. Annot. 15. & 82. & lib. 6. Annot. 10.

HIERONYMVS Augustus, Gallus, ex Italica in Gallicam linguam vertit Opera Ludouici Granatensis Ordin. Præd. De peccatoris conuersione. De humanæ vitæ miseria. De contemplatione. De oratione. De pœnitentia. De Sanctissima Communione. Viuebat Parisijs, anno 1574.

HIERONYMVS Balbanus (Lucensis, puto) Ord. Minorum, edidit Conciones decem lingua Etrusca: item Tractatum de Oratione. Franc. Gonzaga Episc. Mant.

HIERONYMVS Balbus (Ant. Senensi) Ord. Prędicatorum, (Doctori autem Martino Nauarro) Corsensis Episcopus, scripsit De coronatione Imperatoris ad Carolum V. Imperatorem, ac simul De Pontificia potestate. Sed quidnam de illo sentiat, quem commendat à varia lectione, atque eruditione, Vide Nauarrum ipsum in 2. Tomo eius Operum, cap. Nouit. De iudicijs, Notab. 3.

HIERONYMVS Bardus, Florentinus Monachus S. Mariæ Angelorum Florentię Camaldulensis, scripsit Summam Chronologicam De ætatibus Mundi. Victoriam Naualem aduersus Turcas. Declarationem picturarum Aulæ Venetæ. Quæ excusa sunt Venetijs apud Iuntas. Quin & Martyrologium Sanctorum in Italicam linguam vertit. Historiam item vniuersalem lingua Etrusca sexdecim tomis comprehensam scripserat, quæ non est edita. Obijt ann. 1594. in eadem Ciuitate.

HIERONYMVS de Bononia Ord. Prædic. Chronicon Ordinis sui vsque ad sua Tempora contexuit. Ant. Senensis.

HIERONYMVS Bolsec Parisiēsis, aliàs, *Hieronymus Hermes Bolsec* Vitas scripsit Zuinglij, Lutheri, Oecolampadij, Caluini, & aliorū hæreticorum: (Quibus Vitis, eorum scelera, & impietatem vtiliter exposuit) omnes Lugduni editas apud Io. Patissonum, an. 1577. postea Parisijs apud Gerardum Mallot, anno eodem 1577. eiusdem Caluini historiam male actorum separatim excusam apud eūdem Patissonum, & Mallot. Librum item De summa Dei Prouidentia. Alium sub nomine Martini Bellierij Latinè primò, postea Gallicè editum.

HIERONYMVS Brisigellensis Ordin. Minorum edidit Concionem egregiam sermone patrio de vero Iubilęi anno. Viuebat ann. 1580.

HIERONYMVS Capunianus, siue è *Capuniano*. Vide in verbo, Hieron. Ioanninus.

HIERONYMVS Cataneus Patauinus, Congregationis Cassinensis S. Iustinę, scripsit vitas Sancti Prosdocimi Episcopi, & S. Iustinæ Virginis, & Martyris, quæ asseruantur Patauij in S. Iustinæ Monasterio. Obijt Romæ anno Iubilęi 1575.

HIERONYMVS Donatus Patritius Venetus, è Græco in Latinū vertit SS. Ioannem Damascenum, De immaculatis mysterijs, & Dionysium Areopagitam, De Diuinis nominibus, & Epistolas. Scripsit item de Principatu Romanæ Sedis, Apologeticum ad Græcos, qui Romæ prodijt apud Caluum, ann. 1515. De Processione Spiritus sancti. De terræmotu Insulæ Cretæ. Vertit in Latinam linguam è Græca Alexandrum Aphrodisæum. Viuebat ann. 1494.

HIERONYMVS Empserus (alijs *Emserus*) Germanus, Sueuus, vir Catholicus, & doctus, qui plures errores in Lutheri versione Noui Testamenti adnotauit, Nouum ipse Testamentum Germanicè vertit, & plerisq; in locis exposuit. Scripsit verò De Canone Missæ aduersus Zuinglium, & De disputatione Lipsica ad Decanum Pragensem. De Sanctissimo autē Altaris sacrificio contra Lutherum. Coloniæ ann. 1532. Vitam item S. Bru-

nonis, siue *Bennonis* Episcopi excusam ann. 1512. Et Dialogum contra ebrios, Lipsiæ ann. 1505. Floruit ann. 1530.

HIERONYMVS Faletus duodecim Orationes edidit apud Aldum, ann. 1558. tum quas ad Pontifices Maximos, & Principes habuit; tum De ortu Christi Domini. De dignitate Cælibatus. De Christiano matrimonio. De Laudibus Dialecticæ, & aliquas funebres.

HIERONYMVS Fazelus, Siculus, Ord. Præd. Theologus, edidit Panormi, (quæ insignis Siciliæ est Ciuitas) librum Sermonum Quadragesimalium, ann. 1575. eumque Ioanni Austriaco dicauit. Deinde item duos Tomos Concionum Italicè Venetijs apud Guerræos, ann. 1592.

HIERONYMVS Ferrariensis. Vide infra in verbo, Hieronymus Sauonarola.

HIERONYMVS Ferrarius Fantonius, Compendium edidit vniuersę lecturę Abbatis Panormitani, Venetijs apud Michaelem Tramezinum ann. 1564. Repertorium item tam librorum Magist. Sententiarum, quàm Quodlibetorum Ioannis Scoti, ibidem apud Aloysium Sessam, ann. 1588.

HIERONYMVS de Sancta Fide, à Iudaismo ad Sanctam Christi fidem conuersus, ac deinceps insignis medicus Benedicti Pont. Maximi, Tractatum edidit apprimè efficacem refellendis Iudæorum erroribus. Alios item aduersus eorum Talmudicas quisquilias. Extant in To. 4. Bibl. SS. Patrum.

HIERONYMVS Florentinus ex Congregatione Vallisumbrosanæ, Monachus, scripsit miracula D. Ioannis Gualberti eiusdem Congregationis Institutoris. Vitas item alias Sanctorum, & Sanctarum eiusdem Ordinis attigit. Michael Pocciantius.

HIERONYMVS Foroliuiensis Ord. Prædicatorum. Sermones varios De Tempore, ac de Sanctis, & quædam Historica fragmenta, atque pleraq; Opuscula reliquit, quę m.s. extant in Cœnobio eiusdem Ordinis Foroliuij. Viuebat ann. 1484. Ant. Senensis.

HIERONYMVS Fracastorius Veronensis, (Medicę licet facultatis Professor, ac Poetici studij nobilis illustrator) edidit in postrema Geneseos Capita, & De vita Ioseph, Poema heroicum, carminis venustate (vt cum alijs censuit Sixtus Senensis) admirãdum, quod tamen morte superueniente haud potuit absoluere, ann. 1548.

HIERONYMVS Franciscinus Venetus, Ord. Seruorum, Episcopus Coronę, scripsit De Aduentu Domini. De Sanctis librum. De moriendi desiderio alterum. De excellentia nominis Iesu alium. Expositionem in septem Psalmos Pœnitentiales. Quæstiones Theologicas. Viuebat ann. 1483.

HIERONYMVS Gabrielius I. C. Venetijs edidit ann. 1573. Consilia ducenta, inter quæ extant aliqua De præbendis, & beneficijs Ecclesiasticis. De contractibus. De vltimis voluntatibus.

HIERONYMVS Gadius Bononiensis, Ord. Minorum, scripsit in Quodlibeta Scoti. Quæ Romæ prodierunt ann. 1533. apud Io. Baptistam Faelium.

HIERONYMVS Gigas Forosempronienſis, Tractatum de residentia Episcoporum Venetijs edidit ann. 1569. Tractatum de pensionibus Ecclesiasticis, ibidem ann. 1570. Adnotationes in Summam Azonis, Lugduni ann. 1557. De crimine læsæ maiestatis. Consilia, & Responsa in materia pensionum, ac de intruso. Selecta item in materia Matrimoniali, Venetijs ann. 1579. De pensionibus autem extat quoque inter Tractatus Tomo 15. p. 1. fol. 331. & De residentia Episcoporum inter eosdem To. 13. p. 2. fol. 369.

HIERONYMVS Guadalupensis Theologus Hieronymianus, primò Collegij Regij D. Laurentij Scoriaci (Hispanicè del Escorial) Professor; deinde consultor S. Inquisitionis Cesaraugustanæ, scripsit Commentaria in Oseam Prophetam, adiectis obseruationibus congruis Euangeliorum Concionibus, cum Parabolis elegantibus. Accesserunt Petri Matthæi Sequani Scholia, & illustrationes. Quæ Lugduni sunt edita in Gallia ann. 1590.

HIERONYMVS Ioanninus è Capuniano, quod Oppidum est in Tractu Bononiensi, Ord. Prædicatorum. Scripsit librum Italicè, quem prænotauit *Cogitationes Christianæ, Pensieri Christiani.* Quem edidit Vicentiæ Georgius Græcus, an. 1600. anno autem 1603.

Venetijs

Venetijs apud Marcum Zalterium. emisit Sermones B. Humberti Quinti Generalis Ord. Præd. cum eiusdem vita ab se conscripta. Quod & de alijs Operibus præstitit.

HIERONYMVS Ioannis, Florentinus, Ord. Prędicatorum, qui in Concilio Florentino perorauit, & Græcię Prouincialis, ac denique totius sui Ordinis Procurator Generalis. Scripsit duo Quadragesimalia, & librum de Antiphonis; quæ omnia in Bibl. S. Mariæ Nouellæ, Florentiæ asseruantur. Obijt Florentiæ ann. 1454.

HIERONYMVS Lauretus Ceruariensis, Hispanus, Monachus Montisserrati, & Abbas Cęnobij Sancti Felicis Guixolensis. Congreg. Montisserrati, ann. 1566. edidit Syluam Allegoriarum totius Sacræ scripturę, quæ primò euulgata est Barcinone, ann. 1570. deinde Parisijs ann. 1583. Eius autem nos meminimus in secundo libro Bibliothecæ nostrę Selectæ, vbi de illo labore planius.

HIERONYMVS Leopolitanus Ordinis Minorum, Rutenus, & Concionator Cracouiensis, omnes Bibliorum libros in linguam quidem Polonicam conuertit, cum vixisset ann. 1538. At verò eadem Biblia Greg. XIII. Pont. Max. mandante, versa iterum sunt ac curatius à Iacobo Vieco Theologo Societatis nostræ, & Cracouiæ excusa. Vide in verbo, Iacobus Viecus.

HIERONYMVS de Luca I. C. egit De cambijs, & marcarum differentijs. Extat inter Tractatus To. 6. p. 1. fol. 408.

HIERONYMVS Lucensis Ordin. Seruorum, scripsit de immortalitate animæ contra Infideles, ac de veritate Catholicę fidei aduersus Martinum Lutherum. Quadragesimale item, cuius Archetypon in Cænobio sui Ordinis Lucę habetur; in quo aduersus hæreticos egit De Sacramentis, Pœnitentia, Confessione, Libero arbitrio, Fide, & Operibus, merito, peccato, dierum cultu, Cœna Domini, ciborum delectu, ieiunio, dierum discrimine, Oratione, voto, consilijs, ac de Concilijs. Quibus viginti articulis *Tractatum de cambijs* adiunxit.

HIERONYMVS Manfredus Ferrariensis, De Cardinalibus Sanctę Romanæ Ecclesię prodijt Bononiæ ann. 1565. Extat item inter Tractatus. To. 13. p. 2. fol. 86. & de Sacrosancto Collegio Cardinalium To. 13. p. 2. fol. 96.

HIERONYMVS Maripetrus, Venetus, Ordinis Minorum, vitam B. Francisci, Clementi Septimo Pontif. Max. notis illustratam scripsit. Edidit & spiritualem Petrarcham. Venetijs apud Ioan. de Tridino, ann. 1532.

HIERONYMVS Menyus Vitellianensis (quod oppidum situm ad Padum in Mantuana ditione, vulgo appellatur *Viadana*) Ordinis Minorum, emisit auctiorem suum librum ann. 1587. Venetijs ex Typographia, quæ præfert signum charitatis; Qui inscriptus est: *Flagellum Dæmonum complectens exorcismos* (vt illemet inquit) *terribiles, potentissimos, & efficaces: Remediaq́ probatissima, ac doctrinam ad malignos spiritus expellendos, facturasq́* (vt vocant) *& maleficia fuganda è corporibus obsessis, cum suis benedictionibus, & ceteris requisitis ad eorum expulsionem*. Accessit postremò pars secunda, quæ *Fustis Dæmonum* prænotata est. Et verò vtraque Bononiæ prodijt ann. 1585. digna lectu, cum & idem antea edidisset Italicè *Compendium de operationibus Dæmonum, & maleficorum*.

HIERONYMVS Mercurius Romanus, Ordin. Prædicatorum, cui antea in seculo nomen *Scipio*, libros tres eodem *Scipionis* nomine prę notatos *Obstetrix*, Italicè *La Commare*, emisit in lucem, magno pręgnantium, & parientium, atque infantium, & aliorum siue coniugum, siue Medicorum, atque adeo Sacerdotum bono. Centum enim monita non tam corporibus, quàm animabus salutaria tradit, quibus à peccatis lętalibus abstineant, qui imprudenter, aut item improbè auctores sunt abortuum, vnde & infantium animę perpetua Dei visione priuantur.

Qui scopus deinceps fuit septem aliorum Librorum, quos de erroribus Popularibus (Italicè quoque vt alios) emisit Venetijs apud Ioannem Baptistam Ciottum, qui eos non semel (& quidem ann. 1602.) recudit. Quibus cum item astantes, Medicos, Pharmacopolas, Chirurgos, & viros etiam religiosos monet, indicat quàm sępe homicidio proximi sint, aut aliquando in irregularitatem incidant Sacerdotes, qui specie pietatis incautè id;

quod

quod minimè expedit, procurant. Quod tum rationibus, tum Canonicis legibus comprobat. Inde autem in secundo libro commonstrat, quibus virtutibus Medicus esse debeat, ac præsertim Dei timore præditus, quamobrem explodendam omnino esse Iudæorum Medicorum curationem euincit. Quarto libro docet, quantopere peccetur ab ijs, qui à circulatoribus, & Astrologis (qui quidē ad Sideralem Astrologiam attinent) remedia petunt. Septimo proinde libro lætalia pleraq; peccata enumerat, quæ in victus ratione cōmittuntur, præter morbos corporum, in quos incidunt plurimi. Et ducenta quidem Monita etiam hoc in Opere traduntur, digna, quæ attentè percipiantur. Ceterum habet pre manibus *Horologium Philosophicum*, quod iuuentuti iuuandæ adornat. Alterum itē Opus, quod prænotauit, *Aulicus Catholicus*. Deinde *Commentationes* in Torquati Taxi librum, quo Mundi creationem Etrusco cecinit carmine. Quem librum nominat *Taxus spiritualis*. Viuebat adhuc, dum hæc scriberemus.

HIERONYMVS Monopolitanus, Appulus, Ord. Prædicatorum, scripsit de veritate Sanctiss. Sacramenti Eucharistiæ, ac De necessitate bonorum operum aduersus Zuinglium, & alios hæreticos. Neapoli ann. 1539. Tractatum in D. Athanasij Symbolum. Commentaria in Aristotelis Metaphysicen.

HIERONYMVS Mutius Iustipolitanus, varios libros edidit Italicè, quibus Paulum Vergerium, Bernardinum Ochinum, Franciscum Bettum, & alias pestes hæreticas sic perstrinxit, vt antidotum fuerint veneno illo in plurium animis extinguendo. Quin & librum non adeo grandem emitti ab eo iussit Pius Quintus Sanctæ memoriæ Pontif. inscriptum, *Monita ad Principes. Auisi à Princip.*

HIERONYMVS Natalis, Maioricensis, Hispanus, Theologus Societatis Iesu, cum diu, sanctè, ac indefessè in ea vixisset, reliquit Adnotationes, & Meditationes in Euangelia, quę in Sacrosancto Missæ sacrificio toto anno leguntur, cum Euangeliorū concordantia historiæ integritati sufficienti.

Accessit & Index, Historiam ipsam Euangelicam in ordinem temporis vitę Christi distribuens. Quæ omnia cum scitissimis iconibus ex ære excudit Antuerpię Martinus Nutius, anno Dom. 1594. procurante Didaco Ximenio Theologo Societatis nostrę.

HIERONYMI Neapolitani Abbatis, Generalis Montis Olìueti libellus apud ipsum Ordinem extat manuscriptus, *De profectu, ac defectu Monachorum*.

HIERONYMVS Niger Fossanensis (quæ Ciuitas est in Italię Subalpinis) Augustiniani Ordinis, edidit librum De admirando mysterio, & Christo adorando in Eucharistia. Scripsit quoque contra Valdenses. Viuebat ann. 1560.

HIERONYMVS ab Oleastro Lusitanus, Ord. Prędicatorum Theologus, & Inquisitoris munere perfunctus Olyssippone, Commentaria scripsit in Moysis Pentateuchum iuxta Sanctis Pagnini versionem. Hęc verò Commentaria edita sunt ann. 1569. Antuerpię apud hęredes Stelsij; cum antea Lugduni emissi fuissent ann. 1568. ijs autem Auctor pręfixit Articulos 17. ad Sanctarum Scripturarum faciliorem intelligentiam. Hebraismos item, siue phrases Hebręæ linguæ peculiares. Ad singulorum autem capitum expositiones exhortationes adiecit vtiles, commodas, doctas.

HIERONYMVS Osorius Lusitanus, & Episcopus Syluensis (quæ ciuitas est in Lusitania) cum vir nobilis, doctus, eloquens, castus, & plenus dierum bonorum vixisset, plura posteris reliquit, quæ deinceps eo demortuo in quattuor Tomos distributa prodierunt in lucem Romæ emendatiora, & auctiora, Hieronymo altero Osorio id curante, qui eius fuerat nepos, quique vberem eius vitam vniuerso Operi pręfixit dignam, quę legatur. Ann. 1592.

Tomus itaque Primus continet vitam Auctoris. De nobilitate Ciuili, lib. 2. De nobilitate Christiana, lib. 3. De Gloria, lib. 5. De Regis institutione, & disciplina, lib. 8. De rebus, virtute, ac gestis Emanuelis Regis Lusitanię, li. 12. Defensionē sui nominis. Epist.

Tomus autem Secundus. Admonitionem in Epistolam ad Elisabetham Anglię. Epistolam eiusdem Osorij ad eandem Elisabetham. In Gualterum Addonum, lib. 3. De Iustitia, lib. 10. De Sapientia, lib. 5. In Epist. B. Pauli ad Romanos.

Tomus Tertius. Paraphrasim in Iob, lib. 3. Paraphrasim in Psalmos. Notationes in Para-

Paraphrasim in Psalmos. Canonici Eborensis, Commentaria in Parabolas Salomonis. Paraphrasim in Sapientiam Salomonis. Paraphrasim, & Notationes in Cantica, Hieronymi Osorij Nepotis.

Tomus Quartus. Paraphrasim in Isaiam, lib. 5. Commentarium in Oseam Proph. Commentarium in Zachariam. Orationem in laudem Diuę Aecatherinę. In Euangelium Ioannis Orationes viginti, & vnam.

Porrò obseruandum est, in recudenda Romæ Epistola, quam Osorius ad Elisabetham Angliæ scripsit, iussu Bartholomęi de Miranda, Magistri sacri Palatij, excusam fuisse initio Secundi Tomi admonitionem ad Lectorem, quæ omnino pręlegenda est, antequam quisquam Epistolam illam Osorij legat. Quin si hanc antea legisset, operępretium erit ad res, & statum Angliæ eius temporis quàm breuissimè cognoscendum, eam admonitionem adhuc iterum legere.

Quoniam verò in decem de Iustitia libris, quos Osorius scripserat, fuere, qui nonnullas voces pro ratione horum temporum liquidius explanatas cupiebant, ideo legenda est prę fatio Hieronymi Osorij nepotis ad eosdē libros, qui & in septimo libro addidit ea, de quibus Auctor de peccato originis, aut alijs eiusmodi in Apologia disseruit, quam scripsit aduersus Iustitiæ Cęlestis reprehensores.

Porrò antequā omnia Osorij opera simul prodirent, libri tres de Religione contra Gualterum Haddonum ad Elisabetham Anglię, vna cum Epistola eiusdem ad eandem, Dilingę editi fuere in Germania, ann. 1569. & 1576. ac Coloniæ Agrippinæ, ann. 1589. vna cum Oratione Longolij ad Lutherum. Eiusdem item Osorij Paraphrasis in Isaiam Coloniæ, ann. 1578. Libri autem de verà Sapientia Coloniæ, ann. 1579. sed & antea ann. 1572. fuerant ibidem excusi libri decem de Iustitia.

Hieronymus Panormitanus, Ordinis Prædic. Theologiam Neapoli, & in Gallia Cisalpina professus cum laude, edidit Confessionale. Viuebat ann. 1570.

Hieronymi Paphij Saxolensis libellus de Resurrectione, Bononiæ ann. 1589.

Hieronymus Papiensis in eadem sua Patria Professor Theologus, Ordinis Seruorum varia reliquit. Quorum inscriptiones haud nominarunt, qui de illo scripserunt. At ea apud sui ordinis Patres Ticini asseruari dicuntur. Viuebat ann. Domini 1492. Chron. Seruorum.

Hieronymus Patauinus, Italus, scripsit ad Petrum Donatum Patauinę Ciuitatis Episcopum, De Passione Dominica librum, qui *Iesuides* inscriptus est. Vixit circa annum Domini 1500. Eisingr.

Hieronymus Pauli, Barchinonensis, litterarum Apostolicarum Viceco rrector, edidit omnium Ecclesiarum Prouinciale, Romæ ann. 1493. Eius exemplar extat in Bibliotheca Monasterij S. Marię (vt vocant) de Pratalea (vulgo *Praia*) Ord. S. Benedicti Congreg. Cassinensis, non procul Patauio.

Hieronymus Picenus, Ordin. Minorum, qui postea Nicolaus Quartus, ex Lisano Villa Ciuitatis Asculi (vnde & Asculanus dictus) Theologus insignis, Minister Generalis tempore Gregorij Decimi, anno 1274. Cardinalis Prænestinus, demum ann. 1288. in die Cathedræ Sancti Petri Reate summus Pontifex declaratus, Rodulpho, & Adolpho ad Imperium electis, scripsit ad Patres sui Ordinis congregatos in Comitijs generalibus Patauij, mentionem faciens cuiusdam Ioannis Asculani successoris D. Bonauēturæ in Generalatu. Quem Ioannem scripsisse asserit Sermones de Tempore, ac de Sanctis, & Epistolas plures ad diuersos. Sed Henricus Villot, qui de Scriptoribus sui Ordinis, vt suo loco diximus, scripsit, dubitat num sit Hieronymus, an Ioannes Asculanus: quod & indicare videtur historia Seraphica Francisci Gonzagæ Episcopi Mantuani.

Hieronymus Pirerius Lusitanus, Ordin. Prædic. Episc. Salenus, & Suffraganeus Henrici Cardin. qui postea fuit Rex Lusitaniæ, tunc Archiepiscopi Eborensis, scripsit De Resurrectione Domini, vbere argumento. Tractatum de Ecclesiæ Sacramentis. Sermones complures. Quæ omnia ei furto sublata, nescio an vspiam apparuerint. Obijt Eboræ, ann. 1578.

HIERONYMVS Pistoriensis, Ordinis Minorum, edidit Opus in Formalitates Scoti: & Conciones Italicè.

HIERONYMVS Platus Mediolanensis,& Theologus Societatis Iesu,edidit de Bono Status Religiosi libros tres vtilissimos,primò latinè Romæ; Qui deinceps Italicè Venetijs, sed & Augustæ Treuirorum, & alibi latinè auctiores prodierunt, reliquit item librum, qui post eius mortem exiuit in lucem, De Officio Cardinalis,ad eius fratrem S. R. E. Cardin. qui hodieque viuit. Obijt autem Romæ ipse Hieronymus ann.1591.

HIERONYMVS Polittus, Ordin.Minorum Generalis Minister, scripsit ante paucos annos in Regulam fratrum Minorum.

HIERONYMVS Pollinus Ord. Prædicatorum Historiam Anglicam Italicè, ac copiose conscripsit, ab Henrici Octaui tempore vsque ad Elisabetham. Ea Romæ anno 1594. est edita apud Gulielmum Faciotum,quæ non solum ex Anglicis, verum etiam ex alijs Auctoribus collecta magnam affert lucem, ad rerum, quæ propter religionem in ea euenerunt,notitiam assequendam. Vide quæ huc quadantenus facere possunt in verbo, Antonius Gallonius.

HIERONYMVS Pouodouius, Cracouiensis, Polonus, breuem, & methodicam Instructionem audiendarum Confessionum Cracouiæ ann.1592. emisit.

Eiusdem agenda; seu ritus Sacramentorum Ecclesiasticorum ad vniformem Ecclesiarum per vniuersas Ecclesias Regni Poloniæ vsum. Cracouiæ ann.1593.

Eiusdem Manuale septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentorum, ann.1592. Viuebat eodem tempore.

HIERONYMVS Pradus, Biacensis, Hispanus, Societatis Iesu Theologus, scripsit in priora sex, & viginti capita Ezechielis: Reliqua verò 22.eiusdem Prophetæ capita,explanauit Io.Baptista Villalpandus eiusdem Societatis Theologus, & ipse Hispanus, qui Apparatum Vrbis, ac Templi Hierosolymitani Commentarijs, & Imaginibus illustrauit, collata antea tota re, ac studio suo cum Hieronymo Prado. Omnia verò hæc tribus Tomis comprehensa. Romæ anno 1600. excudi sunt cępta pulcherrimis typis, atque Vrbis, ac Templi Hierosolymitani scitissima expressione Ichnographiæ, totiusque structuræ ad sensus Prophetæ eruendos, atque ad mysteria inde intelligenda apprimè vtilia. Instat verò Tomorum istorum omnium futura non multò post editio, in qua magnis, & Regijs sumptibus laboratur.

Arnoldus Vion. HIERONYMVS Pragensis I.V. D. & Theologus Eremita, accepta facultate concionandi cum Episcopali potestate, Lituanos, Deo iuuante, ad fidem conuertit. Obijt Venetijs ann.1440. fuit autē in Concilio Basileensi, scripsitq; Dominicales (vt vocant) Sermones. Alios item de Sanctis, & Quadragesimales. Sermonem de Sancto Romualdo. Orationum in Concilijs, lib. 1. Contra hæreticos, lib.1. Contra errores Græcorum, lib. 1. De corpore Domini, lib.1. Quæ omnia asseruantur manuscripta in Sacra Eremo Camaldulensi.

HIERONYMVS Ragazonius Episc.primò Famagustanus,deinde Bergomi, vbi fuerat natus, qui & antea Visitator Apostolicus Diœceseos Mediolanensis tres Orationes habuit(vt erat eloquens, ac doctus) in Synodo Tridentina: quæ item excusę cum alijs fuerūt cum eadem Synodo. Obijt Romæ ann.1591.

HIERONYMVS Regius Panormitanus, librum edidit prænotatum *Latrobius*, siue *de Appetitione Episcopatus*.

HIERONYMVS Roman, Hispanus, Augustinianus, & Ioānes à S.Ioseph Lusitanus, viri spectatis moribus, & antiquitatis Ordinis sui indagatores, suo ipsorū idiomate Chronica à Patre suo Augustino ad hæc vsque tempora scripserunt.

Ioseph Pamphilus. HIERONYMVS Romanus, Ord. D. Augustini, Theologus, & concionator insignis, scripsit quidem varia, sed Conciones tantum in Euangelia Quadragesimæ, extabant in Cęnobio S.Augustini Romæ. Decessit iuuenis ann.1507.

HIERONYMVS Rott à Schrechenstain De principalitate Romanæ Ecclesiæ.

HIERONYMVS de la Rua, Toletanus, Theologus, controuersiarum Theologicarum, partim

partim positiuarum, partim Scholasticarum partem priorē, Romæ ann. 1584. apud Vincentium Accoltum emisit.

HIERONYMVS Rubeus Rauennas, vir nobilis, facultate Medicus, at & diligens Historiarum Rauennatum Scriptor libros decem ediderat, cum eos, altera editione an. 1589. lib. vndecimo auxit, qui Venetijs ex Typographia Guerræa fuerunt emissi.

Addidit Indicem Scripturarum, quæ in Tabulario, siue Archiuo Romano asseruantur, spectantium ad Archiepiscopatum, Ecclesiamq; Rauennatem: In quibus priuilegia Pontiff. & Impp. & Iura quarundam Ciuitatum, siue Oppidorum cernuntur. Deinde Concilia Rauennatensia Prouincialia quattuor antiqua.

Præterea Hymnos B. Petri Damiani, Rauēnatis, S.R.E. Cardinalis, Episc. Ostiensis, ad cęlites quosdam Rauennates. Litanias item conuentus Presbyterorum Parochialium Ciuitatis Rauennæ è Gręca in Latinam linguam conuersas. Indicem Archiepiscoporum Rauennatium. Picturas duas antiquas, & earum expositionem, quę extant in duobus Templis Rauennæ Iustiniani tempore expressas opere musiuo.

Sanè verò cum vetustis libris euoluendis, ac temporibus conciliandis, reique tandem omni tractandæ operam (quòd & ipse testatur) omnem dedisset, Martyrum etiam, atque aliorum Sanctorum virorum gesta interseruit; vt tū hoc nomine, tum ob Appendices Prouincialium Conciliorum, & eorum, quæ dicta sunt, locum & hoc in libro, & in Selecta nostra Bibliotheca habere debuisse, nemini non visurus sit.

Quòd si historia hæc conferatur cum Annalibus Cęsaris Cardinalis Baronij, vbi de ijsdem rebus ab vtroque scriptum est, liquidior lux haurietur: atque in quibus expensio aliqua integrior adhibenda sit, intelligetur. Vterque enim, vt peruestigator sedulus, ac temporum collator fuit, nonnulla subinde obseruarunt, quę totum huius historiæ negocium maximè illustrant.

Scripsit Latina lingua eleganter, & qui possit inter bonos huius generis gestorum Historiographos censeri. Nos de illo in Apparatu nostro ad historias egimus, qui Latinè, atque Italicè excusus est Venetijs apud Io. Bapt. Ciottum, atque apud Altobellum auctior.

HIERONYMI à Sancta fide, de quo diximus supra, ex Iudęo Christiani, contra Iudęorum perfidiam etiam Talmud, Tractatus, siue libri duo, extant in Bibl. SS. PP. To. 4. Quod & hic iterum addimus, vt si quis eum hoc in loco requirat, inueniat.

HIERONYMVS Sauonarola Ferrariensis, Ord. Prædicatorum (cuius Vitam scripsit Franciscus Picus Mirandulę, atque Concordię tunc Comes) edidit De arca Noè in 6. Genes. cap. Serm. 10. In 6. priora Exodi cap. Serm. 14. In historiam Ruth, Serm. 5. In duo prima Iob capita Serm. 40. In Ezechielem Sermones 46. In Amos Sermon. 40. In Zachariam Serm. 20. In Michęam Serm. 30. In Aggęum Serm. 5. In septem Psalmos pœnitentiales Commentaria. In Psalmum 42. Serm. 24. Item in varios Psalmorum versiculos Serm. 20. In Orationem Dominicam triplicem expositionem. In Canonicam primam Ioan. Sermones 19.

Denique pridie, quàm duceretur ad mortem, scripsit inter imminentis supplicij angustias, Latino Sermone in Psalmum 31. & 50. Meditationes. Harum prior, in qua spei, ac desperationis lucta exprimitur, incipit, *Tristitia obsedit me.* Posterior verò, *Infelix ego homo.* At Index Romanus Clemente VIII. Pont. Max. editus, ita habet: *Hieronymi Sauonarolæ Ferrariensis Sermones, qui olim in Romano Indice prohibiti fuere, non legantur, donec iuxta censuras Patrum deputatorum emendati prodeant, & sunt hi. In Exodum Sermo primus incipiens: Domine quid multiplicati. Item Sermo secundus incipiens: Essendo noi, &c. Item Sermo tertius super In exitu Israel. Item Sermo 6. in illud: Quanto magis opprimebat eos, &c. Item Sermo 10. in illud: Clamor ergo filiorum Israel, &c. Item Sermo 12. in illud: Respondens Moyses ait, &c. Item Sermo 20. in illud Psal. Palpebra eius interrogant filios hominum. Item exhortatio habita ad populum incipiens: Hauendosi à fare. Item in Concionibus per totum annum, Concio 7. super Ruth, cuius initium est: Il lume naturale della ragione, &c. Item in Concionibus super Amos, & Zachariam, Concio 12. in illud: Audite verbum hoc vaccæ pingues, &c. Itē in Iob Conc. 14. incipiens: Beatus vir, qui corripitur à Domino, &c. Item in Ezechielem Sermo 21. in illud:*

Dixit

Dixit Dominus audite me transire per mediam ciuitatem. Item Sermo 32. in illud: Et post omnes abominationes tuas, &c. Item Serm. 41. in illud: Et factus est Sermo Domini, &c. Item Conc. 3. in 8. Epiphaniæ incipiens: Ecce gladius Domini, &c. Item liber inscriptus, Dialogo della verità. Quin & idem Sauonarola in libro de Triumpho Crucis. Ambrosius Catharinus in libro De statu Puerorum sine Baptismo decedentium. Albertus Pighius in prima Controuersia, docet Infantes sine Baptismo morientes futuros post iudicium beatos naturali beatitudine, & in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuò, feliciterque victuros. Quæ sententia (inquit, Bellarm. Card.) non solum falsa, sed etiam heretica existimanda est. Id quod probat ex Scriptura, Concilijs, Patribus, Theologis Scholasticis, Rationibus, lib. 6. de amissione Gratiæ, cap. 2. Tom. 3. nimirum quòd eiusmodi paruuli absolutè damnati, & miseri, & ne naturali quidem beatitudine beati sint. Pergit autem Bellarminus, cap. 3. eiusdem 6. libri, refellere Catharini obiectiones, in quo capite non negat tamen Bellarminus, Theologos Scholasticos in eo fere conuenire omnes, vt paruuli sine Baptismo decedentes non patiantur pœnam sensibilem ignis corporalis, licet apertè dicant eos in Inferno esse, & in ipsa gehenna mitiori pœna, quàm alios puniendos.

Hieronymus Seripandus, Ord. Augustiniani, S. R. E. Cardinalis, Legatus in Tridentina Synodo, obijt Tridenti die 13. Martij ann. 1563. Scripsit autem docta Commentaria ad omnes Epistolas D. Pauli, & ad septem Canonicas aliorum Apostolorum. Item expositionem in Euangelia, quæ in Quadragesima leguntur. Quæstiones 67. aduersus hæreses huius sæculi lib. tribus De hominis iustificatione. Tractatum de peccato originali. 31. Orationes. Complures Sermones, quos in maioribus sollemnitatibus ad fratres habebat. Libros quattuor diuersarum materiarum prædicabilium. Quæ omnia asseruantur Neapoli in Bibliotheca Monasterij S. Ioannis de Carbonaria, quam ipse extruens eamque libris optimis omnium scientiarum generum tum excusis, tum manuscriptis impleuit sed & explicationem Symboli Apostolici Italicè ab eo scriptam, & quidem sensu vberem, stylo pressam, Venetijs euulgatam sumus consecuti: cum eiusdem in Epistolam Pauli ad Galatas: & Responsiones ad nōnullas quæstiones ex textu Epistolæ Catholicæ prodijssent Antuerpiæ ann. 1567. Venetijs autem apud Bartholomæum Rubinum, ann. 1569. Oratio autem, quā in Caroli V. Imp. funere recitauit, Neapoli, in eadē Ciuitate, prodijt in lucem.

Hieronymus Sirinus Canonicus Regularis Italicè libellum edidit de Diuina gratia acquirenda. Qui non semel à Typographis Venetis est euulgatus.

Hieronymus à Sorbo, edidit Compendium Priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Ordinum Mendicantium.

Hieronymus Stridonensis Presbyter, & clarissimus Ecclesiæ Doctor, temporibus Theodosij Imp. floruit, vt ipse in Catalogo Scriptorum testatur. Quartodecimo enim anno illius Imperij librum eundem se scripsisse asserit. Obijt anno septuagesimo octauo, siue septuagesimo nono ætatis suæ; quidquid secus alij scripserint.

Baron. To. 3. Annal. & in notis ad Martyrol.

Quinam scripsere De Vita D. Hieronymi. Cap. I.

Vitam eius Sebastianus monachus D. Benedicti, sicuti extat apud Petrum Diaconum in libello de Viris Illustribus Monasterij Cassinensis, & Auctor incertus, de quo in nono Tomo Operum Hieronymi, (Sebastianus ne memoratus, an alius fuerit) Erasmus item, ac demum Marianus Victorius scripsere. Sed vt putida nonnulla mendacia in alijs, sic & falsa quædam in Erasmo deprehensa sunt, vt Marianus certam è Hieronymi scriptis, ac solidam accuratè conscripserit. Nihil hic dixerim de Actis Hieronymi, quæ sub nomine Cyrilli Hierosolymitani Episcopi ad Augustinum, aliquandiu sunt circumlata: Nemo enim negauerit esse ementita, qui sciat Cyrillum ipsum ante annos triginta, quàm Hieronymus vixerit, teste eodem Hieronymo, ex hac vita migrasse. Et putida quidem mendacia sunt; Primum. Quòd Hieronymus fuerit ordinatus Presbyter Romæ, cū id Antiochiæ factum sit a Paulino Antiochenæ Sedis Episcopo. Secundum. Quòd Hieronymus virginitatem custodierit, cum id ipse neget; quamuis continentiæ, atque castitati deinceps sese mira

virtute

virtute addixerit. Tertium: Quòd alio tẽpore, quàm Damaso Pontifice Maximo, plura scripserit volumina, & Psalteriũ emendauerit; hæc enim eo Pontifice se præstitisse scribit. Quartum: Quòd fuerit Cardinalis, cum necdum ea dignitas extaret. Quintum: Quòd Iulianus Pelagianus dicatur fuisse Manichæus: etenim, vel ex ipsius Hieronymi scriptis constat, illum aduersatum fuisse Manichęis, quorum item nomine suggillauit falsò catholicos, qui originale peccatum assererẽt. Sextum: Quòd Leonem curauerit, qui eius imagini solitus est appingi. Nam hoc, non Hieronymo, sed Gerasimo Viro Sancto in Palęstina contigit, quemadmodum Sophronius in Prato spirituali testatus est. Et verò appingitur Hieronymo, Leo ille, tamquam hieroglyphicum (inquit Baronius Card.) Symbolum, nempè infracti roboris in hæreticis insectandis, & instar Leonis, rugitus, atque clamoris. Porrò in Mariano Victorio Reatino illud tantum notat Baronius, quòd in Hieronymi Vita scripserit Hieronymum cum Ruffino, atque alijs itineris Comitibus primò Hierosolymam petijsse, inde verò inter sese diuisos. Ruffinum quidem in Aegyptum, Hieronymum autem in diuersas Prouincias peregrinationem suscepisse, atque illhinc ad deserta Syrię iuisse; Quòd consistere posse non putat. To. 4.

Qualem Diuus Hieronymus requirat Lectorem suorum Operum. Cap. II.

Qualem autem Lectorem requirat Hieronymus, legendus est Hieronymianus Canon Apologiæ primæ aduersus Ruffinum: Quem quidem Canonẽ Hieronymus ipse pro suorum germana intelligentia scriptorum obijcit Augustino. Adnotarunt hunc Canonem Franciscus Ribera noster in Oseam, & in Proęmio in Zachariam: & Leo Castrius in suo Apologetico pro editione vulgatæ editionis. Is verò est Canon, de quo ita scribit Augustino. *Si quid igitur reprehensione dignum putaueras in explanatione nostra: eruditionis tuæ fuerat, quærere vtrum ea, quæ scripsimus, haberentur in Græcis: vt si illi non dixissent: tunc meam propriè sententiam condemnares, præsertim cum liberè in Præfatione Epistolæ* (1. ad Galatas) *confessus sim, Origenis commentarios me esse secutum; & vel mea, vel aliena dictasse. Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere, quòd in Græcis legeram, vt Lectoris arbitrio derelinquerem vtrum comprobanda essent, an improbanda. Tu igiturne, quòd ego petieram, faceres; nouum argumentum reperisti*, &c. To. 2.

Videat igitur (quòd prudenter monet Franciscus Messana) Qui Hieronymum legit, quos ille sequatur Auctores, quòd ex Proęmio cognoscet, & cum inuenerit aliquid, quod Origenis errores, aut Apollinarij, aut Didymi sapiat, etiam si ille non reijciat, sciat non esse Hieronymi. In quo multi errantes ea illi tribuunt interdum, quæ ipse execrabatur.

Præterea sciat Lector adeò perspicacem Diuini codicis, siue ipsius versionum fuisse D. Hieronymum, vt Gelasius Pontif. Max. vnà cum Episcopis septuaginta testatus sit, se volumina illa probasse, quæ Hieronymus ipse probauerat, atque in omnibus secutũ eius esse sententiam; renuisse autem, quæ ille renuerat. Qui & ab Ecclesia Doctoris Maximi in sacris litteris nomen est assecutus, & à Damaso Pont. Max. quasi Arbiter quidam Diuinarum scripturarum constitutus. Sed & cum D. Augustinus eum per litteras, perque Orosium, quem ad illum allegauit, de arduis quæstionibus consulere soleret, eius verò libros aduersus Iouinianum vocauerit *lucidissimos, suauissimos, atque præclarissimos*, intelligimus quanti faciendi sunt, qui in Hieronymi scriptis extant thesauri. Cap. 5. Ecclesia Romana. Aug. ep. 19.

Sanè ipsius Latinam Sanctæ scripturæ editionem Augustinus Steuchus, qui nostra vixit ętate, Chisami Episcopus, in sua elucubratione in Pentateuchum Moysis, conatur passim ita defendere, vt ostendat nullam neque apud Gręcos, neque apud Latinos fuisse versionem veteris Testamenti Hieronymiana meliorem, elegantiorem, lucidiorem, ac latiniorem. In qua si quid aut mendosum reperitur, aut ab Hebraica veritate dissonum, aut additum, aut detractum, id omne demonstrat vel nullius esse momenti, vel Scriptorum vitio contigisse.

Quæ cum ita sint, expediat verò, vt Doctorem hunc versaturi legant in primis eius vitam à Mariano Victorio conscriptam, sicuti etiam Apologias, quas idem Hieronymus edi-

dit contra Ruffinum, reliquum est, vt, quod in alijs quoque Patribus conamur efficere, primò videamus, quænam eius Opera interierint; Mox quænam extent, quæ quidem legitima sint; Deinde, quid in eius Scriptis post Marianum Victorium alij vel obseruarint, vel laborarint; Denique quęnam Opera ei fuerint falsò ascripta.

Quæ desiderantur, ex Operibus Hieronymi. Cap. III.

Hieronymus igitur scripsit librum de hæresibus, quem doluit Augustinus se numquam inuenire potuisse. Aug. lib. de hæresibus. ad QuoduultDeum.

Librum item doctissimum de Resurrectione carnis, quem Orosius in Occidentem attulit, quique delatus est ad Oceanum. August. ep. 261.

Transtulit 28. Homilias Origenis. Hieron. De scripturis Ecclesiasticis, ad finem.

Alia complura ex eodem Latinitate donata Cassiodorus affirmat Instit. Diuin. lect. c. 2. 3. 7. & 9. eodem lib.

Homilias 30. in Lucę Euangeliũ, & Tractatus septem in Psalmos, quę testatur se scripsisse.

Epistolam ad Antium, qua obscurissimas eum elucidasse quæstiones tradit Cassiodorus.

Explanationem de iudicio Salomonis, de qua idem Cassiodorus. Itemque.

Notationes in omnes Prophetas propter tyrones: postea verò copiosiores illas, quæ extant in eosdem Prophetas, Explicationes.

Volumen in quattuor Euangelistas, in quo de omnibus, quæ essent propria ipsorum, disseruit.

Expositionem in Apocalypsim. Quam in sua Bibl. olim Cassiodorus habuit, sed perierunt.

Quænam Opera Hieronymi extent. Cap. IIII.

Et quidem Marianus Victorius, de quo diximus, ex collatione Codicum antiquissimorum Hieronymi Epistolas mille, & amplius, mendis, & Erasmi correctione, quam ille iactabat, sublatis, emendauit, & argumentis, ac Scholijs illustrauit.

Vitam item, vti supra innuimus, olim falsò tũ ab Erasmo, tum ab alijs enarratam, primus omnium ex Hieronymi Scriptis conflatam emisit in lucem.

Vniuersa deinde Opera Hieronymi, siue item, quæ Hieronymo fuerunt adscripta, in nouem Tomos ita distribuit, vt contineat

PRIMVS TOMVS.

Ad Heliodorum, de laude vitæ solitariæ, epist. 1.
Ad Nepotianum, de vita Clericorum, & Sacerdotum, epist. 2.
Ad Heliodorum, Epitaphium Nepotiani, epist. 3.
Rustico Monacho, de viuendi forma, ep. 4.
Ad Florentium, epist. 5.
Ad Florentium, epist. 6.
Ad Lætam, de institutione filiæ, ep. 7.
Ad Demetriadem, de seruanda virginitate, epist. 8.
Ad Saluinam, de seruanda viduitate, ep. 9.
Ad Furiam, de viduitate seruanda, ep. 10.
Ad Ageruchiam viduam, de monogamia, epist. 11.
Ad Gaudentium, de Pacatulæ infantulę educatione, epist. 12.
Ad Paulinũ, de institutione Monachi, ep. 13.
Ad Celantiam matronam, de ratione piè viuendi, fortè Paulini Nolani Episc. ep. 14.
Ad Marcellam de laudibus Asellæ, ep. 15.
Ad Principiam virginem, Marcellæ viduæ Epitaphium, epist. 16.
Paulæ & Eustochij, Marcellę, vt commigrẽt Bethlehem, epist. 17.
Ad Marcellam, eam inuitans ad rus Bethlehemiticum, epist. 18.
Ad Eustochium, de acceptis ab ea munusculis, epist. 19.
Ad Marcellã, de acceptis munusculis, ep. 20
Ad Paulum Concordiensem, epist. 21.
Ad Eustochium, de custodia virginitatis, epist. 22.
Ad Marcellã, de ęgrotatione Blæsillę, ep. 23.
Ad Marcellam, de exitu Leæ, ep. 24.
Ad Paulam super obitu Blæsillę filię, ep. 25.
Ad Pammachium consolationem super obitu Paulinæ vxoris, epist. 26.

Ad

De

De Euangelio Matthæi.
De Marco.
De Luca.
De Ioanne.
De Actis Apostolorum.
De Epistola Iacobi Apostoli.
De prima } Epist. Petri Apostoli.
De secunda
De prima }
De secunda } Epistola Ioannis.
De tertia }
De Epistola Pauli ad Romanos.
Ad Corinthios prima.
Ad Corinthios secunda.
Ad Galatas.
Ad Ephesios.
Ad Colossenses.
Ad Tessalonicenses.
Ad Hebræos.
De Timotheo 1.
De Timotheo 2.
De Tito.
De Philemone.
De Apocalypsi Ioannis Apostoli.
De Epistola Barnabæ.
Erudita Scholia Mariani Victorij Reatini, in omnes Hieronymi Epistolas.
Indicem locupletissimum.
Loca Sacræ scripturæ à S. Hieronymo, his tribus Epistolarum Tomis, explicata.

QVARTVS TOMVS habet Commētaria in quattuor Prophetas Maiores; ad fidem vetustissimorum exemplarium, octingentis & amplius sublatis erroribus, emendata. Nam quæ habebantur in Quarto Tomo veteris editionis, vt erant penè omnia spuria, aut incerta, reiecta sunt sapienter à Victorio Reatino in Nonum Tomum, de quo postea dicemus.

QVINTVS TOMVS, qui trecentis & ipse atque amplius sublatis erroribus, ab eodem prodijt, continet Ecclesiasten, & duodecim Prophetas minores.

SEXTVS TOMVS, ducentis circiter sublatis erroribus, complectitur Commentaria in Matthæum, & Epistolas Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem; & librum Didymi de Spiritu sancto, à Hieronymo versum. Ad finem autem Tomi Sexti, Annotationes Mariani Victorij adiunctæ, siue adsutæ sunt, in Commentarios omnes Hieronymi, pro locis à se emendatis super Esaiam, in Hieremiam, in Ezechielem, in Danielem. In Tomum Quintum, in Ecclesiasten, in Osee, in Ioel, in Amos, in Abdiam, in Ionam, in Micheam, in Naum, in Habacuk, in Sophoniam, in Aggeum, in Zachariam, in Malachiam. Deinde in Tomum Sextum, in Matthæum, in Epistolam ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem.

SEPTIMVS TOMVS continet Hieronymi Commentaria super Psalmos; quibus accessit Psalterium ipsum, à Hieronymo Latinitate donatum: Quæ omnia multis in locis, studio eiusdem Mariani Victorij, aucta sunt, & emendata. Operis autem Censuram, qua Commentarios hosce D. Hieronymi esse probat, videbis initio huius Septimi Tomi, post Epistolam Gregorio XIII. Pontifici Maximo scriptam.

OCTAVVS TOMVS habet Commentarios, qui etsi D. Hieronymo adscripti fuerūt, nec tamen eius sunt: Nimirum Commentaria in Iob, qui Bedæ presbyteri Angli fuerunt. Item in Prouerbia Salomonis, quos etiam eiusdem Bedæ fuisse liquet. Deinde homilias quattuor Origenis in Cantica Canticorum, quas à Hieronymo versas esse, Victorius mauult existimare, quàm affirmare. Denique Commentarios in omnes Pauli Apostoli Epistolas, qui Hieronymi nec phrasim sapiunt, nec eruditionem, quamuis in fronte operis, Epistolam ad Heliodorum inscriptam contineant: Quin potius hominis esse Pelagiana labe infecti, apparet (ni ea tantum, quæ Orthodoxa non sunt, ab hæreticis potius sint adiecta.) Quod antea notauit Ambrosius Catharinus; ac deinceps Sixtus Senensis, quarto, & sexto libris Bibliothecæ Sanctæ, denique & Bellarminus Cardin. lib. 4. De Amissione Gratiæ, & Statu peccati.

Ceterum horum Commentariorum eos esse Auctores, quos diximus, ipse quoque Victorius, Censura ad eos præfixa, ostendit vberius.

NONVS TOMVS Tres Partes continet. In quarum Prima locatæ sunt Epistolæ, doctæ quidem, & eruditæ, at quæ neque Hieronymi sunt, & quarum ignorantur Auctores.

In Secunda Parte posita sunt ea, quæ suis titulis, proprios testantur Auctores.

In Tertia, quæ suos Auctores ipsa etiam præseferant, verùm non ita docta, & erudita sunt, quemadmodum illa, quæ in prima, & secunda parte continentur.

Et hæc tamen omnia, non solùm ad fidem vetustissimorum exemplarium, multis erroribus, quibus scatebant, expurgata; verùm etiam quorumnam sint, Censura ipsius Victorij, ostensa, quoad eius fieri potuit.

Adscripta Hieronymo. *Cap. V.*

Indicis autem eorum, quæ D. Hieronymo falsò ascripta, in hoc Tomo Nono continentur: Prima serie hæc habentur.

Mariani Victorij Reatini, Censura huius Voluminis.
Epistola Concilij Mileuitani, de D. Hieronymo.
Synodi Romanæ sub Gelasio testimonium de D. Hieronymo.
Ad Demetriadem, de Virginitate, epist. 1.
Augustini, & Alypij, ad Iulianam, epist. 2.
Ad Geruntij filias, de contemnenda hæreditate, epist. 3.
Ad Marcellam, vt aduersa toleret, exhortatio, epist. 4.
Ad Virginem in exilium missam consolatio, epist. 5.
Ad amicum ægrotum, epist. 6.
Ad amicum ægrotum, de viro perfecto, epist. 7.
Institutio amici in scientia Diuinæ legis, epist. 8.
De tribus virtutibus, epist. 9.
Ad Paulam, & Eustochium, de Assumptione Beatę Mariæ Virginis Sermo, qui Sophronij esse creditur, epist. 10.
De Assumptione Beatę Mariæ Virginis Sermo, epist. 11.
De honorandis parentibus, epist. 12.
De septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, epist. 13. capita septem continens.
Virginitatis laus ad Mauritij filiam, epist. 14.
De ijs, quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur, epist. 15.
Damasi Symbolum, epist. 16.
Symboli explanatio ad Damasum, epist. 17.
Explanatio fidei ad Cyrillum, epist. 18.
Symbolum Ruffini ad Laurentium Episcopum, epist. 19.
Ad Pręsidium Diaconum, de cereo Paschali, epist. 20.
De vera circuncisione ad Therasiam, epist. 20.
De celebratione Paschę, epist. 21.
In Susannam lapsam obiurgatio, duo capita continens, epist. 22.
In Euagrium obiurgatio, quòd Leuitam lapsum non sit consolatus, ep. 23.
Hortatio ad militem seculi, vt Christo militet, epist. 24.
De decem tentationibus populi Israelitici, epist. 25.
Explanatio in Psalmum 40. epist. 26.
Explanatio in Psalmum 117. epist. 27.
Ad Dardanum, De diuersis generibus Musicorum, epist. 28.
De Resurrectione Domini, Sermo 29.
De Natiuitate Domini, Sermo 30.
De Epiphania Domini, Sermo 31.
Sermo de Quadragesima 32.
In Vigilia Paschæ, De esu agni, Sermo 33.
De Resurrectione Domini, Sermo 34.
Ad Eustochium, De vinculis Beati Petri, epist. 35.
De obseruatione Vigiliarum, epist. 36.

Ad

Ad Pammachium, & Oceanum exhortatoria, epist.37.
Ad quendam, qui in seculo pęnitebat, epist. 38.
De diuersis generibus leprarum, epist.39.
De duobus filijs, frugi & luxurioso, epist.40.

Secunda Series.

Paulini ad Sebastianum Eremitam, epist.41.
Mariani Victorij, epistola ad Lectorem, de Apologia pro Origene, in qua ostenditur, illam non Pamphili Martyris, sed Eusebij Cęsariensis esse.
In Apolologiam Eusebij Cæsariensis, falsò Pamphilo ascriptam, pro Origene, Ruffini ad Macharium Proęmium.
Apologia Eusebij Cęsariensis pro Origene, Ruffino Interprete, falsò Pamphilo Martyri ascripta, quindecim capita continens.
Ruffini liber De adulteratione librorum Origenis, ad Macharium, duo capita continens.
Prologus Ruffini in Periarchon Origenis, ad Macharium, duo capita continens.
Ruffini ad Anastasium Vrbis Romæ Episcopum Apologia pro fide sua, ep.42.
Anastasij Romani Episcopi, ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, de Ruffino sententia, epist.43.
Ruffini Aquileiensis in Diuum Hieronymum Inuectiuarum, libri 2.
Augustini ad Hieronymum, De eo quod scriptum est, *Qui totam legem seruauerit*, ep.44.
Augustini ad Hieronymum, De ratione animæ, ep.45.
Augustini ad Optatum Episcopum Mileuitanum, De origine animarum, ep.46.
Augustini homilia de Pastoribus, epist.47.
Valerij ad Ruffinum, ne ducat vxorem, epist.48.
Gennadij Illustrium virorum Catalogus.
Martini V. Pontificis Regulæ Monachorum approbatio.
Regula Monachorum D. Hieronymi, ex scriptis eiusdem per Lupum de Oliueto collecta, 32. capita continens.
Dialogus sub nomine Hieronymi, & Augustini, ex vtriusque scriptis, ab incerto Auctore, De origine animarum.
De corpore, & sanguine Christi, homilia, incerto auctore.
Homilia super Euangelium Matthęi, *Quis vestrum habebit amicum*.

Tertia Series.

Ad Tyrasium super morte filię Consolatio, epist.49.
Ad Oceanum de ferendis opprobrijs, Hortatoria epist.50.
Ad Oceanum de vita Clericorum, epist.51.
Damasi ad Hieronymum, epist.52.
Hieronymi ad Damasum, epist.53.
Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogus, ad Desiderium.
Ad Paulam & Eustochium, epist.54. De virtute Psalmorum.
Ad Damasum de oblatione Altaris, epist.55.
Regula Monacharum, 41. capita continens.
Chromatij, & Heliodori Episcoporum, epist.56. ad Hieronymum.
Hieronymi ad Chromatium, & Heliodorum, epist. 57.
De Natiuitate Sanctæ Mariæ, epist.58.
Eusebij de morte Hieronymi ad Damasum, epist.59.
Augustini ad Cyrillum Hierosolymitanū Episcopum, De magnificentijs B. Hieronymi.
Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, De miraculis S. Hieronymi ad S. Augustinum Episcopum Hipponensem.
Vita Diui Hieronymi, incerto Auctore.

Harum autem Epistolarum auctores, aut vnde prodierint (Victorius ipse inquit) in tāta eruditorum veterum multitudine, affirmare temerarium, diuinare periculosum est. Sunt autem plurimæ Epistolæ, quę Paulini Nolani Episcopi: aliquę, quæ Maximi Pręsu-

lis

lis Taurinensis: nonnullæ, quæ Augustini: quædam, quæ Tertulliani stilum, aliuamque redoleant: multæ, quæ indignæ prorsus sunt, vt viris doctis adscribantur. Paulini phrasim præseferunt Epistola quarta, quæ ad Marcellam, vt aduersa toleret: Item quinta ad Virginem in exilium missam: Rursum vigesimatertia, in qua redarguitur quidam, quòd Leuitam lapsum consolatus non sit: Necnon vigesimaquarta, in qua militem quemdam ad Christi militiam hortatur; Maximi videtur esse septima, quę De viro perfecto inscribitur: Meminit enim in ea de Diuo Ambrosio, & de inuentione corporum Geruasij & Protasij, quę ab ipso Ambrosio reperta fuerunt: Item vigesima, cui titulus est, De vera circuncisione ad Tetrantiam, siue Terentiam, seu Therasiam, inscripta: variant enim hac in re exemplaria. Augustini stylo similis est vigesimaprima, quę de celebratione Paschæ est; & iam inter Opera eius impressa legitur. cuiuscunque autem sit, Africani esse hominis apparet ex ea. Vicesima autem secunda, cui titulus est, In Susannam lapsam obiurgatio, docta quidem, & erudita Epistola est; expeditiores autem habet anfractus, nec ita longis se periodis implicat, vt Augustini esse, quemadmodum existimant aliqui, credi possit. Tertulliani autem stylum habet Epistola sexta, quæ ad amicum ęgrotum inscribitur. Sermo item de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis ad Paulam, & Eustochium, Græci potius, quam Latini hominis est: quippe cum Latinè scribere exercitatus haud sit, Græcum hominem Latinè in eo loquêtem videre liceat. Sophronij autem esse, Diui Hieronymi amici, illius scilicet, qui Hieronymi Catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis, Gręcum reddidit, pro compertissimo creditur. Prima autem, quæ est ad Demetriadem, doctissima profectò, & erudita Epistola, Pelagiani alicuius hominis esse creditur: quippe cum nimium libero, etiam sine Dei gratia, arbitrio tribuat: Quapropter iure ab Augustino, & Alypio, in sequenti Epistola redarguitur. Celestij, qui Pelagianus fuit, nomen, exemplaria quędam præ se ferebant. Quæ autem in calce operis, Eusebij nomine, de morte Hieronymi ad Damasum inscripta est, Eusebij Cremonensis, indiuidui Diui Hieronymi socij esse creditur. Verum, nisi Damasum, alium, quàm summum illum Pontificem, toti Ecclesiæ notissimũ, eo nomine intelligat, falsis circunfertur nominibus. Longè enim ante Diuum Hieronymum Damasus Papa obijt. Quæ verò vel Cyrilli, vel Augustini de miraculis Hieronymi, nomen habent, cuiuscumque alterius potius, quàm Cyrilli, & Augustini Opera sunt. Quòd rectè ante Marianũ D. Antoninus agnouit. Vita verò Hieronymi incerto auctore cō scripta (quamuis altera ab ipso Mariano, vt diximus, ex Hieronymi scriptis verius, fideliusque sit edita) ne quis sibi aliquid deperijsse conqueri posset, ita, vt prius typis mandata erat, relicta est ibidem. At non propterea omnia quæ in illis produntur, falsa, & commentitia esse credendum est. Multa enim vera falsis auctorum nominibus circunferuntur: quę celebria ideo solent apponi, vt vel pretiosius venundentur, vel auidius lectitētur.

Accessit Index locuples in Tomum Quartum, Quintum, Sextum, Septimũ, Octauum, & Nonum, diligentissimè ab eodem Mariano Victorio collectus, qui certè pluribus in locis, loco Commentarij esse potest. Neque enim solùm amandat Lectorem ad Commentaria Hieronymi, sed sententias ipsas hinc inde collectas aut explanat, aut vberius tractat; vt operę pretium sit & Hieronymum per Hieronymum intelligere, & indefessam Victorij diligentiam, atque doctrinam suspicere, atque imitari.

Denique Sacræ scripturæ loca, Quarto, Quinto, & Sexto Tomis, à Diuo Hieronymo passim relata, atque explicata, ordine librorum Diuinę scripturæ ponuntur.

Adiunctus est Index ad finē in Septimum, Octauum, & Nonum Tomos Operum Hieronymo ascriptorum, ac etiam in eam Sexti Tomi partem, quæ eidem tribuitur.

Hæc autem omnia Romæ excūsa sunt primò à Paulo Manutio, hoc est Primus, Secundus, & Tertius Tomus, ann. 1565. Deinde Quartus, Quintus, Sextus, Septimus, Octauus, & Nonus in Aedibus Populi Romani, ann. 1571. & 1572. Parisijs item ann. 1580. Sed & ann. 1565. Hieronymi Epistolæ ad collationem Veterum Exemplarium multis in locis restitutæ, & in Tres Libros redactæ à Petro Canisio prodierant Dilingæ in Germania, & Parisijs ann. 1583. Louanij autem ann. 1573. Antuerpiæ verò ann. 1578.

Iam quæ Sixtus Senensis, siue alij ante hos Victorij labores, de Operibus Hieronymo

falsò

falsò adſcriptis collegerunt, vtiliter quidem legi poſſunt; præſertim in quarto libro Bibliothecæ Sanctæ Siſti, vbi eadem Opera expendit. Verumtamen qui hæc quæ diximus eliciet ex Victorio (ne tanti viri nomen debito honore fraudaremus) facilè & ſolidè habebit, quod de iiſdem Hieronymi Operibus exiſtimari poſſit.

Ceterum ſciant Lectores, Vitas Patrum, quæ falsò erant aſcriptæ Hieronymo, fuiſſe olim à Celſo Hugone I. C. cum m. s. Codicibus collatas, atque Lugduni in Gallia editas apud Iacobum Huguetum, ann. 1515. Euagrij autem, & diuerſorum eas eſſe proprios fœtus plerique iudicant. Prima pars eſt ab initio Prologi, *Benedictus Deus, qui vult omnes,* vſque ad caput, *De periculis itineris ad Eremos*. Quod præcedit S. Pauli Vitam. Huius autem Primæ Partis cum Auctorem eſſe Euagrium Ponticum Hyperboritam multi (vt diximus) putent, alij tamen D. Petronium Bononienſem, fuiſſe earum Scriptorem exiſtimant, vt conſtat ex Gennadio. Secunda Pars varias continet Patrum De virtute Sententias. Ipſius verò, ſicut & Quartæ Partis ignotus eſt Auctor. Tertia pars à primo Capite vſque ad 14. contexitur ex Dialogo Seueri Sulpitij De virtutibus Monachorum. Ab eo capite ad 40. ex libris Inſtitutionum Caſſiani deſumpta ſunt omnia, ſicut ex Collationibus quę ſequuntur vſque ad finem.

Obſeruata quædam poſt Marianum Victorium in Operibus Hieronymi. *Cap. VI.*

De Chronico autem Euſebij, ac Hieronymi etſi plura in Tom. 3. Annalium Baronius Cardinalis obſeruauit, legenda ſunt tamen, quæ poſtea Arnoldus Pontacus Epiſcopus Vaſatenſis diligentiſſimè tradidit in Chronicis tum eorum, tum Proſperi Aquitanici, in quibus plus duobus millibus erratis emẽdauit, ex collatione pluriũ codicum antiquorum. Qui liber Burdigalæ in Aquitania cudebatur.

Atqui (quod tamen Marianus Victorius animaduerterat) Bellarminus quoque & Baronius Cardd. quin & Suffridus Petrus obſeruarunt, cum Hieronymum in Acacio in Catalogo librorum Eccleſiaſticorum, vbi in codicibus nonnullis extat verbum hoc *Arianum* ad verbum *Felicis Papa* non haberi in antiquis codicibus manuſcriptis. Quod neque in Græca Sophronij tranſlatione inuenitur. Ac quod maximi faciendum eſt, & quod Ericulphus lib. 4. cap. 8. & Ado Viennenſis in Chronico recitãtes ad verbum totum hunc Hieronymi locum, non habent vocem hanc, *Arianum* & cum Hieronymus in Chronico, atque in Catalogo Scriptorum, vbi agit de Fortunatiano, dicat Liberium Papam ad ſubſcriptionem hæreſeos tandem inflexum fuiſſe, reſpondet Bellarminus, Liberium etſi non expreſsè, tamen interpretatiuè in hæreſim conſenſiſſe. Nam Athanaſium damnari permiſit, quem nouerat cauſa fidei perſecutionem pati, & cum Valente, atque Vrſacio communicauit, quos non ignorabat hæreticos eſſe, quamuis aliud diſſimularent. Hoc igitur eſſe quod Hieronymus ſignificare voluerit.

Bellar. To. 1. Controu. 3 li bro 4 c. 9 de Romanis Pō tificibus.

Bellarm. ibid. vbi ſupra.

Hieronymi autem ſententiam de Zacharia Barachiæ filio, quem nõ fuiſſe Patrem Ioannis Baptiſtæ aſſeruit, cum pleriq́ue, atque adeo Abulenſis non tam ſequãtur, quam tueantur, Cæſar tamen Baronius Cardinalis Annal. ſuorum Primo Tomo, fuiſſe Patrem S. Ioannis Baptiſtę ex antiquis, & quidem multis priſcis Patribus, aſtruit. At poſtea Franciſcus à Meſſana, in Opere, quod inſcripſit Explicationem difficilium locorũ in Operibus D. Hieronymi, cũ Abulenſe ſenſit, & in dictione Zacharias, quæ extat in fine eius Operis D. Hieronymi ſententiam conatur tueri, ſed id breuius forſan, quàm obiectę à Baronio rationes poſtulare videbantur: cuius tamen haud mentionem facit. Ioannes quidem Maldonatus, in Commentario ſuo in Matthæi cap. 23. accedit ad ſententiam D. Hieronymi recitatis Patrum varijs ſententijs: quamuis paullo antea faſſus ſit, ſi ea traditio, quæ habebatur de Zacharia Patre Ioannis Baptiſtæ potuiſſet probari ex bonis libris, eam valde congruenter explicare de Zacharia alio Dominum, & Matthęum non intellexiſſe, quàm de Patre S. Ioannis Baptiſtæ. At Baronius ait præter alia; *certè ſi fides præſtanda eſt Hippolyto Martyri auctori grauiſſimo, eius teſtimonio exploratum habetur, Zachariam Ioannis parentem filium fuiſſe Barachia*

rarchia Sacerdotis. Quamobrem istos egregios Scriptores, conferant simul Viri cordati, quos ad lucem veritatis indagandam contulisse non pœnitebit.

Præterea Hieronymus cum ab hęretico vrgeretur, quòd historiæ veritatem auferret, & terram promissionis allegoricè tantum interpretaretur, respondet Epist. ad Dardanum his verbis, *Neque hoc dico in suggillationem terræ Iudææ, vt hæreticus Sycophanta mentitur, aut quo auferam historiæ veritatem, quæ fundamentum est intelligentiæ spiritualis, sed vt decutiam supercilium Iudæorum, qui Synagogæ angustias latitudini Ecclesiæ præferunt. Si enim Occidentem tantum sequuntur literam, & non spiritum viuificantem, ostendant terram repromissionis lacte, & melle manantem.* Vide Annot. 129. Sixti Senensis lib. 5. Bibl. Sanctæ.

Hieronymus autem solet varijs modis vertere Diuinæ scripturæ verba, quando hæc id requirunt. Ipse autem hoc testatur libro primo Apologiæ contra Ruffinū, vbi dicit Ps. 2. se vertisse, *Adorate purè*; & tamen in Commentarijs exposuisse, *Adorate filium*. Quoniam vox Hebræa antiqua est.

Quin & ipse interdum mutauit sententiam, & loca sua correxit, vt libro de optimo genere interpretandi, & pręfat. 19. in Pentateuchum dicit, Isaiæ 11. cap. non debere legi, *Flos de radice eius ascendet*, sed, *Nazaræus de radice eius ascendet*: & LXX hoc nomen Nazaræi malè prætermisisse, & hunc locum citari à Matthęo cap. 2. vbi dicit, *Vt impleretur, quod dictum est per Prophetam, quoniam Nazaræus vocabitur*. At ipse idem postea vertit, sicut verterant septuaginta, nimirum, *Et flos de radice eius ascendet*. & in Commentario, cap. 11. Isaię reddit rationem huius rei, quoniam verbum Hebręum ibi positū scribitur per Tsade, cum Nazaræus dicatur à verbo per Zain. Quocirca Comment. cap. 2. Matth. dicit illud: *Quoniam Nazaræus vocabitur*, non esse desumptū ex aliquo vno Propheta, sed ex eo, quod omnes Prophetæ Dominum Sanctum futurum esse prędixerunt. Pari ratione, lib. 5. Comment. in Isaiam fatetur, c. 9. malè se vertisse, *Erit terra Iuda Aegypto in festiuitatem*, cum potius verti debuerit *in pauorem*, & hoc posteriore modo nos iā habemus in vulgata editione.

Etsi verò Hieronymus interdum sensit quędam mutanda esse in sua versione, & ea notauit in suis Commentarijs, tamen Ecclesia postea magis iudicauit veram primam versionem, & illam retinere maluit in editione vulgata: Nam lib. 5. Comment. In Isaiam, vbi B. Hieronymus dicit se vertisse, *festiuitatem* pro *pauore*, ibidem dicit, se malè vertisse, *refrenantem* pro *lasciuientem*; & tamen videmus in nostra editione vulgata priorem correctionē Hieronymi admissam, posteriorem verò non admissam. Quod certè non videtur casu factum, sed iudicio potius Ecclesiæ. Et hoc modo ad multa responderi potest. Bellarm. Card. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 9. Tom. 1.

Hieronymus item interdum videtur reprehendere versionem nostram vulgatam, cum tamen eam non reprehendat, sed solum explicet, quę sit vis Hebrææ vocis; vt cum in Quęstionibus Hebraicis dicit cap. 1. Geneseos, pro eo, quod nos habemus, *Spiritus Domini ferebatur super aquas* in Hebręo esse, *incubabat* seu *fouebat*, more auis. Bellarm. Card. lib. 2. De Verbo Dei, c. 9. ad finem, Tom. 1.

Hieronymus non conuertit Nouum Testamentum, sed veterem eius versionem tātum nonnullis locis emendauit. Id quod etiam in illud cap. 16. Lucę Euangelistę, *Homo quidam erat Diues, qui habebat Villicum* cernitur, vbi Hieronymus, Villicum, Oeconomum & Villiconem maluit declarare, quam mutare Interpretis versionem.

Hieronymo autem obijci videtur ab Augustino Chisamēsi Episcopo in Annot. in Pentateuchum, quòd ita verterit Num. 17. vt plures, quàm 12. virgas fuisse innuerit; Itē quòd Num. 24. ijs verbis, *Vir cuius obturatus est oculus*, cum ipse posuerit contrarium, *Vir cuius est apertus oculus*.

Putat autem Sixtus Senensis deesse in nostris codicibus negationem, dicendumque fuisse, *Dixit homo, cuius non est obturatus oculus*.

Hieronymus denique sępè ex aliorum sententia loquitur, vt non idipsum, quod dicit cum sensisse credendum est; sic sępè fecit in Commentarijs Epistolę ad Hebręos, & in alijs locis, vt notat Bellarm. Cardin. c. 11. lib. de Gratia primi hominis, Tom. 3. controuersia 1.

Porro à Cornelio Steinuuichio Canonico Coloniensi, edita est Confessio Hieronymiana,

na, quibus adiecit præfationes singulis Tomis præmissas: censuram item de Operibus, & singulis Hieronymi libris: Elogia 26. diuersorum Theologorum de Hieronymo: testimonia quorundam Doctorum virorum, siue ex antiquo, vt uocant, Lectionario: eiusdem Antidota contra XXXII. Calumnias Centuriatorum Magdeburgensium, & Caluini: antidota contra errores Kemnicij in Examine Cōcilij Tridentini: excerpta plusquam quingenta loca ex Gratiano. D. Thoma, Petro Lombardo, Scholæ auctoribus, quæ ab ijs citata fuere, & explicata: Disputatio an Hieronymus parœciæ Bethlehemiticę Rector, seu presbyter Hierosolymitanus, vt Gręci Patres eum vocant, fuerit Romanæ Ecclesię Presbyter Cardinalis, & Scholia varia contra hæreticorum corruptelas, obscurioribus locis passim inserta. Vt verò conatus hic Cornelij est valde commendandus, sic tamē auctoritates aliquæ, quas citat, à viris studiosis rectius intelligentur, si ipsi loci in Auctore tamquam in fonte accuratè perlegantur.

HIERONYMVS Teutonicus, Ord. Prǫd. Tractatum Summę Theologię D. Tho. Aquinatis iuxta prǫcipuas illius cōclusiones in Cōpendium redegit, atque edidit Venetijs 1585.

HIERONYMVS Torrensis Hispanus, & Societatis nostrę Theologus, cum Confessionem Augustinianam, quam ex omnib. D. Augustini Operibus accuratissimè per seriem Theologicarum materiarum contexuit, sępè editam vidisset, ad multam deinceps senectutem veniens, & eandem summo studio recognoscens statuit in futura eiusdem Confessionis Augustinianę editione, quam se moliri, mihi scripsit, vt testimonia, quę affert ex legitimis Augustini Operibus sumerentur. Posita enim antea fuisse quędam testimonia ex Operibus Augustino haud verè ascriptis fatetur: Nimirum sumpserat ex libro de fide ad Petrum, quem S. Fulgentij esse compertum est, tametsi hactenus nomine Augustini inscriptus sit. Sic item ex libris alijs, dubijs, quę tamen fuerint orthodoxa, & Augustini doctrinę consentanea; Quin nonnunquàm testimonia sumpserat è libro de Dogmatibus Ecclesiasticis, qui Gennadio Massiliensi tribuitur. Veruntamen constat multa esse in eo libro, vel ex Augustini Operibus, vel ex Celestini Papæ Decretis sumpta, quę testimonio antiquitatis à falsis, vel dubijs discernuntur.

HIERONYMVS Triuisanus, è nobili familia, Venetus, Ord. Prǫd. ac re ipsa facundus Concionator, qui deinceps fuit Episcopus Veronę, scripsit Commentarium in D. Pauli Epist. ad Hebrǫos. Obijt ann. 1562. sepultus in sacristia Conuentus, vt vocant, S. Dominici apud suos, Venetijs.

HIERONYMVS Valenius edidit Notas ad D. Ignatij Grǫcas Epistolas.

HIERONYMVS Vida Cremonēsis, Canonicus Congreg. Lateranensis, Episc. Albensis in Subalpinis Montisferrati, Poeta celebris nostrę ętatis, Gesta Saluatoris nostri è quattuor Euangelijs, carmine cecinit, atque Christeidem inscripsit. De qua ipse satis modestè.

Ipse ego tentatum multis opus ante Camænis
Vertice ab Aonio dux Iordanis ad Vndas,
Perq́, Palæstinos saltus super ardua sisto
Montis Idumai.

Adiecit alia Poemata sat nota. Senior autem, ac iam Episcopus, edidit soluta oratione Dialogos De Republica.

HIERONYMVS Vielmius, Venetus, Ord. Prędicatorum, Episcopus Aemoniæ, antea Argolicensis, scripsit De sex diebus conditi orbis. Adiecti autem sunt eiusdem auctoris de D. Thomæ doctrina, & scriptis libri duo. Item Orationes duę altera Apologetica aduersus obtrectatores Theologię, altera de optimo Episcopi munere, apud Iuntas Venetijs ann. 1575. quo & viuebat.

HIERONYMVS Zannettinus Bononiensis, De differentijs inter Ius Ciuile, & Canonicum extat inter Tractatus To. 1. fol. 141. De foro conscientię, & contentioso. To. 3. p. 1. fol. 405. fuit etiam separatim editus ann. 1523.

HIERONYMVS Zieglerus Rotenburgius, scripsit de Illustribus viris Germanię.

HIEROSOLYMAE Scriptores ijdem sunt qui de Palęstina, & Syria scripserunt. Nos de ijs tum in secundo libro Selectę nostrę Bibliothecæ, tum in Apparatu nostro ad Historias

rias tàm Latino, quàm Italico scripsimus. Vide item in verbo, Iosephus Iudæus, & in verbis. Hegesippus, Gulielmus Tyrius, Paulus Aemilius Veronensis, de Regibus Galliæ, Torquatus Taxus, Stanislaus Socolouius Polonus. Atqui Hierosolymitanum Chronicon, hoc est de bello sacro libri duodecim ann. 1584. prodierunt ex Officina Iacobi Lucij Helmunstadij in Germania, in quo Arnoldus Vuion, cui delata fuerat cura eos repurgandi, nil cauendum obseruauit. At in historia Orientali Haitoni Armeni Epistola dedicatoria fuit auferenda. In Appendice autem Reineri Renetij ad Haitonum, errores aliqui, vbi de familia Turcica agit, inspersi sunt, prӕterquam quòd is ipse Reinerus inter primos Classis Scriptores hӕreticos prohibitus est. Epistola item Martini Crusij (qui & ipse prohibitus est in eodem Indice Romano) delenda est.

HIEROSOLYMITANA Synodus prima, in qua Apostoli conuenere, extat in Actis Apostolorum, & celebrata est ann. 18. post passionē Domini, vt colligitur ex Paulo ad Galat. 1. & 2. qui erat annus 13. à morte Tyberij. Altera verò à Petro Hierosolymitano Episcopo aduersus Seuerum, Anthimum, & alios hæreticos, anno Domini 536. Actiones autem omnes huius Synodi continentur in illis, quӕ de eadem causa sunt habitӕ à Menna Episcopo, siue Patriarcha Constantinopolitano.

HIEROSOLYMITANI Senatus Epistolӕ duӕ extant: altera ad Iudӕos dispersos, altera ad Aristobulum Ptolomӕi Regis Aegypti Prӕfectum. Sixt. Senensis.

HIEROSOLYMITANVM Excidium. Vide paullo supra in verbo, Hierosolymæ Scriptores.

HIEROSOLYMITANORVM, siue Rhodiorum (nunc quidem Melitensium) Equitum historiam scripsere Melchior Bandinus eius Ordinis Cancellarius. Gulielmus Cadurcensis Procancellarius, de Rhodi obsidione. Iacobus Borbonius magnus Prior Galliӕ de eadem Gallicè. Iacobus Fontanus latinè, cum eiusdem Ordinis in eadem Insula esset iudex (vt vocant) appellationum. Nicolaus Villagagno latinè de obsidione, & expugnatione Tripolis ad Carolum Quintum. Antonius Geoffredus, cognomento Vinadicra, varia ad vniuersam historiam ordinis illius collecta reliquit, cum moriens historiam texere non potuisset. Antonius item Foxanus Hispanus Hispanicè eandem vsque ad sua tēpora est persecutus; prӕter antiquiores Guilelmum Archiepiscopum Tyri, Paulum Aemylium de Regibus Gallis, Paulum Iouium. Quos omnes Iacobus Bosius accuratissimè omnium est subsecutus. de quo vide in verbo, Iacobus Bosius. sed & ea de re Torquatus Taxus egit eleganti Poemate Etrusco, vti suo loco dictum est.

HIEROTHEVS quӕnam scripserit ostendit S. Dionysius Areopagita 2. 3. 4. Capitibus Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Et quidem cum de hac scripserit ad Timotheum Ephesinӕ Ciuitatis Episcopum scripserit, appellet autem in 2. cap. communem vtriusque Magistrum Hierotheum, fit, vt de ijsdem rebus aut scripserit, aut certè disseruerit.

HILARION Genuensis Monachus S. Nicolai de Buscheto Congregationis Cassinēsis, scripsit Commentaria, siue Animaduersiones ad quattuor Euangelia, quæ Brixiæ prodierunt ann. 1567. ac deinceps ibid. ann. 1578. De amore item erga Deum orationes 27. excusas Brixiæ ann. 1581. De cambijs librum itidem Brixiæ, sicuti, & Sermones ad Sanctimoniales Italicè. Brixiӕ ann. 1565. Obijt ann. 1585.

HILARION Monachus SS. Nazarij, & Celsi Veronӕ, Congregationis S. Iustinӕ, quӕ nunc Cassinensis vocatur, scripsit circa ann. Domini 1516. prӕter paraphrasim in Rhetoricam Hermogenis, quӕ typis excusa est Venetijs ann. 1523. De vita S. Simeonis Monachi, cuius corpus in Monasterio Sācti Benedicti, quod est in Tractu Mantuano, integrum asseruatur. Scripsit item Appendicem ad Vitas Sanctorum scriptas à Iacobo de Voragine, lib. 1. qui editus est Mediolani apud Iacobum Ripam, ann. 1494. De translatione quoque S. Georgij Maolyris, lib. 1. Extat autem hic m.s. Venetijs in Cӕnobio S. Georgij maioris, sicuti, & alter m.s. ibidem; Denique de Translatione brachij eiusdem sancti ad idem Monasterium Sancti Georgij.

HILARIVS Arelatensis Episcopus, & B. Augustini discipulus, scripsit ad eundem Epistolam aduersus Pelagianos, Vitamque S. Honorati primi cultoris Insulӕ Lerinensis,

ac deinceps Episcopi Arelatensis sui ipsius prædecessoris, quod & testatur Gennadius, & alij post eum: Extat verò funebris oratio, qua res ab eo gestas est prosecutus, quam quidem carie, situque obductam, latentem diu, haud multos ante annos in lucem edidit Parisijs vir doctissimus Genebrardus, cui bene precatur Baronius Card. quòd ex ea refelluntur fabulæ, seu potius deliria incerti Auctoris Operis tribus libris distincti de Vita Sancti Honorati, quo in primis fingitur idem S. Honoratus Nicomediæ Regis filius, & alia eiusmodi, *quæ sine nausea legi non possint* (vt idem inquit Baronius Card.) *nisi ab eo, cuius sit stomachus ferreus, & ignorantiæ vndique obductus rubigine*. Scripsit item ad Leonem Pont. Max. carmine heroico historiam à primo capite Geneseos vsque ad septimum, & Homilias, atque Epistolas ad Germanum contra hæreses, floruit sub Valentiniano, vt inquit Gennadius, ann. 440. quod & afferunt Tritemius, Sixtus Senensis, & Eisingrenius. Porrò Hilarius hic, ille est, ad quem Eremi deserta petentem Eucherius Lugdunensis librum scripsit De laude Eremi.

Gennad. Isidor. Tritem. Sixtus Sen.

To. 6. Annal. versus finem anno Domini 445.

HILARIVS Pictauorum Aquitaniæ Episcopus fuit, quem non solum Hieronymus, & Augustinus, verum etiam integra Synodus Ephesina prima, & alia deinceps Concilia mirificè coluerunt. Is (inquit Hieronymus in Catalogo) factione Saturnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Biterensi in Phrygiam relegatus, duodecim aduersus Arianos confecit libros; & alium librum de Synodis, quem ad Galliarum Episcopos scripsit; & in Psalmos Commentarios, primum videlicet, & secundum, & à 51. vsque ad 62. & à 118. vsque ad extremum, in quo Opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est eius ad Constantinum libellus, quem viuenti Constantinopoli porrexerat, & alius in Constantium, quem post mortem eius scripsit, & alius liber aduersum Valentem, & Vrsacium historiam Ariminensis, & Seleuciensis Synodi continens, & ad Præfectum Salustium, siue contra Dioscorum, & liber Hymnorum, & mysteriorum alius, & Commentarij in Matthæum, & Tractatus in Iob, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit, & alius elegans libellus contra Auxentium, & nonnullæ ad diuersos Epistolæ. Aiunt quidem scripsisse eum in Cantica Canticorum, sed à nobis hoc Opus ignoratur. Mortuus est Pictauis Valentiniano, & Valente regnantibus. Hæc Hieron.

At de Commentarijs in Iob, Cassiodorus sic ait: *Quidam etiam est anonymus ex cuius stylo esse suspicamur Hilarium, qui Commentaria libri ipsius (Iob, scilicet) scripsit inordinem*. Ignorasse visus est, (inquit Baronius) ea ex Origene deducta, in quo S. Hieronymus eiusdem S. Hilarij prudentiam laudat, quòd non tam in Iob Origenis Commentarios, sed & in Psalmos quadraginta fermè millia versuum ad sensum in Latinum verterit.

Cassiod. Inst. Diuin. lect. capit. 6.

Vide Baron. Tom 4. pag. 219. primæ editionis.

Extat verò Hilarij Epistola ad Episcopos, & plebem Arianam hæresim detestantes, & veram fidem sequentes, sat longa; post quam extat Tractatus de disputatione Catholicæ fidei Athanasij Episcopi contra Arium peruersi dogmatis, Sabellium, & Photinum, audiente Probo Iudice sub Constantino Imperatore. Quæ incipit, *Probus Iudex dixit: Amore veritatis, & fidei, inter sectatores Christianæ Religionis*. In fine autem scriptū est: *Explicit sententia Iudicis Probi inter Athanasium Episcopum Catholicum, & Arium, Sabellium, & Photinum hæreticos*. Neque verò hæc sententia cōprehensa est in illa altercatione, siue disputatione Athanasij, & Arij hęresiarchæ de Patris, & Filij identitate, quæ disputatio habita est apud Laodiceā sub iudice Probo, quæve in Operibus Athanasij postremo apud Sonnium Parisijs edita est. Hęc autē Patauij à me visa est manuscripta è Bibl. Vincentij Pinelli V.C.

Iam Commentarius contra Dioscorum perijt, non sine iactura Historię rerum Gallicarum, & aliarum. Ac quidem Hieronymus meminit huius Commentarij in Epistola ad Magnum. Sed & accesserunt ad ea, quæ Hieronymus numerat, expositiones in Psalmos 63. 65. 66. 67. & 68. qui forsan typographorum fuit error, qui in Catalogo Hieronymi pro 68. excuderint 62. Addita est Epistola ad Afram filiam cum Hymnis ad eandem, Erasmo quidem notha, sed non Fortunatiano presbytero, qui vitam Hilarij scripsit, cui in Episcopatu successit, quique argumentum eius Epistolæ totum in ea explicuit.

At cum quotquot Hilarij extiterunt Opera, alibi quidem, sed Parisijs integriore editione prodierint, ann. 1572. Sciendum est, primò intercidisse Epistolas, quas scripsit ad

diuersos. Librum item Hymnorum, ni forte aliqui sint ipsius ex ijs, quos hodieque canit Ecclesia.

Commentarius verò in Iob cum item exciderit, fuere, qui dubitauerint esse eum, qui inter Origenis reliquias repeпiebatur. Verumtamen neque Hilarianum characterem sapit, ac qui eum è Gręco in Latinum conuertit, rectius vertisse potuisse existimatur. Iam, & liber aduersus Valentem, & Vrsacium, historiam Ariminensis, & Seleuciensis Synodorum Acta continens, interijt, ni putetur admixtus libro de Synodis.

Extat etiam Hilarij Epistola ad Augustinum de reliquijs Pelagianæ hæreseos, inter ipsas August. Epistolas. Ceterum, cum Patres magna cum veneratione citent Hilarium, ut Hieronymus interdum eum vocet, *Orbis Deucalionem*, alibi *Latini Sermonis tubam*, interdum *Latinæ eloquentiæ Rhodanum*, & *sui temporis Confessorem*, quique inoffenso pede sit decurrendus, Magdeburgenses tamen Centuriatores calumniari conati sunt, decepti autem eadem nominis appellatione, huic tribuunt, quod tribuendum erat Hilario Diacono, cuius meminit Hieronymus in Commentario aduersus Luciferianos, qui quidem in plures impegit errores.

HILARIVS alter à Pictauiensi Episcopo, scripsit Epistolam D. Augustino, quæ est inter huius Epistolas octaua supra octogesimam.

HILARIVS Pontifex Max. natione Sardus, Romę Synodo quinquaginta Episcoporum habita, nonnulla constituit pro Ecclesiastica honestate. Scripsit quędam, *de quibus ego* (ait Tritemius) *tantum reperi Decretum Synodale, lib. 1.* Quoniam religiosus Spiritus sanctus. *Ad Episcopos Tarraconensis Prouinciæ Epist. 2.* Postquam litteræ vestræ. *Ad Ascanium Tarraconensem Episcopũ, Epist. 1.* Diuinæ circa nos gratiæ. *De Concilio Nicæno, Epist. 1. De Concilio Ephesino, Epist. 10. De Concilio Chalcedonensi, Epist. 2. Epistolarum ad diuersos, lib. 1.* Decreta verò ipsius vna cum reliquorum Pontt. Decretis excusa fuere Colonię. Vixit ann. 448. & amplius.

Tritemius. Petrus Cratepolius de Episcopis Germaniæ Bibl. SS. PP. To. 3.

HILDEBERTVS Gallus, vir sanctus, & S. Hugonis Abbatis discipulus, ex Cenomanensi Episcopo, Turonẽsis Archiepiscopus, circa annum Domini 1090. Epistolas scripsit, quæ primò excusæ sunt in Bibliotheca SS. Patrum Margarini, qui eis argumenta ad singularum Epistolarum capita adiecit. Scripsit item Carmen de misterio Missæ, & Sermonem in illud Isaiæ, cap. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Item in illud Luc. 12. *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Item Synodicam ad pastores. Præterea vitam Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, quæ extat Cluniaci m. s. vt testatur Arnoldus Vuion. Scripsit quoque de suo exilio, lib. 1. Epistolarum verò, Hymnorum, Orationum, & Epitaphiorum, lib. 2. Vita quoque ipsius extat in libro Pontificali Cenomanensi in Gallijs. Claruisse autem illum, tam prosa, quàm metro, & exposuisse metricè totum Missæ ordinem, ac præterea diuersas ad diuersos Epistolas verborum venustate egregias, scilicet etiã supra quàm illa ferebant tempora, sententijs vtiles, & Rhetoricis coloribus adornatas, refert Henricus de Gandauo, plures autem eius de S. Trinitate, & alijs argumentis versus exscripsit S. Antoninus Speculi Historialis Tit. 16. c. 9. & seq.

Gand. in Cat. Eisingren. Arnoldus Vuion.

Eisingr.

HILDEBERTVS Abbas Benedictinus, Archiepiscopus Moguntinus, Ostrofrancorum Dux, frater Conradi Romanorum Regis, designatus Summus Pontifex, sed citius euocatus è rebus humanis, quàm Romam migraret, scripsit Vitas aliquot Sanctorum. Viuebat ann. 928.

HILDEBRARDVS Goffredus, Frisius, à Doengieterpo, natus in Schinga, qui pagus est territorij Meinaldumani, scripsit multa, quæ partim in ædibus parẽtum, partim in Mõnasteriorum Bibliothecis manuscripta vidimus, in Epistolam Pauli Cõmentaria, In Euangelia Dominicalia, Postillam Euangelicam, Vitas aliquorum Sanctorum Frisiæ, principia artis Geometriæ. Collegit etiam Statuta Episcoporum Vltraiectinorum cum appendicibus suis, quæ postea edita sunt, suppresso loci, temporis, ac typographi nomine, quorum exemplar apud me vnicum est. Vixit auctor iste circa ann. 1500. Hæc Suffridus Petrus lib. de Frisiæ Scriptoribus.

HILDEGARDIS Diuæ Elisabethę æqualis, virgo sancta, & sanctimonialis, primò

vixit

vixit sub S. Iutta Abbatissa in Monte S. Disibodi sub regula S. Benedicti Congregationis Hirsaugiensis, quæ appellabatur *Cluniacensis reformata*. At S. Iutta demortua, diuino (vt fama est) mandato ad Montẽ S. Ruperti Confessoris in Oppidum Bingense ex altera Naij fluuij parte Moguntiæ cũ duodecim sacris Virginibus secedens, ibi Monasterium statuit, In quo nata annos 42. tanta spiritus gratia imbuta est, vt libros veteris, & noui Testamenti omnes intelligeret, cum antea præter Psalterium nihil didicisset. Eius scripta, & reuelationes, procurante S. Bernardo Abbate Clareuallensi, Eugenius Papa III. in Concilio Treuirensi cum Cardinalibus duodeviginti, atque alijs Antistitibus publica sententia cõfirmauit; Idem autem Eugenius, & qui ei successerunt Anastasius, & Adrianus Quartus, & Alexander Tertius Pontifices Maxx. scriptis eam crebris visitarunt, sese, ac Romanam Ecclesiam ipsius orationibus commendantes. Scripsit de scientia viarum Dei, & hominis, qui liber incipit, *Et factum est mane.* Nonnulla verò huius libri extant in Chronico Alberti Abbatis Stadensis à fol. 169. vsque ad 178. excusus autẽ fuit integer in libro trium virorũ & trium Virginũ Parisijs ann. 1513. De Sacramento Altaris contra Catharos, lib. 1. In Euangelia Dominicalia Homilias 58. Vitę meritorium, lib. 3. Triginta quæstionum, lib. 1. In præcipua capita Regulæ S. Benedicti, lib. 1. De vita Sancti Ruperti Ducis, lib. 1. Quæ extat in fine Odarum eius, & m. s. De vita S. Disibodi Episcopi, lib. 1. quæ est apud Surium Tom. 4. die 8. Iulij, & inter Opera eiusdem Virginis. Ad sorores suas, lib. 1. Ad Monachos Erbacenses Paregoricon, lib. 1. Carmina diuersa, lib. 1. Ad S. Bernardum, Epist. 1. Epistolarum ad diuersos 136. lib. 1. Quæ penè omnia excusa sunt Coloniæ, anno 1566. apud Geruinum Calenum.

Scripsit item ad Clerum Coloniensem de futuris periculis in Ecclesia, lib. 1. & ad Treuirenses eodem argumento. At quærentibus Sacerdotibus, cur quæ illa comminabatur essent passuri, respondit *Spiritus Sanctus non confundit.* Quæ tamen prædixerat, omnia euenerunt ann. 1585. Testatur autem Tritemius se vidisse Epistolas Conradi III. & Friderici I. Impp. Episcoporum electorum Bremensis, & Hierosolymitani, & compluriũ aliorum, qui ex diuersis Mundi regionibus fama sanctitatis, & reuelationum eius adducti se per litteras orationibus illius commendabant, quin, & variarum quæstionum solutiones ex ea perquirebant. Obijt ann. 1180. ætatis suæ 82. die 15. Kalen. Octobris in Sanctorum numerum relata. Vide Theodoricum Abbatem in eius vita apud Surium Tom. 5. Tritem. de Viris ill. Ordinis S. Benedicti, lib. 2. c. 119. & lib. 3. c. 334. & alios. At Argentorati anno 1544. apud Ioannem Scotum sub nomine S. Hildegardis de Pinguia euulgati sunt libri 4. Physicorum, de Elementorum, fluminum aliquot Germaniæ, metallorum, leguminum, fructicum, herbarum, arborum, arbustorum, piscium, volatilium, & animantium terræ naturis, & operationibus.

Hildephonsus Mendoza Hispanus, Ordinis Diui Augustini professor Theologiæ in Academia Salmanticensi Quæstiones Quodlibetales perdoctas edidit Salmanticæ, ann. 1590.

Hildephonsus Toletanus Episcopus, & ipse post S. Eugenium, Sanctus, scripsit (vti etiam habet Tritemius) De Sancta Trinitate, lib. 1. De cognitione Baptismi, lib. 1. De imbecillitate propria, lib. 1. De progressu spiritualis deserti, lib. 1. De Virginitate Sanctæ Mariæ, lib. 1. quę incipit, *Domina mea, dominatrix mea.* Hymnorum diuersi generis, lib. 1. Sermones varios, lib. 1. Annotationum actionis Diuinę, lib. 1. Epigrammata multa, lib. 1. Annotationum in sacris, lib. 1. De Missa quoque, lib. 1. Annotationum in Sacramentis, lib. 1. Epistolarum ad diuersos, lib. 1. Veruntamen librum de Virginitate Beatiss. Virginis Marię m. s. Codicis collatione auxit, & emendauit Franciscus Feuardentius Ordinis Minorum, eumque Parisijs edidit apud Sebastianum Niuellium ann. 1576. Sed & addidit, tunc primum, Sermones duodecim de Beata Virgine, & librum alium de perpetua Virginitate Beatę Virginis, & eius parturitione. Quę quidem omnia in Codice nostri Burdigalensis Collegij in Aquitania extant, in quo codice Sermo de Parturitione, qui minus breuis est, pars est Sermonis de Assumptione. Quare connectitur cum illis verbis, *Quia longè ab eius laudibus impares sumus, cuius hodie natalitia celebramus.*

HILDERICVS Monachus Cassinensis, & Pauli Diaconi discipulus, scripsit carmine vitam Magistri sui Pauli.

HILDVINVS Abbas S. Dionysij Parisiensis, scripsit ad Ludouicum Imperatorem soluta Oratione, ac metro vitam ipsius D. Dionysij Areopagitæ. Extat liber excusus. Is verò Hilduinus est, ad quem Rabanus Abbas Fuldensis in 4. libros Regum misit Commentaria. Sigebert. in Catal. Viuebat autem ann. 840.

HILDVINVS, siue *Hilduinus* Tasso, Flander, Monachus Ord. D. Benedicti in Lobiensi Cœnobio iuxta Bingium, ac deinceps Archiepiscopus Mediolanensis quinquagesimus secundus ex Veronense Episcopo, ann. 935. præfuit eidem Ecclesiæ, sexennium: Hugonem Italiæ Regem in Basilica Ambrosiana Mediolani coronauit. Obijt Mediolani anno 941. ipsis Kal. Augusti. Scripsit de Gestis Abbatum Lobiensium librum. Sermonum lib. 2. Sic quidem Arnoldus Vuion quem aliquoties citamus, licet Tritemius hunc Hilduinum asserat ex Abbate Lobiensi factum Episcopum Laudociensem, simili fortassis nomine falsus.

HILLINVS Monachus Corbeiæ in Gallia, Congregationis Floriacensis, scripsit Carmine, ac Soluta oratione martyrium S. Foillani Episcopi, & martyris, lib. 2. qui asseruantur m.s. in Cœnobio S. Foillani extra Rutenas in Tractu Tolosano.

Tritem. Sixtus. Bellefore-stius. Arnoldus Vuion.

HINCMARVS, qui aliquibus *Haymardus*, è Monacho D. Dionysij, quod est in Gallia propè Parisios, ad Rhemensem Archiepiscopatum euectus. Obijt ann. 882. cuius vitam scripsit Frodoardus libro tertio Rhemẽsium Episcoporum, à quo ob Canonum peritiam, & Theologiæ scientiam valde cõmendatur. Quem quidem etiam Nicolaus I. Papa. Diuinitus valde doctum fuisse testatur in cap. Excellentissimus. At varia, quæ gessit, cum vel ageret cum Apostolica Sede, vel cum Hincmaro Episcopo Laudunensi altercaretur, vel alijs negocijs se immisceret, fecerunt, vt non modo dubiam, verum etiam constantem de se relinqueret opinionem, eum in plerisque haud rectè incessisse. Scripsit autem doctè contra Gothescalcum Prædestinatianum hæreticum; ac plures Epistolas, quas è codice membranaceo Bibliothecæ cathedralis Spirensis descriptas nouissimè iam primũ edi cum coniecturis, & breuibus suis Notis noster Ioannes Busæus Nouiomagus, vna cum quibusdam alijs eiusdem æui Scriptoribus curauit. Porrò item scripsit, Librum ad Vuelonem Episcopum Metensem, & S. Remigij Archiepiscopi Rhemensis Vitam, quę apud Surium extat in primo Tomo, & Encomium eiusdem, quod est apud Mosandrum: atque in Tomo septimo Surij ad diem primam Octobris.

At habentur ad eum in Tomo tertio Epistolarum Decretalium Epistolæ quinque, videlicet 28. 29. 37. 41. & 47. Nicolai primi huius nominis Pontificis Maximi, quas prælegisse expediet ei, qui de Hincmari huius moribus certius iudicium ferre velit. Cum deinceps Baronius Card. Tomo decimo, sub annum nonagesimum secundum præter alia, quæ de Hincmaro commemorauerat, huius Epistolam de Pontificum Decretis, quã ad Hincmarum Laudunensem Episcopum nepotem suum sic expendat, vt in quibus lapsus sit, eadem opera indicet.

HIPPOLYTVS Caracciolus, Canonicus Regularis Lateranensis, scripsit & habuit varias Conciones quas edidit Venetijs ann. 1599. apud Iacobum Antonium Somascum.

De Vocatione Gentium.	De contemptu Mundi.
De Indulgentijs.	De Diuino amore.
De cognitione Dei.	In illud: *Ecce ascendimus Ierosolymam.*
De victorijs Verbi Diuini.	De mirabilibus Christi resurgentis.
De Christiana seruitute.	De Prædestinatione.
De Morte.	De Passione.
De Pœnitentia.	De duello Christi contra Diabolum.
De prouidentia Diuina.	

HIPPOLYTVS Chizzola, Brixiensis, Canonicus Regularis Lateran. scripsit Italicè responsionem ad Paulum Vergerium hæreticum: & Discursus (vt ipsemet vocauit) sacros. Qui editi sunt Venetijs apud Andream Arriuabenum, ann. 1560. Quo & Auctor viuebat.

HIP-

HIPPOLYTVS Florentinus, Ord. Minorum collegit miracula B. Aemylianæ de Circulis, quæ item adtexuit ad calcem ipsius vitæ ab Antonio Cortonēsi eiusdem Ordinis conscriptæ. Viuebat ann. 1248. Michael Pocciantius.

HIPPOLYTVS Marsilius Bononiensis præter singularia vetera, & noua, atque alia, quæ scripsit spectantia ad Practicam caussarum criminalium, & ad Consilia tum criminalia, tum alia edidit Quæstiones De maleficijs, quorum cognitio præcipuè pertinet ad Ecclesiasticos.

HIPPOLYTVS Martyr (inquit Hieronymus) cuiusdam Ecclesiæ Episcopus (nomen quippe Vrbis scire non potui) rationem Paschæ, temporumque Canones scripsit, vsque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & nouemdecim annorum circulum, quem Græci ἐννεα καὶ δεκαετηρίδα vocant, reperit: & Eusebio, qui super eodem Pascha Canonem decem & nouem annorum, idest, ἐννεα καὶ δεκαετηρίδα composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas Commentarios, è quibus hos reperi: in ἑξαήμερον, & in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Genesim, & in Zachariam, De Psalmis, & in Esaiam. De Daniele. De Apocalypsi. De Prouerbijs. De Ecclesiaste. De Saul. De Phytonissa. De Antichristo. De Resurrectione contra Marcionem. De Pascha aduersum omnes hæreses. Et προσόμιλιων de laude Domini Saluatoris, in qua, præsente Origene, se loqui in Ecclesia significat. In huius æmulationem, Ambrosius, quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem in Scripturas Commentarios scribere, præbens ei septem, & eo amplius notarios, eorumque expensas, & librariorum parem numerum; quodque his maius est, incredibili studio quotidie ab eo Opus exigens, & vnde in quadam ἐργοδιώκτην eum Origenes vocat. Et quidem hæc Hieronymus. At, quando eiusdem Hippolyti extat Oratio De consummatione Mundi, ac de Antichristo, & de secundo Aduentu Domini nostri Iesu Christi, (quæ cum esset antea Latinè cōuersa à Ioanne Pico, Parisiensis Senatus Præside, ea in Ciuitate primò edita est: Ac denique anno 1576. inserta Bibliothecæ SS. Patrum à Margarino Bignæo.) Sciendum est, ex eadem Oratione haud assequi nos posse tempus ipsum, quo Dominus iudicaturus est mundum; cum res hæc soli Patri cognita sit, vt Christus Dominus asseruit: Nec verò Hippolyti sententiæ acquiescendum, qua Io. Euangelistam facit adhuc superstitem, atque cum Enocho, & Elia venturum ad verbum Dei prædicandum. Minus item alteri sententiæ ipsius, qua putauit Antichristum nō futurum verum hominē, sed corpus phantasticum solum ostentaturū contra quam D. Paulus illum vocat *hominem peccati, filiumq; perditionis*. In Catal. Scriptor. Eccles. Ann. 220. In Genesim citatur ab Hieronymo q. 8. ad Damasum

Reperti sunt autem superioribus annis Basileæ, Commentarij quidam in Apocalypsim Hippolyto ascripti, de quibus ob eruditionis, & styli copiam, (vt inquit Sixtus Senensis) ambigitur.

Porrò quid de Commentario in Danielem senserit Photius, vide in eius Græca Bibliotheca in verbo, *Hippolytus Episcopus, & martyr*. pag. 270. Augustanæ editionis. Sanè verò idem Photius, pag. 162. Hippolyti Irenæi discipuli meminerat, qui Grecè scripserit contra 32. hæreses à Dositheo vsque ad Noetianos, qui idem esse videtur cum superiore.

Obseruauit autem alia Margarinus Bignæus planius quàm Sixtus Senensis de eius Episcopatu (siue is fuerit alterius Hippolyti) ac de eius Oratione, cum in Bibliotheca SS. PP. hæc ita scripsit.

At D. Hieronymus, cum inquiat se scire non potuisse cuiusnam Vrbis Hippolytus Martyr Episcopus fuerit, sciendum est à Gelasio Pont. I. in lib. contra Eutychen, Arabum Metropolis Episcopum eundem Hippolytum nominari. Germanus item Constantinopolitanus, Hippolytum de Roma; Zonaras Annalium 2. Tomo Martyrem, & Episcopum Romani Portus, quem Centuriastæ oscitanter Ostiam esse scripserunt. Et quidem Portuensem Episcopum fuisse, qui Cyclum Paschalem descripsit, indicat statua illius marmorea, cuius meminit Marianus Victorius in Scholio primo, ad illius Vitam in D. Hieronymi scriptorum Catalogo. Alioquì citat Germanus Constantinop. in rerum Ecclesiasticarum contemplatione (qui liber extat Tom. 5. SS. PP. ex huius libro de Antichristo) illum anno mundi 6500. venturum: quod re uera non habetur in hac S. Hippolyti Oratione. Cum Hippolytus Portuēsis Episcopus.

enim de aduentus illius tempore loquitur, constanter ait futurum postremis temporibus; de hora autem, vel die, nihil pręterea. His si addas non ita esse verisimile Italum Episcopum vel Græcè scripsisse, vel fuisse tanta necessitudine cum Origene coniunctum, per me liceat, duo sint Hippolyti; Latinus ille prior Portuensis; Græcus verò alter, auctor Orationis de consummatione mundi, ac de Antichristo. Hæc Bignæus.

Sed & cum deinceps Card. Baronius, qua solet diligentia, & acri iudicio de hoc Hippolyto egisset, ex eodem autem Baronio Henricus Canisius multam lucem hauriret, hæc ferè scribit. *Hippolytus, qui viuebat aun. Dom. 229. fuit Metropolytanus Arabia, Qui Romã sub Callisto Pontifice veniens, honoratus ab illo Episcopatu Portuensi, scripsit, quemadmodum testatur Eusebius, Commentarios in Hexaemeron. Librum contra Marcionem. Explanationem in Canticum Canticorum. Expositionem in aliquot partes Ezechielis. Librum de Paschate. Librum contra omnes hæreses. Commentarios in Isaiam, vt refert S. Hieronymus. In Danielem. In Zachariam. In Psalmos. In Ecclesiasten. De Saul, & Pythonissa. De Antichristo. De Resurrectione, & περὶ ὁμιλιῶν. De laude Domini Saluatoris. Epistolam ad Reginam quandam (teste Theodoreto) Orationem de duobus latronibus. Item in Helcanam, & Annam, & in principium Isaia. Librum De distributione talentorum. Item aduersus Valentinianos, & pleraque alia. post qua martyrium passus est sub Alexandro Imperatore.*

Porrò cum multæ Hippolyti huius lucubrationes vel ipso tempore Eusebij extarēt, valde probabile fit, inter illas etiam fuisse, quas ad eundem Henricum Canisium misimus, De Theologia, & Incarnatione contra Beronem, & Hilicen, quasque ille à Francisco Turriano nostro Latinè è Gręco redditas inseruit Tomo quinto antiquæ lectionis. Qui quidem prudenter Lectorem monet, errorem illum de Humanitate Christi in Diuinitatem mutata, (contra quem disputat Hippolytus) non cum Apollinari, & Eutyche demum natam, & in orbem introductam, sed longe antiquiorem esse, cum illius Iustinus martyr meminerit in expositione fidei.

Atqui quę nũquam aut Gręcè, aut Latinè edita fuit eiusdem Hippolyti martyris demonstratio cõtra Iudęos, eam Latinè redditam à Francisco Turriano nostro hic primũ damus.

Hippolyti martyris Demonstratio contra Iudaos.

Inclina aurem tuam Iudęe, & audi verba mea, & attende. Sępe gloriaris tu, quòd Iesum Nazarenum mortis condemnasti; & quòd acetum, & fel ei ad bibendum porrexisti; & hoc gloriosum putas. accede igitur, & consideremus communiter, vtrum ne iniustè gloriaris ò Israel, & illud parum aceti, & fellis has horribiles minas tibi intulit; vtrum ne propter illud in istis infinitis calamitatibus es. procedat igitur in medium, qui per Spiritum Sanctum loquitur, & verax est, Dauid filius Iesse. Hic, cum quædam prophetice de vero Christo caneret, & Deum nostrum per Spiritum Sanctum canendo celebraret, omnia, quæ à Iudæis in passione eius facta sunt, clarè denunciauit, vbi Christus qui se humiliauit, & formam serui Adam induit, tamquam ex persona nostra, inuocat Deum Patrem, qui in cęlis est, & ait Psal. 68. *Quoniam intrauerunt aqua vsque ad animam meam: infixus sum in limo profundi*, idest, in corruptionem inferni propter obedientiam in paradiso abiectam; *& non est substantia*, idest, auxilium. *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deo meo, quando veniet, & saluum me faciet*, & quæ sequuntur. postea dicit tamquam ex persona sua Christus, *qua non rapui, tunc soluebam*, idest, qui non peccaui, pro peccato Adæ sustinui mortem. *Quoniam tu Deus scis insipientiam meam; & delicta mea à te non sunt abscondita*, idest, non enim, inquit, deliqui, quamobrem *non erubescant, qui expectant videre* meam post triduum resurrectionem, idest Apostoli; *quoniam propter te*, vt tibi obedirem, *sustinui opprobrium*. idest, crucem, quando Iudęi *operuerunt confusione faciem meam; quando alienus factus sum fratribus meis secundum carnem, & peregrinus filijs matris mea*, idest, Synagogæ: *Quoniam Zelus domus tua comedit me, & improperia improperantium tibi*, & sacrificantium idolis *ceciderunt super me, quamobrem contra me loquebantur, qui sedebant in portis*; extra portam enim crucifixerunt eum; *& in me psallebant, qui bibebant vinum*, idest, in festo Paschæ. Ego vero *Oratione mea ad te Domine* dicebam, *pater remitte ipsis gentibus*, quoniam tempus beneplaciti gentium: *ne igitur demergat me tempestas* tētationum,

nec

nec absorbeat me profundum, ideſt, infernus. *non enim relinques animam meam in inferno, nec vrgeat ſuper me puteus os ſuum*, ideſt, ſepulchrum.* propter inimicos meos eripe me, ne glorientur Iudæi dicentes abſorbeamus eum. Hæc omnia Chriſtus œconomicè tanquam homo precabatur, qui erat verus Deus. Sed vt antea dixi, *forma ſerui erat*, quæ hęc loquebatur, & patiebatur. Quamobrem ſubiunxit, *improperium expectauit anima mea, & miſeriam*, ideſt, non inuitus paſſus ſum, neque per vim: *expectaui* tamen, *qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*. Domino enim derelicto, omnes Diſcipuli fugerunt, & *expectaui qui conſolaretur, & non inueni*. audi, & aduerte Iudæe, quid dicat Chriſtus, *dederunt in cibum meum fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto*. & hęc paſſus eſt à vobis. Audi Spiritũ Sanctum dicentem, quid retribuet vobis pro illo modico aceto: ait enim propheta tamquam ex per ſona Dei, *fiat menſa eorum in laqueum, & in retributionem*, quam retributionem dicit? manifeſtum eſt, eam miſeriam dicere, in qua nunc ſunt Iudæi. Audi deinde, quæ ſequuntur, *obſcurentur oculi eorum, ne videant*. atqui obſcurati ſunt vobis oculi animæ obſcuratione tenebroſa, & æterna; ſi quidem orto verò lumine, vos tanquam in nocte erratis, in inuia vos impingentes, ac præcipitantes, quia viam illam reliquiſtis, quæ aiebat, *Ego ſum via*. Pręterea, audi quod grauius,* & periculoſius eſt, ait enim, *dorſa eorum ſemper incurua*, ideſt, vt ſeruiant gentibus non quadringentis triginta annis, vt Babylone, ſed ſemper inquit, in ſeruitutem incurua. Quid iam deinceps fruſtra, & vanè liberationẽ huius miſeriæ ſperas? Quod enim magis mirandum eſt, cęcitatem oculorum tuorum non iniuſtè imprecatus eſt, quia tu oculos eius velaſti, cum eum alapis cędebas. & idcirco dorſum eorum ſemper in ſeruitutem incurua, & quia ſanguinem eius cũ ira effudiſti, audi* remunerationem, *effunde*, inquit, *ſuper eos iram tuam, & furor ira tuæ comprehendat eos, & fiat commoratio eorum deſerta*, templum ſcilicet illud celeberrimum. Sed quare, ò propheta, ediſſere nobis, cur templum deuaſtatum eſt? an propter illam olim vituli fabricationem? an propter populi idolatriam? an propter ſanguinem prophetarum? an propter adulteria, & fornicationes Iſrael? minimè, inquit, in omnibus enim illis ſemper veniam, & indulgentiam ferebant; ſed quia filium Auctoris beneficiorum interfecerunt, ipſe enim eſt coęternus Patri. vnde ait, *fit, Pater, templum eorum deuaſtatum*. quoniam quem tu propter ſalutem mũdi volens* percuſſiſti, *ipſi perſecuti ſunt*, ideſt, ipſi me violenta, & iniuſta morte perſecuti ſunt. Hoc enim ſignificat, *& ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Prius habuit dolorem tanquam amator hominum propter errorem gentium, ſed huic dolori alium ſuo errore adiunxerunt. idcirco Pater *appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum; & afflictionem ſuper afflictionem, & non intrent in iuſtitiam tuam*, ideſt, in regnum tuum, ſed *deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*, ideſt, cum ſanctis Patriarchis ſuis. Quid ad hæc dicis Iudæe? non hęc dicit Matthæus, neque Paulus, ſed Dauid Chriſtus tuus, qui contra te decernit, qui propter Chriſtum pertimeſcendam ſententiam retribuit, & pronunciat, & tanquam ille magnus Iob ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς τῷ δικαίῳ, καὶ ἀψευδεῖ λέγοντας, emiſti Chriſtum tanquã ſeruum;* veniſti ad eum tãquam ad latronem* in hortum. producam in medium prophetiam Salomonis de Chriſto, quæ apertè, & perſpicuè, quæ ad Iudęos ſpectant, ediſſerit, non ſolum quę hoc tempore eueniſſe eis cernimus, ſed quæ in futuro euenient propter contumaciam, & id, quod auſus es in Chriſtum principem vitę, ait enim Propheta: *Non rectè cogitauerunt impij de Chriſto dicentes, circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus, & ſermonibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat*. poſtea dicit, *grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius: & immutatæ ſunt viæ eius, tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs noſtris tanquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum. & rurſus, audi Iudæe, nemo ex iuſtis, vel ex Prophetis vocauit ſe filium Dei*. ait igitur iterum Salomon in perſona Iudæorum de hoc iuſto, qui eſt Chriſtus: *Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum, gloriatur Patrem ſe habere Deum. Videamus ergo, ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ erunt nouiſſima illius, ſi enim eſt iuſtus* Dei filius, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum, morte turpiſſima condemnemus eum, erit enim reſpectus eius ex ſermonibus illius*, & rurſus Dauid in Pſalmis ait de futuro ſęculo, *tunc loquetur*

* μνημεῖον.
* χαλεπώτερον.
Mar. 14.
* ἀντίδωρον.
* ἐθύσατε.
Quæ ſunt in cap. 16. figura ſunt Chriſti paſſi.
Iob 16.
Iob 21.
* δουλοπρεπῶς
* λῃστρικῶς.
Sap. 2.
* vetus.

tur ad eos Christus in ira sua; & in furore suo conturbabit eos. & iterum Salomon de Christo, & Iudęis quòd quando stabit iustus in magna constantia ante faciem eorum, qui eum afflixerunt, & sermones eius repudiarunt, *videntes*, inquit, *turbabuntur timore horribili; & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, & dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: hic est, quem habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. nos insensati vitam illius existimabamus insaniam, & finem illius sine honore. Quomodo computatus est in filijs Dei, & in Sanctis sors illius est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit, & sol non ortus est nobis. Lassati* sumus in via iniquitatis, & perditionis. ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia nostra? transierunt omnia illa tanquam vmbra*. Desunt quædam.

* ἐνεπλήσθημεν.

Henricus Villot.

HIPPOLYTVS Pantocius Perusinus, Ord. Minorum præter duo Poemata. Alterum prænotatum *Grittiadem* ad Andream Grittum Venetorum Principem; Alterum inscriptum *Feltriadem*, ad Guidum Vbaldum Ducem Vrbinatum, atque Panegyrim ad Rodulphum Pium Carpensem Cardinalem, Gratulationem edidit ad D. Marcum; quę ad hunc Apparatum quadantenus attinet.

HIPPOLYTVS Portuensis. Vide paullo antea in verbo, Hippolytus Martyr.

HIPPOLYTVS quidam Scriptor vetustissimus, & Apostolis familiaris, cuius librum citat Palladius in Historia Lausiaca, c. 148. scripsit Virginem quandam signo Crucis munitam ex prostibulo, quo fuerat adacta, illæsam euasisse.

HIPPOLYTVS Thebanus non est Hippolytus ille Portuensis Episcopus peruetustus, quemadmodum ex homonymia decepti existimarunt Nicephorus Callistus, lib. 2. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 3. atque alij recentiores. Ac de Hippolyto quidem Portuensi diximus paullo antea in verbo, *Hippolytus martyr*. Hic autem, de quo nunc agimus, vixit tempore Simeonis Metaphrastę, qui Sanctorum Græcas reliquit historias. Meminere autem huius Hippolyti Thebani Glycas tertia Parte Annalium, & Franciscus Turrianus noster in Apologia pro Domo Lauretana aduersus calumnias Vergetij, qui eadem opera multum lucis affert Scriptis eiusdem Hippolyti. Quæ autem ex hoc Thebano recitat Nicephorus superiore loco, quem citauimus, putans esse Hippolyti Portuensis, ibidem sunt legenda. Scripsit verò Hippolytus Thebanus Chronicon Commentarium, siue Syntagma, quemadmodum Græca pręfert inscriptio. Quod quidem potius Fragmentum (sicut appellauit Turrianus) ab Henrico Canisio V. C. ex codice m.s. Bauaricę Bibliothecæ iam primum ann. 1603. luce donatum est tam Gręcum, quàm Latinè redditum cum Notis quibusdam in Tomo tertio antiquæ lectionis.

Porrò quid de hoc Chronologico Fragmento sit sentiendum, haud tanti est, vt eius habenda sit maxima ratio, nisi in eo corrigantur, quæ mutila sunt, siue corrupta. Quale illud, quod Glycas, & Nicephorus ex ipso citat dicente, post Domini ex mortuis Resurrectionem annos septem pręterijsse, cum Stephanus Protomartyr lapidatus est. Stephanus enim passus est, ann. Dom. 34. septimo mense ab eiusdem Domini Ascensione; conuersionem verò S. Pauli secundo ab Ascensione Domini anno contigisse, hoc est, anno Dom. trigesimo sexto, tempore nimirum à martyrio S. Stephani multò lõgiore, quàm statuat Hippolytus, qui tantum sex menses assignare videtur. Vide Baronij Cardin. Annalium Tomum primum. Quæ autem idem Hippolytus De Periodis scribit, vbi inquit, Die vigesima tertia Martij Dominum fuisse Cruci affixum; vigesima quarta sepultum; vigesima quinta resurrexisse; vide easdem eiusdem Henrici Canisij Notas ad hoc Fragmentum afferentis, quæ sapienter obseruauit Ioan. Georgius Heruardus Bauariæ Cancellarius, & Chronologię apprimè sciens.

Qui autem Libellus de Ortu, & cognatione Beatiss. Virginis Græcè m.s. & Hippolyto huic ascriptus est, extat cũ alibi, tum Viennę in Cęsarea Bibliotheca, sicut item in Vaticana, sed decerptus (vt videtur) ex eius integriore Chronico. Eiusdem item in eadem Cæs. Bibl. extant Iambi de Christo Domino, & Confirmatio è litteris sacris; *Quòd Christus sit Deus*.

Hispalis Ciuitas Bæticę insignis.

HISPALENSE (siue Spalense) Concilium, cui pręfuit S. Leander, cuius Ciuitatis Episcopus anno Domini 590. Reccaredi autem Hispaniæ Regis quinto, fuit Prouinciale.

In-

Interfuere octo Episcopi, qui tria in Synodo decreta firmata miserunt ad Pelagium Pontif. Max. quem adhuc credebant esse superstitem; Garsias verò Loaisa præter illa collegit è varijs locis Canones, siue Fragmenta vndecim eiusdem Concilij Hispalensis, quos inseruit editioni Hispanorum Conciliorum, quam procurauit emitti ann. 1593. Madriti apud Petrum Madrigalem, vti alibi diximus.

Hispalense Concilium era DC XXVIII. ann. Dom. 590.

Incipit Epistola Episcoporum de Concilio Spalensi, ad Pegasium Episcopum missa.

1 De Mancipijs Ecclesiæ, ab Episcopo manumissis.

2 De Mancipijs Ecclesiæ, ab Episcopo proximis suis collatis.

3 De Clericis, cum quibus mulieres cohabitant.

Vide ibidem Garsiam Loaisam.

Concilium aliud Hispalense, de quo hæc quæ sequuntur idem Garsias Loaisa.

Synodus habita in Ciuitate Spali, sub die iduum Nouembrium, anno nono regnante gloriosissimo Principe Sisebuto, era DC LVII.

1 De Theodulphi Malacitanæ Ecclesiæ Episcopi querimonijs aduersus reliq[illegible] Episcopos, pro quibusdam parochijs.

2 De querimonijs Fulgentij, & Honorij Episcopi, pro quibusdam parochijs.

3 De desertoribus Clericis, vt Episcopis suis restituantur.

4 De bigamis ad Presbyterium, vel ad Diaconatum non promouendis.

5 Ne Presbyter Diaconum, aut Presbyterum ordinare præsumat.

6 De Presbyteris, vel Diaconibus ab vno Episcopo non deponendis.

7 De his, quæ prohibentur Presbyteris in Ecclesiasticis Sacramentis.

8 De superbis Ecclesiæ libertis, vt ad seruitium reuocentur.

9 De œconomis, ne ex laicis constituantur.

10 De monasterijs non conuellendis.

11 De monasterijs Virginum, vt à monachis tueantur.

12 De quodam Acephalorum Episcopo.

13 De duabus in Christo naturis, & vna persona.

Notæ in Concilium Hispalense secundum.

In Ciuitate Spalensi] Anno nono regni Sisebuti celebratum est, sub D. Isidoro Metropolitano secundum Concilium Hispalense, pro Ecclesiasticis negocijs, & contra Acephalos hæreticos, negantes temere in Christo duas naturas, in vna Diuina persona. Acephali, sine capite dicti, quia nullus reperitur erroris huius auctor, à quo exorti nomen, & sectam sibi arrogent, vt Isidorus inquit, lib. etymol. 8. c. 5. & Augustinus. De his etiam multa tradit Nicephorus, lib. 18. Eccles. hist. cap. 45. plura infra. Interfuit huic Cōcilio Episcopus quidam Syrus, stolidus huius hęresis propugnator: qui post longam disputationem, rationibus & argumentis D. Isidori, & aliorum Patrum victus, ad rectam, & orthodoxam fidem conuersus est: vt ex duodecima actione huius Concilij constat. Estque Concilium eruditum & doctum, iuris ciuilis, & Canonici sapientia refertum; ita vt appareat à viris eru ditione Diuina, & seculari præstantibus esse editum. Vide item Baronij Card. To. 8.

HIRAM Tyriorum Rex, (de quo in tertio libro Regum) plures ad Regem Salomonem Epistolas scripsit, quę olim apud Tyrios asseruabantur, sicuti, & quę à Salomone ad eum scriptę fuerant. Harum meminit Dius in Phęnicijs historijs, & post eum Iosephus primo libro aduersus Appionem.

HIRENAEVS, Vide in verbo, Irenæus.

H O

HOIEDAS Mendoza, de Incompatibilitate, & Compatibilitate beneficiorum.

HOLCOT Rob Anglus, qui vixit ann. 1349. Scripsit in librum Sapientiæ. In duodecim Prophetas. In Sententias. Distinctiones. Moralitates. Allegorias vtriusque Testamenti. Sermones per annum. Quodlibeta.

HOL-

Hollen, Vide in verbo, Gothscalcus Hollen.

Honofrius Florentinus, Ord. Augustiniani, idemque Florentię Archiepiscopus scripsit In Euangelia, lib.4. In Acta Apostolorum, librum. Sermones ad vtrumque Statum. Viuebat ann. 1430.

Honoratus, Vide in verbo Antoninus Episcopus.

Honoratus Arelatēsis Episcopus. Vide in verbo, Hilarius Arelatensis Episcopus.

Honoratus Constantinæ Africæ Ciuitatis Episcopus, scripsit ad Arcadium quendam, qui pro confessione fidei Catholicæ in Africa à Genserico Rege missus exulabat, Ann. Do. 490 Epistolam ad labores pro Christo ferendos hortatoriam, & exemplis præsentibus, & scripturarum relationibus roboratam, & quod confessionis fidei perseuerantia non solum prę terita purget peccata, sed & meritum procuret martyrij. Hæc Gennadius.

Honoratus, Massiliensis (vt verbis vtar eiusdem Gennadij) Ecclesiæ Episcopus, vir eloquens, & absque vllo linguæ impedimento ex tempore in Ecclesia Declamator, & quia à pueritia in timore Dei crescens etiam in negotijs Ecclesiasticis exercitatus est. Is Ann. 490. Tritem. suum quasi armarium aperit, & in homiliarum modum ad vtilitatem legentium multa cō ponit, maximeque ad colendam fidei rationem, & reuincendam hęreticorum peruersitatem. In cuius liberè prædicanda constantia, non solum vicinarum Ciuitarum Sacerdotes, & populi delectantur, sed & longè positi, cum ad eos necessario pergit, summam ei dicendi in suis Ecclesijs rogantes iniungunt. Sanctus quoque Papa Gelasius Romanæ Vrbis Pontifex per scripturam agnoscens eius fidei integritatem, rescripto suo probatam iudicauit, Sanctorum Patrum vitas ad ædificationem posterorum coaptat ipse legendas prę cipuè nutritoris sui Hilarij Arelatensis, Litanias ad supplicandam Dei clementiam cū plebe sibi credito pro viribus agit. Hęc omnia Gennadius. At Suffridus Petrus obseruauit *Scriptorem* hunc non extare apud Honorium Augustodunēsem, quin etiam in vulgatis plerisque codicibus desiderari, vt videatur medicamenti loco Gennadio, qui male audiebat, sicuti de eo suo in loco diximus, fuisse addirus. Stylus certè Gennadium non sapit.

Honorius Augustodunensis, Tritemio, *Presbyter*, & *Scholasticus*, ac Nicolao Aurifico, & Melchiori Hittorpio, *Monachus, & Abbas*, qui floruit ann. 1220. Scripsit

In Hexaemeron.	De Papa, & Imperatore.
In totum Psalterium.	De Euangelio Homiliarum, lib. 1.
In Cantica Canticorum.	Pabulum vitę de Sanctis.
Sigillum Sanctæ Mariæ.	Scalam Cęli de gradibus visionum.
Speculum Ecclesiæ, siue Sermonum.	Refectionem mentium de festis.
Offendiculum de Sacerdotibus.	Dialogum ex Opusculis Sancti Augustini.
De Deo, & vita æterna.	Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
De corpore Domini.	Summam historiarum, siue Chronicorum,
De Anima.	magnum Opus.

Quod quidem in Germania in Bibliotheca Cæsarea Viennæ extat m. s. excusum autem ann. 1544. Basileæ. Scripsit item De luminaribus Ecclesię, librum, qui prodijt Colonię ann. 1580. cum reliquis Scriptoribus Ecclesiasticis, & Notis Suffridi Petri. Pręterea, *Gemmam Animæ*, quæ prodijt Colonię vnà cum ijsdem Scriptoribus, De ratione Diuinorum officiorum, ann. 1568. vti & Romę ann. 1590. ac verò antea Venetijs. In Speculum Missę, hoc est ann. 1572. Deinde de Imagine Mundi libros tres excusos Spirę, ann. 1583. quos tamen alij Honorio incluso, alij Anselmo Cantuariensi adscribunt. Sed & libri De temporibus Matheseos, ac De Philosophia Mundi, lib. 4. & De affectionibus, ac de hæresibus, vna cum Chronico editi sunt Basileę, ann. 1544. At verò Commentarij in libros Salomonis eiusdem Honorij Augustodunensis nomine, qui antea non apparuerant, euulgati sunt Colonię apud Cernicornum, ann. 1540. cum tribus libris appositorum in speciem vtriusque Testamenti locorum, Auctoris innominati. Porrò hic ipse Honorius Augustodunensis Presbyter Catalogos Hieronymi, Gennadij, Isidori de Viris illustribus contraxit in Epitomen, paucis quibusdam aliunde adiectis Scriptoribus, qui intermedio tempore floruerunt. Sed cum Epitome hæc contractior sit, quàm vt inde

de sat lucis hauriri queat, tantummodo id fuit ex eo à nobis delibandum, quod apud alios non extitisset.

HONORIVS Pontifex Maximus, qui annos tredecim rexit Pontificatum, quique obijt ann. 638. præter scientiam rerum Theologicarum, in Poesi quoque excelluit: extat vnicum eius Epigramma De Ascensione Domini, ac De Apostolis prosequentibus eum diuersis animi affectibus, nisi forte sit tribuendum Venantio Fortunato, qui, & Honorius dictus est. Eius Honorij defensionem aduersus varias calumnias factã à Maximo, & alijs cernere potes in Baronij Card. Annalibus To. 8. sub ann. 645.

HONORIO Primo huius nominis Papæ, quæ attributę sunt Epistolæ duæ, quibus approbare videbatur doctrinam Sergij Principis Monothelitarum, quæve combustæ sunt, vt constat ex sexta Synodo actione 12. & 13. aut fuere confictæ ab hęreticis, aut certe nullum continuerunt errorem. Vide Bellarm. Cardin. Tom. 1. controu. 3. lib. 4. De Romano Pontifice, cap. 10.

HONORIVS Fortunatus Clementinus, Pictauiensis Episcopus, Carminum libros octo, & Vitam Beati Martini Turonensis Episcopi scripsit. Vide in verbo, Venantius Fortunatus.

HONORIVS Monachus in Anglia, & ob Christi amorem inclusus, qui floruit anno 1080. Scripsit Quæstionum, & Responsionum diuersarum, lib. 1. Epistolas plures de compunctione cordis.

HONVFRIVS, siue is, qui cognomẽto Panuuinius, siue alij. Vide in verbo, Onufrius.

HORANTIVS. Vide in verbo, Franciscus Horantius.

HORATIVS Diola, Bononiensis, Franciscanorũ Chronicon à Marco Olyssipponensi Lusitanicè conscriptum Italicum fecit, atque edidit Brixiæ ann. 1582.

HORATIVS Luth, de Calio, I.C. edidit Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1570. Annotationes marginales in Concilij Tridentini Decreta, & Canones.

HORATIVS Pancirola Rhegiensis Vidi Pancirolæ V. C. Fratris Filius, librum edidit Italicè scriptum accuratè De Anno Iubilæi, deque Sacris locis, atque reliquijs Vrbis Romæ, in qua vna extant tres & sexaginta Aedes Beatissimæ Virgini dicatæ, prętertot alias, quæ antiquam, & Catholicam pietatem spirant. Romæ ann. 1600. apud Aloysium Zannettum.

HORATIVS Torsellinus, Romanus, è Societate Iesu, Lauretanæ historiæ libros quinque, Latinos, & elegantes ad fidem historicæ veritatis conscripsit. Quos Romę Aloysius Zannettus, ann. 1597. deinde Moguntię Moguntini ann. 1598. excuderunt. Quos certè qui legerit, vt miranda Beatissimæ Virginis opera suspiciet, sic Lauretanam illam Domum percupidè curabit inuisere. Scripsit quoque Hymnos, & Epigrammata, ac Vitam Beati Francisci Xauerij, quæ Romæ itidem ab eodem typographo fuit impressa. Is verò Xauerius ille est, qui è decem primis Societatis Iesu, primus fidem Christi Domini intulit in Orientem.

HORAE Dominicę. Vide in verbo, Officium Romanum, & in verbo, Breuiarium.

HORAE Beatissimę Virginis Marię, cum vbique per Christianum orbem sępissimè sint excusæ, si quis tamen eas ornatiores cupiat, eę ornamentis, & picturis elegantibus expressæ fuerũt Antuerpię, ann. 1565. eędem item ad vsum Romanum charactere Italico ibidem apud Plantinum impressæ ann. 1567.

Quin & secundum vsum Ordinis Benedictinorum de obseruantia per Germaniam editę sunt Colonię apud Maternum Cholinum, ann. 1575. Eadem verò iterum in laudem Beatissimę Virginis Marię secundum Romanę Curię consuetudinem, additis mortuorum vigilijs, Parisijs apud Hieronymum Marnefium, & Viduam Gulielmi Cauellat. ann. 1580. At vide infra in verbo, Hortulus animę. Porrò horę precationum à Gulielmo secundo Cęsare, Hollandię Comite, religsosè olim recitatę, Lugduni ann. 1583. prodierunt.

HORAE Canonicę. Vide in verbo, Marcellus Francolinus, qui egregiè scripsit De Horis Canonicis; quemadmodum item Martinus Nauarrus, vbi de Oratione, & Benedictus Herbestus Polonus, Societatis nostrę.

HOR-

HORMISDAE Pontif. Max. Epistola ad Possessorem Episcopum in causa Orientalium, quoniam mendosior extat inter Epistolas Hormisdę; emendatior autem inter scripta Ioannis Maxentij, inserta est Tom.7. Annal. Baronij Card. sub ann.520. pag.58. primę editionis Romanæ. Porrò si hanc vidisset Ioannes Cochlæus vir Catholicus, & doctus, non dixisset eam ab aliquo hęretico nomine Hormisdæ fuisse scriptam. Extant verò ipsius Decretum Synodale. Ad Iustinum autem Augustum Epistola. Altera verò ad clericos secundæ Syrię. Plures item ad alios. & Decreta eiusdem. Viuebat ann.521.

HORTENSIANI Epistola secunda, & duodecima apud Cyprianum, lib.1. cum alijs aliquot coepiscopis.

HORTIZ Hispanus, Societatis nostræ, edidit Quadragesimale in Psal. Miserere.

HORTVLVM animæ cum horis Beatissimæ Virginis Mariæ, qui sępe fuit excusus varijs in locis, sciendum est, in Romano Indice à Clem. VIII. Pont. Max. prohibitum esse, nisi corrigatur. *Hortulus* autem pręnotatus *Passionis in ara Altaris floridus*, omnino est prohibitus in eodem Indice. Porro Hortulum Rosarum olim Thomas de Kempis edidit, qui eius Operibus est adiunctus.

HOSEAS. Vide in verbo, Oseas.

H V

HVBALDVS Monachas Elnonensis S. Amandi, Congregationis Floriacensis, qui floruit ann.880. & vltra, peritia liberalium artium (ait Sigibertus) ita insignis, vt cum Philosophis conferretur, Vitas multorum Sanctorum scripsit, & quia (inquit) in arte musica prępollebat, cantus multorum Sanctorum dulci, & regulari melodia composuit. Scripsit etiam librum De arte Musica, sic contemperans chordas Monochordi literis Alphabeti, vt possit quis per eas sine magisterio alterius discere ignotum sibi cantum. Scripsit etiam ad Carolum Caluum Imp. librum trecentorum versuum in laudem Caluorum, cuius omnia verba incipiunt ab vna litera, idest C. vt, *Carmina Clarisonæ clauis cantate Camenæ*. Hæc Sigibertus. Ceterum id Poema Basileæ prodijt ann.1516. & ibidem ann.1546. Extat verò eiusdem Vita S. Aldegundis Abbatissę Malbodij, & Vita S. Rictrudis Abbatissæ Marcianensis. Vide To.3. Surij ad diem 12. Maij. & Martyrium SS. Quirici, & Iulitæ. At hunc Tritemius Hugbaldum vocat: codex verò Gemblacensis Hubaldum, vt & Affliginiensis. Alium verò esse hunc vix puto ab Hucbaldo, de quo paulò infra in verbo, Hucbaldus.

HVBERTINVS de Casoli, Ord. Minorum, ordinem Cartusiensium ingressus, scripsit in Apocalypsim Commentarium, quem pręnotauit: *De septem Statibus Ecclesiæ, iuxta septem visiones, quæ leguntur in Apocalypsi S. Ioannis.* Operis initium est, *Vniuersis Christi Iesu verè fidelibus.* Claruit sub Alberto Imp. ann.1300.

Scripsit item Commentarium, quem inscripsit, *Arborem vitæ Crucifixæ*, & Sermones ad populum, de illo vide quędam in Sixto Senensi, lib.4. Bibl. Sanctę. Vixit ann.1300.

HVBERTVS Leonardus, Carmelita, Episcopus Dariensis, pręter librum De Genealogia nobilium Francorum, & eorum Gestis, scripsit in Euangelium Lucę. Alium ad Leodiensem Episcopum. Tres de Regimine Principum. Totidem de Immunitate Ecclesiastica. Alium contra Niuellenses hęreticos, cum Diœceseos Leodiensis esset Inquisitor. Sermones varios. Quadragesimale pręnotatum *Notabile*. In Magistrum item Sentent. Vixit Innocentio Octauo Pont. Max. ann.1490. in Germania, vnde fuit oriundus. Vide Tritemium in Opere Maiori, quod quartò recognouit, quodque extat Florentię in Bibliotheca Sancti Marci.

HVBERTVS Lombardus Tractatus duos reliquit. Alterum, De nomine Iesu. Alterum, De amore eiusdem.

HVBERTVS Rudolphus, Monachus Cisterciensis Ord. vberem habuit Orationem De rebus ab Alexãdro Parmẽsi Duce gestis in Belgio; in qua pleraque omnia pertinẽt ad fidem Catholicam cõtra hęreticos propugnatã. Duaci autem prodijt apud Io. Borgardum.

HVBERTVS Scuteputęus Institutionem ad beatam Vitam è Patribus edidit Antuerpiæ apud Io. Bellerum, ann. 1570. Flores autem ex omnibus Gregorij Magni Operibus, Parisijs ann. 1572. Isidori iunioris Hispalensis Episcopi libros tres à se recognitos, Antuerpiæ apud eundem Bellerum, ann. 1566. præter quædam in vtrumque Senecam, quæ ad eos adnotauit.

HVCARIVS ad Templum S. Germani in Cornubia Anglus redegit in Compendium accuratè Opus Egberti Eboracensis Episcopi De constitutionibus Ecclesiæ. Scripsit Homilias centum ac decem. Exceptiones item quasdam. Vixit ann. 1040.

HVCBALDVS. Vide in verbo, Hugbaldus.

HVGARIVS, siue *Hungarius* Pestensis, Ordin. Minorum, scripsit 120. Sermones, qui olim Haganoæ editi, apud Henricum Gran, ann. 1497. ac deinceps alibi, prænotati sunt, *Biga salutis*. Sermones item de Sanctis, ac de Tempore, & librum, cuius inscriptio, *Gemma fidei*. Præterea in præcepta Decalogi. Clatuit ann. 1497.

HVGBALDVS, siue Hucbaldus Elnonensis Monachus, scripsit Vitam S. Lebuini presbyteri, & Confessoris, quæ extat apud Surium Tom. 2. Vixit tempore Sergij Papæ, ac B. Bonifacij Archiepiscopi.

HVGO Anglus Monachus, & Abbas Roidingæ in Anglia, scripsit sex libros Quæstionum Theologicarum, quarum initium est, *Deus summè verus, & verè summus*. Extant m.s. in Bibl. S. Benedicti in Tractu Mantuano.

HVGO Argentoratensis, Ordinis Prædicatorum, scripsit in Magistrum Sententiarum. Libros item sex inscriptos Theologicæ Veritatis Compendium. Sermones plures. Quodlibeta. Quæstiones. Disputationes. Varias in Diuinos Libros Explanationes. Viuebat ann. 1296.

HVGO Biliomensis, Aruernus, Gallus, Ord. Prędic. Cardinalis, in Threnos Hieremię Commentarium, & Sermones ad Populum scripsisse fertur à Gulielmo Eisingrenio, à quo & ann. 1288. vixisse dicitur.

HVGO Carensis è Diœcesi Ebredunensi in Delphinatu Galliæ, Ordinis Præd. non autem Barchinonensis, Hispanus, neque Episcopus, vt quidam falsò putarunt, sed Barchinonettę, siue (alijs) in Oppido S. Cari natus, Presbyter Cardin. Tit. S. Sabinæ, Quem item B. Antoninus è Prouincia Galliæ dicit extitisse; ac cuius hodieq; extat Barchinonettę Conuentus (vt vocant) Dominicanorum haud ignobilis, ab ipso, vt fama est, erectus, & auctus. Quem Vmbertus Viennensis Quintus Generalis Magister Ordin. Pręd. ad suum Institutum admisit, quique Innocentio Quarto Pont. Max. fuit in Germaniam ad Imperij Electores Legatus missus, vt in abrogati Friderici II. locum, Imperatorem alium sufficerent, edidit in vniuersam Scripturam Commentarios iuxta quadruplicem sensum, Scholastico, idest, breui sermone absque vllo fuco sęcularis eloquentiæ. Pręterea Indicem magnum in Biblia, *Concordantias Biblia* prænotatum, laboriosissimum sanè (vt ait Sixtus Senensis) & immensi tędij, ac temporis Opus, sed Sacrorum Voluminum studiosis magnopere necessarium, & in quo singulas Diuinæ Scripturę dictiones declinabiles secundum consequentiam litterarum accuratissima diligentia digessit, annotatis non solum libris, sed etiam librorum Capitibus, & Capitum lineis, in quibus vnaqueque desiderata dictio contineretur. Sunt qui existiment hoc Opus ob immensi temporis, laborisque dispendium, cui vnius hominis vita satis esse non poterat, hortatu Hugonis iniunctum fuisse quingentis studiosis Patribus diuersorum Cęnobiorum ea ratione, vt singuli singulas dictiones in Alphabeticas Classes redigerent; Sicque breui tempore multorum sedulitate perfectum fuisse Opus, quod postea, tam Græci, quam Hebræi sunt imitati. Rabbi enim Isaac Nathan, Iudæus, & Eutalius Rhodius Monachus, ille Hebraicas Bibliorum Concordantias, hic Gręcas collegit. Quas quidem Romæ Sixtus Senensis vidit in antiquis membranis Gręca manu descriptas: illas verò typis Iustiniani Venetijs excusas. Obijt Lugd. ann. 1262. Sciendum est autem aliquando Alexandro Alensi fuisse adscriptos commentarios in Psalmos, qui verè sunt Hugonis. Qui etiam scripsit librum, cui titulus, *Speculum Sacerdotum*, siue *Ecclesiæ*, quod & separatim fuit additum alteri, inscripto, *Manipulus Curatorum*, qui-

que Lugduni excusus fuit apud Gulielmum Rouillium, ann. 1559. sed & scripsisse Summam de Casibus, ait Eisingrenus. Claruisse autem illum inquit Sixtus ann. 1130. Eisingrenius verò ann. 1244. vt mendum esse in numero Sixti putem. Extare autem m.s. audio eiusdem Compendium Theologicæ Veritatis in septem libros distributum, & Hugonis (nescio an istius) Dialogum de Creatione Mundi manu scriptum in Biblioth. Cæsarea, Viennæ.

HVGO Carnotensis Episcopus, Scripsit Epistolam aduersus Adelmannum Brixiensem Episcopum, quam Louanij excudit Petrus Phalesius cum alijs eiusdem argumenti libellis, ann. 1551.

HVGO Castronouensis, Ord. Minorum, Theologus, nuncupatus *Defensor Doctoris subtilis*, edidit Commentarios in quattuor lib. Sententiarum, & Reportata super eosdem. Tractatum item De finali iudicio, ac librum De victoria contra Antichristum.

HVGO Corbeiensis monachus. Vide paulò infra in verbo, Hugo Folietanus. Henricus Villot.

HVGO Dinensis, Ord. Minorum edidit Expositionem in Regulam S. Francisci, & librum De triplicia via. Deinde Tractatum De paupertate inter zelatorem paupertatis, & inimicum domesticum. Vixit circa ann. 1280. miraculis (vt aiunt) clarus Massiliæ quiescit. Franc. Gonzaga. Henricus Villot.

HVGO de Ductona Anglus, Ordin. Prædic. edidit Disceptationum Scholasticarum Volumen. Lecturas Theologiæ, libro vno. & Sermones in honorem Sanctorum. Vixit ann. 1350. Eisingren.

HVGO Eterianus, siue *Eretrianus*, Etruscus, Græcè, ac Latinè doctus, & Catholicus, ad Clerum Pisanum scripsit de Regressu animarum ab inferis. Is autem liber primò in lucem prodijt Coloniæ ann. 1540. apud Ioan. Gymnicum. sed iam extat in Biblioth. Sanctorum Patrum.

Scripsit item De Processione Spiritus Sancti. De hæresibus quoque ad Arduinum Cardinalem, ac De immortali Deo. Vixit circa ann. 1160.

HVGO Farsitus Gallus, Abbas, & primò Monachus Suessionensis, scripsit De miraculis per B. Virginem in Ecclesia S. Mariæ Suessione editis. Henric. de Gandauo.

HVGO Floreffiensis Monachus Congreg. Cluniacensis scripsit ann. 1221. Vitã S. Iuetæ Viduæ reclusæ, quæ extat m. s. Leodij. Arnold. Vion.

HVGO Folietanus, siue (vt aiunt) è Folieto, Gallus Monachus S. Petri Corbeiensis in Gallia, Ordinis Sancti Benedicti Congregat. Cluniacensis S. R. E. Cardinalis, scripsit De claustro Tractatus quattuor. Vnum, De claustro materiali. Alterum, De claustro Spirituali: Alium, De claustro animæ: Alium, De Claustro Paradisi. Neque verò hic fuisse Canonicus Regularis (vt quidam sunt opinati) scribitur ab Arnol. Vione in suo Ligno Vitæ.

HVGO Floriacensis Monachus Gallus, Ord. D. Benedicti, scripsit Chronicon.

HVGO Gallus Monachus, Congregationis Cluniacensis, scripsit vitam Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, quæ extat in Surio Tom. 2. ad diem 29. Aprilis. Vitam item Sancti Odilonis.

HVGO Hubertinus. Vide in verbo, Hubertinus.

HVGO Lingoniensis Episcopus, Gallus, Epistolas misit ad Berengarium, qui apertè incępit blasphemias euomere contra Sanctissimam Eucharistiam.

HVGO de Mancestria, Ord. Minorum, Anglię, in qua natus erat, Prouincialis, scripsit contra quendam impostorem iussu Philippi Frãcorum Regis. Item Compendium Theologiæ, ann. 1294. Henricus Villot. Eisingr.

HVGO Narbonensis, Ord. Minorum, scripsit in secundum Sentent. Magistri, Auctorem autem hunc se vidisse apud Dominicum Cardinalem Grimanum, refert Rodulphus Tussiniacensis in Seraphica Historia.

HVGO à Palma Cartusianus librum scripsit De triplici via, Purgatiua, Illuminatiua, Vnitiua. Incipit, *Viæ Sion lugent.*

HVGO Pancera, Ord. Minorum per quadraginta totos annos ferreum Thoracem supernudam carnem gestans ad Tartaros, missis quibusdam probis viris, qui eos Christo lucrifacerent additus comes, miram simplicitatem præseferens, atque contemplationi cœlestium addictus, edidit Tractatum De contemptu Mundi. Vixit ann. 1312. Henr. Vill.

HVGO de Prato Florido, Ord. Prædicatorum, Sermones reliquit Quadragesimales, qui primum in lucem editi fuerunt Venetijs ann. 1577. Viuebat ann. 1486. Eisingr.

HVGO Selestadianus Germanus, Commentarios scripsit in quattuor libros Magist. Sententiarum. Viuebat ann. 1460.

HVGO Victorinus, siue *de S. Victore* natione Saxo, Canonicus Augustiniani instituti, siue Regularis, vt alij malunt, Abbas Cœnobij B. Victoris Parisiorum vir humanarum, & diuinarum literarum exquisita eruditione clarissimus & Augustini doctrinæ, ac phraseos vsque adeo æmulator, vt *Augustini lingua* communi eruditorum sui temporis vsu fuerit appellatus, collegit veterum Patrum, ac præcipuè Augustini in vniuersum diuinę Scripturæ Corpus ingens Opusculorum in quinque Classes partitum, hoc est in Annotationes, Quæstiones, Homilias, Commentaria, & Miscellanea. Extant, Henricus de Gandauo. Tritem. Eisingren. Six. Sen. Th. Garzon.

In omnes veteris Testamenti libros Allegoriarum, lib. 9. *Quicunque sapientiæ.*

Ex vtroque Testamento Miscellaneorum, lib. 5. *Spiritualis diiudicat.*

De Scripturis, & Scriptoribus Sacris, lib. 1. in quo differuit de præstantia, & vtilitate Sacræ Scripturæ, de eius materia, de diuersitate eius ab alijs scientijs, de triplici eius intelligentia, de ordine, numero, & auctoritate librorum eius.

De Sacrorum librorum Scriptoribus.

De scripturæ translatoribus, atque eiusdem instauratoribus.

De scripturis apocryphis, de locis, temporibus, ac numeris scripturę mysticis, ac & de difficultatibus in scripturis contentis. Libri initium est. *Lectorem Diuinarum Scripturarum.*

Idem composuit in gratiam Raynerij conuersi, de Animalibus, & plantis, quæ in scripturis leguntur, mysticarum significationum libros tres, magnam vtilitatem afferentes ijs, qui spirituales scripturæ sensus aggrediuntur, liber incipit, *Desiderij tui petitionibus.*

Scripsit etiam in Pentateuchum Annotationum iuxta literalem sensum, lib. 5. quorum initium est, *Desiderius proprium nomen est.*

In quattuor lib. Regum Annotationum literalium, librum vnum.

In varios omnium penè Psalmorum versiculos Annotationum, tam secundum sensum literalem, quã spiritualem, librum vnum, cui exordium est, *Quosdam tibi frater charissime.*

Idem in quattuor prima Ecclesiastis capita Homilias 19. *Quæ tibi Salomonis.*

In Cantica Canticorum mysticè, lib. 1. *In principio laboris.*

In Threnos Annotationum iuxta quattuor sensus, lib. 1. In Ezechielem, lib. vnum.

In Ioelem Annotationum iuxta quadruplicem sensum, lib. 1. In Abdiam Annotat. lib. 1.

In Matthæum Allegoriarum, lib. 1. *Videns Iesus Turbas.*

In Marcum Allegoriarum, lib. 1. *Intrauit Iesus in Synagogam.*

In Lucam Allegoriarum, lib. 1. *Materiam hanc.*

In Ioannem Annotationum in literam, lib. 1. *Inter omnes Scripturas.*

In Ioannem Allegoriarum, lib. 1. *Primi parentes.*

In omnes Pauli Epistolas Quæstionum, ac Decisionum, lib. 4. Quorum initium, *Paulus nomen appellatum.*

Item in Epistolas ad Romanos, lib. 1. *Omnia fecit Deus.*

Scripsit etiam Summam sententiarum suarum, lib. 1. Ac de anima Christi, lib. 1.

De Sacramentis, lib. 12. *Arduum profectò, & labor.*

Didascalicon, lib. 6. *Omnium expetendorum.*

De arra animæ, lib. 1. *Loquar secreto animæ.*

De modo orandi, lib. 1. *Quo studio, & quo affectu.*

De laude Charitatis, lib. 1. *Tam multos iam.*

De Institutione nouitiorum, lib. 1. *Quia fratres largiente Domino.*

In Regulam Sancti Augustini, lib. 1. *Hæc præcepta, quæ.*

De mystica Arca Noë, lib.5. *Cum sederem aliquando.*
De Hierarchia D.Dionysij, lib.14. *Iudæi signa quærunt.*
De laude Patrum, lib.1. De perpetua virginitate S.Mariæ, lib.1.
Super *Magnificat*, lib.1. Super *Tota pulchra es*, lib.1.
De amore Sponsi, & Sponsæ, lib.1.
De meditatione animæ, lib.1. *Homo microcosmos.*
De meditatione, lib.1. *Meditatio est frequens.*
De Incarnatione verbi, lib.1. *Quidam fuerunt, qui.*
De sapientia Christi, lib.1. *Quæritis de anima.*
De vanitate mundi, lib.1. *O munde immunde.*
De substantia dilectionis, lib.1. De septem donis Spiritus Sancti, lib.1.
De disciplina, lib.1. De mysterijs Ecclesiæ, lib.1.
De Spiritu, & anima, lib.1. *Quia dictum est mihi.*
De oratione Dominica, lib.2. *Septem sunt petitiones.*
De Confessione, lib.1. *Solus solitudinem.*
In quosdam Psalmos, lib.1. Epitomen Philosophiæ, lib.1.
De natura Dei simplici, lib.1. De nuptijs, & concupiscentia, lib.1.
De triplici voluntate in Christo, lib.1. *Quæritis de voluntate.*
De potestate, & voluntate Dei, lib.1. *Quæritis de potestate.*
De Sacra scriptura, lib.2. *Lectorem Diuinarum Scripturarum.*
De natura animalium, lib.1. *Leo fortissima bestia.*
De contemplatione, lib.1. *Spiritualis Domini.*
Epistolarum ad diuersos, lib.1. & de Trinitate, & librum prænotatum, *Idiota.*
De Claustro animæ.

Ceterum postrema editio Hugonis tribus Tomis prodijt Venetijs anno 1588. apud Io. Bapt. Somascum, quibus accessere Notæ, siue Scholia Thomæ Garzonij, vna cum vita ipsius Hugonis ab eodem conscripta.

Iacobus de Plebe. Petrus Lucius Arn. Vuion.

HVGO Vyrlei alijs *Vuerlei*, Carmelita Anglus Noruicensis, scripsit figuras Historiarum; Collationes 18. Quæstiones ordinarias, Lectiones Scripturarum, Commentarios in Matthæum, Determinationes, 96. Placita Theologica, Sermones varios, Historiam vberem Petroburgi, cuius cœnobij fuit Monachus. Viuebat ann. 1344. Sixtus Senensis Eisingrenius.

HVGO Vuhyte Anglus, Ordinis Benedictini, scripsit Historiam Petroburgensem luculenter.

HVGOLINVS Ferrariensis, Ordin. Minorum emisit Conciones in Epistolas totius anni. Henricus Vuillot.

HVGOLINVS Martellus Florentinus, & Episcopus Glandauensis, scripsit De anni in integrum restitutione, Lugduni apud Franciscum Conradum, ann.1583. Expositionem item in primum Psalmum Gradualium, qui est 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.*
Quem totum ad præsentem illius temporis Galliæ Statum sanandum aptauit apposite. Florentiæ apud Bartholomæum Sermartellium, ann.1588. Quo tempore ipse adhuc viuebat.

HVGOLINVS Patriarcha Costantinopolitanus, Ord. D.Augustini, scripsit in Mag. Sent. Librum item Quodlibetorum. Alterum De differentia idiomatum. Sermones De Tempore, ac De Sanctis, Viuebat ann.1250.

HVGONIVS è Prato Florido edidit Sermones Dominicales in Euangelia, & Epistolas, De æstiuo Tempore. Parisijs apud Ioan. Rognium, ann.1542. Sermones De Sanctis per annum, ibidem apud eundem. Sermones Quadragesimales apud Ioan. Variscum, ann.1576. Venetijs.

HVMBERTVS familia Romanus, natione Burgundus, doctrina, & pietate insignis, vt & supremum in Dominicano Ordine magistratum sit consecutus, quartus à D.Dominico

Sanctæ illius familiæ institutore ann. 1254. Generalis creatus, cum nouem annos eundem ordinem optimè administrasset, Magistratui cessit Londini in Britannia in magnis Ordinis comitijs, ann. 1263: post quem annis tredecim superstes in otio non otiosus varia, quę omnia doctam pietatem spirant, posteritati reliquit.

De Prædicatione Crucis.
De septem gradibus contemplationis.
De tribus Religionis votis.
De fundatione sui Ordinis, ac Vitis Sanctorum eiusdem.
De officijs eiusdem Ordinis.
Super cõstitutiones, & regulam D. August.
De eruditione religiosorum.
Opus, vniuersa, quę ad absolutam religionis formam spectāt, comprehendens: in quo
Primus liber ordinat religiosum ad mundū.
Secundus, corpus eius proprium.
Tertius, instituit eum contra aduersarium.
Quartus, ordinat animam.
Quintus, ordinat ad proximum.
Sextus agit de quiete in Deo.

Hoc autem Opus ann. 1575. Louanij est editum apud Rutgerum Velpium. Sed deinceps ann. 1585. emendatius Lugduni apud Ioan. Statium Opera Francisci Goracæi Theologi eiusdem Ordinis, & Professoris Parisiensis. Contexuit etiam Diuinum officium, quo Dominicani vtuntur. At librum eius De eruditione Religiosorum edidit David Sartorius, ann. 1591. Ingolstadij.

Sermones item ad omne hominum genus pertinentes; qui cum multos ante annos fuissent excusi, neque verò iam extarent, Hieronymus Ioanninius è Capuniano Ord. Prędic. curauit recudi Venetijs, addita Vita ipsius Humberti, & Epistola De tribus Votis, & de alijs quibusdam exercitijs apud Marcum Ant. Zalterium, ann. 1603. Sermones autem in Prima & Secunda Parte hi sunt.

Tabula Sermonum in Prima Parte.

Ad omnes homines, Sermo 1.
Ad omnem populum Christianum. Ser. 2.
Ad omnes personas Ecclesiasticas, Ser. 3.
Ad omnes Religiosos. Ser. 4.
Ad Religiosos malæ vitæ. Ser. 5.
De Religiosis bonę vitę. Ser. 6.
Ad Nouitios in quocunque ordine. Ser. 7.
Ad Religiosos Ord. S. Augustini. Ser. 8.
Ad Canonicos regulares. Ser. 9.
Ad omnes, qui addiderūt ad regulam D. Augustini. Ser. 10.
Ad Præmonstratenses. Ser. 11.
Ad Fratres de Valle Scholarium. Ser. 12.
Ad Fratres de Sacco. Ser. 13.
Ad Fratres Prædicatores. Ser. 14.
Ad omne genus Monachorum. Ser. 15.
Ad Monachos nigros quoscunque. Ser. 16.
Ad Monachos nigros bonæ conuersationis. Ser. 17.
Ad Monachos nigros dissolutos. Ser. 18.
Ad Monachos albos quoscunque, & præcipuè Cistercienses. Ser. 19.
Ad albos bonos. Ser. 20.
Ad albos malę vitæ. Ser. 21.
Ad Monachos griseos quoscunque. Ser. 22.
Ad Eremitas quoscunque. Ser. 23.
Ad Cartusienses. Ser. 24.
Ad Grandimontem. Ser. 25.
Ad fratres Minores. Ser. 26.
Ad fratres de Trinitate. Ser. 27.
Ad religiosos in studio cōmorantes. Ser. 28.
Ad conuersos cuiuscunque ordinis. Ser. 29.
Ad conuersos Cistercienses. Ser. 30.
Ad conuersos Cartusienses. Ser. 31.
Ad conuersos Ord. Præd. Ser. 32.
Ad conuersas mulierū religiosarum. Ser. 33
Ad Religiosos arma portantes. Ser. 34.
Ad Hospitalarios. Ser. 35.
Ad Templarios. Ser. 36.
Ad fratres Theutonicos. Ser. 37.
Ad Humiliatos. Ser. 38.
Ad fratres de Pœnitentia. Ser. 39.
Ad fratres, & sorores in Hospitalib. Ser. 40.
Ad fratres, & sorores in domibus leprosorum. Ser. 41.
Ad nouos Religiosos quoscunque. Ser. 42.
Ad Familiam religiosorum quorumcūque. Ser. 43.
Ad mulieres Religiosas quascūque. Ser. 44.
Ad mulieres Religiosas inclusas in monasterio. Ser. 45.
Ad Moniales nigras. Ser. 46.
Ad Moniales albas. Ser. 47.
Ad sorores Prædicatorum. Ser. 48.
Ad sorores Ord. Minorum. Ser. 49.
Ad sorores Ord. Humiliatorum. Ser. 50.

Tabula Sermonum in Secunda Parte.

In

In omni consecratione solemni. Ser.28.
In solemni consecratione Episcopi. Ser.29.
In solemni consecratione virginum monialium. Ser.30.
In solemni consecratione Ecclesiæ.Ser.31.
In solemni consecratione cimiterij. Ser.32.
In solemni consecratione Altaris.Ser.33.
In solemni consecratione sacræ vnctionis. Ser. 34.
In omni benedictione solemni Sacerdotali. Ser. 35.
In solemni benedictione Abbatis. Ser.36.
In solemni benedictione Abbatissę. Ser.37.
In solemni receptione nouiciorum. Ser.38.
In solemni professione nouitiorum. Ser.39.
In omni collatione beneficiorum sine cura. Ser.40.
In solẽni collatione curę parochialis.Ser.41.
In solemni baptizatione.Ser.42.
In solemni confirmatione.Ser.43.
In solemni communione. Ser.44.
In noua Missa. Ser.45.
In solemni impositione pœnitentię. Ser.46.
In solemni ministratione Vnctionis extremę. Ser. 47.
In solẽni collatione status clericalis. Ser.48.
In solemnibus Ordinibus.Ser.49.
In solemni tractatu de Matrimonio contrahendo. Ser.50.
In solemni benedictione nubentium.Ser.51.
In solemnibus cõuiuijs nuptiarum. Ser.52.
In omni visitatione. Ser.53.
In visitatione parochiarum per Prælatos facienda. Ser.54.
In visitatione cleri in principio. Ser.55.
In visitatione religiosorum in principio. Ser.56.
In visitatione Clericorum, vel religiosorum in fine. Ser.57.
In solemni inquisitione in principio. Ser.58
In inquisitione non inueto crimine. Ser.59.
In terminatione inquisitionis inuento crimine. Ser.60.
In inquisitione hęreticorum.Ser.61.
In solemni condẽnatione hęreticorũ.Ser.62.
In prædicatione Crucis in genere quocunque. Ser.63.
In prædicatione crucis contra hæreticos. Ser. 64.
In prædicatione Crucis contra Sarracenos. Ser. 65.
In solemni excommunicatione. Ser.66.
In solemni terminatione causarum. Ser.67.
In solemni denunciatione malorum. Ser.68
In solemni accusatione cuiuscunque.Ser.69
In solemni dispositione magnatum sæcularium per Ecclesiam faciendam. Ser.70.
In solemni depositione Prælatorum.Ser.71.
In solemni degradatione clericorum. Sermo 72.
In solemni petitione resignationis prælationis. Ser.73.
In solemni responsione de non recipienda resignatione. Ser.74.
In solemni responsione de recipiẽda resignatione. Ser.75.
In solemni missione Legati. Ser.76.
In prima congregatione Legati. Ser.77.
In receptione solemni Legati. Ser.78.
In solemni recessu Legati.Ser.79.
In solemni repræsentatione Legati coram Papa. Ser.80.
In solemni benedictione, seu coronatione Regis. Ser.81.
In solemni coronatione Reginæ. Ser.82.
In omni electione Potestatis sæcularis. Sermo 83.
In militia noua solemni. Ser.84.
In torneamentis. Ser.85.
In parlamentis Regum. Ser.86.
In solemni tractatu alicuius negotij.Ser.87.
In tractatu solemni pacis. Ser.88.
De confratrijs. Ser.89.
In congregationibus factis pro aliquo sancto. Ser.90.
In nundinis. Ser.91.
In mercatis. Ser.92.
In subita conuocatione multitudinis.Ser.93
In quibusdam festis. Ser.94.
In solemni recessu peregrinorum. Ser.95.
In solemni receptione peregrinorũ redeuntium. Ser.96.
In solemni receptione domini sæcularis. Ser. 97.
In exequijs mortuorum solemnibus.Ser.98
In Commemorationibus Defunctorum. Sermo 99.
In conuiuijs Defunctorum.Ser.100.

HVMBERTVS Pruliacensis Abbas in quattuor libros Sent. Viuebat ann.1377.

HVMBERTVS Monachus Tullensis à Leone Papa Cardinalis creatus, ac deinde ab eodem missus Constantinopolim ad confutandas Græcorum hæreses, confutauit scripta Sigeb. in Catal. Ann.Do. 1050. Trit.

Leonis

Leonis Acridani Bulgarorum Archiepiscopi. Scripta item Nicetæ Pectorati, eumque præsente Imp. Constantino, adegit, vt ipsemet Niceta librum suum anathematizaret, & manu sua in ignem inijceret. Quicquid autem ibi egit Humbertus quasi per dialogum sub persona Romani, & Constantinopolitani scripsit.

HVMFRIDVS Neckton, Carmelita edidit Sermones Dominicales, lib. 1. Quæstiones ordinarias libro altero. Lecturas Scholasticas libro alio. Super Articulis Theologicis librum. Obijt ann. 1303.

HVMVLVS Episcopus Lugdunensis in Gallia scripsit contra Iudæos, ann. 833. Vide in verbo, Hamulus. Idem est enim.

HVNGARIVS. Vide in verbo, Hugarius.

HVNIBALDVS Gallus Monachus, (vt asserit in Ligno Vitæ Arnoldus Vuion) Ordinis S. Benedicti, floruit tempore S. Mauri Abbatis in Gallia, & scripsit Historiam ab Orbe condito libris duodeuiginti, qui num sint excusi, nescio. At ex ijs multa desumpsere Vincentius Beluacensis, Tritemius, Antonius Demochares, & alij, vbi de Galliæ Regibus agunt.

HVSVARDVS Monachus, quem Tritemius nominat *Isuardum*, prouocatus studio Hieronymi, & Bedæ, qui dies Sanctorum anniuersarios ex parte notauerant, quin & iussu Caroli Magni Imperatoris, cui Hieronymi, & Bedæ breuitas displicebat, conatus est Opus illud imperfectum supplere, quamobrem singulorum dierum commemorans Sanctos, qui in eos inciderant, Martyrologium absoluit. Sigeb. in Catal.

H Y

HYPERASPISMVS Ambrosij Pelargij, siue Propugnatio, siue Apologia pro Sanctissima Eucharistia contra Oecomlampadium. Vide in verbo, Ambrosius Pelargius.

HYPERASPISTES Matthię Bredembachij pro suo libello, contra calumnias Henrici Pilei. Vide in verbo, Matthias Bredembachius.

HYPERASPISTES Rosarij Godefridi Drielli Nouiomagi contra Caluinianum. Vide in verbo, Godefridus Drielli.



I A



IACOB Patriarchæ Testamentum à Gelasio Pont. Max. Dist. 15. inter apocrypha numeratur. Porrò quam Ebionitæ hæretici expositionem sub nomine Iacob emiserant, quæ Scala inscribebatur, de qua Genes. 28. fuit illorum commentum. Vide Epiphan. primo lib. Panarij in confutatione Ebionitarum.

IACOBATIVS Cardinalis. Vide in verbo, Dominicus Iacobatius.

IACOBINVS Malafossa, siue *Malafossius*, ex oppido Barges, quod situm est in Italiæ Subalpinis, quæ Gallis sunt finitimæ, Ord. Franciscani, qui diu publicè professus est Theologiam in Academia Patauina, & Taurinensi, suam edidit enarrationem in Doctoris Ioannis Duns Scoti primum librum Mag. Sentent. In qua centum quinquaginta, quæ videntur esse contradictiones Scoti soluuntur. Patauij ann. 1560. Expositionē item Metaphysicæ Aristotelis. Viuebat nostra ætate plenus dierum.

IACOBVS Achonensis Episcopus, scripsit Orientalem Historiam. Hunc citat Auctor eius libri, qui inscribitur. *Hortus sanitatis*. Ei quoque ascribitur liber de Vita Beatæ Mariæ Ougiensis.

IACOBVS Aegidij, Ord. Prædicatorum, Qui & Magister fuit sacri Palatij, librum De Veritate Conceptionis Beatiss. Virginis, scripsit, mandante Calisto Pont. Max. PP. Mon. Ord. & Ant. Senensis.

IACOBVS Alexandrinus, Ord. Minorum præter Commentaria in Aristotelis Physicen, reliquit Postillam Quadragesimalem, quæ incipit: *Post sapientis Medici*. Henr. Vill.

IACOBVS Alitiensis, quæ Ciuitas est Apuliæ primaria, monachus, Ordin. Cęlestinorum, Paulo Carafæ, Quarto huius nominis, Pont. Maximo charus, scripsit Dę consolatione Crucis. Dę Cęrimonijs sui Ordinis. De vita Sancti Cęlestini Papæ. Malleum aduersus Lutheranos.

IACOBVS Almain monachus, scripsit De potestate Papæ.

IACOBVS Altauilla Germanus Rinaugiensis, scripsit in Magistrum Sent. ac librum nariarum Quæstionum. Viuebat ann. 1363. Eisingr.

IACOBVS de Anglia. Vide in verbo, Iacobus Bruxellensis.

IACOBVS Anglicus, & cognomento, & natione, scripsit in Canticum Canticorum Salomonis. Expositionem Euangeliorum per Conciones. Lecturas (vt vocant) Scholasticas. Viuebat ann. 1270.

IACOBVS Antonius Martha, Societatis Iesu, De quattuor Temporibus anni.

IACOBVS Apostolus, frater Domini, cognomēto Iustus, Mariæ [a] sororis Matris Domini, cuius Ioannes in Euangelio [b] suo meminit, filius, post passionem Domini statim à S. Petro Hierosolymorum Episcopus ordinatus [c]: dictus item minor, non perfectione, ac virtute, sed vocationis ordine (quandoquidem Iacobus filius Zebedæi, & frater Ioannis Euangelistæ, prius vocatus est) de vtero matris [d] sanctus fuit: vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, numquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Vestibus laneis non vtebatur, sed lineis; solusque ingrediebatur Templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur, vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. laminam, [e] siue bracteam auream gestare solitus in signum Regalis Sacerdotij, atque vti suminus eius Ecclesiæ Sacerdos; cum vnde triginta annos [f] Hierosolimytanam rexisset Ecclesiam, vsque ad septimum Neronis annū, ab Anano [g] Pontifice adolescente, Anani filio, de genere Sacerdotali, accepta occasione ἀναρχίας (mortuo enim Festo, qui Iudęam procurabat, ad quā nondū Albinus peruenerat, quem ei Nero suffecerat) Concilio congregato, dum publicè compelleretur, vt Christum Dei filium denegaret, contradicens, lapidari iussus est: Qui cū pręcipitatus de pinna Templi, confractis cruribus, semiuiuus tollens ad cęlum manus, diceret, Domine ignosce eis; quod enim faciunt, nesciunt; fullonis fuste in cerebro percussus interijt, ac iuxta Templum, [h] vbi & præcipitatus fuerat, sepultus est, anno ab ortu Domini sexagesimotertio:

a Hier. de vir. Illustr.
b Io. 19.
c Euseb. lib. 2. hist. ca. 26. ex Clem. Alex. Chryso. in Io. hom. 54.
d Egesippus.
e Egesipp. de excidio Hierosolym. Euseb. lib. 12. c. 22. Hieron de Script. eccles. Epiph. in Panar. hær. 78.
f Vide Baron. To. 1. Annal. eccles.
g Ioseph. 20. lib. Antiquitatū. Clem. 7. hypotyposeō. Orig. lib. 1. cōtra Celsum. Metaphrastes & alij.
h Hieronym.

Ibi

Ibi autem & Titulus vsque ad obsidionem Titi, & vltimam Adriani, notissimus mansit. Sed & huius postea corpus Romam translatum est, & vnà cum D. Philippi Apostoli corpore, in vna & eadem æde, quæ dicitur Apostolorum, conditum. Ceterum Hieróny mus indicat, nõnullos ex vetustis auctoribus, hunc Iacobum fratrem Domini de numero duodecim Apostolorum, quos primum Christus elegit, exemisse; eumque tertiumdecimum Apostolum, sicut & Paulum quartumdecimum appellasse. Porrò quæ fusius de vita, morteque Iacobi ex Patribus collegit Baronius Card. ea extant Tomo primo eius Annalium, sub annum Christi 63.

Scripsit autem Iacobus Epistolam, quę est prima de septem Canonicis, quoniã & prius ipse hanc scripsit, quàm alij Apostoli reliquas. Eam quum duodecim misisset tribubus, quæ erant in dispersione, quæ ob persecutionem Hierosolymis post necem Stephani Protomartyris, accidit, aptè eos docet (vt inquit Oecumenius) de tentationũ varietate, quęnã à Deo sit, & quæ à proprio corde hominum, quodque non verbo tantum, sed & opere fidem oporteat ostendere, neque auditores legis, sed effectores iustificari. De diuitibus quoque præcipit, ne in cętu Ecclesiæ præponantur pauperibus, sed potius increpentur, tã quam fastuosi, & superbi. Et tandem consolatur illos, qui iniuria afficiuntur, eosque hortatur, vt longanimes sint vsque ad Iudicis aduentum: Vbi etiam de patientiæ commodo, exemplo Iob, docuit. Præcipit, aduocari Presbyteros super infirmos; vtq; studeant ad veritatem conuertere eos, qui seducti sunt, aut qui errant. ait enim, huius mercedem esse à Domino peccatorum remissionem. & ita concludit Epistolam; quam Latini in capita quinque, Græci in septem distinxere. Huius autem magis distinctam partitionem proposuit Ederus libro quarto suæ Oeconomiæ à Tabula centesimatrigesimaquarta, vsque ad centesimamquinquagesimamtertiam, quæ maximè facit ad eius partium liquidiorem notitiam.

Cum autem nonnulli antiquitus de Epistolæ huius auctoritate dubitassent, propterea quòd non omnibus fortasse initio innotuerat, eam Eusebius & Hieronymus, deinde & postea Innocentius & Gelasius cum Concilio septuaginta Episcoporum, Conciliaque Carthaginense, Mileuitanum, Laodicenum, Florentinum, Tridentinum comprobarunt: id quod & antea fecerant Alexander[a] Quintus à Petro, Anacletus,[b] Marcellus.[c] Et loca ipsa huius Epistolæ, quæ citarunt Dionysius Areopagita, Cyrillus Alexandrinus, & Augustinus, ponit Ederus, eo quem diximus loco: Cum & inter alios Sixtus Senensis Adnotatione trecentesimatrigesimaseptima libri sexti suæ Bibliothecę, & septimo eiusdem libro in confutatione hæreseos nonæ, obiectione prima, secunda, tertia, quarta diligenter, ac copiosè, Bellarminus autem Card. breuiter libro primo de Verbo Dei, capite decimooctauo, tomo primo, idem plusquam satis, præter Canum,[d] & alios, confirment.

a Epist. ad omnes Episcopos.
b Epist. de oppressione Episcoporum.
c Epist. ad Episcopos Antiochene Ecclesi.
d Canus de locis communibus.

At præter hanc Canonicam Epistolam, pleraque alia scripsisse fertur; in quibus Euangelium erat, quod à quibusdam Iacobi, ab alijs, secundum Hebræos, inscribitur: cuius etiam sæpè meminit Origenes, ac cui Hieronymus, qui illud ex Hebræo Græcè & Latinè transtulit, graue præbet testimonium in Catalogo Scriptorum Illustrium. Sic autem dicit: Euangelium, quod appellatur secundum Hebræos, à me nuper in Gręcum, Latinumque Sermonem translatum, quo Origenes sæpè vtitur, post resurrectionem Saluatoris, de Iacobo sic refert: *Dominus autem cum dedisset Sindonem seruo Sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. iurauerat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusq́ post paululum. Afferte, ait, Dominus mensam & panem. Statimq́ additur. Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Hæc Hieronymus; qui in eodem libro, de Ignatio loquens, inquit: *Ignatius vnam ad Smyrnaos scripsit Epistolam, in qua de Euangelio, quod nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego verò & post resurrectionem eam in carne vidi; & credo quia sit; & quando venit ad Patrem, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis; Ecce palpate, quia dæmonium non sum incorporale: & statim tetigerunt eum, & crediderunt.* Rursum libro tertio aduersus Pelagianos; In Euangelio, inquit, *iuxta Hebraos, quod Chaldaico Syroq́ sermone, sed*

Hebraicis

Hebraicis litteris scriptum est (quo vtuntur vsque hodie Nazareni secundum Apostolos, siue, vt plerique autumant, iuxta Matthæum) & in Cæsariensi Bibliotheca habetur, narrat historia : Et ecce mater Domini, & fratres eius dicebant ei, Ioannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum; eamus, & baptizemur ab eo. dixit autem eis: *Quid peccaui, vt vadam, & baptizer ab eo?* Recipit quoque scripturę huius auctoritatem Origenis pręceptor Clemens Alexandrinus; qui cum in secundo Stromatum libro vellet astruere, admirationem esse primum gradum ad perfectam Dei cognitionem, hinc dicti sui confirmationem accepit, inquiens: *Hac ratio ne scriptum est in Euangelio secundum Hebræos, qui admiratus fuerit, regnabit; &, qui regnabit, requiescet*. Citatur ex hoc Euangelio ab Origene in secundo Tomo in Ioannem alia quoque sententia, in hæc verba : *Dixit Christus, modo accepit me mater mea Spiritus Sanctus, vno capillorum, & me in montem magnum Thabor portauit*. Quæ quidem sententia, nisi candidè consideretur, videtur continere hæresim Gnosticorum, & Valentinorum, asserentiũ, Spiritumsanctum esse matrem Christi. Proinde Origenes, loco iam citato, inquit, *hoc ita interpretandum esse, vt dicamus, Spiritum sanctum appellari matrem Christi, non natura, & generatione, sed maternæ pietatis imitatione*; id est, quia Spiritus sanctus semper facit voluntatem Patris. *Et omnis*, ait Christus, *qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis, hic Pater meus, & Mater mea est*. Egesippum, qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, multa ex hoc Euangelio enarrasse, Eusebius quarto Ecclesiasticæ historiæ libro, testis est.

Quin etiam Athanasius in Synopsi refert, Iacobum ad Euangelium Matthæi Hebraicè scriptum, interpretationem primum omnium adhibuisse. Sed quod prodijt ab hæreticis non ita multos ante annos in Germania Protoeuangelium Iacobi, siue Sermo historicus de Natiuitate Deiparæ, continens historiam Natiuitatis Mariæ, vsque ad aduentum Magorum falsum est: in quo inter alia eiusmodi, illud etiam adijcitur absurdissimum, nempe Iosephum & Mariam, stupri & sacrilegij accusatos, ex Decreto Sacerdotum simul fuisse adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moses explorari iussit innocentiam fęminæ de adulterio suspectæ.

Liturgia etiam, quam habemus Gręcam & Latinam, cuius initium est: *Peccatorum multitudine inquinatum*, reuera fuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ traditam, cum alij, tum Cyrillus, eiusdem Ecclesiæ Hierosolymorum Episcopus, quinta sua Mystagogia, satis indicar, quippe qui plura ex Missa Iacobi acceperit. Qua de tota re, vide Claudium Sanctium Episcopũ Ebroicensem, & Iacobum Pamelium in ijs, quę in Liturgica Patrum scripserũt: Nã quæ ex Proclo, & ex Synodo in Trullo habita, profert Sixtus testimonia, quibus hoc ipsum affirmet, minus fortasse (etiamsi vera sint) expedit afferre, quòd Synodus in Trullo habita, nec generalis, neque legitima fuerit, vt ille opinatus esse est visus, & ante Proclum alij synceriores Ecclesię Patres idipsum testati sunt.

Porrò in Canonicam D. Iacobi Apostoli Epistolam scripsere Didymus Alexandrinus, sed non extat. Oecumenius, qui Gręce, & Latinè extat. Aurelius Cassiodorus, Gregorius Ariminensis. Thomas Valdensis. Augustinus de Ancona. Franciscus Titelmannus. Ambrosius Catharinus. Claudius Guillandus. Iacobus à logenhagen quibusdam Adnotationibus. Ioannes Chiningan. Ioannes Noblet. Nicolaus Dunkespulus. Thomas Sperman. Quod autem Ioannis Folengij nomine extat in eam, prohibitum est in Romano Indice.

Alterius verò Iacobi, hoc est, maioris, qui fuit frater Ioannis Apostoli, nomine prænotatus liber ex Hispania nouissimè est missus, tamquam inuentus in Sancto monte Granatæ, quæ Ciuitas primaria est in Bætica prouincia, ad Clementem Octauum Pont. Max. Inscriptio autem libri est, *Fundamentum Ecclesiæ*, qui liber duodecim folia continet. Vita item, & miracula eiusdem Apostoli. Quæ tamen hactenus sunt dubiæ fidei, atque pro apocryphis habita. Vide in verbo, Cęcilius, & socij.

IACOBVS Archiepiscopus Genuensis. Vide in verbo, Iacobus de Varagine.

IACOBVS Aquinas, Ordin. Prędicatorum, scripsit contra Gulielmum de S. Amore. Gennad. in Catal.

IACOBVS Asculanus Picens, ex Oppido quod dicitur, *Mons Brando*, Ord. Minorum,

Summam

Summam Pisanellam recensuit; doctrinam Scoti redegit in Tabulas. Scripsit Quodlibeta, ac denique in quattuor libros Magistri Sententiarum. Viuebat ann. 1464. Franciscus Gonzaga.

IACOBVS Astensis, & monachus, ac Prior Monasterij Benedictinorum de Mantua (vt vocant) sententias è Patribus congessit in vnum, quæ ibidem extant manu scripta. Viuebat ann. 1520.

IACOBVS de Astudillo Hispanus, Ord. Prædicatorum, qui æqualis fuit Francisci Victoriæ, cum vterque Theologiam profiteretur, præter eruditas in libros Physicorum Quæstiones, quæ in Hispania fuerunt excusæ, scripta in Euangelia D. Matthæi, & in Epistolas D. Pauli, quin & Commentaria in alios Scripturæ Sacræ libros reliquit. Quæ in Collegio Vallis Oletanæ asseruari, inquit, Ant. Senensis in suo eiusdem Ord. Catalogo.

IACOBVS Augubaris Decanus, scripsit de Indulgentijs.

IACOBVS Aurimontius, ann. 1602. emisit Ingolstadij Sertum Hunnianum ex absurditatum floribus, quos in colloquio Ratisbonẽsi effudit Aegidius Hunnius hæreticus.

IACOBVS è S. Andrea Senensis, Ord. Prędicatorum, Theologus, scripsit lecturam in quattuor lib. Magistri Sententiarum. Sermones, vt vocant, Dominicales, ac Quadragesimales, & alios. Libros Etymologiarum Isidori Hispalensis redegit in Alphabeti seriem. Viuebat ann. 1262.

IACOBVS Attauantius, Florentinus, Ord. Seruorum B. M. V. Generalatu sui Ordinis sexennio perfunctus, scripsit Sermones Quadragesimales, & de Christi Domini Aduentu. Tractatum de mysterio Missæ. Expositionem in Psalmos Dauidicos. Commentarium in quattuor libros Magistri Sententiarum. Opus insigne super eundem sententiarum Magistrum: Quæstiones theologiæ inscriptas. *Ager Dominicus*. Florebat in Academia Pisana ann. 1588.

IACOBVS de Beluisio egit de excommunicatione, To. 14. fol. 387. inter Tract. Iuris.

IACOBVS Beneuentanus, siue *de Beneuento*, Ord. Pręd. Theologus, quem omnium rerum scientia ornatum scribit Antonius Senensis Lusitanus. Scripsit Opusculum De Articulis fidei. Aliud, De Oratione Dominica. Aliud, De Sacramentis. Aliud, De decem pręceptis. Aliud, De octo Beatitudinibus. Aliud, De dotibus. Aliud, De fructibus. Aliud, De virtutibus. Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Quoto autem anno, vel quonam seculo vixerit, tacet idem Antonius Senensis in Catalogo suorum Patrum.

IACOBVS Billius Pruņeus, Gallus, nobilis, & Abbas Sancti Michaelis in Eremo, in Britannia, vertit è Gręco in Latinum syncerissimè Gregorium Nazianzenum, Ioannem Damascenum, Epistolas Isidori Pelusiotę, ac decem, & octo capita primi libri Irenęi Lugdunensis Episcopi, & martyris. Quin, & duos libros Sacrarum Obseruationum in varias aliorum versiones reliquit, quas Ioannes Cathardus Parisijs emisit in lucem vna cum versione Isidori Pelusiotę, de quibus vide singulos suis locis huius Apparatus. Quin & Anthologiam Sacram octastychis versibus cõprehensam Parisijs ann. 1575. apud Nicolaum Chesneau. Gręcas item locutiones digessit in communes locos per seriem Alphabeti, quę apud eundem Nicolaum prodierunt. Erat autem Iacobus Billius vir optimus, & solidè catholicus: sic verò pręter alias disciplinas linguę Gręcæ peritus, quàm qui maximè post quinquaginta annos in Gallia. Ei duo alij fratres fuere, pietate similes, alter Cartusianus, & Prior Cartusię Gallionis propè Normaniam, alter Cęnobiarcha D. Vincentij Lugdunensis. Vixit ipse nostra ętate, Henrico II. & Carolo IX. Regibus Gallię.

IACOBVS Bosius ann. 1594. è Vaticana Typographia Romana primam, & secundam Historiæ suæ, partes, Ordinis militaris D. Ioannis Hierosolymitani Italicè edi curauit. Quam ad rem fatetur ingenuè, se diligentia fratris sui Othonis, Equitis Rhodij, atque Ordinis Procancellarij adiutum; plurima ex Archiuis, & monumentis alijs collegisse, quæ ad eius Operis absolutionem pertinebant. Porrò id in quattuor partes cum distribuisset, egit in prima de origine, progressu, & gestis Hierosolymitani Ordinis, ad id vsque tempus; quo ex Iudæa, Syriauè, quæ *Terra Sancta*, dicitur, expulsus est, quamuis defuerint,

rint, qui initio Ordinis illius gesta posteritati mandassent. In secunda verò de ijs, quæ contigere, quousque ex Insula Rhodo à Turcis expugnata eiecti sunt: In tertia acturum se pollicetur de alijs, quæ postea ab ijsdem gesta sunt vsque ad fugatam Turcicam classem ab Insula Melita, nouamque in ea Ciuitatem extructam, quam *Vallettam* appellarunt. In quarta, quæ ad hæc vsque tempora euenerint. Sed hæ duæ postremæ partes nondum, quod sciam, prodierunt in lucem.

IACOBVS Bourleus, Theologus, Gallicè edidit Orationes ad Christum Dominum, & S. Dionysij Missam, Parisijs apud Gulielmum de la Naue.

IACOBVS Brutus, Nouocomensis, Lector Religiosorum Fratrum Ord. S. Saluatoris, edidit Opus De immortalitate animæ, prænotatum *Aurea Corona pretiosissimis conserta lapillis*. Venetijs apud Ioannem de Tridino, ann. 1496.

IACOBVS Bruxellensis, alijs de *Anglia*, Ord. Præd. admodum in D. Thomæ Aquinatis doctrina versatus, Quæstiones, atque Articulos, quos D. Thomas innuens nō expresserat, sed his verbis, *vt supra dictum est, vel infra dicetur*, significauerat, adnotauit tam in p. p. quam in P. 2. & 2. 2. quas citationes postea integriores emisit Ant. Senensis.

IACOBVS Cęlius, Carmelita Ticinensis, librum edidit De diuortio Henrici Octaui Anglorum Regis. Item De Purgatorij loco, lib. 1. De Genealogia Christi, lib. 1. De filio hominis, lib. 1. Viuebat ann. Dom. 1533.

IACOBVS Caluus de Albeto, Archipresbyter Tusculanus, scripsit, atque edidit ex Officina Aloysij Zanetti Romæ ann. 1600. librum, quem prænotauit: *Synaxim cura animarū ex doctrina S. Thomæ de Aquino syncerè, summatimq́; collectam*. Quam equidem vti perutilem suaserim lubens, vt omnes, quibus incumbit animarum cura, perlegant. Siue enim doctiores fuerint, recolent quæ ex tanto Doctore hauserunt; siue interioribus Theologię studijs non vacauerint, facilè, ac tutò cognoscent quæ ad eorum Officium hoc in negocio pertinent.

IACOBVS Cæsa, Ordinis Minorum, Tractatum De Conceptione B. Virginis scripsit.

IACOBVS Castellanus, Theologus, Compēdium omnium Operum Martini Nauarri ab Azpilcueta per seriem Alphabeti collectū emisit Venetijs apud Robertum Meietum, ann. 1598. Compendium autem Constitutionum Summorum Pontif. à Gregorio VII. vsque ad Clementem VIII. Pont. Max. apud Societ. Venetam ann. 1603.

IACOBVS Catalanus, dictus de *Catalonia*, Ord. Prædic. scripsit Tractatum De Conceptione B. Virginis. Ant. Senensis Lusitanus.

IACOBVS de Certaldo, quem ob sanctitatem *Beatum* vocant, Monachus Camaldulensis, qui floruit ann. 1470. scripsit De Secundo Domini Aduentu, & varia quędam, quę Raphael Volaterranus recensuit.

IACOBVS è Cezolis, Ord. Prædicatorum, Sermones varios scripsit, & librum moralem de ludo Scacchorum, pro nobilibus. Viuebat ann. 1295. Ant. Sen. Lusitanus.

IACOBI Chimarrheti liber prænotatus, *Panis quotidianus animæ Calestia esurientis ex tribus farinæ satis, hoc est Sacra scriptura, Orthodoxorum Patrum, & Authenticorum Doctorum libris congestus*. Coloniæ excusus est apud Henricum Falckenburg, ann. 1590.

IACOBVS Christopolitanus. Vide in verbo, Iacobus Perez.

IACOBVS Columna, Ordin. Prædicatorum, scripsit Chronicon vsque ad ann. 1340. ex quo D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus eum citans, plura in suas Historiales partes deriuauit.

IACOBVS Couthonus Burgundus, Refutationem edidit narrationis falsæ de Colloquio inter Episcopum Ebroicensem, & Philippum Mornæum hæreticum habito coram Galliæ Rege in loco, qui dicitur *Fontaine Bleau*. Moguntiæ apud Albinum, ann. 1603.

IACOBVS Damhuderius Institutiones Christianas emisit ex vtroque Testamento desumptas. Venetijs apud hæredes Sessæ, ann. 1597.

IACOBVS Dauy, dictus de Perron, siue Perronius, Gallus, Episcopus Ebroicensis, quę Ciuitas est in Normannia, Primus Henrici Quarti Regis Christianissimi eleemosynarius S. R. E. Cardinalis à Clemente Octauo Pont. Max. creatus, insignis autem pro Fide

Catholica aduersus hæreticos Athleta, edidit Gallicè librum inscriptum: *Acta Collationis inter Episcopum Ebroicensem, & Philippum Mornæum Plessæum, coram Rege ad fontem Aquæ Belleum, quarta die Maij ann. 1600. Cum Refutatione falsi Discursus, siue Enarrationis eiusdem Collationis.* Porrò hi libri Ebroicæ editi apud Antonium Coniugatum, *le mariè*, magni momenti sunt, & ad hæresim, & ad effrontem hęreticorum peruicaciam indicandam, qui vinci possunt, persuaderi non possunt, at quos prodidisse, refutasse est. Scripsit etiam idem Episcopus Gallicè aureum libellum De ratione intelligendæ Sanctæ scripturæ. Is item scriptum Gallicè emisit Refutationem libri euulgati à Daniele Tileno hæretico, aduersus Traditiones Apostolicas. Ibidem apud eundem anno 1601. Sed & ex tam diuite penu expectamus alias quæ habet præ manibus aduersus hæreticos; vir certè doctissimus.

IACOBVS Erfordiensis Cartusianus Tractatum scripsit curandorum vitiorum.

IACOBVS Eisingrenius Stucchardianus è Vittembergensi Ducatu, Sueuus, post aliquam impensam operam in Psalmorum ex Hebræo versionem, Hodæporicon F. Felicis Fabri Vlmensis descripsit, & precationes cum gratiarum actionibus è Græcorum Horologio, iuxta tamen ritum, ac fidem S.R.E. collegit. Viuebat ann. 1560.

IACOBI Fabri Commentaria in Euangelia; in Epistolas D. Pauli, & in Canonicas, & in Psalmos, Tractatus item De tribus Magdalenis, à Clemente VIII. Pontifice Max. in Indice prohibitorum librorum tamdiu sunt prohibita, quamdiu ab alicuius Vniuersitatis Catholicæ facultate Theologica, vel iussu Inquisitionis Generalis emendata prodierint in lucem. Ac quidem Iacobus Faber præter quædam in Aristotelem, atque in Boetij Arithmeticam, & in Ioannem De sacro Bosco, scripsit De Trinitate. De Ornatu Spiritualium Nuptiarum. Scholia in Opera D. Dionysij Areopagitæ. Commentaria in Ecclesiasten. In Richardum. In Hugonem de S. Victore. Argumenta in Epistolas vndecim S. Ignatij, ac vertit è Græco in Latinum S. Ioannem Damascenum. Veruntamen vt hæc versio valde postponenda est ei, quàm à Iacobo Billio accepimus; ita de alijs Fabri scriptis prælegẽda sunt, quæ vir doctus Natalis Beda, Theologus Parisiensis scripsit in primo libro suarum Annotationum, quibus Fabrum expendit, & confutat.

IACOBI Fabri Molinensis Theologi Sorbonici HyperAspistes pro Sacrosancto Missæ Sacrificio aduersus impiam Missæ, ac Missalis Anatomen. Parisijs apud Iacobum Keruerium, ann. 1563.

IACOBVS Feldius Augustinianus, Conciones in Euangelia, & Epistolas, quæ per Quadragesimam in Ecclesijs proponi solent, è tabulis collegit, auctas deinceps ab Aegydio Topiario Belga; excusæ autem sunt primò Lugduni apud Gulielmum Rouillium anno 1568. deinde non semel alibi. Sed vide in verbo, Iacobus Veldius, vbi plura illius.

IACOBVS Ferram, qui natus Tripoli è non Christianis parentibus, à Christianis tamen captus, ac postea non solum Christo in Baptismo nomen dedit, verum etiam in Sacrum Dominicanorum Ordinem cooptari voluit, in quo & Theologiam professus est, ac Prouincialis in Aragonia bis fuit, composuit Officium B. Raymundi, quod recitatur in Regnis Cataloniæ, Valentiæ, atque Aragoniæ die 7. Ianuarij. Obijt Pamplonæ, siue *Pompilone*, circa annum 1566.

IACOBVS Feutius Germanus, Defensionem edidit Articulorum Bauaricorum aduersus Lucam Osiandrum, Ingolstadij ann. 1572. Germanicè. Item Monachij ann. 1573. Refutationem quoque viginti caussarum, quas quidam, qui nolunt esse Catholici, solent afferre. Germanicè Coloniæ ann. 1583.

IACOBVS Florentinus, Ord. Minorum, Summam Raymundi Pisani recensitam abs se, emisit in publicum.

IACOBVS Florentinus, Ord. Seruorum, plura cecinit carmine Etrusco in laudem Beatissimæ Virginis, atque aliorum Sanctorum. Vitamq; B. Philippi, qui Ordinem ipsorum instituit. Extant m.s. varijs in locis apud eiusdem Ordinis Patres. Obijt Florentiæ anno 1528. Michael Pocciantius.

IACOBVS Fornerius, siue *Furnius*, Tolosanus, Ord. Cisterciensis, qui Benedictus X.

huius

huius nominis Summus Pontifex fuit, scripsit Vitam S. Io. Gualberti, quę extat apud Surium Tom. 4. ad diem mensis Iulij duodecimam.

IACOBVS Gandus (alijs *Gardus*) Florētinus, monachus D. Benedicti, Historiā vtriusq; Mundi, siue Diuinam, & Mundanā, edidit Florentiæ ann. 1570. Viuebat adhuc ann. 1572.

IACOBVS è S. Geminiano Ord. Minorum, scripsit Sermones de Tempore.

IACOBVS Genuensis Archiepisc. Vide in verbo, Iacobus de Varagine.

IACOBVS Girardus Treuorchianus titulos vniuersi Pontificij, ac Cæsarei Iuris in Tabulis per Alphabeti seriem digerens, lectionumque varietatibus, & Scholijs augens, quin & è regione ponens librorum Indices, ac Titulos, inscripsit librum: *Anchoram Titulorum vtriusque Iuris*.

IACOBVS Gorscius Polonus, qui Cracouiensi Academiæ nostra ætate præfuit, vir Sacerdos, ac doctus, Prelectionum Plocensium Quattuor libros emisit, quorum primus De Baptismo recens natorum Coloniæ prodijt ann. 1572. Secundus, & Tertius De Mediatore. Quartus agit, De vsu legitimo Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti sub altera specie: siue Redargutio eorum, qui nescientes quid dicant, reprehendunt temerè S.R.Ecclesiam, quòd communionem sub specie panis tantum populo dari antiquitus solitam pergat retinere. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1582. Atqui ipse Gorscius, vt eleganti erat ingenio, aliquot ante annos emiserat Commentariorum Artis Dialecticæ libros decem, in quibus è plerisque præstantibus viris præcepta vnum in Volumen aptè, atque eleganter congessit: cum & de Figuris tum Grammaticis, tum Rhetoricis libros quinque scripsisset. Qui ann. 1572. excusi fuere Cracouiæ.

IACOBVS Graffius, Ord. D. Benedicti Capuanus, libros Quattuor Decisionum Casuum Conscientiæ scripsit. Qui primò excusi Venetijs apud Damianū Zenarum, an. 1591. recusi sunt iterum auctiores apud eundem ann. 1593. quemadmodum fuerant Taurini, ac Lugduni ann. 1592. apud Iuntas. Ipse autem Auctor eodem tempore viuebat. Porrò Appendix tam primi, quàm secundi Tomi Decisionum Aurearum Casuum Conscientię eiusdem Graphij cum primo Venetijs apud eundem Zenarum prodijsset, Bononiæ est edita ann. 1603. apud Gasparem Bindonum. Scripsit & volumen Responsorum iuxta ordinem titulorum Decretalium, apud Ioannem Guarillium editum ann. 1604.

IACOBVS Gretserus Germanus, & Societatis Iesu, Sacræ Theologiæ in Academia Ingolstadiensi professor, Hęreticorum autem (quę Deo sit gloria) malleus, vertit è Græco Cōmentarios S. Gregorij Nysseni in Psal. Orationes nouem Leonis Imperatoris, quorum

1 In Sepulturam Christi.
2 In Resurrectinnem Christi.
3 In Ascensionem eiusdem.
4 In Pentecosten.
5 In Festum Palmarum.
6 In Assumptionem Beatiss. Virginis.
7 In Annunciationem eiusdem.
8 In Decollationem Sancti Ioannis Baptistæ.
9 In omnes Sanctos.

Homiliam Beati Gregorij Nysseni contra vsurarios. Scripsit autem
Institutionum lingue Græcę, libros tres. Rudimenta linguæ Græcæ.
Nomenclatorem Latinogręcogermanicum.
De Subterraneis animarum Receptaculis contra sectarios, præsertim Vbiquistas, qui ut Cęlum, ita Infernum ponunt vbique.
De Sanctissimę Trinitatis mysterio, pręsertim De Processione S. Spiritus à Patre, & Filio. Vbi soluuntur omnia argumenta Ieremię Constantinopolitani, quę attulit suis libris ad Confessionistas. Ingolstadij, ann. 1599.
Disputationem De pronunciatione linguę Græcę.
De Cruce Christi libros quinque. In quorum Primo, agitur de Cruce, in qua Christus est mortuus. Secundo, De Imagine Crucis. Tertio, De apparitionibus Crucis. Quarto, De Signo Crucis. Quinto, De Cruce spirituali.
De Cruce Christi Tomum alterum, in quo varia Gręcorum Auctorum encomiastica monumenta Gręcolatina continentur, nunc primum ex varijs Bibliothecis eruta, & in lucem prodita cum Annotationibus.

Refutationem historiæ Iesuiticæ cōtra Heliam Hascemullerum & Polycarpum Laiserum, hæreticos Lutheranos: quæ etiam in Germanicam linguam translata est.

Apologeticum pro Societate Iesu, contra Gabrielem Lermęum Caluinistam.

Libros quinque Apologeticos pro Vita B. P. N. Ignatij, contra calumnias Simonis Lithi Miseni, Caluinistæ.

Libros alios quinque Apologeticos pro eadem Vita B. P. N. Ignatij, aduersus repetitas Lithi Miseni calumnias.

Rursus alios quinque Libros, inscriptos Lithus Misenus Caluinista, nunc tertiò dedolatus, pro defensione Beati P. Ignatij, qui Societatem eandem instituit, ac fundauit. Accessit breuis, sed efficax pro eodem Miseno Consolatio, ob Iesuitas Galliæ publico Christianissimi Regis Henrici IIII. edicto firmatos, vel redditos. Ingolstadij, an. 1604. Ex officina Adami Sartorij.

Defensionem Apologię Gallicanæ Societatis Iesu in Gallia, ad Christianissimum Regem, contra criminationes eiusdem Lithi Miseni.

De modo agendi Iesuitarum cum Pontificibus, Prælatis, Principibus, populis, iuuentute, & inter se mutuò, oppositos eiusdem argumenti libello anonymo, & famoso.

Vindicatio locorum quorundam Tertullianicorum à peruersis Francisci Iunij Caluinistę deprauationibus.

Responsum ad Theses Hunnianas de Colloquio cum Pontificijs ineundo, in quo præcipuè de norma, & iudice controuersiarum agitur.

Digressiones sex aduersus calumnias Aegidij Hunnij Prædicantis Vuitebergensis de Colloquio Ratisbonensi.

Labyrinthum Creticohunnianum, hoc est, disputationem de Hunnio, prędicante Vuitebergensi, genioque Lutherano, semetipsum contradictionibus, fraudibus, mendacijs, & criminationibus implicante, confundente, & iugulante in articulo de Scriptura Sacra, De persona Christi, De Officio Christi, De iustificatione, De fide, & Operibus.

De iure autem & more prohibendi, & abolendi libros hęreticos & noxios, aduersus Franciscum Iunium, Ioannem Pappum, aliosq́ue Prędicantes, libros duos editos Ingolstadij ann. 1603. per Andream Angermarium.

Sed & ann. 1604. ibidem apud eundem excusi sunt eiusdem Iacobi Gretseri libri sex Exercitationum Theologicarum. Quorum

1 Commentariolus duplex, alter in numisma argēteum nuper ab hæreticis de Colloquio Ratisbonensi cusum. Alter in eiusdem metalli numisma in laudem Hussi, Lutheri, & Rabbi sub figura Anseris, Cycni, & Corui signatum, & vulgatum.

2 Commentarius & glossæ in orationem Hunnianam de Pseudoiobilęo Vvitebergensi.

3 Disceptatio, vtrum verum sit, Zuuinglium pręcipuum doctrinæ suæ caput didicisse à Diabolo, cum refutatione argumentorum, quę pro defensione Zuuinglij adfert Marcus Beumlerus Sacramentarius.

4 Supplementum duplex pro duobus libris de iure & more prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hęreticos & noxios.

5 Antimonium pro deliro quodam Medico, & Alchimista, qui nominis sui oblitus, se Basilium de Varna nominat, deliranti, eo fine, per triginta Doses porrectum, vt expurgato cerebro cum alia, tum etiam hoc discat, quæ nam sit controuersiarum norma, & quis Iudex.

6 Breuis admonitio, qualis sit liber Antigretserus inscriptus, à Pędotriba quodam Vvitebergensi in gratiam Hunnij emissus.

Ex Gallico vertit Latinè.

Apologiam Francisci Montani aduersus Inuectiuam Arnoldi Causidici Parisiensis; cum Appendice aduersus criminationes Anonymi cuiusdam Caluinistę,

Apologiam Societatis Iesu in Gallia ad Christianissimum Regem, cum Appendice aduersus Lutheranum quendam Prędicantem. Omnia prędicta excusa sunt Ingolstadij.

Pro-

Prodibunt paullò post.

Tomus tertius de S. Cruce, in quo varia numismata Cruce insignita, hymnique, & poemata Græcorum in S. Crucem.
S. Gregorij Nysseni lib. 13. contra Eunomium ex Græco versi.
Libri quattuor De norma & Iudice controuersiarum aduersus hæreticos.
Responsum ad notas cuiusdam Medici de norma, & Iudice controuersiarum.
Refutatio inscitiæ & impudentiæ, quæ nuper Hunnianus quidam emissarius Responsum Gretseri ad Theses Hunnianas insectatus est.

IACOBVS de Gruytode (vt verbis vtar Tritemij) natione Theutonicus, Ordinis Cartusiensium, Prior domus omnium Apostolorum iuxta Leodium, scripsit præclara quædam, & deuota Opuscula, de quibus subiecta feruntur.

De veris virtutibus, lib. 1.
De quattuor Nouissimis, lib. 1.
De preparatione ante Missam, lib. 1.
Meditationes passionis Domini.
Speculum Prælatorum, lib. 1.
Speculum subditorum, lib. 1.
Speculum secularium hominum, lib. 1.
Colloquium Iesu, & monachi, lib. 1.
Colloquium Iesu, & Senis, lib. 1. *Ne indigneris quæso.*
Colloquium Iesu, & discipuli, lib. 1.
De septem peccatis mortalibus, lib. 1.
De Vita Domini Iesu, *Fasciculus myrrha.*
De definitionibus monachi, lib. 1.
Lectionarius mensæ, lib. 1. *Comedite amici, & bibite, &c.*
Speculum Sacerdotum, lib. 1.
Speculum senectutis, lib. 1.
Colloquium Iesu, & Prælati, lib. 1. *Fac mecum Iesu dulcissime, &c.*
Colloquium Iesu, & Eremitæ, lib. 1.
Coronula S. Mariæ, lib. 1.
Dialogus Crucifixi, & peccatoris, lib. 1. *Ignosce quæso benignissime, &c.*
Dialogus Mariæ, & peccatoris, lib. 1. *Verbum mihi est ad te, &c.*
Meditationes compassionis Mariæ, lib. 1.
Sermones de Tempore, lib. 1.
Contemplatio Sanctæ Mariæ, lib. 1. *Vulnerasti cor meum, &c.*
Dialogus alius Mariæ, & peccatoris, lib. 1.
De nomine Iesu, & Maria, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Et alia multa. Viuebat ann. 1472. Tritemius.

IACOBVS Guallius libros aliquot scripsit De sanctuario Ciuitatis Papiæ, siue Ticini, quem citat Arnoldus Vion in suo libro Ligni Vitæ.

IACOBVS Hieronymus Cartusianus Conciones in diebus festis habendas edidit Parisijs apud Cheualerium, ann. 1528.

IACOBVS Hocstratus (Ant. Senensi *Hocstratanus*) Coloniensis, Ord. Prędicatorum, & olim Conuentus Coloniensis Prior, scripsit contra octo Lutheranorum blasphemias. De Fide, atque Operibus. De Purgatorio. Librum de libertate Christiana contra Lutherum. Margaritam Philosophiæ Moralis. Apologiam ad Cabalæ destructionem contra Io. Reuchlinum. Librum contra Sacerdotes concubinarios. Alia multa contra hęreticos. Quorum pleraque Coloniæ prodierunt an. 1525. Quo tempore ex hac vita decessit.

IACOBVS cognomento Hungarus, sed natione Gallus, Ord. Prædicatorum, & Theologus edidit Gallica lingua quattuor Homilias de Sacris imaginibus, Parisijs apud Nicolaum Chesneau, ann. 1564. cum ann. 1563. in funere Francisci Guisij Ducis, qui lethali vulnere ab hęreticis vulneratus non ita multò post sanctè obijt, orationem habitam in eadem Ciuitate emisisset ex prelo Aegidij Corrozeti.

IACOBVS de S. Iacobo reliquit quę manuscripta habebātur in Germania apud quendam antiquiorem Dresserum, Concordantias minores Bibliorum. Speculum de Institutionibus Clericorum. Tractatum de Pęnitentia. Alterum De officio Sacrosanctæ Missę. Alium De pugna virtutum, & vitiorum.

IACOBVS Iamsonius Amsterledamensis Theologiæ Louanij Professor scripsit in sacrum Missæ Canonem, quo S. R. Ecclesia per vniuersum Orbem vtitur. Id Louanij prodijt ann. 1596. Quin & ibidem ann. 1597. in eadem Ciuitate ex typographia Io. Masij, & Philippi Zangrij excusa est eiusdem expositio in Psalterium, & Cantica, quibus per horas

Canonicas eadem Romana Ecclesia vtitur. Dictio in hoc Scriptore commoda est: quæ, quòd ad scribendi rationem attinet, serit medium: nimirum ne concisior, neve laxior sit, sensu nitens litterali, reliquos non omittens. Atqui denique prodijt Commentarius eiusdem in Canticum Canticorum Louanij apud Bellerum, ann. 1603.

IACOBVS Iunterbuck Germanus, Ordinis Cartusiani, scripsit

De anno Iobilęi, lib. 1.
De causis multarum passionum, lib. 1.
De moribus Christianorum, lib. 1.
De triplici statu hominum, lib. 1.
Consolationem malorum huius seculi, lib. 1.
De modo seruandi Interdictum, lib. 1.
Apologeticum Religiosorum, lib. 1.
De cautelis diuersorum statuum, lib. 1.
De cognitione secretorum, lib. 1.
De veritate dicenda, vel tacenda, lib. 1.
De cogitationibus, lib. 1.
De contractibus, lib. 1.
De malis huius seculi, lib. 1.
De obedientia monachorum, lib. 1.
De arte moriendi, lib. 1.
De stabilitate monachorum, lib. 1.
De refręnatione cogitationum, lib. 1.
Soliloquium hominis ad animam, lib. 1.
De arte curandi vitia, lib. 1.
De septem peccatis mortalibus, lib. 1.
De eisdem mentalibus, lib. 1.
De potestate Dęmonum, lib. 1.
De dignitate Prælatorum, lib. 1.
De dignitate Sacerdotij, lib. 1.
De obseruantia mandatorum, lib. 3.
De Sabbatho, lib. 1.
De statu securitatis vitæ, lib. 1.
De intentionis directione, lib. 1.
De profectu vitę spiritualis, lib. 1.
De indulgentijs, lib. 1.
Sermones varios, lib. 1.
De bono mali, & remedio contra tentationes, lib. 1.
De duabus Ciuitatibus Hierusalem, & Babylone, lib. 1.
Directorium Ordinis sui, lib. 1.
De confirmatione statutorum Ordinis Cartusiensis, lib. 1.
De his qui frequenter, vel tardè celebrant, lib. 1.
Modus tentationibus resistendi, lib. 1.
Quæstiones, & dubia pro religiosis vtilia.
De tentationibus, & consolationibus religiosorum.
De planctu, & consilio peccatorum.
Oculum religiosorum.
Formulam reformandi religiones collapsas.
Tractatum de bona voluntate.
De perfectione Religiosorum.
De virtutibus Religiosarum.
De Confessionibus.
De Sanctificatione Sabbathi circa molendina.
De inchoatione festorum, & De viatoribus & vectoribus.
Collationes capitulares ad morem Cartusiensem.
Alias Collationes habitas (vt ait) sollemniter in Vniuersitate Cracouiensi.
Collationes in cętu Visitationis.
De cruoribus in diuersis locis repertis post Christi resurrectionem.
De cruore in Vuesenato.
Quæstionem, an bona temporalia monachi præsertim strictiorem ordinem profitentis personam sequantur, an non.
Igniculum deuotionis.
Colloquium hominis ad animam suam.
De contractibus ad redemptionem, & ad vitam.
De partitione redituum inter religiosos.
De dignitate Pastorum, & cura pastorali.
De septem statibus Mundi dupliciter.
De habitibus acquisitis, & infusis, & de charitate.
De malo per omnes seculi ætates.
De comparatione religionum, & de requisitis ad eas.
De censibus, & prouentibus monialium, & eorum receptionibus.
Auisamentum ad Papam pro reformatione Ecclesiæ.
De statu & officio Ecclesiasticarum personarum.
De beneficijs Ecclesiasticis, & erroribus circa beneficia ratione curiæ.
De actionibus, quantum ad malitiam & bonitatem.
De Theologia mystica.
Solutiones quorumdam dubiorum.
De potestate absoluendi Cartusianos.
De contractu reuenditionis, & emptionis.
De bono morali.

De

De erroribus & moribus Christianorum.
De potestate dęmonum, & illusionibus eorum.
De restitutionibus iniustè acquisitorum.
De statu securiori incedendi in hac vita.
De arcta & lata via.
De apparitionibus animarum separatarum.
Speculum aureum Institutionum ad beneficia Ecclesiæ.
De frequentatione Sacræ communionis.
Super quattuor libros Sententiarum.
De montibus Gelboe.
Sermones de Tempore, & de Sanctis.
Passionem Domini secundum quattuor Euangelistas.
Deuotam meditationem eiusdem.
Sermones { De animabus. De pœnitentia. De dedicatione. De Cœna Domini. De modo communicandi. De corpore Christi. De solutionibus. }
Confessionale.
De votis.
De desiderio moriendi.
De præparatione ad mortem.
De iudicijs Diuinis, & humanis.
Vtrum prælato omnia imputentur, quæ subditus committit.
Quodlibetum fallaciarum humanarum.
Scrutiniũ Scripturarum. Claruit an. 1466.

IACOBVS Kaauius, scripsit veteris Testamenti Expositionem, Noui autem vberiorem: quę extant m.s. inter eos Libros, qui Arabicè, atque Syriacè scripti, & Gregorio XI. Pont. Max. sub terrã defossi, oblati sunt paucos ante annos Herbipolensi episcopo vęnales.

IACOBVS item Kuchauius inter istos libros erat, prænotatus, De rebus mirabilibus Mundi.

IACOBVS Kerasthithus Presbyter Acronianus, edidit Monachij in Bauaria, ann. 1590. apud Adamum Berg, Apographum De vita & martyrio Trudperti Brisgoiorum Apostoli, qui ante nongentes amplius annos in Sylua Brisgoiæ Prouinciæ passus est, vbi & extat eiusdem nominis Monasterium.

IACOBVS Laingæus Scotus, Doctor Sorbonicus Parisijs, scripsit De vita, doctrina, & obitu Martini Lutheri, & Ioannis Caluini, aliorumque hæreticorum, qui liber ex Gallico in Latinum sermonem, & nuper in Germanicam linguam est versus. Ingolstadij, anno 1582.

IACOBVS Latomus Belga, vir doctus, ac pius, qui viuebat ann. 1529. scripsit De Confessione secreta librum excusum Basileæ, ann. 1525. cum alijs quibusdam. Scripsit prætera contra articulos Lutheri. Responsionem ad Libellum à Luthero emissum pro articulis damnatis à Theologis Louaniensibus. De primatu Pontificis aduersus Lutherum. De varijs quæstionum generibus, quibus certat Ecclesia intus & foris. De Ecclesia. De ratione obligandi humanæ legis. De Confessione secreta. Ad Helleborum Ioannis Oecolampadij Responsionem. De fide & operibus libellum. De monachorum Institutis, votis, & obligationibus. De trium linguarum & studij Theologici ratione dialogos duos. Pro dialogo dę tribus linguis apologiam. Aduersus librum Erasmi De sarcienda Ecclesię concordia. Confutationum aduersus Gulielmum Tindallum, lib. 3. De matrimonio. De quibusdam articulis in Ecclesia controuersis. Disputationem Quodlibeticam tribus quæstionibus absolutam. Quæ omnia excusa sunt Louanij, ann. 1550. apud Bartholomæum Grauium. Claruit ann. 1520. cum primas nouatorum, hoc est hæreticorum nostri æui fraudes detexisset, atque impios conatus fregisset. Vide Myręum in prima Centuria Scriptorum Belgicorum.

IACOBVS Latomus iunior, Belga, elegiaco carmine tres ipsos Psalmorum libros integros cũ Threnis, & canticis felici carmine reddidit, vt Patruo suo Iacobo Latomo Theologo, (cuius & scripta omnia vno volumine edenda Louanij typis Bartholomęi Grauij curauit) non indignus cognatus fuerit, & hęres. Ad D. Petri Canonicus apud Grudios piusque Sacerdos, ad decrepitam vsque ętatem perpetuò hilaris vixit. Obijt ann. 1596.

IACOBVS Laudofilæus Ferrariensis, scripsit de Ordine Seruorum Beatiss. Virginis. Chronicon Seruorum.

IACOBVS Lauezolus. Vide infra in verbo, Iacobus Lebetius.

IA-

IACOBVS Lausannensis, siue(vt vocant) è Lausanna, Theologus Parisiensis, & Prouincialis Franciæ, deinde Episcopus Lausannę, magni Vir nominis, vt ingenij, atque pietatis, scripsit In Genesim. In Exodum. In Leuiticum. In Numeros. In Deuteronomium. In Iob. In Prouerbia Salomonis. In librum Sapientiæ. In Ecclesiasten. In Esaiam. In quattuor libros Magistri Sententiarum. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Sermones item Quadragesimæ. At pleraque istorum librorum extabant m. s. in Cœnobio DD. Ioannis, & Pauli, quod est Venetijs.

Sanè verò Lemouicis, quæ Ciuitas est in Gallia, prodijt olim, hoc est anno 1528. è prelo Claudij Garnerij Opus Moralitatum ipsius, in duodecim libros distributum, quod concionatoribus est percommodum: idque adhuc in sui Ordinis Conuentu, vt vocant, asseruabatur Insulis, quæ est Belgij Ciuitas. At cum quoto anno ille vixerit non omnino sit certum, Sixtus enim Senensis ait eum claruisse, ann. 1390. Auctor verò supplemẽti Chronici Dominicani inquit ann. 1375. Alij verò referant ad ann. 1262. illud maiorem fidem facit, quod Antonius Senensis Lusitanus scribit, vidisse in antiquis scripturis, quæ in Barchinonensi Dominicanorum Conuentu asseruantur, eum Parisijs ann. 1317. ad gradum licentiatus fuisse promotum.

In Catal Scriptor. sui Ord.

IACOBVS Laudensis, Ord. Minorum in Summa Angelica numeratur inter Sũmistas.

IACOBVS Lebetius, vulgò, *Laueζolus*, Ferrariensis, Canonicus regularis Ord. Sancti Saluatoris, edidit librum De habitu Canonicorum, & pleraque Poematia. Viuebat Alphonso II. tunc Ferrariæ Duce.

IACOBVS Ledesma Hispanus, Theologus Societatis Iesu, qui diu Theologiam in Collegio eiusdem Societatis Romano professus tandem ann. Iobilæi Romano in Pęnitentiaria D. Petri, cui præfuerat, excipiẽdis Pęnitentium Confessionibus exhaustus ann. 1575. ex hac vita piè decessit, edidit Librum de non legenda Diuina Scriptura passim alijs linguis, quàm Hebraica, Græca, Latina. De sancto item sacrificio Missæ nisi iisdem linguis celebrando. Qui liber apud Geruinum Calenium prodijt Coloniæ, ann. 1574.

Modum docendæ Christianæ doctrinæ. Italicè. Qui Romæ fuit excusus apud hæredes Antonij Bladi, ann. 1573. Quæ illius Christiana doctrina deinceps ann. 1594. versa in cõmunem huius temporis Græcam linguam à Vincentio Castaniola eiusdem Societatis edita est Romæ apud Aloysium Zannettum, ann. 1594. vt in Oriente, ac potissimum in Insula Chio, ubi tum ipse, tum alij nostri eam vineam excolunt, possit esse vsui.

IACOBVS è Lende, quem suspicor eundem esse, qui scriptus est supra, *Iacobus Laudensis*, Ord. D. Francisci reliquit Sermones tẽpore Aduentus Parisijs ab se habitos, quos multi ex eius ore excipientes scripserunt.

IACOBVS à Leocato, Siculus, Ord. Carmelitani, scripsit in Mag. Sentent. & Conciones Quadragesimales, pręter id, quod in Aristotelis Logica, & Metaphysica reliquit. Num verò prodierint hæc in lucem, Petrus Lucius, qui de Carmelitanis Scriptoribus Catalogum texuit, ait se ignorare.

IACOBVS à Logenhagen edidit Annotationes in Epistolam D. Iacobi, quæ Louanij prodierunt ann. 1572. Commentaria verò in Euangelium secundum Lucam è D. Augustini operibus collecta, Antuerpię excusa fuerunt ann. 1574. & 1577. apud Tilenium.

IACOBVS Lopes, Stunica, Hispanus, edidit Itinerarium ex Hispania Romam. Redargutiones aduersus Erasmum. Assertionem De Ecclesia. Corruptiones Erasmi in Translationibus. Enchiridion violatæ religionis. Varia in D. Scripturam contra Iacobum Fabrum. In Epistolas D. Pauli. Parisijs apud Iacobum Resch. ann. 1522.

IACOBVS cognomento Magnus, dictus *Toletanus*, Ordinis S. Augustini, in ueterum Theologorum lectione plurimum versatus, cum vniuersam fermè (vt tradunt Tritemius, Ambrosius Coranus, & Iacobus Bergomas) Scripturam sacram annotationibus explicuerit, edidit quoque librum De Inquisitione Diuinæ Sapientiæ, prænotatum, *Sophologium*, quod & characteribus antiquis fuit excusum. Reliqua è S. Iacobi Bibliotheca Bononiẽsi sui Ordinis fuisse sublata scripsit Iosephus Pamphilus, qui & meminit Quęstionum in lib. Aristotelis de Anima, quas Pataui Iacobus ipse ediderat, dum ibi publicè profiteretur,

vti

vti & vtriusque Philosophiæ Compendium Michaeli Episcopo Antisiodorensi dicatum; Quo ea, quæ spectant ad naturalium, & supernaturalium rerum cognitionem, facile percipi possunt. Hic autem cum esset à secretis confessionibus Caroli Septimi Galliæ Regis delectus Archiepiscopus Burdigalensis, Archiepiscopatum recusauit. Obijt Parisijs, in Ecclesia S. Augustini sepultus. Viuebat ann. 1415.

Iacobvs Marines, Gallus, Augustinianus, scripsit aduersus Lutheranos, vir doctus, & Francisco Primo Galliæ Regi percharus.

Iacobvs Massa, Ordinis Minorum, scripsit historiam Montis Aluerniæ, qui pertinet ad Camaldulenses in Italia. Henricus Villot.

Iacobvs Mauritius, Cartusiæ Parisiensis monachus, è Latino, ætate nostra, Gallicè reddidit librum Spiritualium Exercitationum. Librum Dionysij Cartusiani De conuersione Peccatoris. Speculum Monasticum Dacryani. Scripsit quoque volumen Sermonum, & alia. Viuebat ann. 1602.

Iacobvs Mazonius Cesennas, scripsit Methodum De triplici hominum Vita, Actiua, Contemplatiua, & Religiosa, libris tribus. Quæstionibus autem quinque millibus centū, & nonaginta septem distinctam. Cesennę Bartholomęus Rauerius excudebat an. 1577. Scripsit item de Concordia Platonis, & Aristotelis, quo in opere agnoscit ingenuè, se non nulla, in Methodo, triplici egere emēdatione. Nos de illo in Apparatu ad Philosophiam.

Iacobvs Merlinus Apologiam pro Origene conscripsit. Citat hunc Sixtus Senensis Annot. 131. lib. 5. Bibl. Sanctæ.

Iacobvs è Meuania, Ordinis Prædicatorum, scripsit Librum De Saluatore nostro. Alterum De Iudicio extremo. Obijt Meuaniæ ann. 1301.

Iacobvs Mildendorpius Theologus, & I. C. Historiam Aristeæ Ptolomæi Philadelphi Aegyptiorum Regis ad Eleazarum Pontificem Iudæorum Legati, De Scripturæ sacræ per LXX. Interpretes translatione, & de LXXII. Quæstionibus, quas Rex ipsis proposuit, ex manuscriptis Græcis, atque Latinis Codicibus, & SS. Patrum libris diligenter restituit, & commentarijs illustrauit, Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1578. Idem scripsit De Academijs Europæ: at denique Historiam De vita Cœnobiali, Coloniæ apud hæredes Cholini, ann. 1602. Qua historia Religiosę, & solitariæ vitæ originem, progressiones, incrementa, & naturam demonstrat.

Iacobi Monachi Sermones quidam Græcè m.s. extant, in Conceptionem Beatiss. Virginis. Iterum in eius Conceptionem, & Natiuitatem. In ingressum in Sancta Sanctorum, & εἰς τὴν ἔξοδον τοῦ ναοῦ, καὶ τὰ ἑξῆς.

Iacobi Monachi in Assumptionem συλλεχθεν Beatissimæ Deiparæ, collectus sermo ex Diuinis Scripturis, & De Historia duodecim Tribuum. Græcè m. s. in Bibliotheca Vaticana.

Iacobi Mylleri, alijs *Mulleri*, Ornatus Ecclesiasticus, hoc est Compendium pręcipuarum rerum, quibus Ecclesia exornari debet Latinè, & Germanicè, adiectis quarumdam supellectilium figuris, ann. 1593. Monachij apud Adamum Berg.

Iacobvs Naclantus Florentinus, Ord. Prędicatorum, Clodiensis Episcopus, Opera in duos Tomos distincta reliquit, Quę extant In Epist. ad Romanos. In Epist. ad Ephes. Sacrę Scripturæ medullam, qua Christi, eiusq; Ecclesię mysteria in veteri olim lege varijs typis abdita explicantur in sexdecim tractationes sequentes distributam. Vide Michaelem Poccianium

De existentia, existendique modo Christi Corporis in Sacramento.
De Communione Corporis, & Sanguinis Christi nobis pręcepta.
De Summo Sacerdotio Christi.
De Augustissimo Regno Christi.
De Hierarchia Ecclesiastica.
De Episcoporum institutione.
De Primatu Petri.
De auctoritate Papæ, & Concilij.
De Actis Cōcilij approbandis per Papam.
De Sacrosanctis Indulgentijs.
De Episcoporum residentia.
De Sacramento Matrimonij.
De pręstantissimo Missæ Sacrificio.
De irritandis clandestinis matrimonijs.
De quibusdā Quęstionib. circa arreptitios.
De quadā Quęstione circa Mōtem pietatis.

Secundo

Secundo Volumine continentur hactenus non impressa.

Theoremata Theologica 14. Theoremata Metaphysica 16. & Naturalia 12. Item Tractatus de Alimento, & de eo, quod alitur. De sensili, & sensu. De regula à Philosopho posita in calce septimi Physicorum. De creatione rerum. De animę immortalitate. De rerum contingentia. De infinitate primi Motoris. Venetijs apud Iuntas ann. 1567. Cum alibi pleraque separatim fuissent edita: Quin & in Psalm. 90. eum scripsisse testatur Antonius dictus Senensis sed Lusitanus. Viuebat ann. 1560.

Ioseph. Pamphil. IACOBVS Neapolitanus, Augustinianus Theologus, & Concionator, scripsit in primum, & secundum Sentent. Quæstiones disputatas. Sermones quosdam varij argumēti.

IACOBVS Noguera, libros duos edidit De Ecclesia Christi Domini, Dilingę. Docuit Viennę.

IACOBVS Odo, Ordin. Minorum Sancti Francisci, scripsit Speculum Minorum, & Franciscanorum. Extat Assisij, quę Ciuitas est non procul Perusio, in Cęnobio Sanctę Marię de Angelis.

IACOBVS Oliua Abbas Fanę, edidit De Institutione Christiana, Italicè. Venetijs, ann. 1571.

IACOBVS Orrhoita vnus ex ijs Scriptoribus Syriacè, siue Arabicè scriptis, qui feruntur Gregorij XI. Pontificis Max. quando Romam redijt Sedes Apostolica, fuisse conditi, siue defossi, qui nostra ętate fuere propositi vęnales Episcopo Herbipolensi, quemadmodum mihi scripsit noster Nicolaus Serrarius Sacræ Scripturæ Moguntię Professor. Porrò hunc D. Iacobum Orrhoitam laudat Moyses Barcepha, nostrique ęui Scriptores haud contemnendi.

IACOBVS Osana, siue *de Osana,* Ord. Prędic. qui obijt ann. 1314. plures in Sanctam Scripturam libros fertur conscripsisse. At etiam Sermonum complurium ab eo relictorum meminit F. Ioannes de Cruce, lib. 4. c. 31. sui Chronici.

IACOBVS Pamelius Canonicus Brugēsis, qui postea fuit Episcopus in Belgio, Theologus Louaniensis, edidit Micrologum de Ecclesiasticis obseruationibus, quem Antuerpię Plantinus excudit. Scripsit etiam Catalogum Commentatorum veterum selectiorum in vniuersa Biblia, editum cum Cassiodori libro Institutionis Diuinarum Lectionum, Antuerpię apud Plantinum. Item Annotationes in Cyprianum, quę operibus illius sparsim interiectę sunt. Antuerpię in Officina Stelsij 1568. Eiusdem Liturgica Latinorum duobus Tomis digesta, hoc est de ritu Sacrificij Missę à Christo, Apostolis, & Patribus obseruatæ. Cum Ambrosianis Collectis, Missa, Præfationibus, ac Missa Mosarabæ, in Hispanijs vsitata. Colon. Geruinus & hæredes Quentel. 1571. Scholia eruditissima in Tertullianum, quæ primò Parisijs prodierunt. At vide in verbo, Latinus Latinius; sed & imprimis in verbo, Tertullianus. Librum de Religionibus diuersis non admittendis in vno aliquo vnius Regni, Monarchię, Prouincię, Ditionis, Reipub. aut Ciuitatis loco. Ad Ducem Parmensem Alexandrum. Viuebat ann. 1589.

Sixt. Senen. IACOBVS Paniscotius, alijs *Panis Coctus* Malfetanus, siue *Melfitensis* siue *Amalphitanus,* Ord. Minorum, scripsit in Psalmum 14. Interlocutoribus Dauide, & Salomone, hoc interrogante, altero respondente. Incipit, *Cum Cælorum ambitus.*
In Decalogum, qui liber prodijt Venetijs apud Cominum de Tridino, anno 1556. At antea in Articulos fidei. Venetijs apud Aurelium Pintium, an. 1535. Viuebat an. 1550.

IACOBVS de Paradiso, Theologus, Ord. Cartusiani, Tractatum reliquit De animabus à corporibus exutis. Alterum De veritate dicenda, aut tacenda. Collationem pro Diuinæ scientię commendatione. Lecturam ad primum, & secundum lib. Sententiarum.

IACOBVS Passauantius Florentinus, Ord. Prędicatorum, lingua Etrusca Speculum pœnitentiæ scripsit: quod cum priore editione minus emendatum prodijsset, posteriore recognitū ex alijs exēplaribus excusum est, apud Petrum Marinellum, Venetijs an. 1586. Scripsit quoque in libros D. Augustini. De Ciuitate Dei, & in Commentarios Thomę (vt vocant) de Valois, seu Valesij, quorum meminit Ludouicus Viues. Vide item Michaelem Poccianitum. Obijt Florentię ann. 1357.

IA-

IACOBVS à Payua Lusitanus edidit ann.1564. Orthodoxas explicationes omnium ferè de religione Capitum, quę ab hęreticis controuertuntur, in quibus pręsertim Martini Kemnitij calumniæ refutantur.

IACOBVS Perez, siue *Peresius*, Valentinus, Hispanus, dictus *de Valentia*, Christopolitanus Episcopus, Ordin. Eremitarum Sancti Augustini, scripsit in Psalterium Dauidis. In Canticum Canticorum Salomonis. In Canticum Zacharię, & Simeonis. Quin & in Canticum Beatissimæ Virginis. In Canticum, Te Deum laudamus. Contra Iudæos. Editus autem est emendatior apud Florauantem à Prato, Venetijs ann.1586. Quin & quęstionis finalis Discussionem de Christo Domino Reparatore humanę naturę. Quæ item Parisijs, & Lugduni sunt edita. Vide in verbo, Iacobus de Valentia.

IACOBVS Perronius Episcopus Ebroicensis. Vide in verbo, Iacobus Dauy.

IACOBVS Perusinus à Valdeuia. De sacra ratione concionandi librum emisit Antuerpię apud Petrum Bellerum, ann.1598. At alter Iacobus Perusinus Ordin. Prędic. qui viuebat ann.1263. (ni mendum sit in numero) Sermones perutiles reliquit, vt inquit Antonius Senensis, Lusitanus.

IACOBVS Philippus Forestus, Bergomensis, Augustinianus, edidit Opus historiarũ ab initio mundi vsque ad annos 1436. quod pręnotauit *Supplementum Chronicorum, lib.15.* Quod quidem emendatum prodijt Parisiis, addita accessione historiarum. Sed & Interrogatorium eiusdem Venetijs excusum fuit olim Venetijs. Et de claris mulieribus Christianis ad Beatricem Aragoniam Hunnorum, & Boemorum Reginam. Incipit, *Scripsimus iamdudum Sacratissima Regina*. Viuebat ann.1494.

IACOBVS Philippus alter à Superiore, Theologus, Professor in Gymnasio Friburgensi, scripsit De Reformatione Sacerdotum, & Sermones ad Populum habitos. Eisingr. Viuebat ann. 1494.

IACOBVS Picolhomineus Senensis, Card. Papiensis, elegantes, & eruditas, nec sine pietate, Epistolas scripsit, quę Mediolani ann.1521. fuerunt excusæ.

IACOBVS Pictouiẽsis, forsan *Pictauiensis*, Ord. Minorum, edidit Sermones. Henr. Vil.

IACOBVS de Plebe Ordin. Seruorum. Scripsit Catalogum Illustrium Scriptorum Ordinis Carmelitarum.

IACOBVS Pontanus Societatis Iesu Sacerdos, post Germaniæ iuuentutem à se per multos annos in bonis Artibus, ac pietate excultam, post item plures libros perutiles, & dialogos editos spectantes ad eloquentiam, atque Poesim, qui omnes cum summa eruditione pietatem spirant, edidit à se è Gręco versum in Latinam linguam Ioannem Cantacuzenum Constantinopolitanum, qui quattuor libris bella inter Imperatorem Andronicum Auum, & Nepotem, gesta elegantissimè descripsit. Quin & idem Iacobus Pontanus Latinè è Græco reddidit Simeonem iuniorem Theologum, qui de moribus Christianis, ac Monasticis egit Orationibus vigintitribus, & alia, de quibus Vide in verbo, Simeon iunior. Ingolstadii apud Adamum Sartorium, ann.1603.

IACOBVS Presbyter cognomento Sapiens. Vide in verbo Iacobus Sapiens.

IACOBVS Rabus, Theologus Bauaricus, edidit ad Ioannis Sturmii Antipappos amicam συζήτησιν, quę prodiit Ingolstadii. Quin & scripsit succinctam (vt vocat) Velitationem aduersus Theses publicè disputatas Argentinæ contra sacra Reliquiarum miracula. Vide autem in verbo, Io. Iacobus Rabus, qui & plura Catholicè scripsit, & idem cum hoc Iacobo Rabo esse videtur.

IACOBVS Raymundi, è Gauio, quod est Oppidum in Ora Lygustica, Theologus, Ord. Carmelitanorum, à Petro Lucio, qui de Scriptoribus eius Ord. Catalogum texuit, fertur scripsisse in aliquot Geneseos capita: In D. Pauli Epist. ad Ephesios. In Psalmum, *Benedic anima mea Domino*. In secundum librum Magistri Sententiarum. Orationes plures. Quarum vnam se vidisse idem inquit Petrus Lucius doctissimam, & Romę excusam, quam habuit cum eius Ordinis Generalis renunciaretur Io. Baptista Caffardus.

IACOBVS Regiensis, Italus, Ord. Carmelitani, reliquit Sermones Quadragesimæ; & pleraque Carmina, quæ iam vix extant. Vixit ann.1460. Idem Petrus Lucius, qui supra.

IACOBVS Rossius Florentinus, Ord. Seruorum, Theologus, reliquit Introductionem ad Euangelia totius anni. Cuius Introductionis Archetypon asseruari in Bibliotheca Florentina eiusdem Ord. scribit Michael Pocciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorũ.

IACOBVS Ruffus Gallus, Eques, & Dominus de Buysson, librum edidit quem inscripsit, *Breue scutum inuiolabilis libertatis Personarum, & rerum Ecclesiasticarum*. Parisijs apud Nicolaum Chesneau, ann. 1576.

IACOBVS Sadoletus, Mutinensis, Episc. Carpẽtoractensis, & S.R.E. Card. vir doctissimus, scripsit De pueris rectè, ac liberaliter instituẽdis. Extant eiusdẽ De laudibus Philosophię, liber. De Regno Vngarię ab hostibus Turcis oppresso, & capto Homilia. Oratio adhortatoria de bello Turcis inferendo ad Ludouicum Galliarum Regem. Commentariorum in Epistolam ad Romanos libri tres, Lugduni apud Gryphium (qui & alia pleraque eius Opera excudit) ann. 1536. Interpretatio eius in Psalmos, *Miserere mei Deus, & Deus vltionum, &c.* Item Hom. 2. Altera de morte Frederici Fregosij Cardinalis. Altera de Vngaria à Turcis capta. Epist. ad Ioannem Sturmium. De emendatione Ecclesiæ Epist. ad S. P. Q. Genuensem, qua in obedientiam Roman. Pontificis eos reducere conatur. Eius quoque Epistolarum, lib. 16. ad Paulum Sadoletum Epistolarum, lib. 1. prodierunt Lugduni à Gryphio, ann. 1550. Adiecta est eiusdem Vita per Antonium Florebellum. Sadoletus autem in Catalogis Scriptorum in iure citatur, super tit. de Confessis. Eiusdem poemata Curtius, & Laocoon excusa sunt, vti & eiusdem Philosophicæ consolationes & meditationes in aduersis. Viuebat ann. 1530.

IACOBVS Sanazarius nobilis Neapolitanus, qui & Actius Syncerus, Parthenopęus. scripsit versu heroico De Partu Virginis per eleganter. Vide nostram Poeticam vbi de illo in 17. lib. nostræ Bibliothecæ Selectæ. Operis initium est. *Virginei partus, magnoque æquæua parenti*. Vixit ann. 1530.

Hieron. Genn. in Catal. Honor. Ann. Christi 330. Trit.

IACOBVS cognomento Sapiens, Nizibenæ nobilis Persarum modo Ciuitatis Episcopus, vnus ex numero sub Maximiano persecutore Confessorum fuit, & eorum, qui in Nycęna Synodo Arianorum peruersitatem oppositione damnarunt. Hunc virum B. Hieronymus in libro χρονικῶν velut magnarum virtutum hominem nominans, in Catalogo Scriptorum Illustrium, cur non posuerit, facile excusabitur, si consideremus, quòd ipsos tres, vel quattuor Syros, quos posuit, & interpretatos in Græco se legisse testetur; vnde constat, eum illo tempore ignorasse Syram linguam vel litteras, & ideo hunc, qui necdum versus erat in aliam linguam, nescisse Scriptorem. Comprehendit autem omne Opus suum vigintiquattuor libris.

1 De Fide.
2 Contra omnes hæreses.
3 De charitate generali.
4 De dilectione erga proximũ speciali.
5 De Ieiunio.
6 De Oratione.
7 De Resurrectione.
8 De vita post mortem.
9 De Humilitate.
10 De Patientia.
11 De Pœnitentia.
12 De Satisfactione.
13 De Virginitate.
14 De sensu animæ.
15 De acino benedicto, pro quo in Esaia legitur, *non est exterminandus botrus*:
16 De Circuncisione.
17 De Christo, quòd filius Dei sit, & consubstantialis Patri.
18 De Castitate.
19 Aduersus gentes.
20 De constructione Tabernaculi.
21 De gentium conuersione.
22 De Regno Persarum.
23 De persecutione Christianorum.
24 Composuit & Chronicon minoris quidem, quã Græcorum curiositatis, sed maioris fiducię: quia Diuinarum Scripturarũ tanta auctoritate cõscriptum cõprimit ora eorum, qui prępsumptuosa suspicione de Aduentu Christi, vel Dñi nostri inaniter philosophantur.

Moritur hic vir Constantij temporibus, iuxta pręceptum patris eius Constantini, intra muros Vrbis Nizibenæ sepelitur, ob custodiam videlicet Ciuitatis, quod secũdum fidem Constantij euenit. Nam post multos annos ingressus Iulianus Vrbem; & vel gloriæ sepulti

pulsi incidens, vel fidei Constantini, cuius ob id domum persequebatur, iussit efferri de Ciuitate S. Corporis reliquias, & post paucos menses consulendæ licet Reipublicæ causa, Iouianus Imperator, qui Iuliano successerat, tradidit Barbaris Ciuitatem, quæ vsque hodie Persarum ditioni cum finibus suis subiecta seruit. Hæc omnia Gennadius. At Codex excusus testatur hunc scriptorem comprehendisse omne Opus suũ libris 25. cui & m.s. Cod. Gemblacensis suffragatur: aliqui Cod. habent 26. sed recensent alij 24. Tritemius item habet 25. quos & enumerat: sed ille Cod. vitio deceptus, ex vno libro duos fecit. Ille enim liber, quem verbis Esaiæ tribuit, planè idem est cum eo, quem tribuit Azimi benedictioni: Quod quidem esse verum facile deprehendet, quisquis animaduerterit, pro *Azimi* hic legendum esse *Acini*, Sic enim in manuscriptis Cod. Gemblacensi, & Affliginiensi, & Viridis Vallis, & Sigebergensi expresse legitur. Et de Acini benedictione verba extant apud Esa. cap. 65. *Et Botri mentio. & Acinum* hic legi oportere satis euidenter arguit; Græcus enim Contextus ita se habet; ὃν τρόπον εὑρεθήσεται ὁ ῥὼξ ἐν τῷ βότρυϊ, καὶ ἐροῦσι μὴ λυμήνῃ αὐτὸν, ὅτι εὐλογία ἐστὶν ἐν αὐτῷ, vbi ὁ ῥὼξ Acinum vuæ significat, in quo benedictio esse dicitur: paulò inferius De *Aduentu Christi*; Sigeberg. legit *Antichristi*. hæc Suffridus Pet.

IACOBVS Sarugius Orationes fertur scripsisse De eiecto Adamo, De Christi Domini Passione, atque Ascensione. Et quidem Arabicè, siue Syriacè scriptus apparuit paucos ante annos inter libros, qui propositi fuere venales Episcopo Herbipolensi, vti non semel diximus supra.

IACOBVS Schepperus commendatur à Sixto Senensi, quòd Diuinę Theologiæ professor egregius, & Declamator facundus, Conciones ad populum Vrbis Tremouiæ habuerit super Euangelia, quę singulis diebus festis tam de Sanctis, quàm de tempore leguntur; quos postea (subdit idem Sixtus) ipsemet Schepperus, eleganti methodo, styloque succinctissimo conscripsit, & in tres Tomos redegit. Quibus etiam inseruit Conciones super Euangelia, quæ in sextis ferijs totius Quadragesimæ recitantur, & Conciones Catechisticas. At Sixtus haud forsan videre potuit eiusdem Schepperi Monomachiam Dauidis, & Goliath; neque verò adhuc proscripta erat, quemadmodum postea fuit. Vide Indicem Romanum Librorum prohibitorum à Clemente VIII. Pont. Max.

IACOBVS Scalza Vrbeuetanus, quę Ciuitas est in Ditione Pont. Max. Ord. Præd. vtiles Sermones prædicabiles scripsisse dicitur ab Ant. Senensi, qui etiam inquit eum claruisse, ann. 1262. sed puto mendum in numero.

IACOBVS Seuertius, Theologus Parisiensis edidit, De multiplici Anathemate Iuris æquiualente, librum, in quo profitetur se exactissimè Canonum, atque Summariorum, Doctorum sententias circa Tractatus De excommunicatione aperuisse, nomine recentioris controuersiæ Generalis ad vniuersalem Ecclesiam pertinentis. Parisijs apud Nicolaum Bonum. ann. 1602.

IACOBVS Senensis in Chronico, Ordin. Seruorum Beatiss. Virginis, scripsisse fertur Dominicale, & Sanctuarium, siue Conciones diebus Dominicis, & Sanctorum habitas, easque insignes.

IACOBVS Simanca Pacensis, Episcopus in Hispania, Vir doctissimus, cuius extant sequentes libri. Collectaneorum de Republica libri nouem, ex illustribus Theologis, Legumlatoribus, Iurisconsultis, Philosophis, Poetis, Historicis, alijsque bonarum artium peritis collecti. Venetijs apud Bologninum, ann. 1569. In tertia huius Operis editione adiecti sunt ab Auctore plus quàm mille loci memorabiles. Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1579. Eiusdem Praxis hæreseos, siue Enchiridion Iudicum violatæ religionis. In qua perspicuo ordine, singularique doctrina, hęreseos materia tractatur. Venetijs apud Iordanum Zilletum 1568. Eadem Praxis denuò excusa est Venetijs, & Antuerpiæ 1573. additis duobus Opusculis, Annotationibus in Zanchinum cũ Animaduersionibus in Campegium. Item De dignitate Episcopali. Eiusdem de Catholicis Institutionibus liber ad extirpandas hæreses, Romæ ann. 1579. prodijt. sed & extat inter Tractatus Iuris, qui postea Venetijs recusi sunt Tomo 7. p. 2. fol. 119.

IACOBVS Soldius Florentinus, Ord. Seruorum, scripsit in Danielem Prophetam,

quamuis huius Operis non meminerit Michael Pocciantius. Postillam in Euangelia Dominicalia. Sermones in laudem Sanctorum. Librum de Peste, quæ tunc grassabatur. Alterum De sanitate conseruanda. Obijt Florentiæ ann. 1440.

IACOBVS à Spinello, Ord. Minorum, scripsit in quattuor libros Mag. Sentent. & in vniuersa Biblia. Franc. Gonzaga.

IACOBVS Sprenger, Germanus, Ordin. Fratrum Prædicatorum, Prouincialis Coloniensis, qui etiam fuit Inquisitor hæreticæ prauitatis, scripsit volumen contra maleficas, quod vocauit *Malleum maleficarum*, in lib. 3. distinctum, quibus concurrentia ad maleficia, maleficiorũ effectus, remedia aduersus maleficia, & modus procedendi, ac puniendi maleficos abundè continentur, qui denique à Fratre Raphaele Maffæo illustratus prodijt Venetijs, ann. 1579. Scripsit item Volumen, quo complexus est Institutionem, approbatiónem, Miracula, & Indulgentias S. Rosarij Beatiss. Virginis. Vixit ann. 1494.

IACOBVS Stralen Germanus, qui vixit ann. 1490. Scripsit in D. Io. Apocalypsin.

IACOBVS Suarez à S. Maria, Lusitanus, Ord. Minorum, Theologus, Henrici Quarti Regis Galliç Concionator, 23. Conciones in tria prima Apocalypsis capita edidit, sex item Sermones diebus Dominicis Aduentus, ac festis Conceptionis Beatiss. Virginis, & Natiuitatis Domini ann. 1599. apud Horatium Cardonem, Lugduni in Gallia.

IACOBVS Suedericus, Ord. Minorum, Custos Misnensis, scripsit De origine Religiosorum. Viuebat ann. 1439. Henr. Villot.

IACOBVS Suzatus, siue è Suzatò, Ordinis Prędicatorum, Inquisitor hæreticæ prauitatis, dum demoraretur in sui Ordinis Cęnobio Coloniensi, scripsit

Duos sat grandes libros in Librum Sapientiæ Salomonis.
In Epist. D. Pauli ad Titum, & ad Hebr.
Librum De Conceptione B. Virginis.
In Quattuor libros Mag. Sententiarum.
De hora Mortis Christi Domini, librum.
Alterum De origine, atque vnitate Ecclesię.
Collationes breues Latinas.
Chronicon Ordinis Dominicanorum.
De Sacrosanctæ Missæ sacrificio, librum.
Priuilegia sui Ordinis digessit in Ordinem, additis quibusdam defensionibus.
Mappam Mundi.
Distinctiones breues, & longas de arte colligendi.
Vixit circa ann. 1415. PP. Mon. Ord.

IACOBVS è Teramo Canonicus Aprutinus, qui (puto) deinceps Auersanus in Regno Neapolitano fuit Archidiaconus, scripsit De Pont. Max. Monarchia librum, quem inscripsit *Monarchialis*. Dialogum De Redemptione generis humani, quem prænotauit *Consolatio Peccatorum*. Alium in Clementinas. Vixit ann. 1385. Eisingr.

IACOBVS Textor Senensis, Ord. Minorum, Sermones quosdam edidit, quorum est initium. *Necdum erant abyssi*.

IACOBVS è Thessalonica, Ord. Prędicatorum, Opus insigne composuit De moribus hominum, Deque Officijs nobilium, ac popularium, argumento sumpto è Scacchorum ludo. Id in quattuor libros distribuit. At & Sermones conscripsit. Quoto autem tempore vixerit, nec Antonius Senensis Lusitanus, nec alij meminerunt.

IACOBVS Traiectanus, monachus Oliuetanus, edidit Tractatum De modo visitādi, & corrigendi subditos. De modo item inquirendi in eorum (vt vocat) defectus. Brixiæ apud Angelum Britannicum, ann. 1500.

IACOBVS Tribescus, Brixianus, Canonicus Regularis Lateranēsis, Responsiones ad mille quæsita in omni ferè facultate edidit ex omnibus D. Aurelij Augustini libris excerptas, & in vnum congestas. Venetijs, apud Antonium Ferrarium, ann. 1583. Extant autem Brixiæ in Bibliotheca Sanctæ Afræ, manuscripta colloquia Angelica. Colloquia in Epistolam D. Pauli ad Romanos. Paraphrasis Latina in eandem Epistolam ad Romanos eiusdem Auctoris.

IACOBVS à Trisanto, Ord. Minorum. Scripsit duodecim Quadragesimalia: Multos item Sermones tam qui dicuntur Dominicales, quàm De Tempore, & de Sanctis. Franciscus Gonzaga.

IACOBVS è Varagine Lygurum Oppido, Archiepiscopus Genuensis, Ordinis Prædicatorum,

dicatorum, Diuina Volumina primus omnium in Italicam linguam summa fide ac diligentia (vt putat Sixtus Senensis) transfudit. Sed vide, quæ nos in verbo, Biblia, de hac versione scripsimus. Porrò vsque ad sua tempora deduxit Genuensium Chronica. Sermones quoque de Beatiss. Virgine, & alios. In Opuscula itē Augustini lucubrationes quasdam elaborauit. Floruit ann. 1290.

Sed & Sermones tum Dominicales, tum de Sanctis per totius anni circulum, homiliæ quoque Quadragesimales, in lucem editæ sunt emendatiores. Venetijs an. 1575. & 1579.

Porrò Raphael Volaterranus scribit Iacobum è Varagine redegisse in Compendium Commentarios magnos Gulielmi Peralt De vitijs, & virtutibus.

IACOBVS Veldius, Ord. D. Augustini, vir doctus, & Theologus, cuius hęc prodierūt.
Tabulæ compendiosæ in Euangelia, & Epistolas Quadragesimæ Louanij, ann. 1565. & Venetijs ann. 1566.
Paraphrastica enarratio Euangeliorum, quæ sacro Quadragesimæ tempore populo solent proponi. Antuerpiæ ex Officina Christophori Plantini, ann. 1570.
Paraphrastica enarratio in Passionem Domini nostri Iesu Christi. Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1570.
Commentarius in Epistolas, quæ sacro Quadragesimæ tempore fidelibus solent proponi. Louanij ann. 1573.
Commentaria in Danielem Prophetam pro Concione explicatum. Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum, ann. 1576. & apud Antonium Brechtanum. Sed & ann. 1602. eiusdem recusæ fuerunt Commentaria, & Conciones in Danielem cum Chronologia ad intelligenda Ieremię, Ezechielis, & Danielis Vaticinia, ex Volumine dē seculis Benedicti Arię Montani apud Bellerum.

IACOBVS Viecius, Vangrouecensis, Polonus, Theologus Societatis Iesu, aduersus hęreticos nostri temporis varia Polonicè edidit nimirum Tractatum de Sacrificio Missæ. Alterum De Purgatorio. Alium contra Confessionem Sendomiriensem, quæ ab hæreticis prodijt. Preces item horarias Beatissimæ Virginis in linguam Polonicam vertit, vrgentibus pijs Polonis, idque exigente necessitate, quæ ex cantillatione hæreticorum hymnorum in animos simplicium imminebat, quod quidem etiam concessu S. Sedis Apostolicæ est factum. Vetus deinde, ac nouum Testamentum è vulgata Latina editione Polonica fecit mandante Gregorio XIII. Pont. Max. & approbante Clemente VIII. Pont. Max. quę Cracouiæ fuerunt excusa. & ea quidem versio fuit perutilis, & necessaria, restinguendis eorum erroribus, qui ex falsa nouorum Arianorum, & aliorum hæreticorum versione passim serpebant. Edita verò est apud Lazarum Cracouiæ, ann. 1599. Postillam item Polonicam duplicem, vnam vberiorem, alteram breuiorem super Euangelia totius anni, quibus tum peccata, tum hæresis, quæ peccatorum est pœna, accuratissimè refellatur. Postillam autem hanc Bohemicè Andręas Modestinus noster edi curauit.

IACOBVS Viterbiensis, Ord. Augustiniani, *Speculatiuus* doctor appellatus, qui Lutetiæ Theologiam docuit, Neapolitanus Archiepiscopus, scripsit ad Clem. V. Pont. Max. De Regimine Christianitatis, lib. 2. qui Romæ extant in Bibliotheca Vaticana. In Magistrum Sententiarum, lib. 4. Sermones varij argumenti, lib. 1. qui asseruantur Romæ in Bibliotheca Canonicorū Sancti Petri. Quæstiones De Prædicamentis in Diuinis, lib. 1. Et Quodlibeta quattuor Parisijs disputata, lib. 1. qui potissimum in Bibliothecis Ordinis, Romæ, ac Mediolani asseruantur.

IACOBVS è Vitriaco, primum Achonensis, deinde Tusculani Episcopus, & S. E. R. Cardinalis, Sedisque Apostolicæ in Terra Sancta, in Imperio, & in Gallijs, olim Legatus, & cuius Vitam nouissimè scriptam, & maxima ex parte collectam ex Thoma Cantipratēsi, edidit Andreas Hoius Brugensis, Regius Gręcæ litteraturę apud Duacenses professor, quę vita præfixa est libris duobus Historiæ Orientalis, siue Hierosolymitanæ, & Occidentalis eiusdem Iacobi de Vitriaco, quę penè quadringentos annos manuscripta delituit, plura scripsit, quàm quæ Tritemius enumerat. Nimirum, hanc quā diximus Historiam, ex Officina Typographica Balthasaris Belleri emissam primò Duaci, ann. 1597. cum animad-

uersionibus eiusdem Andreæ Hoij. Librum vnum contra Sarracenos. De vita Beatiss. Virginis Mariæ Ogniacensis ex Vrbe Niuigella progenitę, duos libros (non tres vti putauit Tritemius,) quibus tertium adiecit Thomas Cantipratensis. Librum Epistolarum ad diuersos. Magnum (cuius non meminit Tritemius) Volumen Sacrarum Concionum in singulos totius anni Dominicos dies, adsignatis cuique tribus Concionibus, vna ex introitu Missæ, altera ex Epistola, tertia ex Euangelio. Quod Opus edidit Damianus à Ligno Theologus Ord. Prædicatorum, qui testatus est se vidisse eiusdem Auctoris Sermones de Sanctis, & alios quosdam. Sanè ex Concionum volumine qualis, quamque perspicuus Diuinæ Scripturæ interpres fuerit, intelligitur.

Ann. 1575. Antuerpiæ apud hæredes Io. Stelsij.

Porrò in Historia, de qua supra locuti sumus, vitam, doctrinamque Mahometi ostendens ponit ob oculos, quàm fęda fuerit. Vbi tamen obseruandum est, quod ille ait, Mahometum parum ante tempora B. Gregorij Magni regnante Heraclio doctrinā suam abominabilem inuexisse partim prædicatione, partim armis, errasse in ratione temporum, siue Chronologia. S. enim Gregorius Magnus, quod adnotat ipse Hoius ann. Christi nati 590. Pontificatum suscepit, & gessit sub Mauritio, & Phoca Impp. ann. 13. menses 6, dies 10.

Phocas autem eidem multis annis superstes, cui Heraclius successit. Neque ante B. Gregorij tempora Mahometus fuit, qui ann. 600. natus sit. Veritati tamen est affine, regnante Heraclio Mahometum sui erroris pestem sparsisse, cum Arabes, & Mahometani ab hac Hegira, cuius initium fuerit anno Domini 621. quo homo perditionis ille iura, & leges dare cępit, annos suos numerent. Vide Annales Baronij Card. sub eosdem annos.

IACOBI Viuarij Redemptio nostra Comędia noua, in qua ostēditur afflictos esse maiorem consolationem consecuturos. Antuerpiæ ann. 1580.

IACOBVS Vngarellus Patauinus, Ord. Minorum, scripsit additiones ad Summam Angelicam, quæ prodierunt Venetijs ann. 1569.

IACOBVS Vvimphelingus Sletstatensis presbyter Ecclesię Spirensis, scripsit Ad Bertholdum Archiepiscopum Moguntinum, Elegiaco versu, De triplici candore, in laudem Beatissimæ Virginis. Laudes Spirensis Ecclesię. De Spiritu Sancto. Extat eius etiam Soliloquium pro pace Christianorū liber impressus. De nuncio Angelico Carmen heroicū. Ad Philippum Comitem Palatinū, Carmen item Heroicum. Ad Ludouicū eius primogenitum Elegia, quę prodiere ann. 1494. Scripsit itē Sermonem ad iuuenes, qui sacris initiantur, impressum apud Heruagium. Adolescentiam, Opus egregiū, continens pręcepta ad mores ingenuè formandos, partim ab ipso Auctore scriptam, partim ex varijs, & optimis Scriptoribus quinquaginta numero collectam, & in locos digestam. Quam idem Heruagius edidit ann. 1514. Epitome rerum, siue Imperatorum Germaniæ, cum Vuitichindi Saxonis historia, & alijs pluribus. Idem scripsit excusationem ad Iulium II. Pontificem Max. petentibus hoc Augustinianis, quòd scripserit Augustinum non fuisse monachum, aut fratrem mendicantem. Librum De vita, & moribus Episcoporum, aliorumque Prælatorum, & Principum, excusum Argentinæ, ann. 1512. De hymnorum, & sequentiarum auctoribus, generibusque Carminum, quæ in hymnis inueniuntur. Postillam breuem in Symbolum Athanasij. Prothimologiam de bono modo prædicandi. De faciliori puerorum institutione. Epigrammatum, librum. Carmen heroicum ad Eberhardum Ducem Vvirtenbergēsem. Epistolas multas ex persona Palatini Comitis, & Episcopi Spirensis, & aliorū. Ad Rempub. Argentinensem, lib. 2. in quorum priore Argentinam, & cæteras Rheni Ciuitates nunquam Gallis fuisse subiectas ostendit: in secunda Reipublicæ instituendæ præcepta tradit. Orationem De Annunciatione Dominica, ibidem excusam. Philippica in laudem Principis Palatini Dialogis sex, excusa Argentinæ ann. 1498. Orationes contra inuasores Sacerdotum, pro immunitate Ecclesiastica, ad Cardinalem Tornacensem. Ad Raimundum Nuncium Indulgentiarum. Ad Gymnosophistas Heidelbergenses de Sancta Catharina. Ad eosdem de Spiritu Sancto. De Assumptione Diuę Parthenices, ad Synodos, Vuormaciensem, Spirensem, Schletstatensem, & alias complures: scripsit quoque vitam Dietheri Archiepiscopi Moguntini. Præcepta Rhetorices, lib. 1. Ad Regem Franciæ Orationem. De arte Poetica. Carmina varij generis multa. Item Stylphonem:

Dialogis

Dialogi quinque impressi. Eiusdem elegantias maiores, Rhetoricam pro pueris, Matthias Hupfuf excudit Argentinæ, ann. 1515. Floruit apud Nemetes, ann. 1494.

IACOBVS de Voragine. Vide in verbo, Iacobus de Varagine.

IACOBVS Zenus Venetus, Episcopus autem Patauij, scripsit vitas Summorum Pontificum, & duas Orationes, alteram de humana miseria, alteram De Christi Corpore. Vixit ann. 1474.

IACOBVS Zinidolus Placentinus, Ordinis Prædicatorum, scripsit Sermones Principij, & Principia. Collationes item complures. Vixit ann. 1420. Ant. Senensis.

IACOBVS Zouus Ferrariensis, De ieiunio extat in Tom. 14. fol. 159. inter Tractatus Iuris Venetijs postremo recusos.

IACOPONVS Tudertinus, quem *Beatum* ob sanctitatem vitę appellant, scripsit quędam tum carmine, tum soluta Oratione Italicè, quę licet inculta, & simplicia videntur, pietatem tamen non mediocrẽ spirant. Ea prodierunt Venetijs apud Bernardum Benalium, ann. 1514. Videtur autem esse is ipse, de quo Henricus Villot sic scribit. Iacoponus Tudertinus, Ordin. Min. claritati sanguinis animi nobilitatem adiunxit. Euulgauit quædam Opuscula. Sed & Epistolas plures & poemata plena ingentis animi. Claruit Bonifacio VIII. Monasterium S. Claræ Tuderti proximum Vita functum suscepit.

IAMNES, & MAMBRES, Magorum, qui Moysi falsis miraculis resistere conati sunt in Aegypto, librum feruntur scripsisse, qui & ab Ambrosio in 1. Cor. 15. & à Gelasio distin. 15. inter Apocryphos reiectus est. Vide Eusebium in libro nono præparationis Euangelicæ, & Origenem in Tractatu 35. in Matthæum.

IANNOTIVS Manettus, Florentinus, ann. 1396. Iunij autẽ die 23. natus Bernardi F. Vir probus, doctus, & prudens, varijs ad Pontifices Maximos, Reges, & Principes legationibus functus, apud quos tam Pontiff. quàm Reges etiam fuit à secretis; Vitam egit Reipub. vtilem, minimeque ociosam. Quæ autem m.s. Florentiæ apud suæ gentis familiam, asseruantur hæc sunt:

Apologię in Psalterium ad Alphonsum Regem Neapolitani Regni libris quinque siue De recta Interpretatione.

Vertit ex Hebræo Psalmos quinquaginta, & Partem Veteris Testamenti. E Gręco item Nouum Testamentum. Scripsit quoque

Libros decem aduersus Iudæos, & Gentes.

Libros quattuor De Dignitate, & Excellentia Hominis ad Alphonsum eundem Regem. Qui incipientes, *Cum igitur hoc nostrum*. Extabant in Bibliotheca S. Marci, Florentiæ.

Libros sex de Illustribus longæuis.

De liberis educandis librum.

In laudem Diui Agnetis Numantinæ, alterum.

Vitam Nicolai Quinti Pont. Max. libris quattuor, quę in Bibliotheca Vaticana asseruatur: cuius initium, *Vetus*.

Tractatum De Pompis Pontificalibus ad Angelum Acciaiolum.

De eligendo nouo Pontifice contra Turcas Oratio, quæ incipit, *Cum Roma Neapolim salutandi Alphonsum*.

Libros tres ad Alphonsum Regem De terræmotu.

Libros duos Historiæ De rebus Genuensium.

Librum item de ipsorum laude.

Historiam Pistoriensium libris tribus, quos emisit, dum nomine Reipublicæ Florentinæ Pistorio præerat (vt vocant) Gubernator.

Apologiam Nuntij Hispani. Dialogum De morte Filij liberi.

Vitam, sed non absolutam, Alphonsi Regis.

Complures Orationes, quas legatus ad varios habuit: Nimirum, Ad Genuẽses, ann. 1437. Ad Alphonsum magnum Regem, ann. 1443. Ad eundem in nuptijs Ferdinandi filij, ann. 1445. Ad Nicolaum Pont. Max. ann. 1447. Ad Alphonsum Regem, eod. anno. Ad Senenses, ann. 1448. Ad Venetos eodem anno. Ad eosdem ann. 1449. Ad Fede-

ricum Vrbini Principem eodem anno. Ad Regem Aragonum, ann. 1450. Ad Federicum Imp. ac quo tempore ingressus est Florentiam, ann. 1451. Laudationem in funere Leonardi Aretini, & alteram in funere Iannotij Pandolphini.

Sed & scripsit vitas Socratis, & Senecæ, Plutarchi, Danthis, Petrarchę, Bocacij, Symposium, & quidem vitæ Socratis, & Senecæ extant Cesennæ in Franciscana Bibliotheca.

Vertit autē è Græco in Latinum Isagogen Porphyrij. Prædicamenta, quæ tribuũtur Arist. Eiusdem libros magnorum Moralium duos. Ad Nicomachum, decem. Ethicorum ad Eudemum. Obijt Neapoli an. 1459. die 27. Septemb. annos natus tres supra sexaginta.

IANSENIVS. Vide in verbo, Cornelius Iansenius.

IANVS Pintius, scripsit vitas Episcoporum Tridentinorum.

IANVS à Suola eques, ac I. C. scripsit Alphabetum Theologicum, siue tropos vtriusque Testamenti è DD. Dionysio Areopagita, Gregorio Magno, & alijs Patribus. Genethliacon item Mundi. Viuebat ann. 1331. Eisingr.

IANVS Vitalis Panormitanus, scripsit hymnos in Sanctissimæ Trinitatis honorem. Poema Archangeli. Meditationes in Psalmum quinquagesimumprimum. Paraphrasim in Psalmos *De profundis, & Deus misereatur nostri*: quas Bononiæ excudit Anselmus Iauarellus. Epithalamion Christi, & Ecclesiæ. Hymnum de pace. Pręter Triumphum Ferdinandi Francisci Dauali Aquinatis, magni Piscariæ Marchionis; & lacrimas in eundem: Quæ Romæ prodierunt.

IARICHVS, Frisius, Abbas Horti Mariæ, siue (vt populari lingua nominatus fuit) Mariæ Gardæ, Ordinis Præmonstratensis, vir sanctus, & doctissimus, scripsit in Genesim Commentaria, quæ passim in Bibliothecis per Frisiam haberi solent. Floruit circa annum Christi 1102. Hæc Suffridus Petrus lib. de Frisiæ Scriptoribus.

IASON Cyrenæus natione Iudęus, qui claruit sub Ptolomæo Philometore Sexto Aegypti Rege, Olympiade CLI. hoc est anno ante Christum natum 131. Gręca lingua, veram de gestis Machabęorum quinque libris historiam texuit; ex quibus tamquam Epitome decerpta est, & inter ceteros Diuinæ Scripturæ libros adnumerata, ac secundus Machabæorum liber inscriptus. In cuius initio hęc verba leguntur 2. Machab. 2. *Itaque ab Iasone Cirenæo quinque libris comprehensa tentauimus vno paruo volumine breuiare.*

IASON Thessalonicensis, de quo Paulus, cap. 16. ad Romanos, & Lucas in Actis Apostolorum, cap. 17. mentionem fecere: Quem item Dorothęus Tyri Episc. in Synopsi (quę tamen vix vllam facit fidem) tradit fuisse primum Troadis Episcopum, dicitur eius libri Auctor, qui inscriptus est, *Altercatio Iasonis, & Papisci*: quem etsi Origenes in quarto libro aduersus Celsum defendit; Hieronymus tamen initio Questionũ in Genesim ait, perperam affirmari in eo libro Iasonis, quod in exordio Geneseos Hebraicè scriptum sit: *In Filio creauit Deus Cœlum, & Terram,* cũ LXX. Interpretes, & Symmachus, & Theodotion, *In Principio,* verterint: & in Hebręo scriptum sit *Berescith*, quod *In Principio* interpretantur omnes, & non, *In Filio.* Sixtus Senensis 2. lib. Bibl. Sanctę.

I B

IBA Episcopus Edessæ, cuius Epistola extat apud Concilium Chalcedonense Act. 10. To. 1. Conciliorum. ex qua monstratum est eum, qui aliquando cum alijs Nestorianis errasset, & contra Cyrillum egisset, post pacem tamen initam, cum illo communicasse, Nestoriumque damnasse asserentem Mariam non dicendam esse Deiparam.

I C

ICESIVS in Opere de Mysterijs citatur à Clemente Alexandrino, lib. 1. Stromaton.

I D

IDACIVS Clarus, quem Sigebertus in Catal. *Ithacium,* at in Chronico ad ann. 386. *Itachium,* vti & Marcellinus Comes in Chronico, Honorius Augustodunensis *Anicium,*

Seuerus

Seuerus Sulpitius 2.lib.Historię Sacræ *Nardacium* (fortasse Amanuensium,siue Typographorum lapsu) nominant, Lemicę Hispaniarum Episcopus,scripsit aduersus Varimadum Arianum, Librum, & declarationem locorum difficiliorum Diuinę Scripturę de Sanctiss. Trinitate. Quin & Isidorus, Honorius, atque Sulpitius vnà cum Sigeberto narrant, Idacium institisse acrius contra Priscillianum, ob cuius accusationem fuerit Idacius vnà cum Vrsacio Episcopo multatus exilio, atque communione. Ne verò duos fuisse Idacios putemus,alterum qui contra Varimadum,alterum qui contra Priscillianum scripserint, Margarinus Bignæus, in cuius Bibl. SS. Patrum Idacij liber extat, inquit facilè hunc potuisse incidere in Priscillianistarum nascentinm tempora, quibus Maximus Imp. primum Viennæ latere coegit Valentinianum Imp. pœnam cum Iustina matre sua luentem, quę illum Ariana hæresi facilè polluisset, vt notat Ado in Chron.ad ann.379.Addit autem Bignęus. *Alioqui ferendum nō putarem, si quis illius temporis Idacium cum Itacio confunderet, cum istum Sessubensem Episcopum in Regia tueri se voluisse, nè quis ei criminis daret eius accusatione, & opera cuiuscunque modi hominem fuisse damnatum; Idacium verò sponte se Episcopatu abdicasse dicat, alijsque plurimis indicijs vnum ab altero distinguat; alioquin in vtrumque paulo iniquior Sulpitius Seuerus Histor. lib.2. & Dialogo secundo.* Sit quidem Bignęus, at Sulpitius non est arguendus.

IDDO Hachoze, idest Videns,scripsit librum De Visionibus, siue Diuinationibus aduersus Ieroboam Regem Israel, volumen, in quo pleraque inseruit de rebus à Salomone gestis. Alterum item de ijs,quæ gessit Roboam pace, belloque. Adiecit Commentarios De factis, Dictisq; mirabilibus Abiæ Regis Iuda, optimè digestos, qui Hebraicè *Midrasc* dicti sunt. Vixit à tempore Salomonis vsque ad tempora Asa Regis Iuda. Citantur hi libri 2.Paralip.Capitibus9.12.13.Sixtus in Bibl.5.lib.2.

IDITHVM eximius cantor, qui in Cythara prophetabat super confitentes,& laudantes Dominum composuit Psalmum trigesimum nonum, qui incipit, *Custodiam vias meas.* Vide in verbo, Dauid Propheta.

IDIOTAE, qui post octingentesimum Do. annum floruit, extant Contemplationes De Beatiss. Virgine, quas cum hæretici ex editione Germanica sustulissent, Parisienses autem (quippe Catholicam fidem semper retinentes) ann. 1538.emisissent, Margarinus Bignęus suæ Bibl.SS. Patrum adtexuit vna cum eiusdem Auctoris Libello De Humilitate,atque Obedientia, hac inscriptione, *Viri Sancti Contemplationum libri quinque.*

IDSARDVS Grauius,Frisius(vt inquit Suffridus Petrus)Chronicon scripsit Frisię ab anno Domini 763. ad annum 1514. vbique insistens vestigijs Ioannis Becani Vltraiectini, quem videtur voluisse explere exemplo Pauli Longobardi, qui Eutropium pluribus de suo admixtis extēdit,& ad calcem eius deinde historiam Longobardorum adiecit: sunt autem eius generis ea, quæ Idsardus Becano adiecit, vt pleraque alibi non facilè reperiantur. Vixit circa annum 1514. Opus eius cum alijs nonnullis antiquitatibus m.s. apud me est ex dono optimi viri Cornelij Kemp. de quo infra. Hęc Suffridus Petrus, lib. de Frisię Scriptoribus.

I E

IEGOLINVS Vrbeuetanus, Ord.D.Augustini, scripsit in lib.4.Mag.Sent.m.s.Tractatum item De Deo Trino, & vno, qui extat m.s. in Bibl. S. Augustini Cremę vnà cum Tractatu De Communicatione idiomatum in Christo, Nicolai Horani eiusdem Ordinis.

IEHV Propheta, Chanani prophetę F. scripsit de gestis Regum Iuda, & Israel, qui vsque ad Ioram filium Iosaphat Regis Iudę regnauerunt accuratam historiam, de qua secundo Paralipom.20.

IEHV Rex Israel,scripsit ad Senatum Samarię Epistolas duas, de quibus 4.Reg.10.

IEREMIAS, quem Hebręi pronunciant *Irmeiahu*, hoc est *Excelsus*, in mysterijs enim & maiestate sensuum est profundissimus, de cuius Prophetia nemo dubitauit, pleraque tamen alia scripsisse dictus est, quę pręsertim Sixtus Senensis varijs in locis suę Biblioth.lib.2.

accu-

accuratius expendit. Quamobrem & huc eadem conferemus, ne quem suo labore fraudemus, & reliqua deinde nonnulla adijciemus. Is igitur propheta & Sacerdos, ex Anathot viculo tribus ab Hierusalem milliaribus, filius Helchiæ Sacerdotis magni, qui octauo anno Iosiæ Regis Iuda inuenit in domo Domini Librum legis Diuinæ, multis annis præcedentium Regum negligentia deperditum, cœpit admodum adolescens prophetare, ac vaticinia litteris mãdare, sermone quidem inculto, & penè subrustico, sed sensuum maiestate sublimi. Scripsit autem, excipiente ex ore ipsius Baruch Neeriæ filio, librum prophetiarum ac visionum; quas de clade Iudęorum, & de futura Christi Ecclesia Diuinitus per annos duos & quadraginta accepit, hoc est ab anno tertiodecimo Regis Iosię vsque ad Vrbis excidium, & transmigrationem reliquiarum Iuda in Aegyptum. cui Volumini Baruch adiecit vltimum caput ex fine quarti libri Regum, penè verbis mutuatum, vt ex cõmemoratione cladis Hierosolymitanæ, quæ in eo capite refertur, viã sterneret lectoribus ad proximè sequentem *Eca*, siue *Kinoth*, hoc est Lamentationum Librum. In quo Ieremias Propheta lamentabilem Vrbis euersionem, & populi captiuitatem lugubri carmine defleuit; digestis in ordinem Alphabeticum versibus ea ratione, vt primus ab *Aleph* inciperet, secũdus à *Beth*, tertius à *Ghimel*, & sic deinceps vsque in finem; imitatus in hoc Dauidem, ac Salomonem; quorum hic vltimam Prouerbiorum partem, ille verò Psalmos septem metricis alphabetis composuere. Habentur autem in his lamentationibus quattuor alphabeta; quorum duo priora, vt testatur Hieron. conscripta sunt versu à metro Sapphyco non multum dissimili; quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab vna litera incipiunt, heroici carminis comma concludit: Tertium verò alphabetum trimetro alphabeto contextum est, & à ternis litteris, sed eisdem, trini versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo, & secundo. Rabbi Salomon existimat hunc Lamentationum librum eum esse, quem, vt habes apud Ieremiam cap. trigesimosexto, profanus Rex Ioachim, lecto eius initio, proiecit in ignem, & in odium prophetiæ combussit. Ieremias verò iterum, audito Baruch scriba, iussu Dei dictauit, adiecitque quartum alphabetum, triplicata seriè litterarum, cum in priori exemplari tria tantum alphabeta simplicia collocasset.

Vixit Ieremias sub Regibus Iosia, Ioachim, & Sedechia, vsque ad transmigrationem reliquiarum Iuda in Aegyptum, quò & ipse à Ioanne filio Carcharę translatus est: occubuitque in Thaaphnes, à Plebe sua lapidibus obrutus. atque ibidem sepultus circa annũ ab Orbe condito ter millesimum trecentesimumquinquagesimum, tametsi diuersum opinentur Victorinus Martyr, ac plerique alij vetustissimi Patres; qui docuerunt illum adhuc viuere, & vnà cum Helia in vltima sęculi ætate ab Antichristo perimendum.

Libellum autem siue Admonitionem, siue Epistolam secundam Ieremię Prophetę, quę Baruch Volumini in vulgata editione annectitur, Ieremias, excipiente Baruch ipsius scriba, dictauit; & post Vrbis euersionem tradidit illum populo, mox in captiuitatem à Chaldęis abducendo, vt hoc scripto admoneret eum, ne ingressus Babylonem, cum Deos aureos eius regionis videret, cultum Dei sui desereret, & idola Chaldæorum adoraret. Meminit Scripturæ huius Auctor secundi libri Machabęorum, cap. 2. his verbis: *Inuenitur in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quòd iussit eos, qui transmigrabant, ignem accipere: & dedit illis legem, ne obliuiscerentur Præcepta Domini, & ne errarent mentibus, videntes simulacra aurea, & argentea, & alia ornamenta eorum*. Numeratur, & hic inter cætera Testamentaria scripta.

Præfatiuncula verò Threnorum, quam Latini codices in principio lamentationum Ieremiæ pręferunt, non est apud Hebræos, qui librum hunc, quadruplici alphabeto conscriptum, ordiuntur à dictione *Eca*, idest, *Quomodo*, incipiente ab Aleph prima littera Hebraici alphabeti, & ab hac dictione librum appellant *Eca*. Cetera verò, quæ ante hanc vocem leguntur verba, vt à multis creditur, Septuaginta Interpretes addiderunt, volentes connectere lamẽtationem deuastatæ Vrbis, cum narratione deuastationis eiusdem Vrbis, quę in calce libri Ieremiæ describitur. Sunt hęc verba præfationis huius apud septuaginta Interpretes hoc est, *Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est, sedit Ieremias flens, & planxit lamentationem hanc super Hierusalem, & dixit*. Hebrę[i]

hoc

hoc argumentum non recipiunt, quod non ipsis videatur verisimile, Ieremiam scripsisse, vel vidisse in spiritu hos Threnos post destructionem Hierusalem, sed ante destructionem: prophetia enim est. Vnde etiam tradunt, quòd Rex Ioachim ante Vrbis excidium hos Threnos legerit; & lectis ex his nonnullis versibus, librum in ignem abiecerit; quem Propheta paulò post multo copiosius rescripsit; quemadmodum ipsemet testatur Prophetiæ suæ cap. *36.*

Atqui præter eos libros, qui in Biblijs sunt ipsius fętus. Lamentationē quoque, quod Hebraicè Kinoth, in funere Iosiæ Regis Iuda, scripsisse dicitur. De qua Paralip. 1. c. 35. Quamuis autem Iosephus, lib. 11. Antiq. idem asserat, Sixtus tamen Senensis, lib. 2. suæ Bibl. putat conuenire magis Sedechiæ Regi, quem Chaldæi exoculatum, & vinctum abduxerunt in Babylonem. Hieronymus, & alij putant hanc lamentationem esse postremā partem Threnorum. Scripsit quoque Ieremias, excipiente Baruch De furore Domini aduersus Iudam, & Hierusalem; de quo vide Ierem. cap. 31. Quod aliqui putant esse ipsum librum Threnorum. Scripsit item libros duos Emptionis, & Venditionis, excipiente Baruch. Vide Ierem. c. 32. & de Babylonica Deuastatione. Ierem. 51. cap. Pars huius libri superest, c. 50. & 53. eiusdem Prophetæ.

Ieremiæ item citantur in 2. Machab. cap. 2. Commentarij, siue Descriptiones, quę statim post euersam Vrbem euenerunt, antequam populus captiuus in Babylonem abduceretur, hoc est. De legibus, quas Ieremias populo in Babylone commoraturo pręscripsit. De igne perpetuo, quem Sacerdotes ex altari in ignotum puteum absconderunt. De Tabernaculo, Arca fęderis, & Altari incensi in specu montis Nebo, iussu Dei abditis, ac de rebus alijs, quæ initio transmigrationis Babylonicæ contigerunt. Sunt (ait Sixtus Senensis 2. libro suæ Bibliothecę) qui hos Commentarios vnà cum initio secundi libri Machabęorum ex his Commentarijs desumpto tamquam Apocryphos, & incertæ fidei reiecerint, quos tamen Epiphanius in Vita Ieremiæ Prophetæ, ac plerique Ecclesiastici Patres approbarunt.

Fertur & illud Volumen sub nomine Ieremiæ prorsus apocryphum; Ex quo Origenes à Matthæo sumptum existimat Vaticinium illud *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*. Hoc olim vsos Nazaręos Hieronymus in caput Matth. 27. refert.

Scio autem Rabbi Moysen Kimchi in libro Viarum linguæ Sanctę, in quo breuissimè innuuntur Scriptores D. Scripturę, testari Ieremiam scripsisse librum suum, & Libtum Regum, & Librum Threnorum; veruntamen, quænam fides habenda sit Rabbinis Iudęis, præsertim ijs, qui post Christum vixere, atque in sua perfidia perstiterunt, cum alibi, tum vide in verbo Rabbini tam in Bibl. nostra Selecta, quàm in hoc Apparatu.

Ceterum de Baruch, qui Ieremiæ fuit scriba, & cuius Prophetia, Ieremiæ adscribitur, vide in verbo, Baruch.

Scripsere in Ieremiam Prophetam.

Nonnulla ij, qui varias Græcas LXX. Interpretum lectiones Grækę editioni eorundem septuaginta addidere.

Quicumque vniuersa Biblia sunt interpretati: de quibus vide in verbo, Biblia.

Sanctus Ioannes Chrysostomus Argumentum breue in Ieremiam, & in Threnos, qui ex Codic. Bauarico m. s. editus est nouissimè Augustæ Vindelicorum vna cum Adriani Isagoge.

Ant. Agellius Commentarium ex Auctoribus Græcis collectum, & in Lamentationes Ieremiæ explicationem.

In Threnos item Theodoretus, S. Thomas Aquinas, Hugo Victorinus, Paschasius Richardus, Pampolitanus, Anglosaxo, Augustiniani Ordinis, Anselmus Episcopus Mantuæ, Ioannes Chiningen, Ioannes Quinquarboræus, Ieremias Vtinensis, Ordin. Min. in Orationem Ieremiæ.

Partitionem autē totius Prophetię Ieremiæ, vide in 27. Tabulis Oeconomię Biblicæ Georgij Ederi, partim à seipso, partim ex Aureolo explanatis. Vide verò quędam in Alphonsi Salmeronis nostri Prolegomeno 10. ad Sacram Scripturam Canone 44.

IERE-

IEREMIAS qui se Patriarcham Oecumenicum appellabat in Censura sua ad Confessionem Lutheranorum, scribere ausus est, à Nycæna Synodo, & ab omnibus alijs consequentibus Generalibus Concilijs definitum esse Spiritum sanctum ex solo Patre procedere. Quod si mendacium non est, (inquit sapienter Cardin. Bellarminus) non video quid vnquam mendacium appellari poterit. Tom. 1. Controuer. 2. lib. 2. de Christo, cap. 23. Porrò quam is ipse Ieremias Censuram Orientalis Ecclesię de præcipuis nostri sęculi hæreticorum dogmatibus contra Lutheranos, & Augustanam eorum Confessionem scripserat, Stanislaus Socolouius (de quo vide in eius verbo) sic è Græco Latinè redditã è Cracouiensi primum, mox ex Ingolstadiensi Ederi Typographia emisit, vt varios eiusdem Ieremiæ errores confutauerit. Quin & postea Treueris, ann. 1586. eiusdem Ieremię liber emissus est hac prænotatione. *Ieremia Patriarcha Constantinopolitani sententia definitiua de doctrina, & religione Vuirtembergensium Theologorum. Vnà cum Antidoto vltima responsionis eorumdem ad censuram Patriarcha de articulis Confessionis Augustana Constantinopolitani ex Patriarchio allata &c. Addita est praterea Stanislai Socolouij ad Vuirtembergensium Theologorum inuectiuam &c. Breuis & erudita responsio, opera Thoma Sunobbigij ad Dei gloriam, & Ecclesia Catholica vtilitatem, edita.*

IEREMIAS Buchius Vtinensis, Ord. Minorum, qui nostra vixit ętate, edidit Italicè Expositionem in Psalmum 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.* & in Psalmum 21. *Deus Deus meus respice in me.* Florentię apud Bartholomæum Sermartellium, ann. 1572. Et in Psalmum, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* & in alium *Benedixisti Domine terram tuam.* & *Ad te leuaui animam meam, Deus meus in te confido.* Tractatum De Angelis. Alterum De Sacramento Altaris. Alium De nobilitate Beatiss. Virg. Et in Orationem Ieremiæ Prophetę, & in Canticum Zachariæ. Quin & librum Conformitatum (vt vocãt) Imitationis Vitę S. Francisci ad Dominum nostrum Iesum Christum, quem vir ille Seraphicus, ipso Iesu aspirante, conatus est imitari, recognouit, & cum recensuisset, Bononiæ emisit. Vide in verbo, Bartholomęus Pisanus.

IESSIVS vir Sanctus Nemetum Præsul, qui sub Constantino Imperatore baculo Pastorali donatus est, magno animo pro Nicæna Synodo disputans, ab Arianis expulsus, ali quandiu delitescere coactus est. Hunc contra Arium strenuè rem gessisse, erroremq́; eius, & fraudem in publicum produxisse ex libris, quos conscripserat, satis apparet. Euphratam enim Agrippinensem Episcopum, & in Synodo condemnauit, & voluminibus prolixis ad fidem veram amplectendam hortatus est. Vixit ann. 348. Eisingr.

IESV CHRISTO Domino, & Saluatori nostro, quæ tributa est Epistola ad Abgarum scripta. Vide in verbo, Abgarus. Qui verò libri olim de Generatione, De Infantia Saluatoris, Deque alijs eiusmodi, ab Hęreticis, & Impostoribus disseminati sunt, non est cùr hoc in loco recenseantur. Vide Hieronymum in 13. cap. Ezechielis. Et Augustinum in primo libro De consensu Euangelistarum, refellentem eiusmodi Impostores. Vide item Hieronymũ Hentenium, qui libellum alium de legali Iesu Christi Sacerdotio in Gręcum Suidæ Lexicon insertum, quique Lutetię, ac Basileæ improuidè fuerat recusus, cõfutauit, vti & Paulus IIII. Pont. Max. in Indice prohibitorum Librorum meritò damnauit.

Porrò quę de hoc nomine IESV Christi dicũtur, pręsertim in Diuinis litteris, vide c. 39. lib. 2. Bibl. nostrę Selectæ in postrema nostra editione, nam in priore Romana erat cap. 17. eiusdem secundi libri, cuius capita deinceps rectiore ordine distinximus. Sanè supputationem litterarum nominis Iesu à Sibylla Cumana versibus suis collectam Beda Venerabilis primo libro Commentariorum in D. Lucam clarius explicat. Quem tu ibidem, si libet, perlege.

IESVS filius Syrach Hierosolymitanus, librum Diuinę Scripturæ, qui pręnotatur *Ecclesiasticus*, nobis reliquit, sic autem inscriptus, quòd, vt ait Augustinus, in auctoritatem Ecclesię recipi meruit, & inter propheticos libros numerari; à Gręcis verò ab *omni*, quæ in eo continetur, *virtute* appellatus est. Hunc ergo Hebraica lingua scripsit. & Hieronymus eum se Hebraicè scriptum reperijsse testatur in pręfatione Prouerbiorum ad Chromatium: sed nepos eius, vocatus & ipse Iesus, &, vt Damascenus in quarto fidei Ortho-

doxæ

doxæ tradit, patrem habens Syrach, volumen ex Hebræo in Græcum vertit. Isidorus in sexto Etymologiarum censet libri huius Interpretem, qui se in præfatione nepotem Iesu nominat, fuisse nepotem Iesu Sacerdotis magni viuentis Aggæi & Zachariæ temporibus; quod quidem plerisque absurdum videtur, quia inter hunc & illum intercesserint anni trecenti. Claruit enim præsentis Operis interpres, nepos Iesu, regnante Ptolemæo Euergete Rege Aegypti, anno ab Orbe condito ter millesimo septingentesimo. Concilium autem Carthag. tertium cap. 43. præsens volumen inter Canonica scripta recepit, sub nomine tamen ac titulo *Salomonis*, ita fortasse illud inscribens, vel quia, vt Augustinus libris De Ciuitate Dei annotauit, illorum temporum consuetudo obtinuit, vt Salomonis appellatione vocaretur; vel quòd ipsum volumen, aut ex Salomonis Sententijs collectum esset, aut saltem Salomone videretur non indignum. Huius Concilij decreto subscribentes beatissimi Pontifices Innocentius, & Gelasius, eundem librum Canonicis inseruerunt scripturis. Hæc Sixtus Senensis.

Scriptores in Iesu Syrach Ecclesiasticum.

Qui in vniuersa Biblia; separatim autem, Ioannes Alerius, Nicolaus Gorran, Rupertus Holcoth, Rupertus Roseus, Rupertus Valsingen.

I G

IGNATIVS, inquit Hieronymus in Catalogo, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commouente persecutionem Traiano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam venisset, vbi Polycarpus auditor Ioannis Episcopus erat, scripsit Epistolam vnam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos; & inde egrediens, scripsit ad Philadelphęos, & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam: in qua & de Euangelio, quod nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium dicens: *Ego verò & post resurrectionem in carne eum vidi, & credo, quia sit. Et quando venit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis; Ecce, palpate me, & videte, quia non sum Dæmonium corporale. Et statim tetigerunt eum, & crediderunt.* Dignum autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, & de Epistola eius, quam ad Romanos scribit, pauca ponere. *De Syria vsque Romam pugno ad bestias in mari, & in terra nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt: quibus & cum benefeceris peiores fiunt. Iniquitates autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparata, quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam vt deuorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio esse Christi discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, vt Iesum Christum inueniam. ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum vt Christo fruar.* Cumque iam damnatus esset ad bestias, *ardore patiendi*, cum rugientes audiret Leones, ait: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Passus est anno secundo Traiani. Reliquiæ corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Daphniticam in Cæmeterio. Hæc Hieronymus.

Qui licet tantum meminit septem Ignatij Epistolarum, duodecim tamen haud dubiæ fidei habemus: necdum enim ab Eusebio, & Hieronymo potuerant omnes colligi, quemadmodum fit etiam nostra ętate de litteris, quę subinde à martyribus scriptæ tandem per manus traditę colliguntur. Constat enim certissimè sicut reliquas, ita eas esse Ignatij, quę Philippis, quæ Ciuitas erat in Macedonia, scriptæ fuerunt ad Antiochenos, ad Heronem, ad Philippenses, ad Mariam Cassabolitem. Quæ verò tres aliæ feruntur ipsius ad S. Ioannem Apostolum, & Euangelistam, & ad Beatiss. Virginem, cum huius ad illum Epistola, etsi non tam certæ fidei sunt, citantur tamen à Sancto Bernardo Sermone primo in Ps. 90. nec defuere post illum viri docti, qui ipsarum meminerunt.

Sed

Sed & cum in Polycarpum, qui postea insignis & ipse martyr fuit, quique Smyrnæ euntem Romam Ignatium excepit, & aliquandiu detinuit, eam mentem Deus iniecisset, vt quas posset Ignatij Epistolas colligens eas ad Philippenses transmitteret, *ex omnibus enim* (inquit) *vobis magnus erit profectus, continēt enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem*, intelligunt Viri cordati, quantopere sint legendæ, æstimandę, & adeo in cordibus insculpendę. Nam & Ecclesię illę Orientis eas publicè, ac priuatim perlegebant, nec facilè deponebant è manibus.

Id certum est (quod & Eusebius obseruauit, lib. 3. cap. 30. hist. Eccl.) conatum esse Ignatium suis Epistolis, vt Apostolicas Traditiones Orienti potissimum consignatas relinqueret, quas ipse ex ipsorum penè Apostolorum manibus exceperat, qui & tertius post D. Petrum Antiochię Ecclesiam Christianorum iam vberem rexerat, vt prærogatiua sedis illius, & vitæ sanctitate, atque virtute prædicationis ceteros eius temporis post Apostolos antecelluit.

Sanè verò cum in ijs mentio fiat De Sanctissima Eucharistia, De oblationibus, De ordinibus Ecclesiasticis. De Cęlesti, & Ecclesiastica Hierarchia. De Virginibus. De cœlibatu, & de virginitate, Romanam Ecclesiam scribens ad Romanos iam candidatus cęlestium coronarum Theophorus ille martyr, mirificè celebrat his verbis. *Misericordia consecuta in magnificentia altissimi Dei Patris, & Iesu Christi Vnigeniti filij eius, Ecclesia sanctificata, & illuminata per voluntatem Dei operantis omnia, quæ pertinent ad fidem, & charitatem Iesu Christi, & Dei Saluatoris nostri, quæ præsidet in loco Romanæ regionis, Deo digna, decentissima, beatificanda, laudanda, quæ quis potiatur, castissima, & eximiæ charitatis Christi, & Patris nomen ferens, spiritusq́; plena, quam & saluto in nomine Patris Omnipotentis.*

Quæ cum ita sint, mirandum non est, si Lutherani Epistolas istas (qua solent temeritate) negarunt, quas Dionysius Areopagita, Irenęus, Athanasius, Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, & plerique omnes alij verissimas agnouerunt. Quin & Gregorius Magnus, lib. 4. cap. 37. meminit eorum verborum, quæ ad calcem Epistolarum Ignatij ad Ephesios, & ad Polycarpum (quod & in alijs esse debebat) adiectę sunt tāquam Symbolum Apostolicę scriptionis. Amen. Gratia.

Sunt autem hę Epistolę Ignatij quę extant scriptę. Ad Magnesianos, Smyrna Ionię Ciuitate. Ad Trallianos, ibidem. Ad Polycarpum. Ad Philadelphenos. Ad Antiochenos. Ad Smyrnenses, Troade. Ad Ephesios ibidem. Ad Tarsenses. Ad Heronem, cum esset Philippis in Macedonia. Ad Romanos. Ad Philippenses, vbi agitur de Baptismo; In qua Epistola, quòd legatur in aliquibus codicibus, Paulum Apostolum fuisse coniugatum, sciat Lector in Vaticano antiquissimo Codice m.s. & in vetustis quibusdam alijs, Pauli nomen haud extare. Ad Mariam Cassobolitem. Deinde tres de quibus diximus, ad S. Ioannem Euangelistam duas. Ad Beatiss. Virginem Deiparam, vnam.

Porrò sępe prodierunt vndecim D. Ignatij Epistolę è prelis Typographorum, Parisijs quidem olim, & Basileę ann. 1520. Colonię apud Quentelium, ann. 1536. cum D. Antonij Magni Eremitę Epistolis. atque iterum Basileę ann. 1551. cum alijs antiquissimorum Theologorum Epistolis. Gręcè autē, ac Latinè Hieronymo Syluio Interprete apud Plantinum Antuerpię ann. 1565. & 1572. cum antea, hoc est ann. 1557. Colonię à Perionio latinè redditę fuissent excusæ.

Atqui postrema versio Vairlenij videtur esse emēdatior, quàm quas aut vetus interpres, aut postea Morelius verterunt. Patebit hoc, si quis eadem Vairlenij Scholia percurrerit. Nisi quòd etiam in Vairlenij versione quędam errata notauit Iacobus Billius Prunæus, lib. 2. suarum obseruationum sacrarum: præsertim in Epistola quarta ad Tarsenses, & in ea, quæ scripta est ad Polycarpum; atque adeo nonnihil in ea, quæ est ad Ephesios, quam quam in hac videtur esse potius fuisse librariorum, quàm Vairlenij lapsus. Tu lector ipsum Billium lege, cuius, vt alibi diximus, obseruationes illę extant ad calcem Epistolarum Isidori Pelusiotæ Epistolarum Latinè è Gręco redditarum.

IGNATIVS Diaconus, & vasorum custos magnę Constantinopolitanæ Ecclesię, qui, & fuit Metropolita Nicęæ, Grammaticus, scripsit Vitas Tarasij, & Nicephori Sanctorum, & Bea-

& Beatorum Patriarcharum Epitymnos, Elegos, Epistolas, Iambos in Thomam Aduersarium, Antarten, & alia multa. Suidas.

IGNATIVS Squarcialupus Florentinus, tertiò Præsidens (vt vocant) siue præses Ordin. Benedictinorum, præfuit anno vno, mens. 6. Obijt Florentiæ, ann. 1520. & in monasterio suo sepultus est, scripsit Sermonem pulcherrimum in honorem S. P. Benedicti, eum que coram magno Monachorum, & populi cętu habuit, cum sollemniter inita est possessio Monasterij Cassinensis, ann. 1505. Incipit, *Introibimus in tabernaculum eius*.

De visione Illustr. Principis Ferrandi Consalui Compendium, *Diuinam Illustris Ferrandi*.

De aggregatione Monasteriorum Siciliæ ad Congregationem Cassinensem, Sermonem, *Superat vires moles*.

Hæc omnia m. s. extabant his proximis annis apud Constantinum Syracusanum Monachum Catanensem eiusdem Ord.

Scripsit & Carmen Sapphicum in honorem Sanctissimæ Trinitatis, & De S. Berthario Abbate & martyre Hymnos, qui m. s. sunt Cassini, & Epistolam D. Benedicti ad S. Scholasticam Etrusco carmine. Michael Pocciantius.

IGNATIVS alter monachus Monasterij Cassinẽsis, collegit è libris Moralium D. Gregorij Magni, Flores, & eosdem in vnum volumen redegit, quod m. s. asseruatur in Bibliotheca Cassinensi in octauo pluteo ad læuam.

I L

ILDEPHONSVS, quem alij *Illephonsum*, alij *Alphonsum* nominant, vir sanctitate, ac doctrina clarus, successor Eugenij in Archiepiscopatu Toletano, Discipulus S. Isidori Episcopi Hispalensis, celebratur in Libello de viris Illustribus, qui sine Auctoris nomine extat m. s. in Vaticana Bibliotheca: Ex quo Baronius Cardinalis Tom. 8. suorum Annalium inseruit nonnulla, quæ ad tanti viri laudes pertinent; quin & nos inde Catalogum, quem affert eorum, quæ scripsit Ildephonsus, huc intulimus, sunt autem.

Liber Prosopopeiæ imbecillitatis propriæ.

Libellus De Virginitate S. Mariæ contra tres infideles.

Opusculum De proprietate trium personarum Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Opusculum Annotationis in Sacramentis.

Liber in cognitione Baptismi.

Liber De progressu Spiritualis Deserti, quem partis primæ esse voluit.

Liber Epistolarum, in quo diuersis scribens, ęnigmaticis formulis egit, personásq; interdum loquentes fecit, quem secundę Parti attribuit.

Liber Missarum, hymnorum, atque Sermonum, quem tertię Parti addixit. Altioris denique partis liber est quartus, versibus, & prosa conscriptus, in quo epitaphia, & quędam item epigrammata. Reliqua semiplena, siue inchoata. At temporum, & Saracenorum iniuria pleraque interierunt.

Vitam autem Ildephonsi nostro quoque tempore scripsit Michael Carranza, quam & emisit Hieronymus Vuelæus Louanij, ann. 1569. vna cum libro eiusdem Ildephonsi De Illibata Virginitate S. Genitricis Dei Mariæ. Qui & extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini Bignæi.

Sanè eius nomine supplementum ad Chronicon Isidori cum alijs quinque Auctoribus in Hispania fuit excusum, additis Scholijs Ioannis Vasæi Brugensis: Quin & cum libri De Virginitate Basileæ, ann. 1552. & Louanij, ann. 1569. prodijssent è prelis, iterum Parisijs, ann. 1578. vnà cum duodecim Sermonibus eiusdem Ildephonsi in pręcipuis festis Beatiss. Virginis prodierunt in lucem.

Obijt ann. 667. tertiodecimo Kal. Februarij, ideoq; corrigendus error (opinor) Amanuensium, siue Typographię, qui habet numerum annorum 346. loco 667.

ILDVINVS Abbas Monasterij D. Dionysij, quod duabus Leucis Lutetia distat Congreg. Floriacensis, qui vixit ann. 840. Scripsit De vita S. Dionysij Episcopi, & Martyris

carmine libros quattuor, soluta verò Oratione vnum. Prosam item ipsius cũ quibusdam alijs eò pertinentibus habemus in Areopagiticis Matthæi Galeni Vuestcapellij, Cancellarij Academiæ Duacensis, Coloniæ ann. 1563. excusam. Libri autem quattuor metro conscripti asseruantur in monasterio Gemblacensi in Belgio m. s. De reuelatione item eiusdem lib. 1. m.s. extat in paruo Monasterio propè Louanium.

Ilerdense Concilium habitum est in Conuentu Ilerdensi, Era 484. anno Quintodecimo Theoderici Regis, octauo Idus Augusti. Affuere octo Episcopi. Fragmenta verò huius Concilij ponit Garsias Loaisa in collatione Hispanicorum Cõciliorum, vbi mox notat sequentia.

Ilerdense] Ilerda, Ilergetum Vrbs, in Hispania Tarraconensi, de qua in Commentarijs Cæsaris de bello ciuili, frequens mentio: abluitur fluuio Sycore: eius meminere Ptolomæus, lib. 2. cap. 6. Plinius, lib. 3. c. 3. Antoninus, & alij. Vnum verò tantum Ilerdense Concilium ab Iuone, Burchardo, Gratiano, atque alijs collectoribus Canonum citatur: sed illud mutilum ex eo videtur, quòd Burchardus, lib. 7. cap. 17. vigesimum huius capitulum adducit, quod hic nusquam comparet; cum sexdecim tantum habeantur. Aduerte scribendum, *Ilerda*, non *Illerda*: Horatius: *Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.*

In conuentu Ilerdensi.] A Plinio municipium, non conuentus dicitur. Conuentus sunt septem, Tarraconensis, Carthaginensis, Cęsaraugustanus, Cluniensis, Asturum, Lucensis, Bracarensis. Municipia tredecim, Saguntum, Bętulum, Illurco, Blandæ, Emporiæ, Dertosani, Bigargitani, Bellitani, Calagurris, Ilerda, Osca, Tarracona, Bilbilis.

Illyricana Synodus ann. 365. mandante Liberio Pont. Max. per suum Legatum Elpidium Romanæ Ecclesię presbyterum celebrata est ad Nicęni Concilij de Consubstantialitate Filij fidem stabiliendam, sed & in qua de Episcopis, & presbyteris deligendis est actum. Eius Decreta, & Synodalem Epistolam ad Asianos, & alios Orientis Episcopos. Vide in 4. To. Baron. Card. sub eundem annum.

Illyricarvm, & Dalmatiæ Ecclesiarum ad Symmachum Pontificem Romanum extat Epistola in Bibliotheca SS. Patrum: Cui respondet illa Symmachi Epistola Decretalis, cuius initium est, *Presbyteris, Diaconibus, Archimandritis per Illyricum*, &c. quæ habetur in Conciliorum Tomo secundo.

In ea verò Epistola, quoniam Acacij mentio fit, habes totam historiam in Liberati Breuiario de caussa Nestoriana, & Eutychiana, c. 17. & 18. Conciliorum, tomo secundo. Is enim à Felice Pontifice Romano excommunicatus est, quòd Petro Maggo hęretico communicasset. Quo item loco habetur, coactos esse, qui damnationis eius litteras deferebant (cum eas non susciperet, fultus Imperatoris patrocinio) per quendam ignotum Achimetensem Monachum suspendere in eius pallio, dum Ecclesiam ingrederetur ad celebranda sacra.

Extat item eiusdem Symmachi Apologeticus aduersus Anastasium Imperatorem, qua inter alia prædicit futuras Imperatoris calamitates, & interitum. Perijt autem postea Imperator ictus fulmine.

Ilvdolphvs è Suchem, Germanus, quoniam characteribus, siue typis (licet peranti quis,) editus tamen absque Operis inscriptione, & absq; typographi nomine, haud omnino libenter à me hic inseritur. Scripsit ad Balduinum (alij *Baldeuinum*) Padebornensis Ecclesiæ Episcopum Librum de Terra Sancta, suaque Hierosolymam profectione, deque ijs, quæ ibidem quinquennio demoratus obseruauit, & expertus est.

I N

Ina Rex Sanctus in Anglia (quem alij *Ilnam*, & Visisaxonum Regem, atque obijsse Romę monachum effectum scribunt) opum S.R.E. amplificator, vt subditos ad bene, beateque viuendum instrueret, sanctissimas condidit leges, quas vtinam posteritas non antiquasset. Eæ fuerunt leges Religiosæ, libro vno, Statuta Municipalia libro altero. Epistola ad Gregorium huius nominis Secundum, Pontificem Maximum. Vide Matthæum Vuest-

Vueſtmonaſterienſem in Floribus Hiſtoriarum ad ann.727. Polydorus Virgilius, lib.4.

INCERTI Auctoris de Fide Tractatus meminit Photius in Græca Bibliotheca.

INCERTI, ſed antiqui, Auctoris Tractatus Latinus extabat Sixti Senenſis tempore Venetijs apud Academicos Venetos inſcriptus *Theologica Dauidis Poeſis*, Quo agebatur quemadmodum Regius Propheta Dauid in exponendis Diuinis laudibus, & exprimendis flagrantiſſimi cordis affectibus ad animæ ſalutem pertinentibus tantum poſt ſe ceteros Poetas reliquit, quantum Diuinus Spiritus omnem humani ingenij vim antecedit.

INCERTVS Auctor. Vide in verbo, Anonymus.

INCOGNITVS Auctor in Pſalmos. Vide in verbo, Michael Ayguanus.

INDEX Biblicus, qui res eas, de quibus in Sacris Biblijs agitur ad certa capita Alphabeti ordine digeſta, reuocatas ſumma breuitate cōplectitur. editus Antuerpiæ apud Plantinum 1571. Vide in verbo, Io. Harlemius.

INDEX Librorum prohibitorum cum Regulis à Tridentina Synodo confectis, & à Pio Quarto Pontifice Max. emiſſus, deinde iuſſu Clementis Octaui Pont. Max. recognitus & auctus, additis neceſſarijs alijs monitis, Romę, Venetijs, & paſſim iam excuſus ad ablegandam librorum peſtilentium fęcem vtiliſſimus.

INDVLGENTIAE, quæ ſunt ex Theſauro Eccleſiæ condonationes pœnarū, quæ poſt remiſſam culpam, debentur à pœnitente, tractantur à Scholaſticis Theologis ad quartum lib. Sententiarum diſtin. 19. ſiue 20. ſiue 45. pręſertim ab Alberto Magno, à D. Thoma, à S. Bonauentura, cum & de iiſdē antea egiſſent Gulielmus Altiſiodorenſis in Summa Theologica, lib.4. tract.6. cap.9. & Alexander Alenſis in Summa item Theologica parte quarta, quęſt.23. Quin & Interpretes Iuris Canonici Panormitanus, & alij in varia capita Tit. De Pœnitentijs, & remiſſionibus, & in Epiſtolis Decretalibus, & in Sexto, & Extrauagantibus. Io. de Turre Cremata in Commentario ad Martiani Decretum, de Pęnitentia hiſt. 1. can. *Quis vidit aliquando* §. Item in Leuitico. Felinus in Sermone, ſiue Tractatu de Indulgentijs, & S. Antoninus in Summa, par. 1. ti. 10. cap. 3. At poſt enatas Lutheri hęreſes Sylueſter Prieras, in Libello aduerſus Lutherū, & in Summa in Verbo, *Indulgentia*. Io. Eckius in Enchiridio cap.24. Adrianus Papa VI. in Comment. ad quartum librum Sententiarū, in Tractatu de Indulgentijs. Thomas Caietanus Card. in primo Tomo Opuſculorum Tracta. 8. 9. 10. 15. & 16. Io. Epiſcopus Roffenſis in Refutatione aſſertionis articulorum Lutheri, art. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. Dominicus Soto in 4. Sentent. diſt. 21. Petrus Soto in Inſtitutione Sacerdotum lect. 1. 2. & 3. de Indulgentijs. Iacobus Latomus in Defenſione ſeptimi articuli Louanienſium. Martinus Ledeſmius in ſecunda parte 4. ſent. Quæſt. 27. 28. 29. Michael Medina in Diſputatione De Indulgentijs. Io. Baptiſta Paulianus, in libris de Iobilæo, & Indulgentijs. Martinus Nauarrus in Commentario de Iobilæo, & Indulgentijs. Franciſcus Turrianus lib. quattuor De Dogmaticis characteribus Verbi Dei. Gregorius de Valentia libro De Indulgentijs. Iacobus Naclantus Tract. 10.

Quos omnes Auctores non tam enumerauit Rob. Cardin. Bellarminus, quàm accuratè perpendens, ac ſimul examinans quęcumque hæretici noſtri temporis euomuerant contra Indulgentias, libros duos de iiſdem plenos ſucci (& quidem breues) emiſit, qui poſtremæ ſuorum Voluminum De Controuerſijs editioni ad finem Quarti Tomi fuerunt additi: vt qui hos legerit, ij ſine diſpendio temporis pro multis alijs eſſe queant.

INDVLPHVS Anglus Monachus, & Abbas Monaſterij Crolandienſis in Anglia, qui ſui temporis Hiſtoriam ſcripſerit, affertur ab Arnoldo Vione, ſed cuiuſnam Congregationis fuerit, aut quoto anno vixerit, reſciri non potuit.

INFORMATIO breuis, quomodo Sacerdotes in adminiſtrandis Eccleſia Sacramentis, alijſque Diuinis Officijs Catholico ritu peragendis inſtructi eſſe, & Auguſtanæ Eccleſiæ formam ſequi debeant. Dilingæ ann. 1576.

INGVELEHEIMENSE (ſiue *Ingelhelmenſe*) Concilium in *Eengeleim*, ſiue in *Engleem* Regio Palatio prope Rhemos celebratum eſt ann. 948. Agapito Pont. Max. mandante; Qui & Marinum Vicarium ſuum miſit cum Epiſtolis ad Epiſcopos Galliæ, atque Germaniæ, qui Synodum indiceret, & congregaret, atque ei adeſſet. Actum eſt de maximis diſ-

ſenſionibus, quæ inter Ludouicum Regem, & Hugonem Principem, quæve inter Artaldum Rhemenſem Epiſcopum, & Hugonem illicitè ſubſtitutum eiuſdem Vrbis Præſulem agitabantur. Actum item de Inceſtis Coniugijs, & Sacerdotijs, quæ in Germania venun dabantur. Adiudicata fuit cauſſa Artaldo tamquam legitimo Rhemenſi Epiſcopo. Adfuit ipſe Ludouicus Rex. Vide Frodoardum: ex quo pleraque Baronius Cardin. in decimum Tomum Annalium inſeruit, cum poſtea capita decem eiuſdem Synodi ex m.s. Codice Monaſterij Vueingartenſis, eruta, Henricus Caniſius contulit. Vide finem Quinti Tomi antiquæ Lectionis, ab eo emiſſi, ann. 1604. Ingolſtadij. In eo autem Codice, ſcriptum eſt. Ingelhelmenſis Synodus.

INNOCENTIVS Albanus Innocentij F. ann. 402. Suffectus Pont. Max. in locũ Anaſtaſij demortui, & primus huius nominis, rexit Eccleſiam annis quindecim, mẽſem unum, dies decem. Quo Pontificatu ſanctè perfunctus, plura egit, & ſcripſit, quæ memoratu ſunt digna. Nempè Decretum Occidentalium, & Orientalium Eccleſiarum aduerſus Pelagianos, quo id ſanxit, quod ſucceſſor eius Zoſimus promulgauit: De regulis item monaſteriorum, ac de Iudæis, & Paganis. Cataphrygas verò expulit, atque Epiſtolas ſcripſit ad plurimos, quarum magna pars extat. A viris eius æui Sanctis Eccleſiæ Patribus Hieronymo, Auguſtino, Io. Chryſoſtomo, & alijs mirificè commendatus, in Romano etiam martyrologio anniuerſaria commemoratione tamquam Vir ſanctiſſimus celebratur. Vide Quintum Annalium Tomum Baronij Card. Geſta, ſcripta, obitum eius fusè perſequentis quin & oſtendentis non eſſe hunc Innocentium, ſed alterum Epiſcopum, ad quem D. Baſilius duas ſcripſit Epiſtolas. Quæ verò Eraſmus, & alij eius farinæ homines (vt ſolent de ipſa quoque Chriſti Eccleſia) obloqui ſunt auſi, ne digna quidẽ ſunt, quæ hic recẽſeantur.

INNOCENTIVS Secundus Pontifex Max. Romanus, qui Pontificatum geſſit annos quattuordecim, menſes ſeptem, dies tredecim, & cuius illud Opus fuit, quod adhuc cernimus in fornice S. Mariæ Transtyberinæ, celebrauit varia Cõcilia, Claromontanum in Gallia, in quo Petrum Antipapam cum eius aſſeclis damnauit: Rhemenſe: Placentinum in Italia: Piſanum in Etruria, vbi Antipapam damnauit: Lateranenſe Romæ: Quo inſtituit ne quis Laicus manum violentam clerico inijceret. Obijt ann. 1108. Extat autem eius liber, ſiue Commentarius in Cantica Canticorum m.s. in Bibliotheca celebris Monaſterij Sancti Galli in Heluetia.

INNOCENTIVS Tertius huius nominis Pont. Max. patria Anagninus, quæ Ciuitas eſt in Latio, Lotharius antea appellatus, vir verè doctiſſimus, qui celeberrimum, & frequẽtiſſimum omnium, quæ habita fuerunt in Europa, Concilium coegit, quo monſtrata, & mandata eſt ratio docendorum in Scholis Adoleſcentum, ac tradendæ in Academijs Philoſophiæ aduerſus impios, qui mortalitatem animæ Rationalis, ſpecie Peripateticæ doctrinæ ingerunt, atque inter alia propugnata eſt veritas ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ac defenſa Tranſubſtãtiatio, Almerici errores damnati, libellus Ioachimi Abbatis aduerſus Petrum Lombardum proſcriptus. Peruſij deceſſit ann. tam inſignis Pontificatus decimooctauo, menſe ſeptimo, die ſextodecimo. Reliquit autem

Decretales, quibus Iuris Canonici periti vtuntur non minus in Iudicijs, quàm in Scholis. Quaſque mãdauit obſeruari, quippe quibus præter alia, hæreſes improbauit. In quibus, quod etiam Bellarminus Cardinalis notauit, in cap. *Cum veniſſet*, De ſacra vnctione irrepſit à librarijs mendum vnius verbi, quod ſententiam turbat. Habet enim, *Non Iudai Zat Eccleſia, ſicut antiqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neque Dei nouere virtutem*. Emendandum eſt illud *antiqui*, ac legendum eſt. *aliqui*. Nam ipſe Innocentius ex antiquis ipſis ſuam maximè ſententiam probat.

Scripſit item in ſeptem Pſalmos Pęnitentiales. De Officio Miſſæ. De Sacramento Baptiſmi. De clauſtro animæ. Librum De contemptu Mundi, de quo vide eundem Card. Bellarm. lib. 2. De Purgatorio, c. 4. vltra medium. Sermones.

Eius Opera, cum horum aliqua tum alibi, tum Antuerpiæ, ann. 1550. fuiſſent excuſa apud Ioannem Stelſium, recuſa fuere omnia Venetijs ann. 1578. ad ſignum Falconis. Claruit ann. 1200.

INNO-

INNOCENTIVS Quartus, Pont. Max. *Sinibaldus* vocatus ante Pôtificatum, Genuensis, è familia nobilissima Flisca, è Lauaniæ Comitibus, scripsit De potestate Ecclesiastica, lib. 1. Apparatũ ad Decretales. Regulam Clarissarum, lib. 1. Authenricas quoque, lib. 1. Librum De iurisdictione Imperij, & auctoritate Pont. contra Petrum Vineam, quem Innocentius deinceps Apologeticum vocauit. Epistolarum ad diuersos, lib. 1. Eius autem Glossæ super Decretal. cum Margarita Baldi, Lugduni prodierunt ann. 1525. Citatur & Lectura eius super Decretales, item super Sexto Decretal. & super vnoquoque titulo: sed & Exceptionum Tractatus. Commentaria verò eius in quinque libros Decretalium: nec non in Decretales per eundem editas à Petro Vendramino ad veterum, & recentiorum exemplarium fidem collata, cum Annotationibus Iurisconsultorum, edita sunt apud Bernardinum Melonarium, Venetijs ann. 1570. & Margaritam Baldi de Vbaldis. Claruit ann. 1250.

INNOCENTIVS Quintus Pontifex Max. antea Petrus Tarantasiensis, siue de *Tarantasia* nominatus, natione Burgundus (vt inquit Platina) Ord. Prædicatorum, scripsit Postillas in Moysis Pentateuchum. In Psalmos Dauidis. In Canticum Canticorum Salomonis. In B. Lucam. Diui quoque Thomæ Aquinatis Opera in Compendium redegit. Præter id quod in Philosophicis scripserat. De Aeternitate Mundi. De intellectu, & voluntate. De veritate formarum. De materia Cęli. Viuebat ann. 1275.

INNOCENTIVS Sextus Pont. Max. Lemouicensis, Gallus, *Stephanus* antea vocatus, fertur aliquot Sermones scripsisse, quos tamen ipse non vidi. Id scio, eum Pontificij, & Ciuilis Iuris Consultissimum ad Pontificatum fuisse assumptum ann. 1352. in quo Ecclesiæ suam Pastor fidelis, & impauidus operam præstitit, Clerum, & Principes summo in officio côntinuit; Bona Ecclesiæ adempta recuperauit; Institutiones quasdam Foroliuiensibus composuit; Decreta verò, & Epistolas scripsit, quantas æquum est fecisse, qui fermè decennium (licet non integrum,) in summis rerum conflictationibus clauũ Ecclesię tenuit.

INNOCENTIVS Septimus Pontifex Max. qui antea dicebatur *Cosmatus*, patria Sulmonensis, in Regno Neapolitano, Pontificij, Ciuilisque iuris & ipse valde peritus, Orationem grauissimã in cõsessu Cardinalium De Ecclesiastica vnione habuit. Vixit an. 1404.

INNOCENTIVS Octauus Pont. Max. vocatus antea *Io. Baptista Cibo*, Genuensis, euectus ad Pontificatũ ann. 1484. Scripsit quę pro ratione tanti muneris solent Pontt. Maxx. ac præcipuè is, qui octennium ipso perfunctus est. At eius Epistolæ aliquot m.s. asseruãtur in Biblioth. Cæsarea Viennæ.

INNOCENTIVS Nonus Pont. Max. Bononiensis, appellatus antea Io. Ant. Fachinettus, vir & ipse Iurisconf. nescio an aliquid scripserit, pręter moralia, & aduersus Machiauellum, vt mihi is ipse iam Pontifex Max. dixit. Sed ea non prodierunt in lucem. Bimestri autem Pontificatu non potuit, quæ in bonum Ecclesiæ inchoauerat, perducere ad exitum. Obijt ann. 1591.

INNOMINATI Auctoris Chronologia ab Adam vsque ad Carolum Magnum extat m.s. in Bibl. Monasterij S. Galli in Heluetia.

INSINVATIONVM Diuinæ pietatis libri quinque, tandem post annos propemodum trecentos (quibus penè latuerunt) diligenter recogniti, & denuò in lucem editi, opera Tilmanni Bredenbachij. Coloniæ apud Petrum Horost. ann. 1588.

I O

IOACHIMVS Abbas Florensis, Ordin. D. Benedicti (vt Tritemius inquit) sed forsan Ordinis alterius, certè Monasterij ab se instituti, vt extat in Epistola Honorij Tertij Pont. Maximi (de qua post) in Calabrię oppido *Gallico* natus, vir fuit, de quo Gulielmus Parisiensis in libro De virtutibus, acerrimi iudicij Theologus, ita scriptum reliquit: *Debes scire, quia donum intellectus tanta claritatis est, & acuminis in quibusdam, vt valde assimiletur spiritu; prophetia, qualem crediderunt nonnulli fuisse in Abbate Ioachimo. Et ipsemet de se ipso dixisse dicitur, quia non erat ei datus spiritus Prophetia, sed spiritus intelligentia.* Sanè verò istud intel-

ligentiæ donum olfaciet is, qui eius Commentaria in Apocalypsim, & in Concordiam Veteris, & noui Testamenti perleget. Scio autem & Prophetiæ dono donatum fuisse, passim percrebuisse: quòd & in Prophetas(aiunt) scribens ostenderit: quodque pleraque exitus rerum ab eo prædictarum cõprobauerit: Id præsertim, quod D.Dominici, & D.Francisci Ordines ita prænunciauerit, vt etiam Opere mussiuo eos exprimi in Templo D.Marci, quod est primarium Venetijs, curauerit. Veruntamen iam ipsi Sancti Dominicus, atque Franciscus viuebãt, qui post paucos annos Ordines suos instituerunt. Illud propius verò, quod D.Antoninus Archiepiscopus Florentinus Titulo vlt. tertiæ suæ Partis Historialis affert ex Ioachimi explanatione in Apocalypsin de Ordine Eremitarum S. Augustini, quæ sic habet: *Surget ordo, qui videtur nouus, & non est. Induti nigris vestibus, & desuper accincti Zona pellicea. Hi crescent, & fama eorum diuulgabitur: & prædicabunt fidem, quam & defendent vsque ad Mundi consummationem in spiritu, & virtute Eliæ. Qui erit ordo Eremitarum æmulantium vitam Angelorum. Quorum vita erit quasi ignis ardens in amore, & Zelo Dei ad comburendum spinas, & tribulos, hoc est, ad consumendum, & extinguendum perniciosam Vitam prauorum, ne mali amplius abutantur Dei patientia.*

Ceterum quidquid huius rei sit, illud constat, & plures mendaciter eius dicta fuisse interpretatos; quin & Lutheranos ad propugnandos errores suos ea detorsisse, alios autem ad carpendam Pontificum Maximorum vitam auertisse, ac licet specie quadam de his honorificè locutos fuisse, iconesque cum Ioachimi verbis edidisse, fallaciter tamẽ, atque dolosè, virus, quod latebat in eorum cordibus, euomuisse.

Iam de Ioachimo constat Innocentium Tertium Pont. Maximum eius librum approbãte Concilio damnasse, quem contra Petrum Lombardum De vnitate, siue essentia Trinitatis scripserat, docens essentiam Diuinam generare, & generari, spirare & spirari, cum recte Petrus Lombardus docuisset, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & Naturam Diuinam eis communem, quæ nec generet, nec generetur, nec spiret, nec spiretur. Sed & constat eundem Ioachimum hortatu Lucij Tertij Pont. Maximi, ac deinceps Vrbani, & Clementis Pontt. Maxx. iussu, Expositionem Apocalypseos, & Concordiam vtriusque Testamenti, & alia texuisse: In quorum initio se eam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, constanter asserit; iubet verò, quæcumque scripserit, aut scripturus sit, vt sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio subijciantur, quę illa approbet, reijciat, emendet.

Initio Decretaliũ, in cap. Damnamus. Vide Scholasticos in lib. 1. Sent. dist. 5. Vide Melchiorem Canũ lib. 12. c. 7 De locis Theologicis. Et Franciscũ Pegnã in c. 2. Directorij Inquisitorum.

Atqui item constat extare in Vaticana Bibliotheca Honorij Tertij Pont. Maximi Epistolam ad Episcopum Lucaniæ, aduersus eos, qui de Ioachimo, atque eius monasterio acerbius obloquebantur, quæ ita habet: *Ad audientiam nostram noueritis peruenisse, quòd cum Abbatem, & monachos Ordinis Floris de crimine hæreticæ prauitatis infamas, & à tuis per mittis subditis infamari, sumens occasionem ex eo, quòd felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster Libellum, siue Tractatum, quem Abbas Ioachimus eiusdem Ord. institutor edidit contra Magistrum Petrum Lombardum De Vnitate, seu essentia Trinitatis, Generali approbante Concilio damnauit. Cum igitur idem prædecessor noster in sententia prædictæ damnationis expresserit, quòd per hoc Florensi Monasterio nolebat aliquatenus derogari, quoniam & in eo & regularis est institutio, & obseruantia singularis, idemq; Ioachimus omnia scripta sua ipsi prædecessori nostro assignari mandauit Apostolicæ Sedis approbanda iudicio, vel etiam corrigenda, dictans Epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, qua disponente Deo mater est cunctorum fidelium, & magistra. Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Fratres Ordinis supradicti, super hæreseos crimine nec ipse infamare præsumas, nec à subditis tuis permittas, seu aliquatenus dissimules infamari. Datum Romæ apud S.Petrum, quarto Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.*

Iam verò à Ioachimo Abbate Florensi fuisse scripta hæc, quæ sequuntur, cognouimus ex Tritemio.

In Ieremiam Prophetam. Quod quidem extat Venetijs excusum, ann. 1525. apud Bernardinum Benalium: & antea apud Lazarum Soardium, ibidem ann. 1516. ac postea ann. 1577. Coloniæ apud Ludouicum Alectorium.

In

In Isaiam, & in aliqua capita Naum, Abacuck, Zachariæ, & Malachiæ apud Lazarum Soardium, ann. 1517. Venetijs.

In Apocalypsim Ioannis Euangelistæ, apud Franciscum Bindonum, & Maphæum Pasinum socios, ann. 1527. Venetijs.

Concordiam Veteris, ac noui Testamenti apud Simonem de Luere, ann. 1519. Venetijs. Cuius Concordiæ caput centesimum decimum nonum, quod est postremum, legẽdum est. Ex eo enim & bona mens Ioachimi, & respõsio ad aliquos suis prænunciationibus obtrectantes cerni haud inutiliter poterit. Porrò apud eundem Simonem de Luere excusa fuisse reliqua Opera eodem anno aliqui scribunt. Quæ quidem ipse non vidi.

Psalterium decem chordarum, in quo de summa Trinitate, atque eius Distinctione agitur.

De numero item Psalmorum, & eorum arcanis, & mysticis sensibus.

De Psalmodia. De modo, & vsu psallendi simul, & psallentium, apud Franciscum Bindonum, & Maphæum Pasinum Socios. Venetijs ann. 1527.

In Danielem Prophetam, librum vnum. Ad Henricum sextum, librum alterum. De septem Sigillis. De futuris temporibus. Epistolas ad diuersos.

Alia quoque multa contra Iudæos, & alios fidei Catholicæ aduersarios; quæ cum ad Tritemij manus (vt ille scripsit) haud venerint, suspicor aut interijsse, aut partem eorum esse intelligendam extare in superioribus memoratis libris: puta, De septem sigillis in Commentarijs ad Apocalypsim De futuris temporibus in secunda parte Expositionis Isaiæ prophetæ. In ea enim egit De septem temporibus Ecclesiæ.

At de quindecim Pontificibus, quod idẽ inquit Tritemius, Ioachimũ scripsisse, prodierunt eiusdem Vaticinia, & Episcopi Marsici, Ferrariæ apud Victorium Baldinum, ann. 1593. Deinde Venetijs ann. 1598. cum Rotis, & imaginibus ex ære expressis cum Notis Pasqualini Regiselmi, atque ann. 1600. ibidem, apud Ioannem Bertonum, cum alijs Notis Hieronymi Ioannini.

Ceterum aliorum Notæ, qui fuerunt hæretici, & ab Ecclesia Catholica proscripti, neque hic memorari, & verò proijci debent, quò dignæ sunt, Inferni quisquiliæ.

Et Venetæ quidem editioni præfixa est vita Ioachimi Abbatis à Gabriele Bario Francisca no emissa, qui cum illum Mauri Tabellionis, & Gemmæ filium fuisse dicat, nec Patriã, vbi natus sit refert, & de dilatione baptismi ei traditi nonnulla commemorat, quorum apud eum esto fides. Verumenimvero è Chronicis Ordinis Seruorum scimus Beati Ioachimi, (sic enim, hoc est, *Beatum* appellant) vitam fuisse scriptam à P. Paulo Florentino, & à Nicolao Burgensi. Sed & legendi de eius vita Tritemius De viris Illustr. Ordin. Sancti Benedicti, lib. 2. c. 117. & De Scriptoribus Eccles. Pasqualinus Regiselmus, & F. Leander Bononiensis.

Quæ verò expositio in Librum Cyrilli De magnis tribulationibus, & statu S. R. E. ab illis temporibus vsque ad finẽ seculi ascripta fuit ipsi Ioachimo, prodijt quidem apud Bernardinum Benalium, (de quo paullo antea locuti sumus) vnà cum alijs à Telesphoro quodam Cosentino Eremita, & presbytero Calabro collectis, sed num Ioachimi fuerint, ac quonam tempore vixerit Cyrillus iste. Vide in verbo, Cyrillus Carmelita, post Cyrillum Alexandrinum. Vixit Ioachimus Abbas ann. 1200.

IOACHIMVS alter, Abbas Stangardiensis Tabulam Quadripartitam De quattuor hominum Nouissimis edidit Ingolstadij apud Dauidem Sartorium.

IOACHIMVS Hopperus ex antiqua Hopperorum familia, Snecæ in Frisia natus I. C. quam Facultatem Louanij magna cum laude professus est, varijs in Belgio, & apud Philippum II. Regem in Hispania muneribus perfunctus, scripsit Paraphrasim in Dauidicos Psalmos additis breuibus argumentis, atque explanationibus in quinque libros congestã. Quæ Antuerpiæ prodijt apud Plantinum, ann. 1595. cum & Iuris Pontificij, atque Ciuilis Librum singularem, & Isagogen in veram Iuris prudentiam ad filium libris octo: ac De iuris Arte tres libros: & Dispositionem in quattuor libros Institutionum: & Disputationem in libros Pandectarum Coloniæ apud hæredes Birkmanni emisisset ann. 1556. & ann. 1557.

IOA-

Ioachimvs Mirycianus Dominicam Orationem exposuit. Aduersus Lutherum scripsit Carmine. Elegiam De morte optimi Viri Hieronymi Emphseri composuit. Viuebat ann. 1540.

Ioachimvs Perionius, Patria Cormęriacenus, & Monachus monasterij D.Pauli, prope Cormęriacum, Ord. D. Benedicti, Congregationis Cluniacẽsis, qui obijt ann. 1570. præter Aristotelis plures libros, Ethicos, Politicos, Logicos, Parua Naturalia, Meteorologica, Platonis (siue quicunque is fuerit) Axiochum, Latinè redditos è Græco, & alia spectantia ad humaniores litteras edidit Topicorum Theologicorum libros duos, Parisijs apud Thomam Richardum, ann. 1549. De Vitis, & rebus gestis Apostolorum, ibidem apud Carolum Perier, ann. 1551. Orationes varias, vnam De laudibus B. Ioan. Baptistę. Alteram ad Henricum Secundum Galliæ Regem, cęterosque Christianæ religionis Principes aduersus Petrum Aretinum. Aliam De laudibus Dionysij Briconeti Episcopi Macloniensis. Ibidem, ann. 1551. De Prophetis, & Patriarchis Coloniæ apud hæredes Birkmanni, ann. 1557. De Vita Domini nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Virginis, ibidem ann. 1569. apud Theodoricum Baumium.

Vertit autem è Græco in Latinum Origenis, siue peruetusti cuiusdam, ac pereruditi viri Commentarios in Iob. Quam tamen versionem collatam cũ eo ipso libro Regiæ Bibliothecæ, quo ipse Perionius est vsus, expendit postea Iacobus Billius Prunæus, lapsusque Perionij indicauit in libris Sacrarum obseruationum.

Vertit item Dionysij Areopagitæ Opera omnia, quæ extãt, cum eiusdem Vita, & Scholijs, incerti Auctoris, in Librum De Ecclesiastica Hierarchia. Quæ Coloniæ prodierunt apud hæredes Birkmanni, ann. 1557. Iustini quoque martyris Opera, vna cum huius vita ab se conscripta, & D. Basilij Hexaemeron Latinitate donauit. Quam Basilij versionem à nobis expensam vide in verbo, Basilius Magnus.

At summatim de omnibus Optimi huius viri versionibus malo alienũ potius quã meum afferre iudicium. Quippe, vt constans penè omniũ ea sententia est virorum præstantium, plus elegantiæ, atque Latinitatis, quàm veritatis in ijs reperiri, sic vnus ipse Iacobus Billius in Græcis disciplinis, & lingua eruditissimus *Multo plus* (inquit de Perionio) *ipsi deberemus, si ad eximiam quandam, ac singularem vertendi elegantiam, eam quoque, quam par erat, Græcæ linguæ cognitionem, maioremq́ etiam aliquantò diligentiam adiunxisset. Quorum alterum, cum semper, alterum nimis frequenter in eo à plerisq́ viris Summa doctrina præditis desideratum sit, hinc factum est, vt longè plures, grauioresq́ quàm vellem errores in ipsius Interpretationibus inueniantur. Hac, & alia de illo Billius.*

Ioannes ab Abbatis Villa. Vide in verbo, Ioannes Algrinus.

Ioannes Acton Anglus I. V. C. composuit Apparatum ad Constitutiones Ecclesiasticas Ottonis, & Othoboni Cardinalium Legatorum. Ad Statuta item Anglicana. Viuebat ann. 1290.

Ioannes Adelphus, scripsit Expositiones Sequentiarum Ecclesiæ. Viuebat anno 1515. Eisingren.

Ioannes Adgilli Frisius, eius nominis Secundi Frisiorum Regis filius, inter fratres Gundobaldum, & Radbodum natu medius ob Regni auiti contemptum, & singularẽ Religionis Christianę propagandæ zelum, & incomparabilem vitę sanctimoniam vulgo *Presbyter* cognominatus, vna cum Otgero Danorum Rege expeditionem fecit sub Carolo Magno in Terram sanctam: & captis Hierosolymis cum Carolus rursus Germaniam peteret, vna cum Otgero in Indiam perrexit, ibique occupata vastissima terra Regnum condidit, quod est ab eo denominatum Regnum Presbyteri Ioannis. Cuius successores potentissimi Reges deinceps *Presbyteri Ioannes* appellati sunt: Ipsum Regnum postea etiã Abyssinorum dictum est, de qua re plenius dicturi sumus in Opere nostro de Colonijs Frisiorum, & in decimoquarto annalium nostrorum libro. Scripsit autem Ioannes hic ad Gundobaldum nepotem suum, Radbodi filium, vti testatur Cappidus, qui temporibus eius valde vicinus fuit. De expeditione Caroli Francorum Regis in Terram sanctam. De expeditione sua in Indiam. De terræ Indianæ qualitate. De gentium in ea diuersitate.

Floruit

Floruit ſub Carolo Magno circa annum Chriſti 790. Hæc Suffridus Petrus lib. de Friſiæ ſcriptoribus.

IOANNES Aegeates, ſiue Aegeæ presbyter ſcripſit quidem Græcè Hiſtoriam Eccleſiaſticam à Neſtorio hæretico vſque ad Petrum, qui Antiochenam ſedem inuaſit, eamque decem Tomis, ſiue Sectionibus. Quorum tamen quinque duntaxat Photius in ſua Bibliotheca narrat ſe perlegiſſe, ſed qui hæreſibus eſſent referti; & præter alia, Concilio Chalcedonenſi aduerſarentur. Synodum autem à Dioſcoro coactam poſt Concilium legitimum Epheſinum, quę à Gręcis *λῃστρική*, hoc eſt, *Prædatoria* dicta fuit, mirificè celebraret. Qua mobrem iuſto Dei iudicio interierunt.

IOANNES Aegidius è Zamorra, Ord. Minorum, Miniſter Prouinciæ Luſitanię, edidit librum De pręconijs Hſpaniæ, quem Sanctio Caſtellę Infanti dicauit.

IOANNES Albertus, Vimpinenſis, Germanus, ſcripſit aduerſus Spangembergium pro fide Catholica: Orationem quoque funebrem in funere Friderici Staphyli inſignis Lutheranorum expugnatoris. Viuebat ann. 1565.

IOANNES Alcok. Vide infra in verbo, Ioannes Alkok.

IOANNES Alerius, ſiue *de Alerio*, Toloſanus, Gallus, Ord. Carmelitarum, qui eiuſdem Ordinis fuit tertiusdecimus Prior Generalis, vir nauus, ac Dei ſeruus, ſcripſit in Mag. Sent. & in Eccleſiaſticum. Viuebat ann. 1330. At obijſſe ann. 1342. die 24. Nouembris habet Necrologium Carmelitanorum Florentinorum. Tritem. Iacobus de Plebe. Petrus Lucius.

IOANNES Algrinus (alijs *Halgrinus*) Monachus Cluniacenſis, Abbas S. Petri de Abbatis Villa, Gallus, ex Archipiſcopo Biſuntino, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Profeſſor olim Gymnaſij Pariſienſis, ſcripſit In Canticum Canticorum Salomonis: Quæ expoſitio prodijt Pariſiis apud Aſcenſium, ann. 1521. Sermones item ad populum habitos. Viuebat ann. 1227. Eiſingren.

IOANNES Alkoch, Anglus, Eligenſis Epiſcopus, De monte perfectionis librum edidit: Pſalmos Pęnitentiales Commentarijs illuſtrauit, Sermones ad populum habitos ſcripſit. Viuebat ann. 1487. Eiſingr. Sed & 1490. Sixto Senenſi.

IOANNES Alteſtaig Mindelhaimenſis, & Theologus, Lexicon Theologicum emiſit complectens Vocabulorum deſcriptiones, definitiones, interpretationes. Antuerpię apud Bellerum, ann. 1577. Venetijs apud hæredes Melchioris Seſſæ, ann. 1579.

IOANNES Amundiſham, Monachus, Ioannis Frumentarij Abbatis Acta deſcripſit. Deinde librum alterum pro eodem, eumque inſcripſit, *Clypeum*. Epiſtolas item, & carmina pleraque. Viuebat ann. 1450.

IOANNES Anania Bononienſis, quem nomine Archidiaconi citant. Scripſit in Decretales, ac Volumen reliquit Conſiliorum. Obijt ann. 1455.

IOANNES Anconitanus, ſiue de *Ancona* citatur inter Summiſtas in Sũma Angelica.

IOANNES Andeuer, Anglus, è Comitatu Hamptonenſi, Theologus, ſcripſit in Apocalypſin D. Ioannis Apoſtoli, & Poſtillas ſcripturarum.

IOANNES Andreas, Epiſcopus Alerienſis, Apoſtolicæ Bibliothecæ Bibliothecarius, Nicolai Cuſæ Cardin. olim contubernalis, ſcripſit In Quartum Decretalium. Librum item De vſu feudorum. Alterum De appellationibus. Epiſt. plures. Viuebat ann. 1491.

IOANNES Andreas Bononienſis, ſcripſit In Decretales, lib. 5. In Sextum Decretalium, lib. 1. Mercuriale. Summam de Sponſalibus, & Matrimonijs. In Clementinas. Librum De arbore Conſanguinitatis. Atqui, cum eſſet adoleſcentior, ingenio viuidus Gloſſemata ad Sextum Decretalium conſcripſit, quæ deinde recenſuit, atque ſuis locis aptauit. Quin & quę ſcripſerat in Clementinas, & in Decretales, quod Opus *Nouella* pręnotatum ſic è veterum ſcriptis collegit, vt in ordinem, ſeriemque rectè digereret. Prodijt item Opus ipſius Additionum ad Speculum Gulielmi Durandi Pariſijs apud Franciſcum Regnault, ann. 1522.

Sanè, priuſquam Baſilea Ciuitas prorſus hæreſum tabo inficeretur, ex ea prodijt anno 1517. Summa eius ad Secundum Decretalium: Item ad Quartum. Et arbor Conſangui-

guinitatis, Affinitatis, atque Cognationis tam legalis, quàm Spiritualis. Citantur autem eius Lecturæ in Decretales. Disputationes etiam Mercuriales ad Tit. De Regulis Iuris, libris sex, ad singulas vna. Disputatio De Clerico relinquente habitum an gaudeat priuilegio: Incipit, *Quia sæpè quærimus*. Eius in quinque libros Decretalium, & Sextum, & in Tit. De Regulis Iuris, Nouella Commentaria fuere Venetijs recusa, ann. 1581. Extat verò ipsius liber De interdictis in To. 14. fol. 344. ac De Sponsalibus, & Matrimonijs in To. 9. fol. 2. inter Tractatus postremò Venetijs excusos, & auctos. Viuebat ann. 1348.

IOANNES Andreas Florentinus, pręter alia scripsit De laudibus S. Hieronymi, lib. 4. *Hieronymum iugiter*. Michael Pocciantius, Ordinis Seruorum in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

IOANNES Andreas Lilius Fabrianensis, Tractatum Italicè edidit De Diaboli æmulatione in Adoratione, in Sacrificijs, & in alijs ad Diuinitatem spectantibus, ad Victoriam Farnesiam Vrbini Ducissam Serenissimam, Venetijs ann. 1563. apud Franciscum Franciscium Senensem.

IOANNES Anglicus, Ord. Minorum, Exposuit Quæstiones Vniuersalium Scoti.

IOANNES Anglicus, Ordinis Minorum, alius à priore, dudum professus Theologiā in Academia Parisiensi, edidit Summam, vulgò *Ioanninam* à nomine Auctoris dictā, scripsit quoque super Magistrum. In Apocalypsim. Manipulum Florum. Item de perfectione Euangelica. Denique Sermones varios. Fuit & Ioannes à duobus prædictis, alius vir doctissimus tempore Innocentij III. Legatus Pontificius ad Anglos.

IOANNES alius Anglicus Theologus reliquit à se conscriptum Rosarium Beatiss. Virginis. De quattuor eius festiuitatibus Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis.

IOANNES Anglus, Monachus Monasterij Hildæ, siue Streneshalcensis, ex Episcopo Hagulstadense, Sancto Vuilfrido ann. 711. successor datus, cum suæ præfuisset Ecclesię annis plus minus decem, doctrina, & sanctitate clarus migrauit ad Dominum in Monasterio S. Petri in Sylua Deirorum, ann. 721. Nonis Maij, ibidem in Templi porticu sepultus. Beda, lib. 5. cap. 2. ad 6. Matthæus Vuestmon. Tritemius, lib. 4. c. 68. & 170. & alij. Scripsit Homilias quasdam in Euangelium D. Lucæ.

IOANNES Annius, Viterbiensis, quæ Ciuitas est Pontificiæ Ditionis, Italus, Ordin. Præd. scripsisse quidem à quibusdam dicitur In Genesim. In Deuteronomium. In Psalterium Dauidis. In Prophetas maiores. In Prophetas minores. In Epistolas omnes D. Pauli. At neque Sixtus Senensis, qui fuit eiusdem Ordin. nec Antonius Senensis qui Catalogum scripsit, vllius eorum Commentariorum meminit, sed vnius tātum Commentarij in Psalterium, cuius ipse meminit in sua Chronographia, & alterius in Apocalypsin, quem Sixto Quarto Summo Pont. Regibusque, ac Principibus Christianis dicauit. Scripsit quoque De primis temporibus, & vigintiquattuor Regibus Hispaniæ, & eius Antiquitate. Præterea De Antiquitate, & rebus Etruriæ. De Etrusca item simul & Italica Chronographia. Quæstiones De Thuscia. Topographiam. Emendationes Chronicorum, quæ tamen non fuere emendationes. Chronographiam contra Eusebium. Veruntamen, quæ ipsius extant Commentaria in Archilochi De Temporibus Epitomen. In Xenophontis Aequiuoca. In Berosum. In Manethonem. In Metasthenem. In Philonem De Temporibus. In Fabium Pictorem. In Myrsilium Lesbium. In Marci Catonis Fragmenta de Originibus. In Antonini Itinerarium. In Caium Sempronium. In Propertium de Vertumno, siue Iano, fuere quidem excusa Antuerpiæ, ann. 1552. Sed accuratius deinceps expensa non esse legitimos illos fętus eorum Auctorum, at spurios, & à veritate alienos, plerique solidis rationibus monstrarunt. Vide quæ Melchior Canus, Ord. Pręd. & Episc. in suis Locis cōmunibus, quæve Benedictus Pererius, & nos in 16. lib. Bibliothecæ Selectæ editionis Venetę, ann. 1603. hac de re scripsimus.

IOANNES Antiochenus. Vide in verbo, Io. Chrysostomus.

IOANNES Antiochenę Ecclesiæ presbyter Eusebij Emiseni, Diodoriq; sectator, multa componere dicitur, de quibus περὶ ἱερωσύνης tantum legi. Et hęc quidem Hieronymus

in

in Catalogo. At hunc puto esse eundem, qui etiam Episcopus Antiochenus, tredecim annos fuit, non autem decem & octo, quemadmodum falsus est Nicephorus. Eius autem Ioannis, ad Cyrillum Alexandrinum,& ad Romanum Pont. atque ad alios extant Epistolæ de quibus Baronius Cardin. Quarto Annalium Tomo sic agit, vt eius hęreses, ac dolos detegat. Obijt ann.436.

IOANNES Antonius Campanus Episcopus Aretinus, scripsit Orationes De Spiritu sancto, & de S.Stephano. Librum De fugienda ingratitudine. De regendo Magistratu alterum. De dignitate matrimonij alium. Orationes duas, habitas alteram in funere Calisti Pont. Max. alteram in funere Card.Crotoniatum. Quin & scripsit sex libros de Vita, & rebus gestis Bracij Perusini Italicæ quondam militiæ Imp. fortissimi. De Thrasymeni quoque lacus præstantia.

IOANNES Antonius Canetius Siculus scripsit in Extrauagantes,qui & Venetijs fuit excusus ann.1577.

IOANNES Antonius Delphinus, è Casali Maiore,insigni Oppido Ditionis Mediolanensis Conuentualis Ordin.Minorum,Theologus,& vir acri iudicio pręditus,edidit Opus mole non omnino magnum, at certè vi,& perspicuitate rationum haud exiguum,quo Vniuersum fermè negocium De Ecclesia inter Patres Orthodoxos, atque Protestantes hæreticos cōtrouersum, in tres libros est distributum. Venetijs apud Andream Arriuabenum, ann.1552. De Matrimonio,& itē Cœlibatu, libros duos. Quorum Primo agitur quidem Methodicè De vniuerso Matrimonij negotio: At secundo De Cęlibatu Sacris initiatorū, Deque Monasticis Votis, atque De Institutis Regularium. Scripsit autem quinque item Libros De Salutari omnium rerum, ac præsertim Hominum progressu. Quorum Primus est De Rerum euentu. Secundus De Prædestinatione. Tertius De Peccato Originali, ac De libero arbitrio. Quartus, & Quintus De Iustificatione. Quę omnia Camerini prodierunt apud Antonium Guiossum,ann.1553. De Cęlestibus Globis. De agendis in Cōcilio Tridentino sub Iulio III. Pont. Max. De Diuina Prouidentia libros tres Romæ, anno 1588. De Methodo Opuscula Logicalia. Obijt ann.1560.

IOANNES Antonius Fauentinus, Ord. Minorum edidit pias Meditationes Italicè. Viuebat ann.1577.

IOANNES Antonius è S.Georgio, Prępositus Mediolanēsis Ecclesię, ac deinceps Cardinalis Alexandrinus,citatur in Summa Angelica inter Scriptores Iuris Canonici. Sanè scripsit Lecturas ad Decretum. Quin & ad Titulum Secundi Decretalium De Appellationibus. Et ad Quartum Decretalium Commentaria, quæ pręstantium virorum Notis illustrata prodierunt Venetijs ann.1578. Scripsit autem & De feudis.

IOANNES Antonius Pantusa, Consentinus, & Litterēsis Episcopus, edidit Commentaria in Epist. ad Romanos: ac reliqua Opuscula, quæ in tres Tomos distributa Venetijs prodierunt ann.1596.

IOANNES Antonius Pipero, Contursinus, Lucanus I. C. scripsit De omni vero Officio libros septem. Neapoli excusos, ann.1534.

IOANNES Antonius Viperanus, Mesconensis, Siculus, Iuuenatiensium Episcopus, Conciones aliquot celebrioribus anni festiuitatibus habitas edidit Venetijs apud Io. Baptistam Ciottum, ann.1600.

IOANNES Apostolus hoc est gratia Dei, designatus per Aquilam, Zebedæi filius, Iacobi Apostoli frater, ex discipulis Domini vnus, Virgo electus à Deo, quem de nuptijs volentem nubere vocauit, planè totus illiteratus erat(vt inquit Theophylactus)patria vili,& obscura, piscaturæ apta. postea permanens Virgo, & dilectus à Domino, à quo ei commendata de Cruce Mater, vt Virginem Virgo seruaret, qui de pectore Christi, vbi recubuit, Euangelij fontē potauit, & quasi vnus de Paradisi fluminibus, Verbi Dei gratiam in orbem diffudit, Apostolus, Euangelista, Propheta. quare & filius tonitrui dictus, idest fulmen, quemadmodum apud Hieremiam, Hebræa phrasi, filiæ pharetræ, sagittæ dicuntur. quamquam Epiphanius putat vocatum ob suam grandiloquentiam, quasi è quibusdam nubibus, idest sapientię ænigmatibus, piam nobis de filio intelligentiam iuxta similem modum

Hieron. in Catal. Script. Eccl. & in eo, qui illi ascribitur prologo ī Io. Vide Hieron. aduers. Iouinianū, vbi de priuilegijs Io. Euang. multa, & egregia: & Viterbiensem in Chronicis pag. 14. Hiero. T[illegible] 3 Epiph hęr. 78

dum persuaserit. Hic igitur, qui à Domitiano missus in feruentis olei dolium, purior, & vegetior exiuit, quàm ingressus sit, multa gessit, passus est, ac scripsit, vsque ad exiens primũ seculum, quo decessit. At de illo ita Hieronymus in Catalogo scribit, quæ sequũtur. Ioannes Apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedęi, & frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asię Episcopis aduersus Cerinthum, aliosq; hęreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est, Diuinam eius Natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius Scripturę ferunt, quòd cũ legisset Matthæi, Marci, & Lucę volumina, probauerit quidem textum Historiæ, & vera eos dixisse firmauerit, sed vnius tãtum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cuius Acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestũ esse poterit his, qui diligenter quattuor Euangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quę videtur Ioannis esse cum cęteris, tollit. Scripsit autem, & vnam Epistolam, cuius exordium est: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ*; quę ab vniuersis Ecclesiasticis, & eruditis viris probatur. Reliquę autem duę, quarum principium est: *Senior electæ Dominæ, & natis eius*; & sequentis. *Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate*: Ioannis presbyteri asseruntur; cuius & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur; & nonnulli putant duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistæ esse: super qua re, cum per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, disseremus. Quartodecimo igitur anno secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano in Pathmon Insulam relegatus, scripsit Apocalypsin, quam interpretatur Iustinus Martyr, & Irenęus: Interfecto autem Domitiano, & Actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub Nerua Principe redit Ephesum; ibique vsque ad Traianum Principem perseuerans totas Asiæ fundauit, rexitque Ecclesias. & confectus senio sexagesimooctauo post Passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem sepultus est. Ita quidem Hieronymus, ad quem pauca, Suffridus Petrus, & Marianus Victorius. Et Suffridus quidem sic: *Sub Nerua Principe*: Hæc videtur esse genuina lectio, quam & Lypsius probat. Alius notat in quibusdam m.s. Cod. pro *Nerua* esse *Pertinacem*, quod & Sophronius reddidit. Codex Gembla. habet, *sub Nerua Pertinace*, quomodo legit etiã Sigebergensis. Marianus autem & nonnulli (ait) putant duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistæ esse: super qua re cũ per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, disseremus.] *Duas memoratas, nos in vetustis manuscriptis codicibus inuenimus: Verum duas memorias Batauus emendator legit, qui sensus ex Sophronio, quoque elicitur, habet enim δύο μνημεῖα. intelligit autem Hieronymus duas commemoratas Ioannis Epistolas, vt infra in Papia legitur. quod si vox, Memorias, magis places, de monumentis, quod ambo Io. Euangelistæ fuerint, intelligas, non vnum Ioannis Euangelistæ, alterum Ioannis presbyteri. quæ tamen nobis opinio non probatur, errantibus vna Batauo, & Sophronio. ipsum tamen verbum non immutauimus.*

Ann. Do. 101.

Sub Nerua Principe redit Ephesum] *sub Pertinace Principe redit Ephesum, ridendo olim errore tam Sophronius, quàm Erasmus legebat: quasi Pertinax ante Traianum, de quo statim subijcitur, fuerit, & redierit ab exilio sub Pertinace, sub Traiano deinde decesserit. Ex hoc autem loco conijcio, ipsam quoque Sophronij versionem vitiatã esse, parumq; ei in Catalogo credendum absque Historia cognitione, & veterum exemplarium fide. nos ita ex antiquis Codicibus restituimus, nec dubitandum quin rectè, considerato Papia loco.*

Metaphrastes die 5. Septembris apud Surium To. 6. Die 27. Decemb.

Ceterum, quę Ioannes gessit in Phrygia, scripsit Metaphrastes, & extant apud Lippomanum; reliqua verò de eiusdem ipsius vita, gestis, exitu, deinde item & de peregrinationibus Orientalibus ad Ephesinam Ecclesiã, ac de Sanctis illius Virginei corporis reliquijs, collegit ex varijs Baronius Card. tum in Notis ad Romanum Martyrologium, tum in Ecclesiasticorum Annalium primo Tomo. His enim expendit, an Ioannes fuerit is, qui sponsus fuit in Cana Galilęæ, ac quomodo, quę ab alijs pręterm issa fuerant in Euangelio, suppleuerit, domumque habuerit Hierosolymę, vt consentiat cum alijs de die Paschatis à Domino

mino

mino celebrati, cuius sensum obliquè aliqui detorqueant; cur item acceperit primum locum in Cœna, gestauerit laminam auream, nec semper in Asia permanserit; & vt in vase feruentis olei manserit illæsus, vt relegatus est ad Insulam Patmon, cuius Insulæ omnes incolas instituerit in fide, Ecclesias autem in Asia fundauerit, quomodo ab exilio reuocatus fuerit, ac deinceps à Dionysio Areopagita visitatus, qui ei suā ab exilio liberationem prædixerat; vt iuuenem perditum ad pœnitentiam adduxerit, mortuum suscitauerit Ephesi; cum verò scripturus esset Euangelium, quid iusserit, ac quænam signa de cęlo per tonitrua sint edita: cur item & quoto anno tum Euangelium, tum Apocalypsin scripserit; quotq; annis vixerit: quomodo ab Ioanne Presbytero sit alius Ioānes ipse Euangelista: denique vt Apollonium Tyaneum Magum, sicut Petrus Simonem Magum, persecutus sit. Addit famam fuisse de Epistolis Domitiani, & Proconsulis Asiæ, vltro citroque datis de Ioanne reo impietatis constituto Romam mittendo, deque eius gestis coram Domitiano, nomine Procori scriptis; quæ tamen reijciuntur, quoniam in pluribus fuisse mendacissimus, quisquis ille fuerit auctor, conuincitur.

Ioannes igitur coactus est (inquit Hieronymus) *ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus de Diuinitate Saluatoris altius scribere, & ad ipsum, vt ita dicam, Dei verbum non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere. Vnde & Ecclesiastica narrat historia, cum à fratribus cogeretur, vt scriberet, ita facturum se respondisse, si, indicto ieiunio, in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, reuelatione saturatus, illud proœmium è Cælo veniens eructauit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Id verò fuit anno primi seculi à Christo nato nonagesimonono. Hierony. in præfat. in Euā gel. Matt.

Euangelium autem scriptum à Ioanne in Patmo Insula, editum verò Ephesi, fuere qui dixerunt; At Irenęus, & Eusebius inquiunt, scriptum Ephesi fuisse. Porrò verba Athanasij in Synopsi hæc sunt: *Euangelium secundum Ioannem prædicatum est à Ioanne Apostolo, & dilecto, cum exul esset in Patmo Insula, & postea ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum Apostolorum hospitem, de quo Paulus ad Romanos scribens, dicit: Salutat vos Caius hospes meus, & tota Ecclesia.* Fertur de eadem re sententia Hippolyti Episcopi Portuensis, & Martyris, in hæc verba: *Ioannes Iacobi frater, cum in Asia Verbum Dei propagaret, imperante Roma Domitiano, in Patmum Insulam est deportatus. Inde à Nerua reuocatus Ephesum, conscripto Euangelio, & patefactione, quam conspexerat, vita excessit, annos natus centum & sex.* Post restitutionem itaque ab exilio, incerto tamen anno, ab eo scriptum esse Euangelium Epiphanius quoque testatur, sic dicens: *Cogit Sanctus Spiritus Ioannem recusantem Euangelium annunciare ob metum, & humilitatem in senecta ipsius post nonaginta annos vitæ eius, post reuersionem ipsius à Patmo.* Sed quod addit: Quæ facta est sub Claudio Cæsare; memoria lapsum puto, vel in codicem mendum irrepsisse; nam haud facilè probari potest, quòd Ioannes sub Claudio saltem nonagenarius ætate fuerit. Iren. lib. 3. cap. 1. Euseb lib. 5. cap. *. Recitat Cedr. in Nerua. Epiph. hær. 51.

Huius Euangelij continuationem, occasionem, scopum, & alia, Driedo adnotauit; Pręstantiam verò & dignitatem præ ceteris Euangelijs, caussam, scopum, partitionem, persecutus est Ederus, à Tabula sexagesimaquinta, vsque ad octogesimamsextam libri tertij Partitionum Theologicarum. Driedo de Script. Eccl. libro 1. c. 3. p. 3.

Modum autem, quo facilius Euangelij huius sensus erui posset, Franc. Card. Toletus, suis in illud doctis Cōmentarijs, optimè quidem passim ostendit: at Argumentū, quod eis præfixit, paucis ea pene omnia perstringens, huic loco adijciendum est. Sic autem habet: Ioannes Iacobi maioris frater, Zebedęi filius, à Vico Bethsaida, Galilęę regionis, arte piscator, discipulus à Domino inter primos electus, vnà cū ceteris vndecim Apostolus creatus, Euangelium vltimus omnium scripsit. Hic cum in tria aliorum Euangelia, quæ à quibusdam fidelibus ad ipsum allata erant, incidisset, vidissetque hos tres in eo maximè Sermone versatos, qui de Saluatoris erat humanitate, dogmata verò de eius Diuinitate prętermisisse, ipsa quidem Euangelia admiratus, laudauit, veraque eos, & digna fide dixisse testatus est, ipse verò Diuino motus spiritu, de Diuina Christi natura plura scribere, & quę ab alijs pręterita fuerant, enarrare decreuit. Hoc enim propter illius temporis hęreses maximè Cherinthi, Diuinitatem Christi negantis, purumque hominem, qui à Ioseph &

Maria initium accepisse, affirmantis, necessarium iudicauit. Multis annis post captam Hierosolymam, fide iam patescente, capacioribusq; fidelibus effectis, ac multiplicatis, Euangelium in Asia conscripsit; id in caussa fuit, cur altiora dogmata, & secretiorem doctrinam traderet, eaque ratione motus tamdiu Euangelium hoc edere in lucem differret. Minus quàm ceteri Euangelistæ, Græcè locutus est; Hebraicis phrasibus abundat, vnde fit, vt Hebraici sermonis peritia, non minus quàm Græci, ad sensum sententiarum assequendum, sit necessaria. Sunt autem duo alia in hoc Euangelio attendenda: Vnum est, maximam vim in particulis caussalibus, illatiuis, continuatiuis, ceterisque eiusmodi esse positam; vt interdum vna particula integrum sententiæ sensum contineat, & ostendat: Alterum est, in enarrandis Christi Sermonibus, & Concionibus, quod huic Euangelistę maximè familiare, ac proprium est, non omnes, aut integras semper sententias, vti à Domino habitę sunt, sed quæ præcipuę, & ad rem maximè facere videbantur, Ioannem descripsisse, & velut in Epilogum redegisse, vt in ijs Christus agnosceretur. Hinc videre licet, nonnunquam in eis connectendis ac copulandis difficultatem, vt sibi non coherere prima facie videantur, quę reuera multum consona, & cohęrentia sunt. Hęc Toletus. Quæ deinceps Io. Maldonatus adhuc accuratè est persecutus in Euangelium Ioannis.

Chrysost. homil. 1. siue præfatione homiliarum, in Ioannem.

Angelos porrò ex Euangelicis D. Ioannis scriptis didicisse aliqua S. Ioannes Chrysostomus inquit, his verbis: *Ioannes nihil nobis humanum, sed à Spiritus Sancti profundis, & abditis thesauris omnia proloquitur, quæ neque Angeli, prius, quàm hic diceret, nouerunt; namque & ipsi nobiscum didicerunt per Ioannis vocem, & per nos didicerũt quæ cognouimus: Quod B. etiam Paulus his verbis significauit: Vt innotescat nunc Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Si igitur Principatus & Potestates, Cherubim, & Seraphim hæc per Ecclesiam didicerunt, planè constat ipsos Angelos summa cum attentione eius sese auditores exhibuisse. quippe idcirco non parum honoris consequimur, quòd nobiscum Angeli didicerint, quæ nesciebant.* Eiusdem sententiæ est Origenes, & Theodoretus.

Orig. hom in Luc. 23. Theodor in Immutabili. Bellar. lib. 1. de Verbo Dei c. 16.

Quomodo autem hęc intelligenda sint, cùm præsertim quidam secus locuti esse videantur, Sixtus Senensis libro sexto suę Bibliothecæ Sanctę, Annotationibus 182. 299. & 320. ex D. Thoma, & Haimone rectè expendit; præterquàm quòd Bellarm. Card. item post plerosque alios validis euincit rationibus, veram esse, quæ in Ioannis Euangelio scripta est, Adulterę historiam.

Anselmus in præf. in Apoc.

Iam cum Apocalypsin etiam Ioannes scripserit, ea cur facta sit Ioanni, atque ab eo litteris mandata, traditur ab Anselmo his verbis: *Deus & Dominus Pater, prauidens tribulationes, quas passura erat Sancta Ecclesia, postquam ab Apostolis fuit fundata, disposuit cum Filio, & Spiritu Sancto eas tribulationes, earumq; præmia reuelare: iacula enim, quæ prauidentur, minus lædunt.*

Videndæ verò in Apocalypsin, & Annotationes ex Patribus, & Tabulę, quas confecit Ederus, libro Oeconomię quarto, à Tabula octogesima secunda, vsque ad ducentesimam septuagesimam tertiam.

Quid item aduersus Ioannis Euangelium & Apocalypsin hęretici Alogi, & Theodorus Byzantius, & demum Anabaptistæ, & alij hęretici huius seculi, commenti sunt, lucem fugientes, Augustinus, Epiphanius, & plerique alij scripsere; de quibus libro septimo suę Bibliothecę Sanctę Sixtus Senensis plura, cum & eorum commenta ex Patribus refellit. Sed & Bellarm. Card. eos breui refutat, qui Apocalypsin oppugnabant. Vide autẽ Alphonsum Salmeronem in Prolegomenis, & qui in eam recentiores Commentaria ediderunt. De quibus paullo post.

Bellar. To. 1. de Verbo Dei lib. 1. c. 19.

Oecum. argumento in eã. Sixtus Senen. lib. 1. Bibl. sanctæ.

Scripsit etiam Ioannes Epistolas tres, quę extant, Canonicas; & primam quidem ad omnes, quòd (vt inquit Oecumenius) Deus cognitus sit, Diabolica verò energia posthac deuicta sit, abolita morte. At præter primam (vt inquit Sixtus Senensis) illam ab omnibus semper Ecclesijs probatam Epistolam, scripsit etiam alias duas Epistolas; alteram de recta fide seruanda, & hęreticis vitandis, ad Gaium; alteram de hospitalitate ad Electam; quam (vt Hieronymus indicat, & de illo innuimus) quidam ex orthodoxis existimarunt esse alterius cuiusdam Ioannis Presbyteri, cuius sepulchrum in vrbe Epheso monstrabatur,

tur, eò quòd in his Presbyterum scribat seipsum, & ad vnam mulierem, & ad vnicum Gaium scribat, contra consuetudinem Epistolarum Catholicarum; quæ idcirco etiam Catholicæ, id est vniuersales, siue orbiculares dicuntur, quòd non distinctæ vni personæ, genti, aut ciuitati, sed vniuersè omnibus fidelibus scriptæ sint. Vtramque tamen sacra Concilia tamquam Ioannis in Canone acceperunt: ex quibus Græci priorem diuidunt in capita duo, posteriorem in tria.

Qua verò occasione scriptæ sint hæ tres Epistolæ, quoque tempore, id est, post reditum ab exilio: quid contineant, quis earum sit scopus, quæ partitio, videndus Ederus eodem in libro quarto Oeconomiæ, à Tabula centesima sexagesimanona, vsque ad centesimam octogesimam.

Atqui cum hæretici quidam ea quæ capite vltimo Epistolæ primæ Ioannis habentur, illis verbis, *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, &c.* quive secundam, & tertiam Epistolam oppugnassent, legendus est Bellarminus Card. capite decimooctauo, & decimonono libri primi de Verbo Dei, Tomo primo.

Scripsisse item videtur Ioannes Euangelista Epistolas septem, Christo mandante, ad Episcopos Ecclesiarum Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Tyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, Laodiceæ: quarum argumenta leguntur secundo, & tertio capite Apocalypseos, vt in Commentarijs eius loci Victorinus affirmat. Quin Origenes putat hosce septem Episcopos fuisse verè Angelos, non tantum nomine & officio, sed & natura. Orig. ho. 20. in Num. & homil. 13. in Lucam.

Epistolæ ad Parthos ab Ioanne scriptæ (quæ tamen nō extat, quod sciam) meminit Augustinus, ex ea citans eadē verba, quæ sunt in prima Epistola Ioannis Canonica, Nempe: *Dilectissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ac Parthis quidem Euangelium annunciasse, præter eius Epistolæ inscriptionem, conijci ex eo potest, quòd Patres Societatis nostræ Indicis Epistolis anno huius sæculi quinquagesimoquinto, scripsere, antiqua Traditione eundem Apostolum ad Indos penetrasse. August. lib. 2. quæst. Euāgelicarū. q. 39.

Quos verò Actus Ioannis Euangelistæ, & Petri, ac Pauli, Manichęi habebant, ij ab Ecclesia explosi sunt (vt inquit Philastrius) nam & in his signa, & prodigia magna Apostolos fecisse narrant, ita vt pecudes, & bestię, & canes loquerentur, atque hominum animas, velut canum, & pecudum esse dicant.

Nec item Ioannis liber est, qui de transitu, & assumptione B. Marię Virginis, inscriptus est, in quem se incidisse scribit Iacobus de Varagine, Genuensis Archiepiscopus, libro Annuarum festiuitatum. Et verò Augustinus, quid de huiusmodi Scriptis sentiendum sit, his verbis ostendit: *Sed nec inuenitur apud Latinos aliquis Tractatorum de Maria morte quippiam dixisse apertè. Et quid de his dico, cum nec is, qui hanc accepit ante Crucem Domini in suam, id est Ioannes Euangelista, de hoc aliquid posteris retinendum scriptis mandauerit? nullus enim fidelius narrare potuit (si illud Deus manifestare voluisset) quàm ille vtique, qui hanc nutriendam suscepit. Restat ergo, vt homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum.* At Tritemius in Catalogo recenset librum De transitu B. Mariæ inter opera Melitonis Sardensis Episcopi, cuius initium est, *Melito Christi Seruus*: quem tamen Hieronymus enumerans Melitonis scripta, prętermisit. Quin etiam Hieronymus, siue Hieronymi comes Sophronius, Sermone de Assumptione Virginis, libri huius mentionem faciens, hortatur, ne recipiatur: & Beda in Retractationibus Apostolicorum Actuum, mendacia, quę in eo libro sunt, indicat. Aug. Ser. 35. de Sanctis.

Et à Cerintho quidem Apocalypsim quandam fuisse aut scriptam, aut deprauatam, scribit Caius Origenis discipulus in Dialogo disputationum suarum, vbi & ita habet: *Cerinthus per reuelationes quasdam, quas velut ab Apostolo magno conscriptas, & per Angelos ei reuelatas putarent, talia quædam portenta nobis inducit; Post resurrectionem terrenum futurum esse Regnum Christi in Hierusalem, & homines in carne iterum concupiscentijs & vitijs subiectam conuersationem habituros. contra fidem quoque Scripturarum quosdam mille annos designat, in quibus multa quidem, & alia corruptionis opera, & nuptiarum festiuitates dicit futuras, ad eos, qui libidini sunt dediti, decipiendos.*

Porrò sciendum in Syriaco Testamento, siue Cæsareo, quod extat Viennæ in Austria, siue in Regio Catholici Regis Antuerpiæ, hactenus editum est, deesse semper Epistolas, Sancti Petri secundam, S. Ioannis duas posteriores, S. Iudæ, quam habemus, & Apocalypsim. Vnde hæretici quidam libros istos vellicandi aliquod se nactos argumentum putarunt. At Catholici sciant eas in Orientalium extare Codicibus, prout à Maronitis Libani montis, qui sunt Alumni Pontificij, ac Romæ disciplinis imbuuntur, accepimus, quę ve Herbipolim, & Moguntiam allata, iam in Latinum conuertit professor noster Hebręæ linguæ Balthasar Etzelius.

INTERPRETES IN DIVVM IOANNEM.
Et primò in Euangelia.

Aegidius Romanus.
Agrippa.
Albinus.
Ambrosius Mediolanensis.
Ammonius.
Amphilochius.
Andreas Cretæ.
Anselmus.
Antonius Bruich.
Apollinaris.
Arnobius.
Asterius.
Aurelius Augustinus.
Basilius.
Bernardus.
Bessarion.
Bonauentura.
Bruno Archiepisc. Coloniensis.
Catena Græca. Cæsarius.
Claudius Guillaudus.
Conradus.
Cornelius Iansenius.
Cornelius Musæus.
Cyrillus.
Didymus.
Diegus siue Didacus Deza.
Diodorus.
Dionysius Vasquez Toletanus.
Dominicus Nanus.
Eusebius Cęsariensis.
Euthymius.
Fortunatianus.
Franciscus Agricola, qui in locos communes Euangelium S. Ioannis redegit.
Franciscus Titelmannus.
Franciscus Toletus Cardin.
Georgius Trapezuntius.
Gilbertus Porretanus.
Gregorius Papa.
Gregorius Corinthi.
Guido Perpinianus.
Guillelmus Aquisgranensis.
Guttierus.
Henricus Arnoldi.
Hieronymus Vida.
Innocentius Papa.
Ioachimus Abbas.
Ioannes Abbas.
Ioannes Arboreus.
Ioannes Balbus.
Ioannes Castellensis.
Ioannes Christophori.
Ioannes Gauuer.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Rideuat Anglus.
Ioannes Sanctafides.
Iodocus.
Iosephus Typerinus.
Isaac. Iuuencus.
Laurentius Iustinianus.
Ludolphus Cartusianus.
Marianus.
Michael Massensis.
Nonnus Panopolita.
Otfridus.
Petrus Isusquius.
Petrus Scala.
Richardus Mediauillanus.
Rupertus Gouletus.
Seraphinus Capponi à Porrecta.
Simon Cassianus.
Simon Cremonensis.
Simon Corroyus.
Stephanus Poloniacus.
Tatianus.
Theodorus Heracleotes.
Theophilus Alexandrinus.
Titus.
Victor.
Zacharias, &c.

In

In Epistolam Canonicam D. Ioannis.

Ambrosius Catharinus Compsæ Archiepiscopus.
Augustinus Anconas.
Claudius Guillandus.
Didymus.
Franciscus Titelmannus.
Gregorius Ariminensis.
Hieronymus Sauonarola.
Ioannes Baptista Folengus, quamquã istius Commentaria (vti suo diximus loco) super Epistolas SS. Petri, Iacobi, & super Epist. primam S. Ioannis sint prohibita in Romano Indice, quoniã ea ab aliquibus deprauata fuerant.
Ioannes Chiningan.
Ioannes Hoblet.
Marcus Aurelius Cassiodorus.
Nicolaus Dincospulus.
Thomas Sperman.
Thomas Vualdensis.

In Apocalypsim D. Ioannis.

Albinus.
Alcuinus.
Ambrosius Catharinus Compsę Archiep.
Ambrosius Mediolanensis.
Andreas Cæsareæ.
Anonymus Græcus, qui extabat apud D. Antonij Venetijs.
Ansbertus.
Aprigius Episcopus Hispanus.
Aretas, Gręcè, sed qui etiam Latinè est redditus.
Ascensius.
Augustinus Anconas.
Augustinus Romanus.
Aurelius Augustinus.
Beda.
Bernardinus Senensis.
Blasius Viegas.
Bruno Senensis.
Claudius Montemartyr.
Cęlius Pannonius.
Cęlius Rhodiginus, vbi de aureo calice Babylonis.
Dionysius Alexandrinus.
Epiphanius de Lapidibus.
Franciscus Ribera.
Fridericus Venetus.
Gaufredus.
Gennadius Massiliensis.
Helias Hanibaldus.
Henricus de Hassia.
Hippolytus.
Homiliarij potissimum in Peruigilio omnium Sanctorum in c. 5. Apocalypseos. *Ecce ego Ioannes vidi*. In Festo omnium Sanctorum, in c. 7. *Vidi alterum Angelum*. In Festo Sancti Michaelis Archangeli, in cap. 12. *Factum est prælium magnum*. In die Sanctorum Innocentium, in c. 14. *Vidi super montem Sion*. In dedicatione Templi in c. 21. *Vidi Ciuitatem Sanctam*.
Iacobus Stralen.
Ioachimus Abbas.
Ioannes Annius.
Ioannes Galensis.
Ioannes Haiton.
Ioannes Hentenius.
Ioannes Tacesfalsus.
Ioannes Torphe.
Iordanus.
Irenæus.
Iustinus.
M. Aurelius Cassiodorus.
Melito Asiaticus.
Methodius.
Nepos.
Nicolaus Alsensis, siue de Alsentia, Carmelita.
Primatius, siue Primasius Africanus.
Richardus de S. Victore.
Rupertus Abbas Tuitiensis.
Sanctes Pagninus in Isagoge ad Sacras litteras pleraque de Apocalypsi.
Seraphinus Firmanus.
Tichonius.
Thomas Suduolcas.
Vbertinus Casalensis.
Victorinus Pictauiensis.
Vitalis Cardinalis.

Ioannis Aquilani, Ord. Prædic. de Obseru. Sermones Quadragesimales Vitiorum Lima, nuncupati. Venetijs ann. 1576. cum antea, hoc est ann. 1497. ibidem ab Angelo Britannico fuissent excusi vnà cum Danielis Vicentini Sermonibus.

Ioannes de Aquaueteri Belga, Carmelitani Ord. & Mechliniensis Cœnobij, scripsit De Origine, Statu, & Profectu sui Ordinis. Quod opus ab eo inscriptum est, *Fasciculus Temporum tripartitum*, Ord. Fratrum B. Mariæ semper Virginis De monte Carmelo. Viuebat ann. 1492. Tritemio. Vide autem in verbo, Carmelitanus Ordo.

Ioannes Aquipontanus edidit Confutationẽ virulentę Disputationis, in qua Georgius Fohn conatus est docere, Pōtificem Romanum esse Antichristum à Prophetis, & Apostolis prędictum. Augustæ Treuirorum, apud Henricum Bock, ann. 1589.

Ioannes Arboreus, Laudunensis, Theologus Parisiensis, edidit Theosophię Tomos duos, qui complectuntur vtriusque Testamēti difficiliorum locorum expositionem libris vndeuiginti. Commentaria in Canticum Canticorum, & in Ecclesiasten. Parisijs apud Cholinæum, ann. 1531. In Salomonis Prouerbia, ibidem, apud Ioan. Roigny, ann. 1549. At in Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica simul excusa sunt ann. 1553. ab eodem Roigny, & in Quattuor Euangelistas apud eundem ann. 1551. Eiusdem Contemplationes Idiotæ De Amore Diuino, ac De Beatiss. Virgine. De vera Patientia. De continuo conflictu carnis, & animę. De Innocentia perdita. De morte. Methodus confessionis compendiaria in gratiam puerorum, Parænesis, siue Exhortatio ad Pœnitentiam ad quendam Peccatorem, qui Primò differt pœnitentiam agere vsque in senectutem: Secundò, non vult alienum restituere: Tertiò, non vult inimico parcere: Quartò non vult quędam peccata occulta confiteri Sacerdoti: Quintò dicit se à Deo induratum, ideoque non posse declinare à malo, & facere bonum: Sextò desperat propter peccata sua misericordiam à Deo consequi posse. Et hæc quidem Parænesis, ac reliqua Parisijs prodierunt, quemadmodum & quę in quinque Porphirij voces, & in Aristotelis Categorias, & in libros de Interpretatione, ac Physicorum. Eiusdem autem Dialectica excusa est apud Ant. Vincentium Lugduni in Gallia.

Ioannes Arca Sardus, scripsit de Sanctis Sardiniæ Insulæ volumen. At præter alia, in tertio Libro agens de Lucifero Calaritano, eum nouo miraculo ex schismate conflat in Sanctum: sed in Conflatorio mendaciorum conflator ipse apertissimus fallitur, vt verbis vtar Baronij Cardinalis: quem vide Appendicis suæ ad Decimum Annalium Tomum primæ Romanæ editionis.

Ioannes Archicantor Romanus, scripsit librum De Synodo Anglorum. Alterum De eorum fide. Alium de Romana Synodo. Librum item de modulandi, & legendi ritu. Viuebat ann. 679.

Ioannes Aretinus Romanæ Ecclesię Subdiaconus, Athanasij Alexādrini vitæ è pluribus locis collectæ librum edidit. Raphael Volaterr.

Ioannes Argentinensis Episcopus, Agendam Ecclesię Argentinæ edidit Coloniæ apud Geruinum Calenium, & heredes Ioannis Quentelij ann. 1590.

Ioannes Argomanes, Hispanus, Ordin. Minorum, Tractatum Hispanicè edidit De valore Indulgentiarum. Expositionem item Regulæ S. Francisci, quæ Italicè excusa est Taruisij, quæ Ciuitas est ditionis Venetæ, apud Dominicum Amicum, ann. 1593.

Ioannes Arquerius, Burdigalensis, Gallus, Diafonarium edidit Theologicum. Qui Ioannes si idem est, qui Sagittarius, & quidem Burdigalensis dicitur, Conciliorum Canones collegit, quos Oporinus Basileæ excudit ann. 1553.

Ioannes à Royas edidit Singularia Iuris in fauorem (vt habet inscriptio) fidei, hæresesque detestationem. Tractatum item De Hæreticis cum quinquaginta Assertionibus Analyticis, & Priuilegijs Inquisitorum. Venetijs ann. 1573.

Ioannes Arundineus, siue, vt vocant, De Arundine, Germanus, Carmelita Brugensis Cœnobij, Episcopus Vsbitensis, Dauidis autem Burgundi, Viri nobilis, & Episcopi Traiectensis Suffraganeus, scripsit Lecturam notabilem in librum Sapientiæ. Commentarium in Epistolam D. Pauli ad Romanos. In Psalmum *Beati immaculati*. Sermones De Sanctis.

Sanctis. Sermones de Tempore. Viuebat viuente Tritemio, qui eius meminit in Opere maiori de Scriptoribus Ecclesiasticis, sicut item Petrus Lucius, & Eisingr.

IOANNES Augustinus, Bassianinus, Ord. Augustiniani, è Patribus Commentarium confecit in D. Pauli Epistolas ad Timotheum, quem Card. Seripando, Ordinis tunc Generali dicauit. Obijt Bergomi Septuagenarius, ann. 1557. Ioseph Pamph.

IOANNES Auila Hispanus, in Bętica prouincia concionator, vir optimus, & qui vitæ sanctitati doctrinam adiunxit, cuius Vitam Ludouicus Granata fusè conscripsit, qua & de officio Concionatoris differit, plura scripsit, quæ vno volumine comprehensa prodierunt in lucem anno 1588. & quidem Hispanica lingua Madridij, quæ est Mantua Carpentanorum in Hispania, apud Petrum Madrigalem. Quæ postea (præsertim quod prænotatum est Epistolarium Italicè versum) Veneti typographi emiserunt. Vsus autem huius libri vtilissimus erit ei, qui primò Vitam eius eidem operi pręfixam perlegerit, deinde quę in eodem continentur, intellexerit. Plures enim huiusmodi thesauri delitescunt, cum eorum partes haud noscuntur. Porrò eo in Opere hęc sunt pręcipua. Regulę bene viuendi pro vniuscuiusque statu. Generale Epistolarium, in quo aurea inter alias Epistola scripta est, Pretori Hispalensi, qua agitur accuratissimè de ratione administrandi Ecclesiastica, & secularia. Post Epistolarium pleraque ad hominem perficiendum pertinent in Opusculo, quod inscribitur, *Audi filia*. Nam capite primo agitur, quomodo audiendus sit Deus. A secũdo ad quintum De malo idiomate Mundi. A quinto vsque ad sextumdecimum De malo idiomate carnis. A decimoseptimo vsque ad trigesimum. De malo idiomate, & fraudibus Diaboli. In singulis autem locis remedia aduersus hęc mala proponuntur. A 30. vsque ad 42. De quibusdam (vt ille vocat) Motiuis ad nostrę sanctę Catholicę fidei comprobandam veritatem. A 43. vsque ad 49. De eadem Sancta Catholica fide, quam aliquando Deus ob peccata subtrahit. A 50. vsque ad 56. De deceptionibus, quę inter spirituales reuelationes, & sensus intercidunt, deque remedijs. A 56. vsque ad 68. De propria cognitione. Hinc verò vsque ad 86. De Oratione, ac Meditatione. Hinc autem vsque ad 94. caput, quomodo Deus nos audit, & respicit, nostrisque necessitatibus fert opem. A 94. vsque ad 97. De amore proximorum. A 97. vsque ad 103. quomodo egredi debeamus è nostra voluntate. Hinc autem vsque ad huius libri finem, quomodo animę pulchritudo amittatur ob peccatum lethale, recuperatur verò meritis Christi Domini, & pœnitentia nostra. Legat igitur cordatus vir, & imitetur hunc Auctorem. Porrò cum hic liber inscriptus *Audi filia*, fuisset anno 1556. excusus apud Ioannem de Brocar, en Alcala de Henares, idque inscio Auctore, idem Io. Auila monuit, nolle se, vt ille pro suo agnosceretur.

IOANNES Auonius Carmelita scripsit Conciones aliquot, pręter quędam Mathematica. Viuebat ann. 1350.

IOANNES Ausbach, Germanus, Bambergensis presbyter, De Sacramentis Ecclesię. Viuebat ann. 1469. Eisingren.

IOANNES Azorius Lorcitanus Hispanus, & Societatis Iesu Theologus, scripsit Opus, quod Institutiones Morales pręnotauit, in quibus ea est persecutus copiosè, & accuratè, quæ ad conscientiam spectant rectè, aut prauè factorum. Sic tamen vt materiam vniuersam ad decem Diuinæ legis pręcepta, quæ Decalogo continentur; ad septem instituta à Christo Domino Sacramenta; ad tres Ecclesiasticas censuras, & alias pęnas, quibus delicta puniuntur, & ad condonationes peccatorum, quæ vocantur Indulgentię; denique ad ea, quæ de statu hominum, ac de bonorum, & malorum finibus disputantur.

Primam autem huius Operis partem primò Romæ emisit in lucem, anno 1600. apud Aloysium Zanettum, in qua Parte agit de ijs, quæ in prima secundæ S. Thomas, recto ordine disputauit, nimirum de Actionibus humanis: De honestate, ac turpitudine humanarum actionum: De affectibus, quibus ad bonum, aut malum sępius incitamur: De habitibus, qui assidua exercitatione comparantur in nobis: de virtutibus vniuersim, quæ nos ad bonum impellunt. De peccatis item generatim, quibus leges, & iura franguntur. De legibus humanis. De Diuina insuper, & naturali lege. De quinque Ecclesiæ pręceptis, quibus omnibus tamquam regulis Actiones humanæ diriguntur. Deinde de ijs, quę ad Eidem,

dem, Spem, Charitatem, ac Religionem pertinent. De iureiurando item, & Voto, & de ijs, quę ad Monachorum, ac Religiosorum omnium Statum pertinent.

Quoniam verò in decursu editionis huius primę Partis, quędam fuere prętermissa, quędam autem recognita, ea ad calcem Operis pręlegenda, & suis locis aut inserenda, aut notanda sunt, ne quem in scopulum lector impingat.

IOANNES de Baccone, siue de *Bacconthorpe*, Anglus, & in Anglia suorum Carmelitarum Prior Prouincialis, Doctor, ac Professor Theologus in Academia Parisiensi percelebris, qui Clemente Sexto Pont. Max. & Carolo Quarto Imp. vixit, pleraque scripsit tam in Theologicis, quàm in Philosophicis disciplinis. Ad Diuinam autem Scripturam spectantium, licet Sixtus Senensis tantum meminit Commentariorum in hunc vsque diem extantium in Nouum Testamentum, Iacobus tamen de Plebe, Ordin. Seruorum, & Petrus Lucius Carmelita, Tritemium secuti, scripsisse illum inquiunt in Vniuersa Biblia; quin & in D. Pauli Epistolas, atque in Acta Apostolorum, vti & in Canonicas aliorum, atque in Apocalypsim. Atqui cū Petrus Lucius mentionem fecerit Operis, quod Ioannes de Baccone scripserit aduersus Iudęos, Iacobus de Plebe in suo Catalogo, (ac ne Tritemius quidem in libro de Scriptoribus Carmelitani Ord. eum non numerauit, nisi quòd ab eodem Tritemio deinde refertur in Opere De Scriptoribus Ecclesiasticis.

Ann. 1346.

Ceterum, scripsit etiā in Magistrum Sent. &
Quęstiones Ordinarias.
Compendium Legis Christi.
Placita Theologica.
De Conceptione Beatiss. Virginis, lib. 3.
De Aeternitate Dei, vnum.
De Fide, & Baptismo.
De dignitate Ecclesię.
Contra Idololatriam.
De perfectione Iustitię.
Compendium Christianę pietatis, lib. 4.
In libros vigintitres de Ciuitate Dei, & libros de Trinitate D. Augustini.
In Anselmum de Incarnatione Verbi.
In eundem, *Cur Deus Homo*.
Sermones varios, lib. 2.
De Astrorum scientia, lib. 1.
Contra artes Magicas, librum.
In Canones Pontificum alterum.
De iurisdictione claustralium alium.
Contra vanitates seculi, librum.
De potentijs animę, lib. 1.
Determinationes, lib. 1.
Speculum Carmelitarum, lib. 1.
In Regulam eorundem.
Compendium iurium eorundem.
Tractatum de suo Ordine.
De paupertate Christi Domini.
De sphęra iudiciali.
De multiplicatione specierum.
In Aristotelis itē libros Commentaria in vniuersum Organum, addito Sophismatū lib. In Ethica, in Politica, in Physica, in libros De Cęlo, & Mundo, ac de Generatione, & corruptione, in libros de Anima, in Meteora, in Metaphysica, in libros De sensu, & sensato, De memoria, & reminiscentia, De longitudine, & breuitate vitæ.

Florebat adhuc Vir tantus ann. 1346. Tritemio, quamuis Iacobus de Plebe, scripserit superstitem adhuc fuisse ann. 1350.

Addunt alij, ingenio eum fuisse magnum, corpore exiguum, obijsse autem ipso anno 1346. Et Londini sepultum. At & alia scripsisse, nimirum

De Aduentu Messiæ.
Concordiam Christi, & Prophetarum.
De cessatione legalium.
De Præceptis, atque consilijs.
De peccatis, ac remedijs.
De generali Iudicio.
Postillas in Lucam.
Sermones notabiles.
De motu animalium.
Contra Ioannem de Poliaco, librum.
De vocali in Cęlo laude.
De non ducenda Fratris relicta.

Sanè eius Commentarij in Magistrum Sententiarum cum haud semel excusa fuissent Parisijs, recusa sunt item Mediolani, atque Venetijs, vbi etiam prodiere Compendium legis Christi, & Quodlibeta ipsius.

IOANNES S. Bacconis Abbas, Germanus, Ordinis D. Benedicti, scripsit Declarationes Ordinis sui, librum Quæstionum, Sententiarum. Alterum De esu, & abstinentia carnium.

IOAN-

IOANNES Balbus Genuensis, Ord. Prædic. scripsit Commentaria in Quattuor Euangelistas, quæ extare m.s. in Conuentu Genuensi eiusdem Ordinis testatur Sixtus Senēsis. Librum item Quæstionum Theologicarum animæ ad Spiritum. Dictionarium, quod inscripsit Catholicon. Tractatum ad inuenienda Festa Mobilia. Viuebat ann. 1280.

IOANNES Balgiacensis librum De tribus animæ virtutibus edidit, Philosophis, Medicis ac Theologis vtile, vt autem præfert inscriptio, pernecessarium. Lugduni in Gallia, ann. 1519. apud Claudium Nourry.

IOANNES Balistarius, Catalanus, non autem is, qui in Romano Indice prohibitus est (inter Auctores primę Classis,) Carmelitani Ordinis totius Prior Generalis decimus sextus, siue, Tritemio, decimusseptimus, qui sexdecim annos pręfuit eidem ordini, scripsit in Magist. Sent. Primus item omnium redegit in ordinem familiæ Carmelitanæ Constitutiones, ann. 1369. Librum autem ad Pontif. Max. composuit De nouissimis temporibus, hoc est de Bello Militantis Ecclesiæ, & Antichristi. Sermones denique varios. Obijt anno 1374. octauo Kal. Octobris in Cœnobio eiusdem Ordinis in Maiorica Insula, vbi & sepultus. Tritem. Raphael Volaterr. Petrus Lucius.

IOANNES Bancherius Breuiarium Sexti Decretaliū, & Clementinarum Parisijs emisit ex Officina Francisci Regnaud. ann. 1513.

IOANNES Baptista Antonucius, Eugubinus, edidit Additionem ad Catechesim, siue Instructionem Placentinę Diœceseos, ab eiusdem examinatoribus promulgatam, atque cūctis ad Parochiales Ecclesias assumendis commodam. Placentiæ apud Ioannem Bazachium, ann. 1576. Catechesim item Neapolitanæ Diœceseos. Neapoli apud Horatium Saluiatum, ann. 1577.

IOANNES Baptista Arrigus, siue Henricus, Florentinus, Ordin. D. Augustini, edidit Quattuor Libros de Elementis Theologiæ. Axiomata item, siue Conclusiones pręnotatas; *Simplex scientiarum omnium, & liberalium artium enumeratio.* Viuebat ann. 1588.

IOANNES Baptista Burgos, Valentiæ, quæ est in Hispania Regni Valentini caput, natus, ac I. C. & Theologiæ Doctor, quas quidem facultates in eiusdem Ciuitatis Academia publicè docuit, sententiam suam non semel in sancta Tridentina Synodo, inter alios Theologos, Pio Quarto Pont. Max. pronuncians Orationem eruditam coram iisdem Concilij Patribus habuit, quæ Louanij, atque alibi excusa est De quattuor extirpandarum hæresum præcipuis remedijs.

IOANNES Baptista Caffardus, Senensis, Ord. Carmelitani Prior Generalis, scripsit in Magistrum Sent. & Quadragesimale, quod commendatur: Breuiarium autem sui Ordinis, ac deinceps Constitutiones, atque Missale assentiente Sancta Apostolica Sede, ad Romanam methodum redigere curauit.

IOANNES Baptista Confettius, Florentinus, Protonotarius Apostolicus I. C. & Theologiæ Doctor, edidit Librum hac inscriptione. *Collectio Priuilegiorum Sacrorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, iuxta Sacri Concilij Tridentini reformationem, ac Summorum Pontiff. nouissimas confirmationes, & innouationes. Florentiæ apud hæredes Iacobi Iuntæ, ann. 1598.*

IOANNES Baptista Corradus, Perusinus, Ordin. Pręd. Theologus, librum in lucem protulit hac pręnotatione. *Responsa ad cuiuscumque penè generis Casuum Conscientiæ Quæsita Quadringenta pro examinandis, qui ad Animarum curam, vel confessionem audientiam fuerint admittendi,* quę secundò prodierunt auctiora ann. 1598. Quibus accessit *Compendiolum de Cambijs.* Venetijs apud Minimam Societatem, recognita autem ann. 1603. ibidem apud Venetam Societatem.

IOANNES Baptista Cremensis, Monachus Camaldulensis Vitam Sancti Placidi Abbatis, & martyris à Gordiano Latinè conscriptam fecit Italicam, quæ Venetijs excusa est ann. 1583.

IOANNES Baptista Crispus Monopolitanus, quę Ciuitas est in Regno Neapolitano, Vir verè philosophus, qui nimirum acri, & quasi Christianum decet iudicio Philosophiā expendit, librum sat grandem De Philosophis cautè legendis ita scripsit, vt quæcumque

hæreses

hæreses à Philosophis minus cautis manarunt, eę indicatę sint, ac solidis rationibus confutatæ ex Diuinis Scripturis, ex Patribus, ex Synodorum Decretis, ex Scholasticis Theologis. Quibus cautionibus pręmuniti Philosophiæ siue candidati, siue publici professores inoffenso pede curriculum hoc decurrent, tantamque ancillam recta adducent ad arcem. Romę apud Aloysium Zannettum, ann. 1593. Vide verò secundum Tomum Selectæ nostrę Bibliothecę Venetę editionis, vbi in libro de Philosophia vera, de Platonica, & de Peripatetica agentes, nonnulla alia de Auctore hoc insigni attigimus.

IOANNES Baptista Desbois, cōfecit ex omnibus Roberti Card. Bellarmini Operibus Epitomen, hancque Parisijs emisit ann. 1602. apud Chalderium Typographum.

IOANNES Baptista Dominicus, Ferrariensis, è Congregatione S. Saluatoris, Conciones De sepultura, & Cruce Christi Domini edidit.

IOANNIS Baptistę Fickleri I. V. D. Theologia iuridica, seu ius Ciuile Theologicū, Quo ex omnium ferè Impp. Christianorum, & vetustissimorum quidem à Constantino Magno, vsque ad Sigismundum, Legibus, Edictis, Constitutionibus, & Epistolis declaratur, eam, quam hodie Christianus orbis tenet fidem & religionem Catholicam, illam ipsam esse, quę ante mille ducentos annos, & eò amplius inuicta floruit. Dilingę ann. 1575.

Eiusdem Spongia contra Pręedicantium Vuirtembergensium aspergines, illorum qui superioribus annis Patriarchę Constantinopolitani iudicium super capita Augustanę Confessionis temerè experiuerunt. Ingolstadij ann. 1585.

Eiusdem Orationes 66. Psalmodicę, pię, pro conseruatione status Ecclesię Catholicę Romanę conrra machinationes, & dolos hęreticorum, ipsam coniunctis viribus atrociter oppugnantium Ingolstadij apud Vuolfgang. Ederum ann. 1591.

IOANNES Baptista Folengius Mantuanus, Ordin. D. Benedicti monachus, quique S. Iustinę Monasterio celebri Patauij pręfuit, cum varia scripsisset, atque adeo emisisset, nō tamen ita potuit omnia siue limare, siue pręcauere, quin in eadem aliqui errores irrepserint, aut astu hęreticorum pleraque deprauarentur. Quę res fecit, vt S. Romana Ecclesia, quę habet oculos columbę, nec virum eximium laboribus suis omnino fraudare voluerit, nec alijs venenum per eius scripta sparsum ab hęreticis propinari permiserit. Prohibuit igitur, quę sub eius nomine prodierant Commentaria in Epistolas SS. Petri, & Iacobi, atque in primam D. Ioannis Canonicas. Quę verò in Dauidicos Psalmos iisdem labibus aspersi circunferebantur, collata cum m.s. Codicibus, & ipsius Auctoris exemplari, voluit, vt sedulo recognita, & emendata Romę recuderentur Gregorio XIII. Pont. Max. an. 1585. apud Bibliopolas Socios; quæ deinceps Coloniæ Agrippinæ apud Gerardum Greuenburkium, ann. 1594. edita fuerunt. In his igitur, quoniam & eruditio, & pietas maximè cernuntur, laborem haud inutiliter ponet, qui perleget. Quòd si Psalmos aptare necessitatibus siue Ecclesię, siue priuatis voluerit, habebit vnde id facilè assequatur, eos enim ita in communes locos, pręfixa Tabula digessit, vt vnico fermè aspectu incurrant in oculos.

Tabula in Psalmos per locos communes.

Laudationes.

In Psalmorum enim libro (inquit) aut laudatur Deus, aut ad eum laudandum fiunt adhortationes, in quibus eius cum erga alios, tùm potissimum erga Israelitas beneficia commemorātur. Vt Psal. 8. 29. 33. 47. 48. 65. 66. 76. 81. 92. 93. 95. 96. 97. 98. 100. 103. 105. 106. 107. 111. 113. 114. 115. 117. 119. 134. 135. 136. 138. 145. 146. 147. 148. 149. 150.

Precationes.

Aut oratur. Psal. 16. 26. 43. 67. 84. 90. 126.

In morbo. 6. 38. 39. 88.

Peccatorum venia & expiatio. Psal. 19. 25. 51. 130.

Auxiliū petitur cōtra aduersarios & improbos potissimū, in quo insunt querelę, & imprecationes. Ps. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 17. 25. 27. 28. 31. 35. 36. 40. 42. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 64. 69. 70. 71. 74. 79. 80. 83. 85. 86. 89. 94. 102. 108. 109. 123. 140. 141. 142. 143. 144.

Gratiarum Actiones.

Aut aguntur ei gratiæ, in quo ineſt & laudatio. Pſalm. 18. 21. 30. 31. 34. 40. 66. 77. 116. 118. 124.

Fauſtæ precationes.

Aut eſt fauſta precatio, vel omen. Pſal. 20. 72. 122.

Inuectiones.

Aut ſunt in improbos inuectiones, cum precibus coniunctæ. Pſalm. 5. 7. 10. 12. 35. 36. 40. 52. 53. 55. 58. 109. 120. 135.

Præceptiones.

Aut docetur aliquid, & ad rectè viuendum traduntur præcepta. Pſalm. 1. 2. 4. 11. 15. 19. 23. 24. 32. 34. 37. 41. 45. 46. 49. 50. 62. 63. 78. 82. 91. 95. 97. 99. 101. 112. 119. 121. 125. 127. 128. 129. 131. 132. 133. 137. 139. 151.

Prædictiones.

Inſunt & de Chriſto Oracula: Pſ. 2. 14. 16. 17. 22. 24. 50. 55. 68. 75. 82. 85. 86. 94. 97. 98. 110. Et de Eccleſia. Pſalm. 51. 87.

Atque hæc plerumque inter ſe mixta ſunt.

IOANNES Baptiſta Guarinus Cremonenſis, & Canonicus Regularis Lateranenſis, ſcripſit Italicè librum De Hierarchia, ſiue de ſacro Regno Beatiſſimæ Virginis Matris Dei, ac Reginæ Cæli; quo plura de dignitate, virtutibusq; ipſius ad excitandam Chriſtianorum pietatem doctè ac piè enarrantur. Venetijs apud Matthæum Valentinum, ann. 1600.

IOANNES Baptiſta Lupus, Geminianus, De vſuris extat in To. 7. fol. 113. inter Tractatus Iuris poſtremò Venetijs recuſos, & auctos.

IOANNES Baptiſta Poſſeuinus, non is, qui Frater meus fuit, & alia edidit, ſed Georgij Fratris F. Mantuanus, & Theologus, duos edidit Tomos Italicè Expoſitionis Lectionũ Breuiarij Romani ſenſu vberes, licet dictione conciſos, & appoſitè contextum litteræ exprimentes. Ij Ferrariæ apud Mammarellum Typographum excuſi fuerunt: cum antea Romæ Vitam B. Caroli Borromæi Card. apud quem vſque ad mortem vixit, emiſiſſet. Quin & in Hymnos, qui de Sanctis cęlitibus in Eccleſia concinuntur Paraphraſim Italicè edidit, quæ Peruſij prodijt; quemadmodum item poſtea librum de Vitis Sanctorum Tudertinæ Diœceſeos, eius Epiſcopo Cæſio cupiente, euulgauit. Viuebat ann. 1604. Vide autem Lector in verbo, Donatus Marra, qui & ipſe in eoſdem hymnos Latinè ſcripſit.

IOANNES Baptiſta Pacianus, edidit Italicè apud Fauſtum Bonardum, anno 1586. Librum de præcedentia inter Poteſtatem Eccleſiaſticam, & Secularem.

IOANNES Baptiſta, cognomento Hiſpaniolus, ſed Mantuę in Gallia Ciſalpina natus, qui *Carmelita* eſt dictus, & ſacra Poemata conſcripſit. Vide in verbo, Baptiſta Mantuanus, ſiue Hiſpaniolus.

IOANNES Baptiſta Rubeus, Rauennas, Carmelitani totius Ordinis Prior Generalis, præter id quod eruditè ſcripſit in Quintum, & Sextum libros Phyſicorum Ariſtotelis, Cõmentaria quædam elucubrauit in Magiſt. Sent. & in Epiſtolam D. Pauli ad Galatas. Subtiliores autem quaſdam Concluſiones excerpſit appoſitè ex Quolibeto Magiſt. Michaelis Carmelitani *de Bononia* dicti. At cum varia diuerſis Reſponſa de Dubijs, ſiue De Officijs, & caſibus Conſcientiæ dediſſet, quippe ad eum plerique ijs de rebus confluebant, Thomæ Valdenſis Carmelitæ Opera, additis ad ea Scholijs, prælo iterum magna cum laude ſubiecit. Obijt quinta die Septembris, ann. 1578. Greg. XIII. Pont. Max.

IOANNES Baptiſta Signius, Bononienſis, è Congregatione S. Saluatoris, ſcripſit De vero ſtudio Chriſtiano contra artes ſuperſtitioſas, De ſomnijs, & alijs. Italicè. Quin & de Ordine, ac Statu Canonicorum, Bononiæ apud Bindonum, ann. 1602.

IOANNES Baptiſta Velatus, Societatis Ieſu, edidit Italicè librum mole mediocrem, pietate, ac perſpicuitate vberem, de ſtatu coniugati, cęlibis, religioſi. Vbi tamen inquit eos, qui Sacerdotes haud continentes & facientes ſacrum audiunt, eſſe excommunicatos, id ex vetere iure loquitur, ac ſi quid aliud eſt eiuſmodi, quod deinceps à Synodo Tridentina

na fuit mitigatum. Viuebat adhuc anno 1600. plenus dierum, & probitatis cum penè 46. annos laboraſſet in Societate noſtra.

IOANNES Barnyngham, Anglus, Ord. Carmelitarum, ſcripſit in Mag. Sent. & Commentariolum De peccato. Eiſingr.

IOANNES Barnuyck Commentarios in Magiſt. Sent. Librum Ordinariarum Quæſtionum. Alterum Quæſtionum De formis. Lecturas Scholaſticas. Alium de Prognoſticis Aſtrologorum reliquit. Viuebat ann. 1340.

IOANNES Baſadonna, Venetus, ſcripſit De veriore mortalium Fine, ac felicitate. De intellectuali natura Dei, ac Diuina Sapientia. De ſingularium, atque omniũ rerum cognitione Diuini intellectus. De admirabili Dei Prouidentia, & mortalium cura. De Diuina Electorum prædeſtinatione. Viuebat ann. 1545. Franc. Sanſouinus.

IOANNES Baſileenſis, Theologus, Ord. D. Auguſtini, tum ob doctrinam, in qua emi nuit, tum in primis ob vitę integritatem, Deo, Epiſcopis, atque alijs uiris Principibus, qui eum conſulebant, gratus, celebris verò in Gallia, & in Germania, reliquit Opus in quattuor Libros Sententiarum, quod in pluribus Bibliothecis eiuſdem Ordin. aſſeruari tradit Ioſeph Pamphilus. Obijt ſeptuagenarius ann. 1371. die 15. Octobris, Baſileę.

IOANNES Baſſolius (alijs Baſolus) Ordin. Minorum. Qui Doctoris ordinatiſſimi nomen promeruit, ſcripſit in Quattuor libros Mag. Sent. & quidem candidiſſimè, (vt verbo vtar Franciſci Gonzagæ Mantuani Epiſcopi in ſua Hiſtoria Seraphica.) Id verò Opus prodijt Pariſijs ann. 1518. apud Franciſcum Regnault. Viuebat autem ann. 1466. Eiſingr.

IOANNES Baſton, alijs *Beſton*, Anglus, Carmelita, ſcripſit Theologiæ moralis Compendium: Sermones in Euangelia, & Epiſtolas. Ordinariarum Quæſtionum librum. Epiſtolarum libros duos. In Logices Rudimenta librum ſuper Vniuerſalibus Holcoth. Obijt ann. 1425. Iacobus de Plebe, & Petrus Lucius.

IOANNES Bate, Anglus, Carmelitani Ord. ſcripſit Theologiæ, ſiue, vt Eiſingrenius vocat, *Theoſophiæ* Encomium. Librum De Aſſumptione Beatiſs. Virginis. Sermones per annum. Librum pro Introductione ad Mag. Sent. Quin & Vir tantus, non dedignatus in bonum omnium humilia, librum compoſuit De conſtructione partium Orationis. Compendium Logices. In vniuerſalia Porphyrij, In ſex principia Porretani. In Prædicamenta, quę Ariſtoteli aſcribuntur. Quæſtiones de Anima. Acta ordinaria, ſiue Actus ordinarios. Replicationes (vt vocant) Argumentorum. Obijt ann. 1429. Index Seruitę De Scriptoribus Carmelit. Petrus Lucius.

IOANNES Batmanſon, Cartuſianus, ſcripſit In Canticum Canticorum Salomonis. In Prouerbia eiuſdem. Librum ſiue Tractatum De vnica Magdalena. De Chriſto Do. duodenni. In Euangelium illud, *Miſſus eſt*. Inſtitutiones Nouitiorum. De contemptu Mundi. Aduerſus Deſiderium Eraſmum. Contra Martinum Lutherum. Obijt ann. 1531.

IOANNES Battaudus, Ordin. Minorum, Epiſtolas Antonij Gueuaræ Hiſpanicas Gallicè reddidit.

IOANNES Beccius è Certaldo Italiæ Oppido, ſcripſit De veſtibus Sacerdotalibus, & Summam veteris, & noui Teſtamenti, Italicè.

IOANNES Beccus, ſiue Bechus Gręcè ſcripſit Collationem locorum Diuinæ ſcripturæ, & capita quędam aliorum Patrum, quibus Catholica dogmata comprobaſſe dicitur.

IOANNES Bechofen Auguſtiniani Ord. Miſſalis expoſitionem Litteralem, Allegoricam, Tropologicam, Anagogicam edidit Baſileę ann. 1509. apud Michaelem Furter.

IOANNES Beetz, alijs *Beetz*, Sixto autem Senenſi, *Beetzius*, Germanus, Carmelita, Theologus; Conuentus Thenenſis, ſcripſit libros decem De pręceptis Diuinę legis. De ſanctiſs. Altaris Sacramento. In Epiſtolam Apoſtoli ad Romanos. Sermones de Sanctis. Quæſtiones varias diſputatas. Obijt ann. 1476. ſextodecimo Kal. Auguſti. Tritem. Petrus Lucius.

IOANNES de Beka, inferior Germanus, Eccleſię Traiectenſis Canonicus Chronicon Traiectenſium Epiſcoporũ, & Comitũ Hollandię texuit à tempore S. Vuilibrodi primi Epiſcopi vſque ad Io. Epiſcopum, & ad Gulielmum Hollandię Comitem ad ann. vſque 1346.

IOAN-

IOANNES Bekenaue Moguntinus, Germanus, scripsit in D. Bonauenturæ Commentarium super Quarto libro Sent. idque Moguntiæ fuit excusum.

IOANNES Bekton I. V. D. Episcopus Herefordiensis, scripsit De legibus Anglicanis. Obijt ann. 1275.

IOANNES de Bele Canonicus ad D. Lamberti, Leodij, & Ioanni Hannoniorum Principi à consilijs, scripsit Chronicon. Viuebat ann. 1390. Io. Frossardus.

IOANNES Belethus Theologus Parisiensis, quadringentis ab hinc annis plus minus, scripsit Rationale Diuinorum Officiorum, quod iam primũ opera Cornelij Laurimanni prodijt vnà cum Rationale Durandi Antuerpiæ, ann. 1570. Dilingæ autem ann. 1572. Huius verò Operis Henricus de Gandauo in Catalogo meminit, inquiens, *Ioannes Beleth & ipse Theologicæ Scholæ Rector Parisiis, scripsit Summam de Diuinis Officijs, de Personis, de Temporibus, & multis rebus Lectori vtilia continentem.* Atqui eidem attribuuntur Sermones varij, & liber m. s. qui nescio an adhuc prolatus sit in lucem, qui *Gemma animæ* inscribitur. Viuebat ann. 1328. Eisingr.

IOANNES Belga, monachus, & Abbas Monasterij S. Bertini, Audomari, quę Ciuitas est in Belgio, quique viuebat ann. 1470. scripsit Gallicè Opus ingens De Origine, Progressu, & Constitutionibus Equitum aurei Velleris, quorum perpetuus est Cancellarius Abbas S. Bertini pro tempore. Excusum autem fuit Parisijs.

IOANNES Benedictus, Brito, Gallus, Ord. Minorum, Summam Gallicè conscriptã edidit De Peccatis, siue de Conscientię casibus, ann. 1593. Lugduni in Gallia, ad signum Salamandrę cum sat prolixa Epistola Dedicatoria ad Beatissimam Virginem, in qua, vt in reliquo Opere, Cordati Theologi, etiam eius sancti Ordinis Franciscani, desiderarunt circũspectiorem diligentiam, & prudentiam, quæ viri illius docti zelo fuisset adiuncta. Sanè & in multis cautè legendus est, atque in quibusdam immemor eorum, quę sanxit Tridentina Synodus Sacrosancta, rudioribus, qui eum versant librum sat grandem, & varijs sentẽtijs atque eruditione refertum, potest imponere.

IOANNES Benedictus alius à superiore, & paullo antiquior, Gallus, & Parisiensis insignis Theologus, Latinè concinnauit Concordantias vtriusque Testamenti iuxta tropos, & phrases, locosque communes, distinctas, Sacrarum litterarum studiosis vice Commentarij profuturas. Parisijs apud Gulielmum Guillardum, ann. 1562. Quin & hic ipse emendauit Scholia, quę ex Gręcis, & Latinis Interpretibus in Quattuor Euangelia, & in Acta Apostolorum à Ioanne Gagneio collecta fuerãt, excusa Parisijs apud Carolum Pererium, ann. 1552. Eiusdem item, vt puto, Index ille amplus prodijt insignium Sententiarum, quę à D. Ioanne Chrysostomo dictę fuerunt. Ibidem apud Gulielmum Merlinum, & Sebastianum Niuellium, ann. 1570. vnà cum Chrysostomi Operibus, quorum singulis Tomis suę sunt attributę sententię. Viuebat ann. 1550.

IOANNES Benedictus Moncettus, è Castilione, Aretinus, Philosophus, atque Theologus, Ord. Augustiniani, Tractatum edidit De distinctione Rationis aduersus sententiam Scoti. Ioseph Pamphil.

IOANNES Benius, Veronensis, Sacerdos, apud Io. Matthęum Gilbertum V. C. & Episcopum Veronę educatus, scripsit, atque emisit septem & septuaginta Commentationes, siue (vt ille vocat) *Discursus* in Sanctiss. Domini Passionem è quattuor Euangelistis.

IOANNES Beonardus, Andegauensis, Gallus, Augustiniani Ord. Theologus Parisiensis, quique Ordinis sui in Gallia Vicarius fuit Generalis, Conciones reliquit, quibus Lutheranos præcipuè depexuit, ac confutauit. Obijt Parisijs die 2. Nouemb. ann. 1543.

IOANNES Berberius Vallauiensis I. C. edidit librum, quem prænotauit *Aurea Practica Viatorum vtriusque Iuris,* Coloniæ apud Io. Gymnicum, ann. 1579.

IOANNES Bernardinus, Burdigalensis, è Bayssacco, scripsit Stimulum aduersus Lutheranos, & quosuis hæreticos, qui prodijt Tolosæ apud Nicolaum Vieillard. ann. 1540.

IOANNES Bernardus Diaz, de Luco, Hispanus, emisit Practicã criminalem Canonicã, Lugduni apud Gulielmum Rouillium, an. 1554. Quæ iterũ Antuerpię fuit excusa an. 1568. cũ Adnotationibus Io. Heluetij, vt & Venetijs apud Franc. Franciscium, & Io. Guerillium.

IOANNES Bernardus Felicianus, Venetus, qui viuebat ann. 1546. præter plura, quæ ex Aristotele, Galeno, Paulo Aegineta, Porphyrio, in Latinum cōuertit è Græco, Latinam item fecit Auream illam Catenam in Acta Apostolorum, atque Catholicas Epistolas, quę Oecumenico ascribitur. Quæ item prodijt ann. 1556. à Iordane Ziletto, Venetijs.

IOANNES Bernardus, cognomento *Fortis*, Sauonensis, quæ Ciuitas est in Ora Ligustica, Ord. D. Augustini, Vocabularium, siue Dictionarium Ecclesiasticum collegit ex Papia, & Mammotrecto, vt ipsemet scribit. Viuebat ann. 1486. Id autem Venetijs excusum fuit apud Franciscum Bindonum, ann. 1535.

IOANNES Bernardus Gualandus Florentinus, scripsit Orationē de SS. Cosma, & Damiano. Dialogum de liberali institutione. Alterum De optimo Principe, ad Franciscum Vicecomitem, Sfortiam, Mediolani Ducem. Qui incipit, *Summa prouidentissimi Dei iustitia*, & quidem Italicè. Hunc autem ipse facilè crediderim, eundem esse qui De vero Iudicio, & Prouidentia Dei, Florentiæ prodijt ann. 1562. nisi alius sit à superiore. Vide Michaelis Pocciantij, Ord. Seruorum Catalogum Scriptorum Florentinorum.

IOANNES Bernegam, Anglus, Ord. Carmel. Theologus, scripsit in Mag. Sent. lib. quattuor, qui cōmendantur. Viuebat ann. 1430. Eugenio IIII. Pont. Max. Trit. & Pet. Lucius.

IOANNES Berolis, Ordin. Præd. qui vixit ann. 1470. reliquit Sermones, qui inscripti sunt, *Sermones Discipuli*, vir qui demissione animi vix se ipsum prodens, plures è discipulis magistros, & idoneos verbi Diuini concionatores effecit. Ant. Senensis.

IOANNES Bertachinus, Firmanus, scripsit Tractatum de Episcopo. Alterum De vectigalibus, siue Gabellis, qui editi fuere apud Benedictum Bonninum, ann. 1533. Repertorium item vtriusque iuris, quod auctum à Ioanne Thierry, ac deinceps ab Aemylio Maria Manolesso Venetijs prodijt apud Beuilaquam, ann. 1570. Quæstiones quoque varias reliquit. At Tractatus de Episcopis extat in To. 13. p. 2. fol. 301. inter Tractatus Iuris postremò Venetijs recusos, & auctos.

IOANNES Berteli, siue Bertelius, Louaniensis, Abbas B. Mariæ Luxemburgensis, Regulam D. Benedicti Dialogis xxvj. vtilibus, ac pietate conditis narrationibus explicuit, quibus subiunctus est Catalogus, & seriēs Abbatum vetustiss. olim monasterij Beatiss. Virginis prope męnia Luxemburgi, Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1581.

IOANNES Bertramus Nurembergensis Germanus, qui viuebat ann. 1494. Professor Gymnasij Erfordiensis, ac deinceps Gymnasij Moguntiacensis, scripsit librum sat grandem in Prologum Bibliorum, omnia ad S. Scripturæ introductionem necessaria (vt inquit Sixtus Senensis) complectentem. Collationes ad Clerum. De virtute Sanctissimi sacrificij Altaris. Quæstiones varias.

IOANNES Bessianus, à Pressaco, olim apud Montem Ferrãdum in Aruernis, deinceps autem in Senatu Tolosano causidicus, scripsit Panegyricum Diuinæ, & Ecclesiasticæ Philosophiæ. Qui Lugduni prodijt apud Io. Flaiolettum, ann. 1548.

IOANNES Betsius, qui fertur in Decalogum scripsisse, atque obijsse, ann. 1476. non peruenit ad manus meas.

IOANNES Beston, alijs *Baston*. Vide in verbo, Io. Baston.

IOANNES Beuerlacius, Anglosaxo, Archiepiscopus Eboracensis, scripsit in Euangelium D. Lucæ Commentarios. Homilias item in Euangelia. Viuebat anno 721. quo etiã ex hac vita decessit. Num verò hic idem fuerit, qui *Ioannes de Beuerlaco*, & Doctor Oxoniensis, scripsisse fertur libris quattuor Quæstiones Sentētiarum, & ordinarias disputationes, qui & *Io. Beuerlaye* ab alijs vocatur, mihi fieret valde probabile, si tēpora cohærerent.

IOANNES Biclarensis Monasterij Abbas, Scalabi in Lusitania natus, licet natione Gothum fuisse scribat Baronius Card. eiusdem Monasterij fundator, ac deinceps Gerundensis Episcopus perbreuem sui temporis historiam, siue Chronicon texuit, quæ nouissimè euulgata est primò Ingolstadij à V. C. Henrico Canisio in Tomis, quos *Antiquæ lectionis* inscripsit. Eius Ioannes Mariana noster libro quinto De rebus Hispaniæ, c. 13. meminit, qui & illius historiam non rarò commendat.

Quin & de ipso Ioanne scripserunt Isidorus lib. de Scriptoribus Ecclesi. Tritemius. Cęsar

sar Card. Baronius Tom.7. sub ann. Dom.584. Ceterum cum in ipso Ioãnis Biclarensis Chronico locus ille de Leonegildo Rege Ariano sit perobscurus, vide ante ipsum Chronicon, id quod idem Canisius Lectorem præmonens, sat liquido declarauit.

IOANNES Billius, Gallus, Iacobi doctissimi Abbatis S.Michaelis germanus Frater, à Carolo Borbonio Card. Illustriss. procuratus, vt primus Cartusię in Normania ab se exędificatę pręesset, Gallicè edidit versum è Latino, Tractatum Sectarum, atque Hęresum nostri temporis vnà cum confutatione earum, quas hoc tempore hæretici reuocarunt ab inferis. Exhortationem item ad Opera misericordiæ. Vertit etiam in Gallicam linguam B. Barlaami historiam integram. Enchiridion Christianæ militiæ Lanspergij. Librum Dionysij Cartusiani De perfectione charitatis. S.Io.Chrysostomi Homiliam, *Quòd nemo nisi à se ipso læditur*. Eiusdem De Regis, & Monachi cõparatione. Blosij Abbatis libellos aliquos, Parisijs apud Nicolaum Chesneau. Viuebat nostra ętate.

IOANNIS Bisuntini Archiepiscopi feruntur extare Sermones quidam Dominicales.

IOANNES Blomendal Germanus, Ordin. Minorum, scripsit Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Sermones Quadragesimales. Viuebat ann.1330.

IOANNES Blondus, scripsit Summarium sacræ facultatis; & Disceptationes. Obijt ann. 1248.

IOANNES Bloxham Cestriẽsis Cęnobij Carmelita, scripsit in Mag.Sent. Annotationes in Apocalypsim. Epistolas 186.ad diuersos. Hiberniensium ordinationes. Sermones varios. Quæstiones disputatas. Viuebat ann.1334.

IOANNES Bobadilla, Hispanus, Ord. Minorum, Prouinciæ Castellæ, Theologus, & Professor Toleti in Cęnobio S.Ioannis Regum, scripsit *Instructorium omnium Prælatorum Regularium, præcipuè verò Fratrum Minorum*, mandante Frãcisco Gonzaga, dum hic eiusdem Ordinis esset Minister Generalis, ac deinceps Mãtuanus Episcopus. Quo quidem in Opere agitur De potestate Regularium omnium iuxta Concilium Tridentinum, & Priuilegia illis à Summis Pontificibus concessa, cum plurium item Conscientiæ Casuum, ac dubiorum enodationibus. Venetijs apud Baretium Baretium, ann. 1602.

IOANNES Bokingam Theologus, apud Oxonienses in Anglia, celebris scripsit Commentaria in Mag. Sent. librum item Disceptationum. Quæstionum autem Sententiarum Opus è prelis Parisiensibus prodijt ann.1505. Quod & in Londinensi Bibl. extabat.

IOANNES Bolasius Gallus, sacerdos, & litterarũ Hebraicarum Parisijs Professor, scripsit, & emisit insignę Diuinæ potẽtiæ miraculum editum per Sacrosanctam Eucharistiam in muliere obsessa à Dæmonæ, Laoniæ, quæ ciuitas, siue Oppidum, est in Morinis. Et id quidem miraculum coram pluribus hominum millibus haud semel cõtigit. Inter quos plerique Caluiniani, & adeo Ministri hæreticorum conuicti, & confusi abierunt. Ceterum historiam hanc Parisienses Typographi, (inter quos Nicolaus Chesneau) excuderunt.

IOANNES Bonderius. Vide in verbo, Io. Bunderius.

IOANNES Bonlise emisit in lucem Collectam à se significationem variam Dictionum ad sensus Scripturæ mysticos cum Demonstratione septuaginta Hebdomadarum Danielis, cap.9. Parisijs apud Dionysium Vallensem, ann.1575.

IOANNES à Bononia, siue *Bononiensis* (non quòd illum existimem fuisse Bononiensem, hoc est Bononiæ Ciuitatis Pontificię in Italia natum) edidit librum De Aeterna Dei Prædestinatione, ac Reprobatione, Louanij ann.1554.

IOANNES Bordatus, Biturix, Gręcam Euangelij D.Ioãnis Translationem à Nonno Panopolitano factam, & id quidem Heroico versu, Latinè reddidit ad verbum. Quæ Parisijs apud Carolum Pererium prodijt, ann.1561.

IOANNES Boriugh Parochus Ecclesiæ de Collingham, scripsit De Sacramentis, & Sacramentalibus libris decem, idque Opus inscripsit *Pupillam oculi*. Librum item Homiliarum. Viuebat ann.1386.

IOANNES Boscatellus, Ordinis Minorum, scripsit Dialogum de facili ratione recitandi Diuini Officij. Tolosæ ann. 1550. apud Iacobum Colomerium, siue Colomiers.

IOANNES Boschæus Neustrius De legitimis Nuptijs extat in To.9.fol.95. inter Tractatus Iuris postremò Venetijs editos, & auctos.

IOANNES Bossinensis Episcopus, & natione Germanus, Patria Friburgensis in Brisgoia, Ord. Minorum, Summam Confessorum, quinque libris comprehensam reliquit. Viuebat ann. 1250.

IOANNES Boterus Benensis, quod oppidum & præsidium est in Subalpinis, libros decem De ratione (vt vocant) Status, hoc est De rebus Politicis vnà cum tribus libellis De origine Vrbium, earumque præstantia, & modo augendarum, lingua Italica edidit Venetijs apud Iolitos anno 1589. Hic autem liber ad pietatem ac prudentiam vtilis est; quo item malè sana & impia Machiauelli fundamenta, quævè ex Cornelio Tacito possunt desumi, dum Tyberij Neronis artes exponit, euertuntur breuiter, doctè, Christianè. Sed & antea quædam nitida carmina emiserat De Regia Sapientia Latinè. Deinceps autem Italicè. Libros quoque De contemptu Mundi, (del Dispregio del Mondo) & duas Conciones eiusdem argumenti, simul editas apud Franciscum, & Simonem Tinos Mediolani, ann. 1584. Descriptionem quoque Mundi vniuersalem, prænotatum *Relationes*. Deinde autem Quindecim Christianorum Regum Vitas. Trium Hierosolymæ, Gothifredi, Balduini primi, Americi. Trium Galliæ, Clodouei, Ludouici Noni, Caroli Noni. Trium Hispaniæ, Pelagij, Ferdinandi Magni, Ferdinandi Sancti. Trium Angliæ, Aluredi, Canuti, Gulielmi Acquisitoris. Trium Lusitaniæ, Alphonsi Primi, Alphonsi Quinti, Emanuelis. Quas excudit ann. 1601. Ioannes Tarinus, Augustæ Taurinorum in Subalpinis Italiæ. Porrò primi illi libri de Politicis rebus ex Italicis facti Germanici, ac deinceps latini prodierunt Argentorati.

IOANNES Bothlesam, Ord. Præd. qui postea fuit in Anglia Roffensis Episcopus scripsit Sermonum librum, quos coram Angliæ Rege habuit: & alterum, quē Disputationes Scholasticas prænotauit. Viuebat ann. 1338.

IOANNES Boudinius (non autem Ioannes Bodinus, cuius libri prohibiti sunt in Romano Indice,) scripsit De Domini Iesu Christi rerum gestarum, dum in Terris versaretur, claritate, & gloria, cum breui compendio de rebus externis ad vitam eiusdem pertinentibus. Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1595.

IOANNIS Bouonis Quodlibeta, & Commentaria in Quattuor lib. Mag. Sent. excusa fuere simul Venetijs apud Octauianum Scotum, ann. 1526.

IOANNES Braderius edidit Compendium concertationis huius seculi Sapientum, ac Theologorum De præsentis temporis erroribus. Venetijs ad Signum Spei, ann. 1548.

IOANNES Brame, Ord. Augustiniani, Anglus, Anglicè, scripsit Sermones, & Chronicorum Indicem. Obijt ann. 1449. Gorlestanę. Ioseph Pamphilus.

IOANNES Brammart Aquensis, Germanus, Ordin. Carmelitarum, & Germanię inferioris Prouincialis, Theologus Parisiensis, scripsit in Magist. Sent. Incipit, *Verbum Domini super Ioannem*. Varias item Quęstiones, ac Sermones. Obijt ann. 1407. Trit. At Eisingrenius eum vixisse ait ann. 1363. Quod quidem & accidere potuit, ita vt non pugnet cum Tritemij dicto.

IOANNES Breslaer, Ord. Prēd. Tractatum emisit aduersus errores duodecim Altenburgi in Misnia ortos, idque hortatu Numburgensis Episcopi.

IOANNES Briaert de Acth, scripsit Quodlibeta; quę vnà cum Adriani Sexti Commentarijs in Mag. Sententiarum, Parisijs prodierunt, ann. 1528. apud Nicolaum Saultier.

IOANNES Brichallus, Ord. Prēd. & Conuentus Ebroicensis, scripsit Tractatum de auctoritate Confessiones audiendi concessa Religiosis.

IOANNES Briselotus Hannonius, Ordinis Carmelitarum, Parisiensis Theologus, Carolo Quinto Romanorum Imp. à confessionibus, ac secretis consilijs, Beritensis Episcopus, deinde Arborensis Archiepiscopus, & Sardinię Primas, quem non defuere, qui vnum è Luminaribus Ecclesiæ appellarunt, scripsit

Lecturam in quattuor libros Mag. Sent.	De Sanctiss. Eucharistia, librum.
In Psalmos Pœnitentiales, librum.	De Oratione assidua, librum.

De humanis sensibus, librum.
Librum inscriptum *Imago Pœnitentiæ.*
De morte ineuitabili, lib. 2.
Impedimenta resipiscentiæ, lib. 1.
De caussarum Aduocatis, librum.
De vitijs adulatorum, librum.
De blasphemia in Deum, librum.
De detractione proximorum, librum.
Aduersus derisores bonorum, librum.
Orationes ad Clerum.
Sermones de Tempore.
Sermones de Sanctis.
Collationes triginta feriales.
Quadragesimalia duo.
De Aduentu Christi Dom. in carnem, libr.
Aduersus peccata, librum.
Commentariorum in Diuinam Scripturam, librum.
Epistolas ad diuersos. Obijt in Altimontensi Monasterio.

IOANNES è Brittenheim, Ord. D. Benedicti, librum edidit, quem *Lugubris* inscripsit. Alterum item De Monastico statu.

IOANNES Bromyardus, Ordin. Præd. Theologus, scripsit Summam Prædicantium, quibus præcipuos disciplinæ catholicæ locos, & sensus explicat. Ea Venetijs quoque prodijt ann. 1586. apud Dominicum Nicolinum, cum ille vixisset ann. 1419. Eisingrenius. At Ant. Senensis, siue alterum, quem Broniardum habet Parisiensis editio; siue hunc ipsum, quem scribit fuisse I. V. C. ait reliquisse Librum vtriusque iuris, quem inscripserit, Moralizationum, & vixisse ann. 1290.

IOANNES Brugman, Belga, Theologus, Ord. Min. olim in sui ordinis cœnobio Audomarensi Professor, scripsit Vitam B. Virginis Luduuinæ, ann. 1456. quæ extat in Bibliotheca Patrum Louaniensium, eiusdem Ordinis.

IOANNES Bruncaldal, Germanus, Ordin. Min. scripsit Sermones De Tempore, De Sanctis, & Quadragesimales. Franc. Gonzaga, Ep. Mant.

IOANNES Brunellus, scripsit De Sponsalibus in 1. Decretal. De electione c. licet cui tanda. In 5. Decretal. De homicidio c. 1. De potestate Legati, & in eodem Tractatu, De Cardinalibus. At & inter Tractatus Iuris postremò Venetijs recusos, & auctos, extant ijdem Tractatus de Dignitate, ac Potestate Legati in Tom. 13. p. 2. fol. 23. De Sponsalibus autem, ac Matrimonijs in To. 9. fol. 3.

IOANNES Bruneus Gallus, Aduocatus primò, deinde ab hæreticis seductus, cum eorum hæreseos Minister aliquandiu fuisset, agnita illorum fraude resipiscens, eiurata hæresi vberem edidit Epistolam, qua suæ conuersionis ad Catholicam fidem rationes exposuit. Ea Parisijs prodijt ann. 1578. apud Leonem Cauelat. Deinde Tractatum de Institutionum antiquitate, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ signis. Parisijs ann. 1581. dum adhuc viueret.

IOANNES Brunnerus Dogkenburgensis cum natus, & educatus apud hæreticos, quatuordecim quoque annos ipsis hæreses, quas altè ebiberat, concionatus fuisset, ad Catholicam religionem, Deo aspirante, accedens, Professionem Catholicæ suæ Fidei scripsit, atque edidit Ingolstadij ann. 1582. Is verò deinceps Græcæ linguæ, & sanctæ itidem Professor ordinarius fuit Friburgi Brisgoiæ in Archigymnasio eius Ciuitatis.

IOANNES Bruxellensis, Ordin. Canonicorum Regularium Sancti Augustini, scripsit Rosetum Exercitiorum Spiritualium, & sacrarum Meditationum, libris duobus: deque illustribus viris ordinis sui alterum. Viuebat ann. 1495. Vide in verbo, Ioan. Maubenus.

IOANNES è Bruyno, Bruxellensis, Carmelita, scripsit Commentarios in Epistolas D. Pauli. In Ecclesiast. item, ac in Mag. Sent. Arnoldus Bostius.

IOANNES Buisonius, ann. 1576. Romæ edidit Historiam, & Harmoniam Euangelicam, seu Vitam Dn. Iesu è quattuor Euangelistis in vnum collectam, adiecta suis locis ordinis, & consensus eorundem Euangelistarum ratione.

IOANNES Bunderius, Gandauensis, Ordinis Prædic. qui viuebat ann. 1550. scripsit Compendium rerum Theologicarum, quæ nostra ætate ab hereticis oppugnantur; idque iuxta consensum Ecclesiæ Catholicæ è D. Scripturæ testimonijs appositè contexuit: Quod cum non semel è prelis prodijsset, factum est deinceps auctius, addita Collatione quattuor

Sanctorum Doctorum Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & Gregorij. De triginta articulis aduersus hęreticos. Parisijs apud Alardum Iulianum, ann. 1574. & 1577. Editum erat autem ann. 1569. Antuerpię apud Ioan. Vuithagium Scutum Fidei Orthodoxæ eiusdem Bunderij aduersus quaslibet hęreses.

IOANNES Burchardus librum Cęremoniarum, & Ordinem Missæ scripsit, qui vnà cum libro Ioãnis de Turrecremata de Aquabenedicta excusus est Romę apud Antonium Bladum, ann. 1559.

IOANNES Burgensis, Anglus, & Monachus, Ord. D. Benedicti, Congreg. Cluniacensis, scripsit Annales Anglorum. Viuebat ann. 1200. Atqui, siue is ipse, siue alter, qui dictus est *Ioannes de Burgo* librum pręnotatum *Pupilla oculi*, scripsit De administratione septem Sacramentorum, ac De decem pręceptis, & De reliquis Ecclesiasticorum Officijs. Argentorati ann. 1514. apud Io. Knoblouc.

IOANNES Bury, Anglus, Ordinis D. Augustini, scripsit Commentarios in D. Lucę Euangelium. Lecturas Scripturarum, lib. 1. Quæstiones, & Sermones, libro altero. Libros duos ad Thomam Burcherium Archiepiscopum Cantuariensem S. R. E. Card. aduersus Reginaldum Pecok, qui impia scripserat De libertate Euangelij, De laicorum potestate contra dotationem Cleri, De ęqualitate ministrorum, De legibus, & doctrinis hominum. Incipiunt hi duo libri, *Sæpè vobis, ouiliq́ vestro*. Viuebat ann. 1460.

IOANNES Buscoducensis Kalendarium perpetuum parieti affigendum emisit Antuerpię ann. 1572.

IOANNES Busęus, Societatis Iesu, natione Belga, Nouiomagus S. Theol. Doctor & Professor in Academia Moguntina, edidit plura. Ea verò sunt:

Disputatio Theologica de ieiunio, & delectu ciborum aduersus Chemnitium, & ceteros Nouatores, anno 1581. Moguntię apud Gasparum Behem.

Disputatio de Persona Christi aduersus Vbiquitarios. Ibid. ann. 1583.

Disputatio Apologetica pro Kalendario Gregoriano contra Iacobum Heerbrandum ministrum Lutheranum Tubingensem. Ibid. ann. 1585.

Disputatio de descensu Christi ad Inferos aduersus Decretum libri Concordię Lutheranorum. Colonię ann. 1586.

Apodixis Theologica pro ritu orandi Rosarium Beatæ Marię Virginis. Moguntię anno 1587.

Rosarij Hyueraspistes, hoc est, depulsio cauillationum, quibus Caluinista quidam Heydelbergensis Apodixin obscurare conatus est. Herbipoli, ann. 1588.

Apologeticus Disputationis Theologicę de Persona Christi cauillationib. Stephani Gerlachij prędicantis Tubingensis Lutherani oppositus. Moguntię ann. 1588.

Refutatio duplex cauillationum à Stephano Gerlachio primo, & secundo capiti Apologetici obiectarum. Moguntię ann. 1591. & 1594. & 1596.

Responsio ad theses Theologorum Lutheranorum Marpurgensium de Missa Pontificia & Cœnæ Dominicæ in ea profanatione. Moguntiæ anno 1588. apud Gasparem Behem.

Disputatio Theologica de Baptismi necessitate, & de Baptismo Constantini, ann. 1589.

Triginta Paradoxa Gasparis Suenckfeldij hęresiarchę de toto Christo Deo, & homine in statera S. Scripturæ, Patrum, & rationis expensa, & cũ Vbiquitariorum dogmate collata. Ibid. ann. 1595. apud Henricum Behem.

Petri Blesensis Bathoniensis Archidiaconi in Anglia Opera, collatione aliquot m.ss. emẽdata, notisque illustrata. Moguntiæ ann. 1600.

Anastasij S. R. E. Bibliothecarij historia de vitis Summorum Pontificum vsque ad Nicolaum primum, adiectis duabus alijs Vitis ex Gulielmo Bibliothecario, cum varijs lectionibus m.ss. Codd. Moguntię ann. 1602.

Luitprandi Ticinensis Diaconi de Vitis Summorum Pontificum. Item Albonis Floriacẽsis Epitome de Vitis eorundem ex Anastasio Bibliothecario ex m. ss. Codd. primum editi. Moguntiæ ann. 1602.

Hincmari

Hincmari Rhemensis Archiepiscopi epistolæ aliquot ex m.s.Cod. Bibliothecę cathedralis Ecclesię Spirensis,cum notis breuibus. Accessit historia Vitę S. Vviberti Confessoris, socij S.Bonifacij Archiepiscopi Moguntini,& historia S. Ruperti Bingeonum Ducis, auctore S.Hildegarde, ex m.ss. Codic. Moguntiæ ann.1602.

Conuersa ab eodem ex idiomate Italico in Latinum, edita q; hac.

Tres Tomi Meditationum P.Vincentij Bruni Societatis Iesu, Primus,Secundus,& Quartus eiusdem Tractatus de Sacramento pœnitentiæ. Coloniæ ann.1598.

Fuluij Androtij Societatis Iesu Opusculum de frequenti communione. Moguntiæ.

Eiusdem Meditationes de Passione Domini. Coloniæ ann.1600.

Lucæ Pinelli Meditationes de S.Eucharistiæ Sacramento. Coloniæ anno 1600.

Francisci Ariæ Societatis Iesu liber de imitatione B.Virginis. Coloniæ, ann.1601.

Eiusdem liber de diffidentia sui mortificatione edebatur ibidem, vt & meditationes Lucæ Pinelli de Vita Christi, & B.Virginis.

Exemplar annuarum Iaponensium anno 1591.& 1592.à P. Ludouico Frois scriptarum. Coloniæ ann.1596.

Deinde cæterę Epistolę vsque ad annum 1600. missæ, quarum extrema est P.Nicolai Pimentæ de statu Indiæ Orientalis ann.1600. excusę omnes Moguntię, vti & alibi.

IOANNES Buteo, Delphinas,Gallus cum in Iurisprudentia, & Mathematicis potissimum excelleret, scripsit ann.1550.ad Franciscum Turnonium Cardin. De Arca Noe cuius nam formę, & capacitatis fuerit. Incipit, *In Arcam illam Seminarium Mundi*. Reliqua verò etsi ad Apparatum hunc sacrum non omnino pertinent, pręstat tamen huc adscribere, quandoquidem & omnia simul excusa fuerunt Lugduni apud Thomam Bertellum, anno 1554. & quadantenus Philosophis, Theologis, Iurisconsultis, Historicis, possunt commodare. Quippe edidit

De Sublicio Ponte Cęsaris.

Cõfutationem Quadraturę circuli ab Orontio Fineo factę.

Explanationem ad iocum Quintiliani Geometricum.

Ad Problema Cubi duplicandi.

Mensuram defluentis aquę.

Emendationem figurationis Organi à Columella descripti.

De libra, & statera.

De precio Margaritarum.

De fluuiaticis Insulis secundũ Ius ciuile diuidẽdis,vbi cõfutatur Tyberias Bartoli.

De diuisione fructus arboris in cõfinio natę

Geometriæ cognitionem Iurisconsulto necessariam.

Ad legem Papiniani, *De Diuortio*.

Ad legem Iuliani, *Si ita scriptum*.

Ad legem Africani, *Qui quadringenta*.

Eiusdem Logistica, quę ibidem excusa.

IOANNES Cacheng Friburgensis Theologus, scripsit Commentarium in Epistolam Diui Pauli ad Romanos. Tractatum de Quarta. Alterum De Contractibus. Viuebat ann. 1355.

IOANNES Cęsaraugustanus Episcopus temporibus Sisebuthi,& Suinthilari Regum Hispanię adnotauit, vt S. habet Ildephonsus in Catal.Virorum Illustrium Hispanorum, inquirendę Paschalis solemnitatis tam subtile, & vtile argumentum, vt Lectori & breuitas contracta,& veritas placeat patefacta. In Ecclesiasticis item Officijs quędam eleganter sono, & oratione composuit.

IOANNES Caleca Gręcus, scripsit Commentarios in Quattuor Euangelia. Extat m. s. in Bibl. Imp.Viennę Austrię.

IOANNES Calderinus Bononiensis, qui viuebat ann. 1340. Vir I. V. C. pleraque scripsit, quæ post typos inuentos subiecta sunt prelis. Nimirum Tabulam iuxta seriem Alphabęti, auctoritates, atque sententias Bibliorum continentem, prout in Compilationibus Decretorum, ac Decretalium citantur à Thoma Dorimbergio Memmingo Spirensis Ciuitatis Consule recognitam,& Spiræ excusam apud Petrum Drach, ann. 1481. Repertorium Iuris. Consilia, & Decisiones, quorum pleraque prodierunt ann.1474. Disputationem, *Quaritur*. cuius meminit Felinus *in c.graue, in 2. de offi. ord.* De censura Ecclesiastica. De interdicto Ecclesiastico. In Proęmium Decretal. In 1.Decretalium.

De

De rescriptis, *c.in nostra*, & *c.mandatum*, & c. *ab excommunicato* in eundem. De electio. *c.super eodem*, & *c.cum in iure*. Et in 2. Decretal. de appellatio. *c.ex parte tua*. Item de ord. cog. c. 1. *intelleximus*, & *c.super spoliatione*. Item de causa possess. & propr. *c.cum dilectus*. Item de probatio. *c.post cessationem*. Item de testi. cog. *c.dilectorum*. Et in Tertium Decretal. de cohab. cler. & mul. *c.vestra*. & de concessione præben. *c.cum in vestris*. & *c.postulastis*. & de rebus Ecclesiasticis *c.si quis presbyterorum*. Item De donationibus *c.propter eius*. Et in Quintum Decretal. de raptoribus *c.de illis*. & de vsuris *c.nauiganti*. Atqui inter Tractatus postremò Venetijs recusos, & auctos extat liber eius De interdicto Ecclesiastico in Tom. 14. fol. 325.

IOANNES è Caluisiano, Ord. Prædic. è SS. Patribus, atque pijs alijs Scriptoribus Librum piarum Precum haud exiguum collegit, quem antiquis characteribus manuscriptũ Neapolitani Patres eiusdem Ord. asseruant in cęnobio S. Catharinæ à Formello.

IOANNES de Cambia, siue de *Cobiex*, vulgò dictus *Gantois*, Insulensis, Belga, Ordin. Minorum, Conuentus Lugdunensis Lector, edidit Thesaurum Theologorum.

IOANNES Camers, Ord. Minorum præter illa, quæ scripsit in Lucium Florum, Solinum, Fenestellam, Cebetis tabulam, quæ huc non spectant, reliquit etiam Notationes ad S. Augustini libros de Ciuitate Dei, atque ad Eutropium, & Commentarium in Claudianum. Viuebat ann. 1528.

IOANNES Campen, Germanus, Carmelita apud Frisones, scripsit in Magist. Sent. Deinde Quodlibeta, & Summulas Artium.

IOANNES Campensis, Hebrææ linguæ apud Louanienses in Buslidiano collegio Professor, scripsit Paraphrasim in Psalmos, & in Ecclesiasten Salomonis, & Grammaticam, quæ excusa est Parisijs apud Vuechelum, ann. 1535.

IOANNES Campescen, siue *Camscen*, Carmelita, Anglus, scripsit Sermones de Sanctis, lib. 1. De Tempore, libro altero.

IOANNES Campolus, alijs Capolus in quattuor libros Mag. Sent.

IOANNES Camscon Anglus, idem qui alijs *Campescen*, siue *Camscen*.

IOANNES è Cambico, Ord. Prædic. Librum composuit De Paradisi delicijs. Alterum De culpa, & Gratia. Viuebat ann. 1295.

IOANNES Canonicus, siue *Canon*, cognomento, Ord. Minorum, Ioannis Duns Scoti in Academia Parisiensi Auditor, Quattuor libros Mag. Sententiarum exposuit. Disputationes item ordinarias scripsit: pręter Dialecticas, atque Commentarium in libros octo Physicorum Aristotelis. Viuebat ann. 1320.

IOANNES V. Cantacuzenus Imp. Constãtinopolitanus coactus à Ioanne VI. Imp. Andronici filio Palęologo genero suo sese Imperio abdicauit anno Domini 1354. & monachus factus Ioasaph appellatus est. Scripsit autem monachus, contra Saracenorum hęresim, pro Christiana religione, Apologias 4. Contra Macometem, Orationes 4. Contradictiones aduersus Prochorum Cydonem. Alia capita contradictoria in eundem: quæ Gręce extant in Vaticana Bibliotheca hac inscriptione, Paraphrasim in quinque libros Ethicorum Arist. quę asseruatur Græcè Venetijs in Bibliotheca SS. Ioannis, & Pauli. Viuebat ann. 1360.

IOANNES idem Cantacuzenus, cognomento Ioasaph monachus scripsit *ἀντιρρητικὰ κατὰ προχόρου τοῦ κυδώνη* in Bibl. Vaticana. Græcè m. s. sed & quattuor libris bella inter Imp. Andronicum Auum, & Nepotem elegantissimè scripsit, quos Iacobus Pontanus noster Latinè è Gręco edidit Ingolstadij ann. 1603.

IOANNIS Cantalicij Pœnitentis hominis confessio elegiacis carminibus, eiusdem ad deplorandam Redemptoris Domini nostri Iesu Christi passionem Monodia, & in Psalmum *Miserere*. Venetijs ann. 1503.

IOANNES Capetius Theologię Licentiatus edidit Tractatum de Indulgentijs. Insulis, in Belgio. Alterum De hæresi, & modo coercendi hęreticos.

IOANNES Capgraue Anglus, Ordin. D. Augustini insignis Theologus, & Prouincialis in Anglia, edidit

Commen-

Commentarios in Genesim. — *Arduum namque, & super vires est.*
In Exodum. — *Quia historiam.*
In Leuiticum. — *Occultissimorum mysteriorum.*
In Numeros. — *Ex Nicolao de Lyra.*
In Deuteronomium. — *In hoc vltimo libro Moysi.*
In Historiam Iosue. — In Iudices, & Ruth, lib. 2.
In Volumina Regum, lib. 4. — In Psalterium, lib. 1.
In Ecclesiasticum, lib. 1. — In Esaiam Prophetam, lib. 1.
In Danielem, lib. 1. — In duodecim Prophetas, lib. 12.
In Quatuor Euangelia, lib. 4.
In Epistolas Pauli, lib. 14. — *Domino Hunfrido hon.*
In Acta Apostolorum, lib. 1. — *Reminiscor. sancte Antistes.*
In Apocalypsim D. Ioannis, lib. 2. — *Venerabili suo Domino in Christo.*
Manipulum doctrinæ Christianæ, lib. 1. — *Inter catera ocij mei secreta.*
In Epist. Canonicas, lib. 7.
De Fidei Symbolis, lib. 3. — *Quoniam Psalmographus.*
De nobilibus Henricis, lib. 3. — *Henrico Dei gratia Regi Angliæ.*
De sequacibus D. Augustini, lib. 1. — *Testatur ille Græcorum eloquentiss.*
Catalogum Sanctorum Angliæ, lib. 1. — *Sancti Patres, qui priscis fuere.*
In libros Sententiarum, lib. 4. — Determinationes Theologiæ, lib. 1.
Ordinarias disputationes, lib. 1. — Ad Positiones erroneas, lib. 1.
Orationes ad Clerum, lib. 1. — Sermones per annum, lib. 1.
Vitam Humfridi, lib. 1. — Lecturas Scholasticas, lib. 1.
Epistolas ad diuersos, lib. 1.

Obijt Limnæ Nordouolgiæ Oppido, die 12. Augusti ann. 1464. & inter fratres Augustinianos sepultus fuit.

IOANNES Capistranus, siue è Capistrano, quod est Oppidum in Brutijs, haud procul ab vrbe Aquila Marsorum, Discipulus, & Socius D. Bernardini Senensis, Ord. Minorum, nobili genere natus, ann. 1385. Familiæ suæ Cismontanæ Vicarius Generalis renunciatus; à summis autem Pontiff. potissimum à Nicolao Quinto, ad varias functiones pro sancta Ecclesia Catholica adhibitus est. Huic ante annos centum Krantius testimonium tulit his verbis: *Ioannes in Germaniam descendit, prædicans magno zelo verbum Dei in Austria, Bauaria, Sueuia, Turingia, & Saxonia. Nam in Ciuitate Magdeburgensi, in nouo foro, maxima ad illum confluente multitudine cum esset Germanicæ linguæ non gnarus, latinè prædicabat Latinis in tertiam horam, populo solis gestibus eius, quos ante non viderat, satis vehementer permoto. Moti sunt omnes, & vsque adeò permoti; vt fœminæ abusum in ornatu, viri ludos, quibus tempora perdunt, scaccorum, alearumq; in vnum contulerint, & eodem loco, igne sub dio concremarint.* At & Herthamus, Scheydelius scriptum reliquit, se Norimbergæ vidisse Capistranum sexagintaquinque annos natum quotidie, ac fere sine intermissione concionantem, altas, & profundas (vt ille inquit) materias absoluentem. Quin & noster Hieronymus Platus libro secundo De Bono statu Religiosi, cap. 30. refert, anno circiter 1450. Capistranum duodecim millia infidelium, pluresque præterea schismaticos ad Catholicam Ecclesiam aggregasse. Scripsit autem Capistranus contra Philippum Bertegallum Diplomati Pontificis Maximi aduersantem: sex autem & octoginta Fratricellorum hæreticorum loca, vbi conueniebant, in Piceno, atque Campania combussit, exortamque Eugenio Quarto Summo Pont. hæresim istam profligauit. In Morauia item, atque Boemia errores Hussitarum refutauit: Porrò etiam scripsit

Lib. 11. Saxonum hist. cap. 36. & lib. 11. metrorũ c. 30

In 6. mundi ætate.

De dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum Summum Pontificem. — De pœnis Inferni, & Purgatorij.
De casibus, & pœnis iniungendis.
De illustranda conscientia. — De restitutionibus & contractibus.
De Vsuris, & Contractibus. — De Matrimonio.
De Censuris. — Epistolas nonnullas.

In Regulam Ordinis Minorum.
De Conceptione Beatiss. Virginis.
De Iudicio vniuersali futuro, & Antichristo, ac de bello spirituali. Venetijs apud Petrum Dehuchinum, ann. 1578.
De Concilij, siue Ecclesiæ auctoritate. Venetijs apud Ant. Ferrarium, ann. 1580.
Speculum Clericorum, quod ibid. prodijt eodem anno apud eundem.
Defensorium tertij Ord. Franciscanorum, quod extat m. s.
De Cupiditate, lib. 3.
De Passione Domini.
Contra Hussitas.
Ad Principes Boemiæ, quos hortatur, vt pro celebrandis comitijs apud Casurgem conueniant.
Aduersus Ioannem Rochesanum hæreticum Boemum, & fautorem hæreticorum: qui delectus Archiepiscopus Pragę, Fratres Minores è sua ciuitate eiecerat. Obijt ann. 1456. in ciuitate Vuillako, diœceseos Bambergensis, vbi & humatus in Claustro Beatiss. Virginis apud Minores.
Porrò & inter Tractatus Iuris postremò Venetijs recusos, & auctos, extant ipsius Ioannis à Capistrano liber De Canone Pœnitentiali. Tom. 14. fol. 395. & De Excommunicatione ibidem, fol. 388. De Matrimonio per modum Consilij in To. 9. fol. 77. De potestate Papæ, & Concilij in To. 13. P. 1. fol. 32. Speculum Conscientiæ in To. 1. f. 323.

IOANNES Caprauilla, De Casibus reseruatis. Leodij apud Iacobum Gregorij.

IOANNES Capreolus, Ordinis Prædicatorum, Tolosanus, qui D. Thomæ sensum videtur imprimis fuisse assecutus, scripsit vberes Commentarios in Quattuor Libros Mag. Sent. & Sermones varios. Nos de illo, vbi de Theologia Scholastica in tertio Bibliothecæ Selectæ libro egimus, aliquid haud inutile (vt putamus) locuti sumus. Ceterum anno 1589. Venetijs ij Commentarij prodierunt in lucem hac inscriptione. *Ioannis Capreoli Thomistarum Principis, in Libros Sententiarum amplissimæ Quæstiones pro tutela doctrinæ Sancti Thomæ ad Scholasticum certamen egregiè disputatæ, Auctore F. Matthia Aquaro Dominicano.* Viuebat ipse Capreolus, ann. 1415.

IOANNES Caraffa Tractatum edidit De Simonia, ann. 1556. Romæ. Qui & postea inter Tractatus Iuris Venetijs recusos, & auctos insertus extat To. 1. fol. 323.

IOANNES è Carcassona Gallus, Patria Narbonensis, Ordin. D. Augustini, scripsit in Euangelia libros quattuor. Alium De vita solitaria. Conciones ad Populum. Epistolas ad diuersos. Viuebat ann. 1350. Nicolaus Bertrandus.

IOANNES Carnotensis Episcopus. Vide in verbo, Ioannes Salisburiensis.

IOANNES Carolus Bouius, Bononiensis, & Episcopus Ostunensis, quæ Ciuitas est in Regno Neapolitano, primus (quòd sciam) è Græco Latinos fecit octo Constitutionum Apostolicarum libros Clementis Romani, ad quas item Scholia addidit. Veruntamen deinceps eædem Græcè Constitutiones & è Codicibus m. s. accuratè collatæ, atque adeo in Latinum conuersæ, & vberioribus Notis, quæ vicem obtinent Commentariorum, à Francisco Turriano prodierunt primò è Typographia Plantini Antuerpiæ; deinde Venetijs Editioni Conciliorum à Nicolino euulgatæ ann. 1585. præfixæ.

IOANNES Caroli, Florentinus, Ordin. Præd. scripsit varia tum Latinè, tum Etruscè. Extant autem m. s. Florentiæ in Bibl. S. Mariæ (vt vocant) Nouellæ, hæc quæ sequuntur.
Volumen Concionum varijs in locis habitarum. Incipit, *Proposueram quadam*.
Alterum Tractatuum Spiritualium: Quorum primus attinet ad Psalmos Pœnitentiales, ad Bernardum Gondium.
Aliud aliorum Tractatuum, Quorum primo agit de senectute, quique incipit, *Marcum Tullium Ciceronem*.
Vitæ illustrium quorundam sui Ordinis, quæ extant apud Leandrum Albertum De viris Illustribus. Eæ verò sunt Io. Dominici Cardinalis & Archiepiscopi Rhagusæi. Simonis Saltirolli Archiepiscopi Pisani. Aldobrandini Caualcantis Episcopi Vrbeuetani. Angeli Acciaioli Archiepiscopi Florentini. B. Ioannis Salernitani, Socij S. Dominici. Alexij Strotij. Guidonis Regionali.
De dignitate Monasterij S. Marię Nouellę. Obijt ann. 1505. Florentię Mich. Pocciantius.

IOAN-

IOANNES Carpathiorum Episcopus, scripsit Græcè ad Monachos Indos capita centum, vt in Bibliotheca sua inquit Photius. In Bibliotheca vero Regia Gallica, extabat hac inscriptione m.s. πρὸς τοὺς ἀπὸ ἰνδίας μονάχους παρακλητικὰ κεφάλαια. Itē περὶ ἀσκήσεως: sed reuera Capita hortatoria, siue documenta spiritualia centum nonaginta, & vnum scripsit. Quæ Iacobus Pontanus noster è Greco Latinè reddita, adiecit Dioptræ ab se versæ Philippi Solitarij, atque Ingolstadij editæ ann. 1604. cum aliàs haberētur tantum octoginta duo, quot nimirum in Codice Bauarico tunc inuenerat vnà cum Simeonis Presbyteri orationibus.

IOANNES Carpentarij Paraphrasis Carmine Heroico in Prophetiam Isaiæ prodijt ann. 1589.

IOANNES Cartenius in Hannonia Belgij natus, Ordin. Carmelitani, atque Theologus, Prior autem Bruxellensis Conuentus, Latinè, Græcè, Hebraicè noscens, scripsit in decem Præcepta Decalogi. In D. Ioannis Apocalypsim. Sermones tam de Tempore, quàm De Sanctis. In aliquot D. Pauli Epistolas. De Quattuor nouissimis, qui libellus vnà cum Ludouico Granata, Ord. Præd. & Dominico Aegidio Topiario emissus est in lucem ann. 1589. apud Ioannem Bellerum Antuerpiæ.

IOANNES Cartusiani Ord. Librum scripsit prænotatum *Nosce te*, hoc est, de sui Notitia dignum lectu: qui & Venetijs prodijt ex Officina Nicolai Ienson, Galli ann. 1480. approbatus à Matthæo Girardo, Patriarcha Venetiarum; ac deinceps Heildebergæ in Germania antequam hæresis Luterana se exereret ann. 1489.

IOANNES Cassianus Eremita, scripsit De institutis Renunciantium, libros duodecim, & Collationum Sanctorum Patrum libros vigintiquattuor: idq; lingua Latina, quid quid secus aliqui existimauerint, siue Tritemius, siue Dionysius Cartusianus.

Hi autem libri ann. 1580. editi sunt recogniti, Romæ, & iuncti cum Regula S. Pachomij, ex Typographia Dominici Basæ. Et quidem primò quæ ad Lectorem initio libri ad iuncta est Epistola, Ioannem Cassianum Latinè scripsisse probat.

Ipse enim Cassianus lib. Institutionum suorum primo, c. 3. & lib. 5. c. 16. & Collat. 23. c. 8. & plerumq; alibi, cum ait secutum se fuisse emendatiorem Translationem Bibliorum, intelligit vulgatam nostram Latinam.

Adiectæ sunt ad finem, obscurarum dictionum interpretationes, ordine Alphabeti dispositæ.

Præterea Indices duo: Alter testimoniorum Sacræ Scripturæ, quę à Cassiano vel explicantur, vel aliter quàm vulgata editio habet, citantur: Alter rerum memorabilium.

Quin etiam Obseruationes additæ in eundem Cassianum, quoniam Gelasius Pontifex Maximus, in Concilio Septuaginta Episcoporum, Opera huius Viri ea potissimum ratione iudicauit apocrypha, quòd Collatione tertiadecima, alijsque locis, de Gratia & libero hominis arbitrio, more Pelagianorum locutus, à Prospero Aquitanico, scripto aduersus eum libro, conuictus esset. De quò item Cassiodorus libro primo Institutionum, Monachos suos præmonuit. Eæ igitur obseruationes, ad calcem libri adiectæ, prælegendæ sunt ijs, qui librum hūc, alioqui vtilissimum, & à SS. Benedicto, & Thoma Aquinate teri solitum, versare voluerint, ac debuerint: Præsertim cū Cassianus, ijs de Gratia & libero arbitrio locis, adeò pugnantia secum proferat, vt ex Pelagianorum potius disputationibus, quorum sententias refert, quàm ex suo sensu deprompta esse videantur. Quod ipse alicubi admonere videtur.

Porrò ipsius laudes Prosper Aquitanicus in Opusculo contra Collatorem; S. Benedictus in Regulis, capitibus quadragesimosecundo, & septuagesimotertio; Cassiodorus ad Fratres Monasterij sui, & in expositione Psalmi sexagesimi noni; S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, parte secunda historiarum, tit. 10. cap. 10. §. 2. prosequuntur.

Gennadius autem, & Tritemius in Catalogis Illustrium virorum, aiunt, Ioannem Cassianum, natione Scytham, Constantinopoli à Ioanne Magno, hoc est, Chrysostomo Episcopo, Diaconum ordinatum; apud Massiliam, presbyterum; condidisse duo, id est, virorum, & mulierum, monasteria, quæ (inquit Gennadius) vsque hodie extant.

Scripsit,

Scripsit, autem idem Cassianus, vt idem ait Gennadius *experientia magistrante, plano, & librato sermone, & (vt apertius dicam) sensu verba inueniens, & actione linguam mouens, res omnium Monachorum professioni necessarias; id est, De habitu Monachi, De Canonico Orationum, atque Psalmorum modo, qui in Monasterijs Aegypti die noctuq; tenetur; libros tres: Institutionum librum vnum: De origine, & qualitate, ac remedijs; octo principalium vitiorum, libros octo; singulos scilicet de singulis vitijs libros expendens. Digessit etiam Collationes cum Patribus Aegypti habitas: & ad extremum rogatas à Leone Archidiacono, postea Vrbis Romæ Episcopo, scripsit aduersus Nestorium de Incarnatione Domini, libros septem: & in his scribendi apud Massiliam, & viuendi finem fecit, Theodosio & Valentiniano regnantibus.*

Ceterum Prosperi admonitione factum est, vt Cassiani scripta cautius legerentur, & corrigerentur: potissimum autem Collationes ipsæ, vt inquit Cassiodorus. Et S. Eucherius Lugdunensis tunc Ecclesiæ presbyter Cassiani Opera compendiosè colligens, quę vtilia viderentur, in Epitomen redegit. Gennadius autem Cassianum titulo sanctitatis exornauit dicens. *Sed & S. Cassianus quadam Opuscula lato tensa sermone idem Eucherius angusto verbi resoluens tramite in vnum coegit volumen.* Qui Gennadius (notat Baronius Cardin.) ne diceret, erroribus confutatis, Eucherium expurgando contraxisse Opera Cassiani, latum sermonem circumcidisse prætexuit. Quin & Collatione 8. cap. 7. notatur auctoritate SS. Gregorij Nazianzeni, & Basilij cum in persona Abbatis Piamonis dicit in Ponto & Armenia monasteria rarissima fuisse & Anachoretarum ne nomen quidem apud illos auditum fuisse. Et verò cum Collatione 21. c. 30. docet in Ecclesia primitiua per totum annum ęquale fuisse ieiunium, deinde frigescente deuotione, cum inciperent apud multos negligi ieiunia, placuisse omnibus Sacerdotibus, vt Quadragesimę ieiunium indiceretur, ac fixa lege stabiliretur. Hęc sententia vt falso nititur fundamento, ita improbatur validis rationibus à Bellarmino Cardin. lib. 2. cap. 14. de Bonis operibus in particulari: vltra medium, quemadmodum item Collatione 21. cap. 29. expositus ab eodem Bellarmino fuerat libro ipsomet secundo de Bonis operibus in particulari in eo, quòd quidam Cassianum cum Begardis sensisse idem de lege ieiunij existimauerant.

Vide verò quę Photius in Bibl. Gręca Augustę edita egit de Cassiani Institutione monachorum, ac de Collatione Patrum, atque de Asceticis, pag. 265. Quanam item ratione purgatus fuerit à Cassiodoro: & vide (inquàm) Tomum quintum Annal. Card. Baronij sub annum 433. pag. 640. primę Romanę editionis.

IOANNES Casa, Catalogum scripsit Hęreticorum.

IOANNES è Casali varias, præter Philosophica, Quæstiones in Theologia contexuit. Franc. Gonzaga Episc. Mant.

IOANNES Castellanus, Clericus Taruisinus, Theologus, non autem ille, qui prohibitus est in Romano Indice, edidit Compendium Constitutionum Summorum Pontificũ, quę extant à Gregorio VII. vsque ad Clementem VIII. Pont. Max. Venetijs apud Franciscum Bolzettam, ann. 1603.

IOANNES Castellensis, Germanus, Ord. D. Benedicti Regulam eius S. Patris duobus libris exposuit. Biblia in Compendium vnius libri redegit. Sermones de Passione Domini duos & quadraginta. De Tempore itẽ lib. 2. & de Sanctis lib. 1. Epistolarum vnum. Viuebat ann. 1400. Eisingren.

IOANNES Catardus, Aquasparsanus, Ionę Prophetiam Concionibus, & mystica Paraphrasi expositã edidit Parisijs apud Claudium Fremy, ann. 1601. Viuebat an. 1550.

IOANNES Caualcantius, Florentinus, Commentarium in Soliloquia D. Augustini pręter alia scripsit. Eius autem meminit Marsilius Ficinus libro septimo Epistolarum.

IOANNES è Caulibus, natus in Oppido S. Geminiani, Ordin. Minorum, Tractatum edidit eruditum De triplici Via Sapientiæ. Henricus Vuillot.

IOANNES de Cauris, Gallus, Gallicè scripsit prima Christianę Pietatis elementa. Opusculum De Cruce Domini nostri Iesu Christi. Sententias insignes S. Nili redditas Gallicò carmine. Institutionem Christianę filię. Parisijs apud Gulielmum Chalderium. Veram formam, & rationem viuendi Christianorum in quolibet statu. Exhortationem

(Re-

(Remonstrance) Iacob Patriarchæ ad duodecim filios Patriarchas: & Tobiæ ad filium suum. Parisijs apud Gulielmum de la Noue, ann. 1577. Dialogos, siue Colloquia Maturini Corderij Scholijs Christianis illustrata. Parisijs apud Michaelem Noue, de Roigny, ann. 1578.

IOANNIS Cerameus, scripsit in quattuor Euangelistas, Homilias, quæ extant in Biblioth. Imp. Viennæ, Austriæ, m.s.

IOANNES Chapeauuille Canonicus, Pœnitentiarius, & Vicarius Leodiensis, Scholasticam Romani Catechismi Elucidationem emisit; ad captum Parochorum, Catechistarum, & quorumcunque studiosorum. Leodij apud Henricum Houium, ann. 1600. & 1603. apud Io. Bellerum, Louanij.

IOANNES Chappuis, Raimundi, Summam Sacramentorum Ecclesiasticorum Commentarijs, & Glossis explanauit: quæ fuere excusa Venetijs ann. 1568.

IOANNES Chartophylax, De nuptijs, m.s. Græcè in Bibl. Vaticana.

IOANNES Chelmeston, Anglus, è Comitatu Eboracensi, scripsit Quæstiones ordinarias, libro vno. Theologicas determinationes, libro altero. Sermones item, & Collationes. Viuebat ann. 1290.

IOANNES è Chiniueto, Gallus, Carmelita, & Theologus Metensis, scripsit Speculum Institutionis Ord. sui. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Quadragesimale. Viuebat ann. 1340. Tritemius in Encomio Carmelitarum.

IOANNES Christophorsonus Lancastriensis, scripsit Sermone Patrio Exhortationem ad Obedientiam. E Græco autem Latinos reddidit Philonem Iudæum, Eusebium Pamphili, Socratem, Theodoretum, Hermium Sozomenum, Euagrium Ecclesiasticæ Scriptores Historiæ. Quos edidere Coloniæ hæredes Birkmanni, ann. 1570. Viuebat ipse ann. 1556.

IOANNES Christophorus, siue *Christophori*, Moguntinus, Germanus, Ordin. Prædic. scripsit in quattuor Euangelistas, & in omnes Pauli Epistolas. Viuebat ann. 1260. Trit.

IOANNES Chrysoras. Vide in verbo, Ioannes Damascenus.

IOANNES dictus Chrysostomus, ob aureum eloquentiæ flumen, Secundo, & Anthusa parentibus nobilibus Antiochiæ natus, vbi etiam post forensem operam initiatus est Sacris, ac Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ factus, mortuo Nectario Constantinopolitano Episcopo, inuitus Arcadij Imp. opera eidem Episcopatui suffectus ann. 398. Anastasij autem Summi Pont. primo, miris laboribus, atque periculis exantlatis, mortuus obijt in exilio Comanis propè Euxinum Pontum, nonum post annũ Episcopatus sui, decimaquarta die Septembris, non decimaoctaua Kal. Decembris, vti est apud Socratem, lib. 6. c. 19. Eius verò inter alias dotes Sophronius in Prato Spirituali, c. 191. scribit numquam eum mentitum fuisse, nec vmquam alicui maledixisse, neque scurrilia locutum, nec iocos admisisse.

Vitam S. Io. Chrysostomi quinam scripsere.

Vitam eius aut scripserunt, aut ex parte attigerunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Cassiodorus, Nicephorus, Palladius primus Hiberniæ Episcopus, vbere Dialogo, Georgius Alexandrinus Episcopus, cuius meminit etiam Photius in sua Bibliot. in verbo *Georgius Alexandrinus*. pag. 138. & 139. editionis Augustanæ. Vbi item eiusdem Vitæ capita summatim referuntur. Sicuti & pag. 25. De Synodo aduersus illum egit, Theodorus Romanus Diaconus, qui Acta publica De Quæstionibus habitis in Oriente à Iudicibus in caussa Chrysostomi attulit Romam ad Innocentium Primum Pont. Max. Ioan. Damascenus: sed hæc vita desideratur hactenus. Isidorus, Leo Imperator, Simeon Metaphrastes, Suidas, Isidorus, Sixtus Senensis in Bibl. sancta. Postremo Baronius Card. Tomo Annalium quinto, accuratè. Nos item aliquid in decimooctauo libro Selectæ nostræ Bibliothecæ, vbi contulimus inuicem Ciceronem, Demosthenem, atque Chrysostomum: qui primos duos Sapientia, Pietate, Eloquentia superauit.

Dictio Chrysostomi.

Et Chrysostomi dictionem admirati sunt Libanius Sophista, licet Ethnicus Scriptor, atque in eloquentiæ studijs eius Præceptor; Isidorus Pelusiota, Anianus vetustus Chrysostomi Interpres, atque Oriens vniuersus. Videat lector Isidori eiusdem Epistolam ad Ophelium Grammaticum, & Aniani ad Horontium Episcopum: atque adeo Libanij ipsius ad ipsum Chrysostomum. Anianus certè ait. *Chrysostomus illud quasi peculiare custodit, ac proprium, quòd cum semper sollicitus sit, semper vigilans, & noxij stuporis inimicus, nusquã tamen eius Oratio in pompam eleuatur dicentis, sed tota ad vtilitatẽ aptatur audientis. Est enim stylus ipse Ecclesiæ auribus accommodatus, priscum illud, sed eruditum dicendi genus exprimens, medius, æqualis, maturus, pudicus, alienus ab omni incuria culpa, pompaq; luxuria, non squalidus quidem, nec tamen floridus, non impolitus, sed neque nimia subtilitate limatus, non asperitate horridus, nec tamen amænitate lasciuus, maximam vbique copiam, admirabilemque indicans facultatem, nusquam tamen ambitionem. Eò fit, vt illum magis simplex Lector intelligat, & laudet disertus; denique & S. Basilij admirabilem illam curam loquendi, & plausibilem Antiochi pompam, & sublimem illum Gregorij cothurnum facilè intelligas hac Ioannis medietate superata. Sola ab eo forsan adolescentulorum minus blandè mulcentur aures; quibus in ludo positis litterarum non tam placent solida, quàm picta; quique pulchra potius, quàm vtilia sectantur; nec tam agentia diligunt, quàm sonantia; magisq; gaudent florum amænitate conspergi, quàm frugum vbertate nutriri.*

Modus docendi in Chrysostomo.

Et sapienter quidem, ac piè Sixtus Senensis, de modo, quo Chrysostomus vsus est in docendo, egit, quem nos paucis hic perstringemus.

Notat igitur eum in Homilijs functum fuisse Doctoris officio, audientium vtilitati accommodatissimo; diuisisse autem Sermones suos quandoque in duas partes, hoc est Exegeticen, atque Ethicen; aliquando autem in tres, idest in Parasceuen, Exegeticen, atque Ethicen, hoc est in præparationem, expositionem, & moralem.

In expositione igitur, sensui litterali potissimum, idque germanè, & appositè inhæret; neque ex sensus historici ignorantia litteram aut detorquet durius, aut ea relicta confugit ad remotas allegorias. Vulgatam autem suorum temporum translationem Græcam ex LXX Interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis versionibus concinnatam ita sequitur, mirandum vt non sit, si plura veteris Testamenti loca secus interdum explicet, quàm in nostris vulgatis codicibus legantur.

Curiosas, & subtiliores Quæstiones, tamquam populis ædificandis aut inutiles, aut noxias omittit. Quæ nonnulli etiam antiqui Patres De prædestinatione, & reprobatione, de Gratia, & libero arbitrio, illa quidem abstrusiora afferebant in medium, consultò relinquit, paucissimis tamen, si qua sedat siue occasio, siue necessitas, dilucidè, & ad captum audientium exponens.

Si quid autem ad excutiendum eorum torporem proponit, id nonnunquam finit in solutum, hæc addens: *Cur autem, & quomodo id se habeat, vobis inuestigandum relinquo; neque enim vos oportet à nobis omnia discere, sed & ipsos vos elaborare, & exquirere, ne segniores efficiamini.*

Ad Moralem quod attinet, cum quidem sæpè de vitijs fugiendis, deque diuitiarum contemptu agit, expatiatur tamen plerumque in Selectis quibusdam Moralis Institutionis Paradoxis, sibi penè vni proprijs. Quorum hęc aliqua, sed & pręcipua esse videntur

Virtutem nec esse rem molestam, neque acquisitu difficilem.

Multo facilius esse bene viuere, quàm male.

Parua, leuiaq; peccata maiori studio vitanda esse, quàm magna.

Nullum supplicium mala conscientia atrocius.

Neminem lædi posse nisi à semetipso.

Melius esse iniuriam pati, quàm inferre.

Multos

Multos iniustè lædere, neminem verò iniustè lædi.
Ignominiam huius mundi esse gloriam, gloriam verò mundi ignominiam.
Vitam hanc non esse vitam, sed mortem.
Mortem esse vita meliorem.
Maximum fieri in tribulationibus, & tentationibus lucrum.
Quòd omnia supplicia, mortalibus à Deo immissa, magna sint Diuinæ pietatis beneficia.
Eleemosynam esse artem omnium quæstuosissimam.
Solitudinis, & monasticæ vitæ commoda omnibus felicitatibus potiora.
Quòd regno Dei priuari peius sit, quàm gehennæ supplicium.
Quòd nolle omnia scire, summa sapientia sit.
Quòd Christi Diuinitatem etiam absque vllis Diuinarum literarum testimonijs clarissimè, ac fortissimè aduersus omnes gentes demonstrare possumus.

His atque eiusmodi verè aureis digressionibus auditorum animos mirum in modum inflammans, rapiens, eleuans in amorem diuinarum rerum, & elatos in eum transformãs, denique omnes sermones concludit in breues precationes, gratiarum actiones, & laudes benignitatis, & misericordiæ Christi; cui simul cum Patre & Spiritu sancto honorem, gloriam, & imperium precatur in secula. Quamquam autem in cunctis penè homilijs eadem moralia loca sæpius repetita inculcet, ea tamen verborum & sententiarum varietate easdem cogitationes tractat, atque retractat, vt noua semper ac diuersa dicere videatur. Hactenus docendi modus Chrysostomo proprius.

Solet etiam Chrysostomus, vt in eius scriptis apparet, supra omnes Ecclesiasticos Scriptores abundare similibus, collationibus, & metaphoris ad illustrationem, & delectationem rerum explicandarum admirabili artificio concinnatis; nusquam tamen delectandi gratia vtitur vel sententiarum argutijs vt Ambrosius; vel poetarum illecebris, & eorum salibus, vt Hieronymus: vel facetijs & iocis, quemadmodum Tertullianus: sed affectu potius paternæ charitatis, & pio quodam iuuandi studio mirificè delectat auditores; quos vt maiori cum attentione detineat, orationis cursum frequentibus dialogismis, percontatiunculis, & exercitatiunculis interrumpit, sæpe repetens huiusmodi voces. Quidnam est hoc? cuius rei gratia hæc dicta sunt? Audistis quæ hic locutus est? Vidisti, quomodo nihil præcipit graue? Vidisti continentem eius animum? audisti fiduciam? audi etiam ingentem charitatem. Perspexisti celsitudinem philosophiæ? perspice finẽ. Intuere quæso, hominis virtutem. Vides quomodo hoc facillimum est? Cogita, obsecro, hæc verba. Inspice, quod non simpliciter, ac temere hæc dicta sint. Papè qualis est hæc doctrina, & quam est omnibus mortalibus necessaria. Papè quot bonorum plena est hæc sententia. Magna nobis in his verbis prudentia, & attentione opus est. Considera mihi beatos illos viros ò dilecte. Disce hic quanta sit virtus. Vbi nunc sunt qui hæc irrident? Audiant hoc, qui non credunt. Vellem hic adessent omnes, qui nostra vituperant. Libenter interrogarem eos, qui hæc non credunt, num &c. Ne te conturbent, ò dilecte, quæ audis. Ne mireris dilecte, quòd hoc dixerit. Ne mihi dixeris te hæc non intelligere. Age & hoc etiam consideremus. Quod dicere semper soleo, id nunc quoque inculcare non desinam. Quibus sanè tropis attentionem reuocans, tardos excitat, fessos adiuuat, & ad finem vsque orationis sustentat.

Obiecta Chrysostomo, quæ vel soluuntur, vel explicantur.

Iam verò antequam legitimos fœtus Chrysostomi indicemus, expedit, vt quænam ipsi obiecta sunt, ita soluantur, aut explicentur, vt cum ad eos versandos Lector accesserit, nihil sit, quod ipsum remoretur; aut suspensum, vel adeo alienum à tanti Patris existimatione detineat. Porrò quæ illi obiecta fuerint, siue de Actis ipsius, siue de Apparatu, vel exordio Concionum, siue de ratione Diuinam scripturam interpretandi, siue de quibusdam ad dogmata fidei spectantibus, hæc ferè sunt, quæ sequuntur.

Obstrepebant æmuli, & Eudoxia Imperatrix, quòd licenter, & durè vitia increparet,

 digni-

dignitatis Imperatricis rationem non haberet, Synodo, quæ Chalcedone coacta fuerat, interesse noluerit, vitam inhoneste ageret, & eiusmodi aliqua, quibus insignis hic athleta exilio, calumnijs, & vexationibus exercebatur ad coronas immarcescibiles. At zelus ille erat cum eximia spiritus prudentia coniunctus, quo suas oues curabat, infectas secernens, ne totum Ouile corrumperent. Synodus verò, cui noluit interesse haud ritè coacta, sed Pseudosynodus fuerat (nō quidē illa, quæ inter quattuor Oecumenicas numeratur) Acta item de Quæstionibus habitis in caussa Chrysostomi diximus supra à Theodoro Diacono Romano ex Oriente allata ad Innocentium huius nominis primum Pontificem Max. qui & illum defendit superstitem, & vbi diem obijt, præcepit, vt nomen Chrysostomi resti tueretur in Diptycha, & Arcadium Imp. & Eudoxiam Augustos & Episcopos sceleris cōplices excommunicauit. Honestatem autem, continentiam, & castitatem eius vitæ mem bra ipsa penè demortua, dum adhuc viueret, Hortationesque perpetuæ ad eas virtutes, assidua corporis mortificatio, summa vigilantia, quòdque esset abstemius, Mors denique ipsa, quam præcessit ingens crux, & cum cruce germina conuersionum variorum populorum, indicarunt. Atqui cum plerique alij, tum quattuor præcipui Apostatæ fuerunt, qui aduersati sunt Chrysostomo, Acacius Beræensis, Seuerianus Gabalensis, Antiochus Ptolemaidis, & Cyrinus Chalcedonis Episcopi, vt solum hoc nomine possit intelligi tenebris cum luce veritatis nullum esse commercium. At & miracula, quæ consecuta sunt post Chrysostomi mortem, quòdque Theodosius Imp. Parentum suorum veniam ad sepulchrum eiusdem Byzantium miro cum honore, & signis reducti eum Orbis totius Doctorem, ac spiritualem Parentem solitus sit appellare; Denique quòd mille, & ducentis plus minus annis, qui ab eius morte effluxerunt, Nominis eius in vniuersa Catholica Ecclesia celebritas, & scripta steterint, quæ hodieque vndique conquiruntur vt integriora emittantur, plusquam satis testātur, eum fuisse Virum Dei, dignissimum autem cuius scripta versentur præsertim à Pastoribus, & Concionatoribus: cum & Pastoris veri fuerit imago, & ipso primo sui Episcopatus triennio, quamquam haberet quod ageret cōtra hæreticos, contra improbos aliorum mores, contra Episcopos potius Aulicos, quàm synceros, contra Tyrannos, contra Barbaros, contra Idololatras, cōtra ipsam Imperatricē, vt diximus, numquam tamen studium tantę diœceseos, nec concionandi, nec patiendi intermisit.

De exordijs Concionum non diffitetur Chrysostomus in Præfatione Sermonis, *De ferendis reprehensionibus*, se fuisse reprehensum ab ijs, qui prolixiora interdum eius exordia, ęgrè ferebant, festinantes ad propositę lectionis intelligentiam. Sed & qua erat animi demissione, atque prudentia, cordatè respondit inquiens. *Reprehendunt nos amicorum quidam, quòd productiora Sermonum initia faciamus: quibus siue iniustè taxent, siue iustè sententiam ferant, ob hanc reprehensionem gratiam habemus.*

Quin & Metaphrastes in vita ipsius scriptum reliquit, quòd cum sublime aliquando dicendi genus arripuisset, atque ob eam caussam à simplicioribus minus intelligeretur, redargutum fuisse à pia muliercula, quòd eius orationes essent infrugiferæ; ipsum è vestigio mutasse iuuenilis animi, cuius est alta petere, institutum dictionemque faciliorem imis auribus accommodasse. Qua ex parte illud est consecutus, vt ab omnibus facillimè audiretur, atque publicis, frequentibusq; acclamationibus, Os Aureum diceretur. Quod perinde ac inditū Diuinitus nomen, veluti egregius titulus, in eius scriptis hactenus perseuerat.

Accusarunt autem nonnulli antiquiores (ait Photius) *Diuinum Ioannem, quòd in Geneseos exegesi, & in his potissimum, quæ de opificio sex dierum enarrauit, nimium simplex sit, atque omnino destitutus omnibus illis speculationibus, quibus Origenes, Hippolytus, Eusebius, Basilius, cæteriq; ex Sanctis nostris patribus eruditissimi in Hexaemeron præsertim abundant, qui sanè mihi Ioannis mentem tenere non videntur. Is enim ad simplicitatem Mosaicæ narrationis respiciens, relictis intempestiuis theorijs, facilitate, & humilitate sermonis maluit sequi Moysem, qui non, vt quidam satis ineptè putant, De Mundi opificio scribens, obscurissimas res, & obscurissimis verbis disserere statuit; sed rudi, hebetique populo simplicissimè, & clarissimè ea tantum ob oculos ponere voluit, quæ crassæ multitudinis ingenio comprehendi possent. Sicut & ipse Ioannes in explanatione Hexaemeri hisce verbis indicauit: Moyses in exordijs suarum narrationum paruitati nostra*

stræ se attemperans, nihil de inuisibilibus disseruit virtutibus: Non enim dixit, In principio fecit Deus Angelos, & Archangelos, sed cælum & terram: quia in principijs & præludijs crassioribus locus est Iudæis, qui toti præsentibus rebus inhiabant, neque spirituale quicquam comprehendere poterant: itaque eos à sensibilibus, & creaturis, ad cognoscendum vniuersi Creatorem inducit. Non enim decebat, vt solido pascerentur cibo, quibus adhuc lactis alimonia opus erat. nam quemadmodum magistri litterarum, puerulos de gremio matris acceptos, & ignaros omniũ, atque incapaces sublimiorum, primis tantummodo imbuunt elementis; deinde eos alijs tradunt magistris, qui eos perfectioribus instituant disciplinis, ita Moyses ignaram omnium & rudem hominum naturam, &, vt ita dicam, nuper à lacte depulsam, primis diuina cognitionis imbuit elementis, præparans eam ad præstantiores magistros, Paulum nempè, & Ioannem; qui pueros primis rudimentis imbutos, ad maiora & excelsiora deducunt, superimponentes iam posito fundamento celsa totius ædificij fastigia.

Quòd autem ad dogmata, siue ad alia quędam pertinet, Chrysostomus à censura Erasmi vindicatur à Iacobo Billio, cap. 9. prioris libri Obseruationum suarum sacrarum; Dein de cap. 14. alter locus in Homiliam 9. in 2. Epistolam ad Corinthios: Præterea Erasmi in Chrysostomo lapsus aliquot notantur cap. 19. vbi affirmatur, prẹsertim in octo prioribus in posteriorem ad Corinthios Epistolam homilijs, Erasmum centum quinquaginta errores admisisse: Deinceps cap. 24. emendat quædam in Homilijs Chrysostomi in Acta Apostolorum à variorum Interpretum erratis. Prẹterea cap. 33. loca aliquot indicantur Chrysostomi Homilię 3. in Epistolam ad Ephesios: in quibus Interpres Gręca non est secutus.

Sed & postea secundo libro earundem Sacrarum Obseruationũ, in Concionibus Chrysostomi in Iob, correxit idem Billius quędam, quæ non tam Interpreti Perionio tribuenda censuit: quàm Græco Bibliothecę Regię libro, quo illum valde interdum corrupto vsum esse comperit.

Hę verò, quas diximus, Billij Sacrę Obseruationes, adiectę sunt ad calcem Epistolarũ Isidori Pelusiotę, ab eodem Billio è Grẹco in Latinum versarum, quę simul prodierunt Parisijs anno 1585. apud Gulielmum Chaudier, quemadmodum alibi supra non semel diximus, quę & inserere non fuisset inutile, quando non omnibus Obseruationes illę sunt ad manus: sed rati id aliquibus haud probatum iri, omisimus.

Ceterum, D. Chrysostomi sententia, quòd vnũ tantum esset cęlum, Hom. 4. in Genes. etsi videtur aduersari omnibus Theologorum, & Philosophorum Scholis, his tamen verbis non damnari ait D. Thomas in 1. par. q. 68. art. 4. Theologos, ac Philosophos, qui cęlum sydereum, hoc est totum illud cęleste corpus, quod hunc inferiorem Mundum, siue elementorum globum complectitur, in multos particulares cęlos, siue orbes, distinguunt; sed hęreticos quosdam, ac Philosophos, qui extra hunc totum sydereum globum, alios sydereos cęlos, & mundos alios esse tradiderunt. Quin Chrysostomus Hom. 6. & Homil. 13. in Gen. quòd cum aliquibus antiquis Diodoro Tarsensi, & Augustino crediderit stellas cęlo infixas, D. Thomas, 1. p. q. 69. art. 4. nititur Chrysostomi sententiam ad astronomicam normam dirigere, inquiens, eius verba esse de Planetis intelligenda, qui iuxta Ptolemęum intra concauitates suorum orbium proprio motu rotantur.

In eadem verò Chrysostomi Homilia sexta in Genesim, ab Oecolampadio, versa cautè legendus est Oecolampadius. Nam & vbi de satisfactione tertia parte Sacramenti euertenda agit Oecolampadius, detorsit Chrysostomũ, in margine apponens de suo hęc verba: *Si Deo sufficit, vt desistamus à peccatis, vbi manent ergo satisfactiones, & indulgentiæ?* Sed impius non potuit, aut noluit intelligere, Chrysostomum, qui passim satisfactoria pœnitentię opera inculcat, intellexisse, sufficere quidem Deo, vt ad prẹstandam nobis tam culpę, quàm pęnę ęternę remissionem desistamus à peccatis iam sacerdoti confessis, sed manere tamen satisfactiones, & indulgentias ad pœnas temporarias. Hom. 6. in Gen.

At in Homilia decimaoctaua in Genesim, cum Chrysostomus, vti & Procopius, opinatus fuisset (re nondum in Scholis plenius cribrata) quòd si Adam non peccasset, generatio non fuisset, id iam magis expensum est cum ab alijs, tum à Sixto Senensi Annot. 20. & 21. libri quinti Bibliothecæ Sanctæ; Qui & Annotatio. 72. eiusdem libri putat, quòd

Chrysostomus Hom. 22. in Gen. negauerit Angelos appellatos fuisse filios Dei, secutum fuisse editionem LXX. In qua pro eo quod nos habemus iuxta Hebraicã veritatem, *Cum venissent Filij Dei, & starent coràm Domino, adfuit & Satan inter eos,* & in Iob, c. 38. de Angelis additur, *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei,* Septuaginta habent, ὅτι ἤνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες ἄγγελοί μου, hoc est, *quando laudabant me voce magna omnes Angeli mei.*

Præterea, Chrysostomus Hom. 26. in Genes. locum illum, *Reuersa est columba portans ramum oliuæ* exponens non intellectus est à Chrysostomi interprete, qui Κάρφος vertit siccum, quasi siccus esset ramus oliuæ, & non viridis, Κάρφος autem significat non solum *Siccum,* sed *Festucam,* sicuti debebat verti.

Erat autem Chrysostomi locus in m.s. codice Sanctis Pagnini, qui extabat Lugduni, qui habebat insertam periodum, quæ Abrahamum peccasse infidelitate indicabat. Homil. 40. in Gen. Sed à studioso aliquo in margine positam, & inde incuria ab alio in contextum insertam rectè cogitauit Sixtus Sen. Annot. 98. lib. 5. Biblioth. Sanctæ. Risum porrò Abrahæ ostendit Augustinus, fuisse gratulationem exultantis, non irrisionem diffidentis, lib. de Ciuit. Dei, 16. c. 26.

Quòd etiam Chrysostomus Hom. 22. in Gen. visus est negasse Angelos non posse coire cum feminis, quodque alij & Io. Cassianus idem sensisse visus sit, quodque ex Concilio Ancyrano hæc eadem sententia videatur improbata, Sixtus Sen. declarat quomodo intelligendum sit, verè autem Dæmones incubos, & succubos extare, ac posse humano semine aliundè surrepto coire, ac gignere, ex Aug. lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 23. & Innoc. 8. Decretal. aduersus maleficam mulierum hæresim. Vide autem Martinum Delrium suis in Tomis eruditissimis Disquisitionum Magicarum.

At quòd Chrysostomo ex Hom. 29. in Gen. obiectum fuerit, quòd circumcisionem infantibus nullam gratiam contulisse intellexerit, ne cum ipsa quidem fide in Christum venturum, non negandum est, quin cum veteres & recentiores Theologi deinceps aliter senserint, se item in hanc sententiam venturum fuisse, si eos audiuisset. Vide autem Sixtum Sen. lib. 5. Bibl. Sanctæ Annot. 96. & lib. 6. 232. qui etiam expendit, num quæ Chrysost. Hom. 32. in Gen. dicit de Abrahamo, & Sara cùm illam hortatus est ad negandum se esse coniugem ipsius, & hoc vocauerit fabulam, quòdque hanc, quàm dixit fabulam, laudibus efferat, quòdque Sara seruandi mariti caussa se exposuerit adulterio licitè, defendi debeat, an potius contrarium cum D. Augustino, & alijs sentiendum sit. ibid. lib. 5. ann. 89.

Idem quoque Sixtus è Chrysostomi Hom. 49. in Gen. quòd scripserit Mariam Beatissimam Virginem non laborasse infidelitate, sed ad quandam hæsitationem ex vehementi admiratione nascentem id retulisse, ostendit annot. 104. eiusdem lib. 5. lib. item 6. annot. 58. 138. 139. 140. 185.

Sanè verò quoniam cum illud Pauli ad Corinthios, nomine ligni, fęni, stipulæ, interpretatus est peccata mortalia, vt etiam fecit Theophylactus, (quę tamen interpretatio nõ videtur probabilis) Bellarminus Card. inquit ita exposuisse, (etiamsi alibi planissimè asserat Purgatorium) vt hæresim Origenis refelleret, quæ docet pęnas Gehennæ non esse ęternas, vt patet ex ipsa Homilia. Vide Bellarminum, lib. 1. de Purgatorio, c. 4. Controu. 5.

Ceterum, Chrysostomus cum visus est nimium libero arbitrio deferre, id fecit, ex contentione disceptandi cum Manichæis, & Gentilibus, qui hominem asserebant vel natura malum, vel fati violentia ad peccandum impelli. sicuti Anianus in præfatione Commentariorum Chrysostomi in Matthæum adnotauit. Vide autem Franciscum Soarez in 3. libro De Diuinis auxilijs, cap. 13. multa ex Chrysostomo proferentem, quibus ostendit primum locum sibi gratiam in hominis conuersione vendicare.

Veruntamen cum & Chrysostomus, & Cassianus, atque alij videatur bono viro licere mentiri aliquando, Diuus Augustinus legendus est, cap. 2. libri de mendacio ad Cosentium: nam is hoc in Priscillianistis hæreticis damnat, & in Epist. ad Hieronymum dolet, eam sententiam aliquando fuisse defensam. Quomodo autem defendantur aliquatenus, qui secus sentiunt, vide Sixt. Sen. annot. c. 7. Bibl. Sanctæ lib. 5.

Quòd

Quòd autem pertinet ad Chryſoſtomi Tractationem de Anathemate, quæ Tractatio perperam ab aliquibus malè ſanis, eſt prænotata hac inſcriptione, *Quòd neque vivi, neque mortui anathemate plectendi ſint*, ea delenda eſt, quandoquidem Chryſoſtomus numquam id ſenſit.

Porrò non me fugit Gabrielem Vaſquez noſtrum, expendere quædam, quæ Sixtus de Chryſoſtomo affert, quamobrem legi poterit eius Diſputatio 91.num.44.primi Tomi in primam partem Summæ S.Thomæ. Neque item me fugit, in Tomis Chryſoſtomi nouiſſimè Pariſijs editis, cenſuras eſſe additas de ijs, quæ Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca Sancta adnotauit ad huius Sanctiſſimi Patris varia loca. Quare & eæ perlegi poterunt. Nos verò in ijs quæ ſequuntur, dum legitimos libros Chryſoſtomi recenſebimus, nonnulla adijciemus, quæ liquidiorem aliquam ad eos perlegendos præferent facem.

De Operibus Diui Ioanni Chryſoſtomi, quæ cenſentur eius eſſe legitima.

Ac quidem ſcimus Caſſiodorum in præfatione libri Diuinarum Lectionum, & Suidam, atque Nicephorum teſtatos eſſe, plures libros fuiſſe à Chryſoſtomo conſcriptos, quàm qui modò extant. Caſſiodorus enim, *Ferunt* (inquit) *itaque Diuinas Scripturas Veteris, no uiq; Teſtamenti ab ipſo principio uſque ad finem Græco ſermone declaraſſe Clementem Alexandrinum, cognomento Stromateum, Cyrillum eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum, Ioannem Chryſoſtomum, Gregorium, & Baſilium.* Et in Io.Chryſoſtomi 34.Hom.in Epiſt.Pauli ad Hebræos, Latinitate donatas Mutiani viri diſertiſſimi Opera ſe vſum ſcribit Caſſiodorus Inſtit. Diu. Lectionum cap.8. & 11. Vide in verbo, Mutianus. Nicephorus item Calliſtus ſcribit ſe legiſſe libros mille Chryſoſtomi. Et Suidas aſſerit eum tot exaraſſe Volumina, vt ea nec numerari poſſint. Photius autem in Bibl. ſua Græca meminit Sermonum 22. In Aſsumptionem. In Pentecoſtem. Serm.26. In Geneſim. Sermo. 61. In Acta Apoſtolorum. In Epiſtolas D.Pauli. In Pſalmos. Epiſtolarum dum exularet, pag. 118. In Paulum Serm.1. In quadraginta martyres.1. De Spiritu ſancto.1. Sermonum aliorum 13. Scholij in mortem, pag.7. Sed quænam modo extent, ſiue edita, ſiue m.s. hæc non ſine aliquo labore perquiſiuimus, quæ ſunt.

Commentarij continui, ſiue narrationis integræ in Geneſim Homilijs ſexagintaſeptem comprehenſi, qui cum alibi, tum item in Anglicis Bibliothecis olim à Catholicis m.s. Græcè repoſiti aſſeruantur adhuc Diuino iudicio, vt hæreſes ibi enatæ quales ſint, quaſi digito & ore tanti Patris monſtrentur. Eam verò Geneſim cur ita ſit interpretatus, reddidimus ſupra rationem ex Photio, vbi de obiectis Chryſoſtomo locuti ſumus.

Sanè vnà cum his Commentarijs extat Viennæ Auſtriæ in Bibl. Imp. m. s. Græcè coniuncta explicatio Theodori martyris, vti paulo poſt dicemus. Incipiunt autem Commentarij Chryſoſtomi, *χαίρωμαι, καὶ συμφραίνομαι ὁρῶν σήμερον τὴν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν*, hoc eſt, *Gaudeo, & lætor videns hodie hanc Dei Eccleſiam.*

Scripſit autem Chryſoſtomus præter has Homilias, iterum in varios Octateuchi locos alias vndeuiginti Homilias.

In Gen.cap.1. De principio Geneſeos, hom.1. quæ incipit, *Iucundum quidem nautis.*

In idem. De principio Geneſeos, hom.1. *Multa quidem.*

In idem, cur homines à beſtijs lædantur, cum Deus eas homini ſubeſse voluerit, hom.1. ex qua D.Auguſtinus, lib.1. aduerſus Iulianum, teſtimonium de peccato originali inducit contra Pelagianos.

In Geneſ.3. de Deo, in paradiſo deambulante, hom.1. *Audiſtis antea.*

In Gen.11. De confuſione linguarum, hom.1. ex qua Theodoretus fragmentum recitat in Dialogo, qui inſcribitur *Inconfuſus.*

In Gen.14. De Melchiſedech, hom.1. cuius meminit Chryſoſtomus in præfatione enarrationis in Pſalmum 41.

In Gen.17. De mutatione nominis Abrahæ, hom.1. *Haud difficile foret.*

In

In Gen. 37. De Iosephi continentia, hom. 1. *Mihi quidem semper.*
In Leuit. cap. 7. De vestitu Sacerdotali, hom. 1. *Regni Christi Euangelium prædicauerunt prophetæ.* Cuius auctoritate vtitur Epiphanius Diaconus in secunda Synodo Nicæna. actione 6.
In 1. Reg. cap. 1. De fide Annæ, hom. 1. *Nulla profectò res.*
In idem iterum, hom. 1. cuius meminit Chrysostomus in præfatione præcedentis homiliæ.
In idem de Anna, & Samuelis educatione, hom. 1. *Nisi videor.*
In 1. Reg. c. p. 2. In principium Cantici Annæ, hom. 3. Videlicet, De prima Cantici particula, *Confirmatum est cor meum in Domino*, homiliam vnam.
De secunda Cantici particula, *Exaltatum est cornu meum in Domino*, hom. 1.
De tertia Cantici particula, *Dilatatum est os meum super inimicos meos*, hom. 1. *Qui thesaurum effodiunt.* In qua testatur Chrysostomus, se primam, & secundam homilias, quæ nunc desiderantur, scripsisse.
In Reg. 1. 13. & sequentia capita homilias 4. quarum prima incipit, *Quoties diutina.* Secunda, *Vos quidem.* Tertia, *Equidem arbitror.* Quarta, *Non parum ciuitatem.*
In 2. Paralip. cap. 26. super *Elatum est cor Oziæ*, hom. 2. Quarum prima incipit, *Benedictus Deus.* Secunda verò, *Age expositioni de Ozia.*
In Iob cap. 1. 2. & 3. hom. 5. Lælio Tiphernate interprete, quarum prima incipit, *Magnus ad nos hodierna die certator.* Secunda, *Magnum rerum pondus.* Tertia, *Iam nos omnes.* Quarta, *Vbique quidem.* Quinta, *Proponamus igitur.*

De Psalmis Dauidicis.

In Psalmos autem, quos Chrysostomus Commentarios perpetuos scripsit, vtinam hosce integros haberemus: nam & ab aliquibus Græcis fuisse prælatos reliquis Chrysostomi scriptis refert Suidas.

Sanè quæ Parisijs Latina editio prodijt ann. 1588. testatur non contemnẽdam illorum partem Græcè extare in Bibliothecis Galliæ. At quòd Angli quidam nouissimè Folio euulgato de Operibus Chrysostomi, quæ sunt apud eos, sperarunt, se cum ex alijs, tum è Palatina, quæ est Heildebergæ, posse aliquid assequi plusquam, siue alibi, siue in Anglia relictum fuerat à Catholicis, nesciuerunt etsi extent Opera pleraque Chrysostomi in Bibliotheca Palatina Græcè m. s. deesse tamen Commentarios in Psalmos.

Quin & ijdem Angli fatentur, in ijsdem Angliæ Bibliothecis hodieque asseruari Commentarios in sexaginta duntaxat Psalmos sequentes 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 95. 100. 108. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. in reliquos autem desiderari, quæ ex alijs Bibliothecis sperent posse suppleri, ex Viennensi potissimum, & Vaticana. Sed neque Catalogus ad nos missus ex Viennensi quidquam habet eiusmodi: ac si qua præter hæc, quæ hic inserimus, dum Apparatum hunc adornamus, subinde ad nos peruenerint, ea post finem tertij Tomi Deo iuuante subdemus.

Interim quod inter Opera Chrysostomi Volumen Homiliarum, siue Expositionum in Psalmos ex varijs diuersorum Auctorum Sermonibus contextum, & a Gentiano Herueto Latinè redditum, ex quibus tam ex styli, quàm ex veterum Patrum indicio, ipsius (vt inquit Sixtus Senensis,) esse creduntur, hæc sunt.

De Psalmorum vtilitate, homilia vna, *Quemadmodum cibo vita.*
In Psalm. 3. homilia 1. *Ducibus exercitus.* huius exordium citat Damascenus in lib. 3. contra Iconomasticos.
In Psalm. 4. homilia 1. *Non hæc dicit Propheta.*
In Psalm. 5. homilia 1. *Videamus primum.*
In Psalm. 6. homilia 1. *Quando furorem, & iram audieris.*
In Psalm. 7. homilia 1. *Oportet quidem.*

In Psalm. 8. homilia 1. *In priore Psalmo dixerat.*
In Psalm. 9. homilia 1. *Longus est hic Psalmus.*
In Psalm. 10. homilia 1. *Magna sunt vires spei.*
In Psalm. 11. homilia 1. *Ardua quidem res est virtus.*
In Psalm. 12. homilia 1. *Non est hoc paruum bonum.*
In Psalm. 38. super illud, *Verumtamen frustra conturbatur omnis homo viuens*, homil. 1. quæ incipit, *Piscatorem sinus altus.*
In Psalm. 41. hom. 1. incipiens, *Vos quidem nos nuper admirabimini.* Theodoretus in Polymorpho producit testimonium Chrysostomi ex expositione Psal. 41. quod in hac homilia non reperitur.
In Psalm. 43. homilia 1. incipiens, *Hunc Psalmum dicit quidem Propheta.*
In Psalm. 44. homilia 1. *Vellem nunc adesse omnes Iudæos, & Gentiles.*
In Psal. 44. super, *Astitit regina.* hom. 1. *Suaue quidem est pratum, & hortus.*
In Psalm. 45. homilia 1. *Solita vtitur philosophia.* Hanc citat Euthymius in Comment. Psalmorum.
In Psalm. 46. hom. 1. *Hic etiam Psalmus idem tangit argumentum.*
In Psalm. 47. homilia 1. *Hic quoque significat liberationem.* Hanc citat Euthymius in Comm. Psalmorum.
In Psalm. 48. homilia 1. *Magna quadam & arcana.* Hanc citat Euthymius in Comment. Psalmorum.
In Psalm. 48. super illud, *Noli timere, cum diues factus fueris homo.* homil. *Agricola quidem.*
In Psalm. 49. homilia 1. incipiens, *Ipse quoque dixit alibi.*
In Psalm. 50. homilię 2. quarum prima, *Pictores imitantur.*
Secunda autem incipit, *Reliquias externa mensa.*
In Psalm. 100. homilia 1. *Nos versus dilectissimi.*
In Psalm. 108. homilia 1. *Magna hic nobis prudentia opus est.* Hanc citat Euthymius in Comm. Psalmorum.
In Psalm. 109. homilia. *Exurgemus quæso, & animum intendamus.*
In Psalm. 110. homilia. *Quid est ex toto?*
In Psalm. 111. homilia. *Mihi videtur huius psalmi proemium.*
In Psalm. 112. homilia. *In scripturis sæpe verba fiunt.*
In Psalm. 113. homilia 1. *Magnam hic testatur Dei benignitatem.*
In Psalm. 114. homilia. *Et quis nam est, inquit.*
In Psalm. 115. homilia. *Huius dicti beatus Paulus.* Hanc citat Euthymius in Comment. Psalmorum.
In Psalm. 116. homilia. *Cuius clarum est.*
In Psalm. 117. homilia. *Dictum quidem Psalmi.*
In Psalm. 119. homilia. *Aliorum quidem Psalmorum.*
In Psalm. 120. homilia. *Vide rursus animam.*
In Psalm. 121. homilia. *At nunc multi verbum ægrè ferunt.*
In Psalm. 122. homilia. *Prosunt nonnunquam.*
In Psalm. 123. homilia. *Quod sæpe dixi, hoc quoque nunc dico.*
In Psalm. 124. homilia. *Cur non dixit absolutè, sicut mons?*
In Psalm. 125. homilia. *Nomen captiuitatis est quidem.*
In Psalm. 126. homilia. *Hic Psalmus dictus est de statu rerum.*
In Psalm. 127. homilia. *Vide quomodo ab eo incipit.*
In Psalm. 128. homilia 1. *Hic quoque Psalmus.*
In Psalm. 129. homilia 1. *Quid est, De profundis?*
In Psalm. 130. homilia 1. *Quid hoc est? Paulus dicit stultum esse.*
In Psalm. 131. homilia 1. *Alij quidem volunt solum conseruari.*
In Psalm. 132. homilia 1. *Multa quidem res sunt pulchra.*

In Psalm. 133. homilia 1. *Psalmos de gradibus.*
In Psalm. 134. homilia 1. *Ad hoc rursus hortatur.*
In Psalm. 135. homilia 1. *Postquam dixit superius.*
In Psalm. 136. homilia 1. *Magnum est his viris.*
In Psalm. 137. homilia 1. *De hoc sape vobiscum.*
In Psalm. 138. homilia 1. *Quid dicis? Nouit Deus.* Hanc citat Euthymius in Comment. Psalmorum.
In Psalm. 139. homilia 1. *Vbi nunc sunt qui dicunt, quare sunt fera?*
In Psalm. 140. homilia 1. *Huius quidem Psalmi verba.*
In Psalm. 141. homilia 1. *Vides quomodo vbique.*
In Psalm. 142. homilia 1. *Est quidem precatio, qua fit per verba.* Hanc citat Euthymius in Comm. Psalmorum.
In Psalm. 143. homilia 1. *Quid dicis? Deus ne docet bellare?*
In Psalm. 144. homilia 1. *Hic psalmus est diligentissimè attendendus.*
In Psalm. 145. homilia 1. *Vnde desijt, illic rursus incipit.*
In Psalm. 146. homilia 1. *Superius quidem in 144. Psalmo dixit.*
In Psalm. 147. homilia 1. *Non ad ciuitatem, sed ad eos.*
In Psalm. 148. homilia 1. *Est hoc sanctis in more positum.*
In Psalm. 149. homilia 1. *Si spectetur quidem anagoge.*
In Psalm. 150. homilia 1. *Vel hoc dicit de populo.*
In Sap. cap. 3. homilia 1. *Iustorum autem anima.*

De scriptis Chrysostomi in Esaiam, & alios.

In Esaiam Prophetam fama est Chrysostomum integros composuisse Commentarios; ex quibus nunc tenemus à principio libri vsque ad dimidium octaui capitis continuæ iuxta historicum, & mysticum sensum explanationis fragmentum Godefridi Tilmanni industria Latinè versum: cuius initium est, *Quanam potissimum virtute propheta hic cæteris praluxerit.*

Habemus item Chrysostomi in Esaiæ cap. 1. De pœnitentia, quòd omnium peccatorum maculas, & vestigia aboleat, hom. 1. quæ incipit, *Etsi à vobis aliquantum temporis abfui.* Et est eadem cum illa, quæ in decem Chrysostomi homilias De Pœnitentia inscribitur tertia.

Item in Esaiæ cap. 6. De visione sedentis in throno hom. 3. quarum prima incipit, *Conspicio vos.* Secunda, *Gaudeo conspiciens.* Tertia, *Praclarum nobis theatrum.*

In Ieremiæ caput vltimum De Hierusalem deuastatione hom. 1. cuius recordatur Chrysostomus in præfatione Homiliæ super illud, *Oportet hareses esse.*

In Ionam homilia 1. incipientem, *Factum est.* quæ collecta est ex homilia prima Auctoris De pœnitentia.

Item in secundo Machabæorum, cap. 7. de agone 7. Machabęorum homilia 1. *Quam speciosa & grata.*

Hęc sunt, quę ex monumentis Chrysostomi in vetus testamentum vsque ad tempora Sixti Senensis, nimirum ad annum vsque 1564. in lucem prodierũt: Quæ verò in nouum testamentum, aut passim euulgata habentur, aut apud veteres auctores citata inueniuntur, infra sequuntur, videlicet.

In Matthęi Euangelium ab initio vsque ad finem continuę explanationis Homilię 91. Aniano diacono, & Georgio Trapezuntio translatoribus: Quarum prima incipit, *Oportebat quidem nos.*

Dicitur etiam pręter has homilias scripsisse in varios sparsim Matthęi locos Sermones varios; ex quibus duo maximè celebrantur, De martyrio videlicet Ioannis Baptistę in 14. Matth. caput. Horum alter, qui nunc extat, sic incipit, *Heu me quid agam? vnde sermonis exordium faciam?* Alterius verò, quem nunc desideramus, initium est, *Rursus Herodias*

dias insanit. Huius sermonis occasionem Socrates in historia Ecclesiastica refert his verbis: *Eudoxia Augusta ob detectam statuam suam à Chrysostomo, Synodum contra eum parauit. quod ille sentiens, homiliam in Ecclesia protulit, qua de iniusta Augustæ persecutione prætextu exponendi sæuitiam Herodiadis in Ioannem Baptistam, grauiter conquestus est, sic exorsus: Rursus Herodias insanit, rursusq́ turbatur, denuò saltat, denuò caput Ioannis in disco accipere concupiscit, &c. qua oratio adeò Augusta furorem exacerbauit, vt illum statim in exilium pelleret.* Hæc Socrates.

Extat item in illud Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis*, homilia 1. quæ incipit, *Prata & nemorosa loca*.

Item in Matth. 26. De proditione Iudę, hom. 1. quę incipit, *Paucis hodie necessarium.*

In Marcum quoque, & Lucam relictos fuisse à Chrysostomo celebres commentarios, testes sunt Euthymius, & Suidas, quos nostra nondum vidit ætas, supersunt tamen ex varijs in Lucam locis ipsius homiliæ sex, videlicet.

In Luc. 16. De diuite & Lazaro, homil. 4. Quarum prima incipit, *Hesternum diem.* Secunda, *Admiratus sum*. Tertia, *Haud mediocrem vtilitatem*. Quarta, *Quòd superest de Lazari parabola*.

Item in Luc. 18. De Publicano & Pharisæo, homil. 1. quæ incipit, *Quemadmodum nubium concursus*.

Item in Luc. 23. De cruce & latrone homilia 1. quæ incipit, *Hodierna die*.

In Ioannis Euãgelium habemus perpetuæ ac perfectæ enarrationis Homilias eiusdem numero 83. ex versione Francisci Aretini: quarum prima incipit, *Qui agonum certamina*.

Feruntur & in varia huius Euangelij capita Homiliæ aliquot extra numerum prędictarum, de quibus vna tantum in Ioan. c. 2. De nuptijs in Cana celebratis auctoris esse putatur, cuius initium est. *Hirundinum pulli*.

In Actus Apostolorum habemus continuę, & integræ expositionis homilias 55. incerto interprete: quas licet Erasmus in dubium verterit; nemini tamen dubium esse potest, quin Chrysostomi sint: nam præterquam quòd frequentes interrogatiunculæ, dialogismi, & digressiones locorum communium sub finē homiliarum ostendunt opus esse Chrysostomi; ipse etiam auctor homilia nona profitetur se esse Episcopum, & homilia vndecima indicat, se Episcopum esse vrbis amplissimæ, in qua degant supra centum millia pauperum quotidiana eleemosyna indigentium, qualem certe credibile est Chrysostomi temporibus fuisse Constantinopoli. Idemq́; in homilia 9. 10. 11. & 12. legem illam de non ferendis iuramentis, vni tantum Chrysostomo peculiarem, continuò inculcat; addens etiã, se illos ab Ecclesia eiecturum, qui huic à se promulgatę legi non paruerint, & quouis modo iurauerint. Et homilia 41. indicat se vixisse temporibus Iuliani Imperatoris. Denique homilia 52. nominis sui obiter mentionem facit his verbis: *Nomen habere Principis, non est esse Principem. multi enim vocantur magnis nominibus, vt Petrus, Iacobus, & Ioannes: sed non propter nomina sunt id, quod vocantur; quemadmodum & ego, licèt vocer Ioannes, non tamen sum Ioannes*. Sed & Ioannes Damascenus in 3. lib. De fide, & Oecumenius in Catena explanationum in Actus, testimonia horum sermonum proferunt, ceu ex vero, & germano Chrysostomi Opere, cuius initium est, *Plurimi sunt, qui adeò hunc librum ignorant.*

Superest item post hos Sermones in 9. cap. Actuum de conuersione Pauli, homilia 1. quæ incipit, *Reprehendunt nos*.

In omnes Pauli Epistolas composuit Chrysostomus magnum, & insigne homiliarum Volumen, cuius mentionem faciens Georgius Patriarcha Alexandrinus, in vita Chrysostomi à se edita, sic scribit: *Diuinus Ioannes, cum Pauli Epistolas, quas præ cæteris Diuinis libris vehementi complectebatur amore, explanare cæpisset, & in eas ad funalis cerei lumen singulis noctibus narrationes multas conscripsisset, iamque eas maxima ex parte interpretatus esset, nocte quadam in cubiculo suo sedens, & expositioni incumbens, humano quodam tædio angi cæpit, dicens: Et quis nouit, Deo ne accepta sint hac, & gratiam ab eo relatura? atque vtinam citra notam reprehensionis enarrata sint hac; scopumne attigi sapientis istius, ac tanti viri? Hac de re, vt argumento quopiam redderetur certior: supplex efflagitauit Deum. Et ecce nocte eadem, ar-*

reptis

reptis in manus chartis, cùm pressius incumberet scribendis in Apostolum commentationibus, venit ad eum Paulus Apostolus, in aures eius expositionem immurmurans. quem Proclus cubicularius ad fores cubiculi excubans per foramen quoddam ianuæ prospectans, manifestè vidit immittentem os suum deorsum versus in aurem Ioannis dexteram, & familiariter dictantem ea, quæ Ioannes scribebat. Forma autem, habitusque Apostoli erat omni ex parte similis imagini Diui Pauli; quam Chrysostomus, ad viuum depictam in cubiculo suo summa cum veneratione seruabat. Hæc Georgius.

Catalogus autem Homiliarum huius Voluminis hic est.

In Epistolam ad Rom. homiliæ 32. Germano Brixio interprete; quarum prima incipit, *Continuò audiens.*

In Epist. ad Corinth. 1. homil. 44. Francisco Aretino Interprete; quarum prima incipit, *Intuere vt statim.*

In Epist. ad Corint. 2. hom. 30. quarum prima incipit, *Dignum est quærere primum.*

In Epist. ad Gal. continuatæ expositionis commentarius in nullas homilias diuisus: cuius initium est, *Multa proœmium.*

In Epist. ad Ephes. hom. 24. quarum prima incipit, *Vide, vt illud, Per, Deo patri tribuit.*

In Epist. ad Philip. hom. 16. quarum prima incipit, *Philippenses.*

In Epist. ad Colon. hom. 12. quarum prima incipit, *Omnes quidem sancta.*

In Epist. ad Thess. 1. hom. 11. quarum prima incipit, *Quanam ratione Philippensibus.*

In Epist. ad Thess. 2. homil. 5. quarum prima incipit, *In priore Epistola.*

In Epist. ad Timot. primam homil. 18. quarum generale argumentum incipit, *Vnus ex Apostolis.*

In Epist. ad Tim. 2. homil. 20. quarum prima incipit, *Quanam ratione etiam secundam.*

In Epist. ad Tit. homil. 6. Ambrosio Camaldulense Interprete, quarum prima incipit, *Vnus ex Pauli socijs.*

In Epist. ad Philemonem, homil. 3. Ambrosio Camaldulense Interprete, quarum prima incipit, *Primum necessarium est.*

In Epist. ad Hebr. homilia 33. quarum prima incipit, *Romanis scribens.* Has Constantinus Presbyter post mortem Chrysostomi præceptoris sui, ex enarrationibus eius dispersis in vnum integræ enarrationis corpus collegit. Mutius verò Scholasticus Latinas fecit.

Extant præter hunc iam descriptum homiliarum ordinem, etiã aliæ in varios Epistolarum Pauli locos Homiliæ viginti, videlicet.

In locum ad Rom. cap. 16. *Salutate Priscam & Aquilam,* homilia 1. *Nonne docti estis.*

In locum 1. Corinth. 7. *Mulier alligata est legi,* De libello repudij, homilia 1. *Pridem vobis B. Paulus.*

In locum 1. Corinth. 10. *Nolo vos ignorare, quòd patres sub nube fuerunt,* homilia 1. *Nautæ eam maris partem.*

In locum 1. Cor. 7. *De Virginibus præceptum,* &c. De virginitate, liber vnus, cuius auctor ipse meminit, homil. 19. in priorem ad Corinth.

In locum 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse,* homil. 1. *Concionem vestram.*

In 1. Corinth. 16. *De collatione in Sanctos, & eleemosyna,* homilia 1. *Exurrexit hodie.*

In illud 2. Corinth. 11. *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ,* homilia 1. *Omnes equidem amo.*

In illud ad Philip. 1. *Siue occasione, siue veritate Christus annuncietur,* homilia 1. *Cum pridem Pharisæi.*

In illud 1. Timot. 5. *Vino modico vtere,* homil. 1. *Audistis Apostolicam vocem.*

In illud 1. Tim. 6. *Præcipe diuitibus non sublime sapere,* hom. 1. *Quid dicam, aut quid loquar?*

In illud ad Philem. 1. *Paulus vinctus Christi,* homil. 1. *Principis quidem prudentiam.*

In illud ad Hebr. 10. *Sponte peccantibus nobis,* hom. 1. *Omnes arbores.*

Item

Item de laudibus Pauli homiliæ nouem, Aniano interprete, multa tam de Pauli Epistolis, quam de his, quæ Lucas de Paulo in Actibus scribit, explicantes: quarum prima incipit, *Nihil prorsus errauerit*.

Extat item præter iam enumeratas lucubrationes translatio vtriusque testamenti in linguam Armenicam, qua nunc Armeni vtuntur, Chrysostomi, vt ipsi credunt, industria, & solicitudine edita. Meminit huius translationis Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita Chrysostomi, referens, eum cum in Cucusum Armeniæ oppidum exularet, incolas eius regionis ad Christum perduxisse, ac subinde curasse, vt Psalmi Dauidis vnà cum sanctis Euangelijs, atque alijs veteris instrumenti historijs Armenicè verterentur, quò facilius Diuinæ Scripturæ cognitionem gentes prouinciæ illius obtinerent.

Editiones variæ, siue Latinè, siue Græcè Operum D. Io. Chrysostomi.

Inter antiquiores autem Chrysostomi editiones numeranda est, quæ Basileæ, cũ nondũ hæc Ciuitas hęresibus aspersa fuisset, prodijt ex Officina Iacobi de Pfortzen, an. 1504. Deinde quæ apud Cratandrum Germanum, ann. 1522. & apud Gromorsum Parisiensem ann. 1524. Quas subsecutæ sunt variæ varijs in locis, apud Frobenium, Tomis quinque ann. 1533. apud Heruagium aliqua ann. 1536. cum Frobenius quædam separatim edidisset ann. 1525. 1526. 1527. quæ ipsi suppeditabantur à diuersis. Qui postea item anno 1547. ea omnia quæ nactus erat, emendatiora, & auctiora se excudisse existimauit. Vt mittamus, quæ ab Oporino Basileæ Orationes Græcè & Latinè De Prouidentia, De auaritia, De ingluuie, De anima, De pulchritudine, & vxore, De diuitijs, & paupertate, De Ecclesia Dei non contemnenda, & mysterijs, De humilitate animi, De aduersa valetudine: quive Colonię cum Homilijs Maximi Taurinensis, & Lipsię ann. 1538. Sermones quattuor De patientia Iob, & decem de Pœnitentia. Quæ item de laudibus D. Pauli Homiliæ septem excusæ sunt Latinè cum Operibus Bedæ: quoniam hęc omnia idem Frobenius colligere potuit.

Sed & cum Gentianus Heruetus Protheoriam Chrysostomi in Psalmos, atque tam huius, quàm Basilij Ritus sanctissimi sacrificij Altaris, siue Missæ è Gręco Sacerdotali in Latinam linguam transtulisset, vterque hic labor Venetijs ann. 1548. impressus est.

Liber de Virginitate Iulio Pogiano Interprete Antuerpię ann. 1565. Qui tamen postea ibidem ann. 1575. prodijt Gręcè primum, & Latinè editus Interprete Ioanne Liuincio Gandensi. Porrò eiusdem Chrysostomi Sermones aliquot: De patientia Iob, & Homilię 4. De pœnitentia Homilię decem Latinè. Colonię apud Theodorum Baum, an. 1568. Libri autem sex de Sacerdotio, Germano Brixio interprete vna cum libro S. Ambrosij de dignitate Sacerdotali, Louanij ann. 1568. Eiusdem de orando Deum libri duo, Græcè Coloniæ ann. 1573. & Antuerpię ann. 1579. In Euangelium Christi secundum Matthęum, Marcum, Lucam, & Ioannem Commentarij ab Arianorum fęcibus repurgati & sub minori forma editi. Parisijs apud Ioannem Roigny, ann. 1576. Sed de his vide, quæ diximus, vbi locuti sumus de Operibus falsò ascriptis Chrysostomo. Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani Opera locis innumeris (vt pręfert inscriptio) ad collationem exemplarium vtriusque linguę, nunc primum restituta & aucta Philippi Montani opera & industria. Parisijs apud Gulielmum Merlinum, ann. 1570. Ioannis Chrysostomi Sermones in Epistolam Diui Pauli ad Philippenses Flaminio Nobilio interprete. Notationes in eiusdem Patris sententias, quę interpretis, aut exemplarium vitio pias lędere aures possunt. Romę apud Iosephum de Angelis ann. 1578. Eiusdem aduersus gentes demonstratio, quod Christus sit Deus. Ingolstadij ann. 1579. & Bononię Italicè reddita, atque excusa.

Pręterea sequentis pręnotationis prodierunt D. Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani, Opera omnia, locis penè innumeris ad collationem exemplarium vtriusque linguę, nũc primum natiuę integritati magno cum fęnore restitutorum. In quibus quid hac postrema editione, Iacobi Billij, Gentiani Herueti, Flaminij Nobilij, Fran-

cisci Zini, & Ioannis Champaigne, opera pręstitum sit, ex Sebastiani Niuellij, apud quem edita sunt Parisijs ann. 1581. Epistola ad Cardinalem Pelleuęum, in Operum limine, & ex singulorum Tomorum Catalogo, cognoscere licebit.

Pręfixus est priori Tomo, Operum omnium Index locupletissimus; alter locorum Sacrę Scripturę à D. Ioanne Chrysostomo explicatorum: alter rerum & verborum, insigniorumque sententiarum, quę in Chrysostomi Operibus continentur, per locos communes digestus.

Philippi item Montani Armenteriensis Tractatio, initio adiuncta est, de recognitionis vtilitate, ac necessitate: qua etiam Basiliensis editionis, & quorundam lapsus notat.

Pręterea D. Io. Chrysostomi vita per Palladium Diaconũ, Cassiodorum Senatorem, Leonem Imperatorem, Suidam, & Simeonem Metaphrastem, conscripta.

Item sequentia adiuncta sunt, quę seorsim prius erant impressa.

De virginitate, lib. 1. primum editus Romę anno 1562.
De prouidentia, oratio.
De diuitijs, & paupertate.
De auaritia, oratio.
De non contemnenda Ecclesia Dei, & mysterijs, oratio.
De ingluuie, & ebrietate, oratio.
De anima, oratio.
De humilitate animi, oratio.
De aduersa valetudine, & medicis, oratio.
De muliere, & pulchritudine, oratio.
De iuramento, oratio.
Aduersus eos, qui in delicijs agunt, oratio.
Quod vbi ira, ibi non sit Spiritus sanctus.
De oratione.

Denique addita sunt, quę sequuntur, nunc primum edita.

Epistolę duę ad viduam iuniorem.
Epistolarum liber ad varios.
In Sanctum martyrem Ignatium laudatio.
In Principes Apostolorum, oratio Encomiastica.
In Sanctos duodecim Apostolos, homilia.
Dissimilia ex D. Chrysostomo collecta.
Adagia, ex eodem.
Notationes in Beati Chrysostomi sententias.
Locorum ambiguorum pia, & germana explicatio.
Florum D. Ioannis Chrysostomi Index, & Epitome.

Post hanc verò editionem. Eiusdem Orationum primum editarum Decas Græcolatina per Ioannem Iacob Beurerum Friburgi, ann. 1585.

Eiusdem Homilię sex ex manuscriptis codicibus in lucē editæ Græcè Oxonij, an. 1586. Quæ tamen expediet, vt expendantur, num ad sanorum exemplarium normam sint editę.

Eiusdem Homilię in Euangelium Matth. 83. nunc primum Gręcè editę & adiuncta Latina interpretatio recognita, apud Simon Sermartel. Bibliopolam Tullensem, ann. 1591.

S. Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani Sermo in S. Pascha, primum Græcè, & Latinè editus est Petro Pantino Tiletano interprete, Antuerpiæ apud Ioachimum Trognęsium, ann. 1598.

S. Patris nostri Io. Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani Homilia quintadecima earum, quas statuas appellauit, in calamitatem Ciuitatis Antiochiæ, edita primũ Græcè in vsum Scholarum Societatis Iesu ex typographia Viduę Iacobi Colomerij Tolosæ ann. 1598. vnà cum versione Bernardi Brixiani.

Chrysostomi Epistola ad Venerium Mediolanensem Episcopum è Codice Vaticano accepta, quæ nondum superstite Gulielmo Sirleto Cardinali edita erat, extat in quinto Tomo Cæsaris Cardin. Baronij sub ann. 405.

De decem autem Homilijs, quas edidit Cardin. Sirletus diximus supra.

Io. Chrysostomi in Euang. secundum Matthæum Græcè primum è Bibliotheca Palatina Bauara, & Augustana cum interpretatione Aniani.

Commentarius merè Latinus in Matthæum vulgo attributus eidem D. Chrysostomo. Ex Officina Caueleriana, ann. 1602.

Quæ item quoniam in ciuitate haud catholica excusa sunt, & à Typographo qui catholicus non erat, ad eandem sanorum exemplarium normam sunt expendenda. Sed & Augustæ anno 1602. prodierunt sex Chrysostomi homiliæ contra Iudæos tam Græcè, quam

Latinè

Latinè ſimul editæ è tribus Codd. m. s. Palatino, Auguſtano, Cyprico inter ſe collatis emendatiores, atque integriores. Variæ lectiones Græcè ad marginem, ac Notæ ad calcem additæ. Meminit earum homiliarium idem Chryſoſtomus Orat. in Nat. Domini. τότε γὰρ (inquit) τοὺς πολλοὺς, καὶ μακροὺς πρὸς ἰουδαίους ἀναλώσαμεν λόγους τῆς ἀκαίρου αὐτῶν νηστείας κατηγοροῦντες, hoc eſt. *Tum enim multos, & longos ſermones inſumpſimus ad Iudæos, dum illos de importuno eorum ieiunio argueremus.*

Sudat autem ſub prelo Pariſienſi hoc ann. 1603. noua Operum Chryſoſtomi editio, quæ ſine dubio tot aliorum laboribus auctior, & emendatior eſſe debebit.

Ad eos tamen, qui varia ex Chryſoſtomo verterunt, ita accedendum eſt, vt ſecernantur Catholici ab Hęreticis, quales fuerunt Vuolfangus Muſculus, Oecolampadius, Ianus Cornarius, Vitus Amerpachius, & alij eiuſmodi. De Eraſmo item, ac de alijs diximus ſupra, quos cum alij, tum inprimis Billius recenſuit.

Porrò S. Io. Chryſoſtomi Oratio in adorationem venerandæ, & viuificę Crucis, quam Græcè, & Latinè Perionius primò publicauit: Sed & Gręcam Perionij editionem (quando aliunde non poterat) ſecutus Iacobus Gretſerus noſter, eandem fecit Latinam ad Auctoris ſenſum. Extat autem cum ſequentibus in ſecundo Tomo De Cruce Chriſti edito Ingolſtadij ab eodem Gretſero.

Oratio item eiuſdem Chryſoſtomi in nomen, ſiue appellationem Cęmiterij, & in Crucem Domini Dei, & Saluatoris noſtri ex Bibl. Auguſtana emiſſa eſt Græca, & in Latinum verſa ab eodem Iacobo Gretſero.

Homilia de liberorum educatione primum ann. 1603. excuſa Moguntiæ apud Albinum. Homilia in Crucem, & confeſſionem latronis recitata in ſancta, & magna Paraſceue. Gręcè & Latine extat in To. 2. de Cruce Iacobi Gretſeri, quæ non ſatis conſtat, num ſit legitimus Chryſoſtomi partus, cum & extet inter Sermones de Tempore, Serm. 130. & Latina Interpretatio valdè diſſideat à Græcis.

Oratio in magno Paraſceues die dicta, quæ ex Codice Auguſtano Græco, Gręcè primum prodijt Auguſtæ Vindelicorum, ſed deinceps Gręcè & abs ſe Latinè verſam inſeruit Iacobus Gretſerus ſuo ſecundo Tomo De Cruce.

Chryſoſtomi Oratio. Ne erubeſcamus confiteri venerandam Crucem, & vt per illam Chriſtus nos ſeruarit, & vt oporteat in illa gloriari. Et de virtute, & quomodo noſtram ſalutem deſideret, & de eleemoſyna. Hanc verò Orationem cum Perionius à ſe Latinè redditam, vtraque lingua emiſiſſet, Iacobus Gretſerus è Græco m.s. Codice Bibliothecæ Auguſtanę deſcriptam, notata item interpretatione protulit Gręcè & Latinè in lucem in eodem Tomo ſecundo de Cruce. Ac quidem Auguſtanus codex diſcrepat in nonnullis ab editione Perionij. Quòd autem multa huius Orationis reperiuntur in alia, quam media ieiuniorum hebdomade dixit, & in hom. 55. in Matthæum, id argumento non eſt (inquit Gretſerus) Chryſoſtomum huius homilię Auctorem non eſſe. Neminem enim fugit, quàm creber ſit in repetendo Chryſoſtomus, de eadem materia toties concionari ſolitus.

Porrò quę omiſerit, aut addiderit Perionius in ſua Gręca editione, vide Gretſerũ, ibid. pag. 627. eiuſdem ſecundi Tomi de Cruce.

At Ioannis Chryſoſtomi liber qui appellatur Flores, ſeu Florilegia, in quo continentur homilię 33. ex varijs D. Chryſoſtomi operibus excerptæ, à Balthaſare Etzelio Societatis Ieſu, ex vetuſto exemplari deſcriptę, Gręcè & Latinè. Moguntię apud Albinum, ann. 1603. fuerunt excuſæ.

Quæ Græcè m.s. extant hoc ann. 1603. in Bibliotheca Imper. Viennæ Auſtriæ.

Scio autem plura fuiſſe Viennæ in Bibliotheca Imperatoris manuſcripta Chryſoſtomi Opera: ſed quoniam aliquando inde eximi forſan potuerunt, neque deinceps reſtitui

stitui in propria loca, dedimus operam, vt inde ad nos certior eorum catalogus mitteretur, qui fuit sequens.

Ioannis Chrysostomi homiliæ aliquot in ficum infructuosam, & de pœnitentia, &c. In Epistolas Diui Pauli ad Corinthios, & ad Philemonem. In decem Virginum historiam, iuncta narratione Palladij. De obsidione Constantinopolis. In Euangelium Sancti Matthæi.

Eiusdem homiliæ in varios Sanctos, & Martyres, in Eulampium, & Eulum. In Lucam Euangelistam. In Catharinam Martyrem. In matrem Mariam. In Pharisæum, & Publicanum, interposito encomio Gregorij Rhetoris in Zachariam, & Elisabetham de S. Ioanne Baptista.

Eiusdem contra Iudæos homiliæ duæ: contra Eunomium quinque de Episcopalis ac Sacerdotalis muneris præstantia dissertatio. Iuncta vita S. Nicolai.

Eiusdem homiliæ quam plurimæ non editæ. In Timotheum. In peregrinationem Flauiani Episcopi. De tolerantia ad fortiter ferendas minas. De non iurando. Quòd peccatum mortem, & tristitiam attulerit. In calamitatem Ciuitatis Antiochiæ.

Eiusdem homiliæ, & explicationes in Epistolas Diui Pauli.

Eiusdem Commentarij in vtramque Epistolam Diui Pauli ad Thessalonicenses, & ad Titum.

Explicationes in Euangelium Sancti Ioannis.

Eiusdem homiliæ in vetus Testamentum.

Eiusdem in Hexaemeron, siue in Genesim.

Eiusdem explicatio orationis Dominicæ.

Eiusdem in Symeonis Canticum, & Salutationem Gabrielis.

Eiusdem duæ Homiliæ in Euangelium Sancti Matthæi.

Eiusdem de Virginitate Opus insigne.

Eiusdem explicationes in Matthæum.

Eiusdem 66. Homiliæ in Genesim.

Eiusdem 89. Homiliæ in Euangelium Sancti Matthæi, incipientes ab eo, & desinentes in eo.

Eiusdem Commentarij in Genesim. Explicatio Martyris Theodori in illud dictum: *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Eiusdem in Genesim.

Eiusdem homilię varię in Synodum Episcoporum.

In Apostolum Petrum. In Epigraphen. 50. Psalm. &c.

Eiusdem enarratio in Euangelium Matthęi. In Epistolam Pauli ad Romanos.

Eiusdem Summa sententiarum Theologicarum.

Quæ manuscripta Gracè D. Ioan. Chrysostomi extant in Anglia, siue ibidem desiderantur.

In Euangelium Ioannis Homiliæ quinque, & quadraginta priores; Quarum vltima sic incipit, Ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία. Reliquæ omnes vsque ad finem, duę scilicet, & quadraginta in iisdem codicibus desiderantur.

Ad populum Antiochenum Homiliæ, vna & viginti priores, quarum vltima sic incipit, τῶν πρώην εἰρημένων πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην. Reliquæ omnes scilicet nouem & quinquaginta posteriores, in Anglia Gręcè non inueniuntur. Reliqua omnia, quæ iustorum voluminum numero censeri queant, vt sunt Commentarij perpetui in Esaiam (quorum bona pars extat in Bibliotheca Regis Gallię) Commentarij in Marcum; Volumen Epistolarum (quod Cuiacium constat habuisse) & vno verbo cętera omnia in hoc genere, in Anglia desiderantur.

Opuscula autem Chrysostomi, quæ in ijsdem Bibliothecis reperiuntur: ac primum de ijs, quæ pluribus constant homilijs.

Πρὸς τοὺς ἀνομοίους περὶ ἀκαταλήπτου ἐπόντος τοῦ ἐπισκόπου. λόγος α΄. Τί τοῦτο; ὁ ποιμὴν οὐ πάρεστι, καὶ τὰ θρέμματα μετὰ πάσης εὐταξίας ἕστηκε. Περὶ ἀκαταλήπτου.
Πρὸς ἀνομοίους περὶ ἀκαταλήπτου. λόγος β΄. Φέρε δὴ πάλιν πρὸς τοὺς ἀπίστους ἀνομοίους ἀποδυσώμεθα.
Πρὸς ἀνομοίους περὶ ἀκαταλήπτου λόγος γ΄. Οἱ φιλόπονοι τῶν γεωργῶν.
Πρὸς ἀνομοίους περὶ ἀκαταλήπτου λόγος. δ΄. Ἤρκει μὲν οὖν πρώην δείξαντα.
Πρὸς ἀνομοίους περὶ ἀκαταλήπτου λόγος ε΄. Ἐπειδὰν μέλλῃ τις μακροτέρας ὑποθέσεως.
Περὶ ἀκαταλήπτου λόγος ς΄. Μίαν ὑμῖν διελέχθην ἡμέραν.
Περὶ ἀκαταλήπτου λόγος ζ΄. Πάλιν ἱπποδρομίαι, καὶ πάλιν ὁ σύλλογος ἡμῖν ἐλάττων γέγονε.
Κατὰ Ἰουδαίων λόγος α΄. Ἐβουλόμην ὑμῖν ἀποδοῦναι τὰ λείψανα. Aduersus Iudæos.
Πρὸς Ἰουδαίων λόγος β΄. Πάλιν οἱ δείλαιοι, καὶ πάντων ἀνθρώπων ἀθλιώτατοι.
Πρὸς Ἰουδαίων λόγος γ΄. Πόθεν ἡμῖν ἄρα πλείων ὁ σύλλογος γέγονε τήμερον;
Κατὰ Ἰουδαίων λόγος δ΄. Τὰ θηρία ἕως μὲν τὰς ὕλας νέμονται.
Κατὰ Ἰουδαίων λόγος ε΄. Ἆρα κόρον ἐλάβετε τῆς πρὸς Ἰουδαίους μάχης.
Κατὰ Ἰουδαίων λόγος ς΄. Παρῆλθεν ἡ νηστεία τῶν Ἰουδαίων.
Κατὰ Ἰουδαίων λόγος ζ΄. Ἰατρῶν μὲν παῖδες ὅταν πυρέσσοντας.
Εἰς τὸν δίκαιον Ἰὼβ λόγος α΄. Ἧκεν ἡμῖν ἐνιαύσιος ἡμέρα ὁ τῆς οἰκουμένης ἀθλητής. In Iob.
Εἰς τὸν αὐτὸν λόγος β΄. Τὰ μεγάλα τῶν πραγμάτων μεγάλων δεῖται διηγημάτων
Εἰς τὸν αὐτὸν λόγος γ΄. Φέρε καὶ ἡμεῖς ἁψώμεθα τῆς ὑποθέσεως, καὶ ὑμεῖς ἀκροάσεως.
Εἰς τὸν αὐτὸν λόγος δ΄. πανταχοῦ μὲν, καὶ ἐπὶ πάντων, ὡς εἰπεῖν.

Desiderantur in nostris codicibus Græcè homiliæ reliquæ in Iob, quæ in Latina editione reperiuntur.

Εἰς τὸ δεῖν καὶ ἐν πεντηκοστῇ, καὶ ἀεὶ νηστείας μιμνῆσθαι, καὶ περὶ τῆς Ἄννης λόγος. Ἐπειδὰν ξένον τινὰ καταχθέντα πρὸς ὑμᾶς. De Anna.
Εἰς τὴν πίστιν τῆς Ἄννης λόγος. Οὐδὲν ἄρα ἴσον εὐχῆς ἀγαπητοὶ οὐδὲν πίστεως εἶναι δυνατώτερον.
Εἰς τὴν τοῦ Σαμουὴλ γαλακτοτροφίαν λόγος. Εἰ μὴ δοκῶ προσκορὴς τισι, καὶ φορτικός.
Πρὸς τοὺς τὰς συνάξεις καταλιμπάνοντας, καὶ εἰς δευτέραν ῥῆσιν τῆς Ἄννης λόγος. Οὐκ οἶδα ποίοις χρήσομαι λόγοις σήμερον.
Πρὸς τοὺς ἐν ἑορταῖς μόνον συναγομένους, καὶ τί ποτε ἐστὶν ἑορτὴ, καὶ ὅτι χρησιμώτατον ἡ πενία, καὶ εἰς τὴν Ἄννην λόγος. Μάτην, ὡς ἔοικε τοὺς τῇ προτέρᾳ συνάξει παραγενομένους.

Desideratur tamen huius Homiliæ finis in Anglicis Codicibus.

Ἔπαινος τῶν ἀπαντησάντων, καὶ περὶ εὐταξίας ἐν ταῖς δοξολογίαις, καὶ εἰς τό. Εἶδον τὸν κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ λόγος α΄. Πολλὴν ὁρῶ τὴν σπουδὴν ἐνδεικνυμένους ὑμᾶς. De Ozia.
Ἐν τῷ ἐνιαυτῷ, οὗ ἀπέθανεν Ὀζίας ὁ βασιλεὺς, καὶ ὅτι οὐ δεῖ χρόνον, οὐδὲ στοιχεῖον παραδέχειν. τῶν γραφῶν λόγος β΄. Χαίρω συντρέχοντας ὑμᾶς ὁρῶν πρὸς τὴν ἀκρόασιν τῶν θείων λόγων.
Εἰς τὰ σεραφεὶμ λόγος. Μόλις πότε τὸ κατὰ τὸν Ὀζίαν διεπλεύσαμεν πέλαγος.
Ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους πάντας λόγος α΄. Ἐξ οὗ τὴν ἱερὰν πανήγυριν τῆς πεντηκοστῆς ἐπετελέσαμεν.
Εἰς τοὺς αὐτοὺς λόγος β΄. Μαρτύρων ἑορταὶ οὐκ ἐν προώρῳ ἡμερῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ γνώμῃ
Εἰς τὸ τοῦ λη΄. Ψαλμοῦ, Μὴ φοβοῦ ὅταν πλουτήσῃ ὁ ἄνθρωπος. Ἡδὺ μὲν γηπόνῳ τὸ ἄροτρον ἑλκύσαι εἰς καθαρισμὸν τῆς ἀρούρας.
Εἰς τὸ αὐτὸ, καὶ περὶ ἐλεημοσύνης. Βραχὺς ὁ καρπὸς τοῦ καλῶς εἰρηκότας.
Περὶ μετανοίας. Εἰ καὶ χθὲς ὑμῶν ἀπελείφθην. De Pœnitentia.
Περὶ μετανοίας καὶ εἰς τοὺς ἀπολειφθέντας ἐν ταῖς συνάξεσι, καὶ περὶ ἱερᾶς τραπέζης, καὶ περὶ κρίσεως. Ὥσπερ τοῖς σπείρουσιν ὄφελος οὐδέν.
Περὶ μετανοίας, καὶ ἐλεημοσύνης. Ἆρα οἴδατε πόθεν ἡμῖν ὁ λόγος πρώην ἦρξατο.
Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι οἱ δαίμονες διοικοῦσι τὰ ἀνθρώπινα λόγος α΄. Ἐγὼ μὲν ἤλπιζον τῇ συνεχείᾳ τῆς διαλέξεως κόρον ὑμᾶς.

Πρὸς τοὺς λέγοντας τὸ αὐτὸ λόγος β΄. Τὴν παραμυθίαν, ἣν ἐκ τῆς σφοδροτάτης ὑμῶν ἀδελφοὶ, ἀγάπης ἐλάβομεν

Πρὸς τοὺς ζητοῦντας, τίνος ἕνεκεν οὐκ ἐκ τοῦ μέσου γέγονεν ὁ διάβολος. Ο῾ μὲν Ι῾σαὰκ ἐπιτιμήσας ποτὲ ἄριστον.

Opuscula Chrysostomi quæ singulis constant Homilijs, in Anglicis manuscriptis reperta.

Εἰς τὴν γυναῖκα τὴν ἁμαρτωλὸν τὴν ἀλείψασαν τὸν Χριστὸν μύρῳ. Ι῾κανῶς ὑμᾶς πρώην ἐψυχαγώγησεν ὁ Χριστὸς παρὰ Ζακχαίῳ ἑστιώμενος, ὅπου γὰρ Χριστὸς ἑστιᾶται.

Εἰς τὸ θεῖον, καὶ μυστικὸν δεῖπνον τοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ τοῦ Ι᾿ούδα προδοσίας.

Ε᾿βουλόμην ἀγαπητοὶ τῆς κατὰ πατριάρχην πάλιν ὑποθέσεως ἅψασθαι, καὶ ἐν τούτῳ ὑμῖν τὴν ἑστίασιν παραθεῖναι πνευματικήν.

Εἰς τὸ. Εἰ δυνατὸν, τὸ ποτήριον τοῦτο παρελθέτω ἀπ᾿ ἐμοῦ. Οὐδὲν ἀποίκασιν οἱ τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλοι μητέρι φιλοτέκνῳ.

Εἰς τὴν ζωηφόρον ταφὴν, καὶ τριήμερον ἀνάστασιν Χριστοῦ. Εἴδετε χθὲς λῃστοῦ εὐγνωμοσύνην, καὶ Ι᾿ουδαίων μανίαν. Φέρε καὶ σήμερον.

Εἰς τὸ ἅγιον πάσχα, καὶ εἰς τοὺς μυροφόρους. Φέρε δὲ καὶ περὶ τῆς τῶν εὐαγγελιστῶν ἱστορίας τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ.

Εἰς τὴν Σαμαρεῖτιν, καὶ ἑρμηνεύεται Μεσσίας. Σήμερον ἡμῖν ὁ Χριστὸς τοὺς ἄθλους τῆς Σαμαρείτιδος ἀνεκήρυξεν.

Εἰς τὸν ἐκ γενετῆς τυφλόν. Ο῾ Θεὸς τὸν ἐκ γενετῆς τυφλὸν ἐθεράπευσε καὶ πτύσας, καὶ πηλὸν ποιήσας ἔχρισεν.

Εἰς τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίου. Καὶ ὅτι σταυροῦ μνείαν ἐπιτελοῦμεν, ἔξω τῆς πόλεως ἑορτὴν ἐπιτελέσαμεν, καὶ νῦν.

Εἰς παραβολὴν κατὰ Λουκᾶν. Ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ι῾ερουσαλὴμ, καὶ λῃσταῖς περιέπεσεν. Ο῞υτως κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον οἱ σταδίῳ τρέχοντες πάντες μὲν τρέχουσι.

Εἰς τὴν γέννησιν τοῦ ἁγίου Ι᾿ωάννου προδρόμου, καὶ βαπτιστοῦ. Εὔκαιρος ἡμέρα, ἑστία ἑορτὴ πάνδημος χαρὰ, ἐν ᾗ ὑπεμνήσθην τοῦ Γαβριὴλ τὴν λειτουργίαν, καὶ τοῦ Ζαχαρίου τὴν ἱερατείαν.

Εἰς τὴν ἀποστολικὴν ῥῆσιν. Ε῎χοντες δὲ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως, καὶ περὶ ἐλεημοσύνης. οἱ σοφώτατοι τῶν ἰατρῶν, ἐπειδὰν ἴδωσιν ἕλκος σιδήρου δεόμενον.

Εἰς τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς Μανιχαίους πάντας τοὺς διαβάλλοντας. Ἀποστολικῆς ὑμῖν ἐξηγήσεως χρέος ὀφείλω παλαιόν.

Εἰς τὸ αὐτὸ, καὶ διότι κοινῇ πάντες ἀπολαμβάνουσιν ἀγαθά. τῇ προτέρᾳ συνάξει, καὶ τῇ πρὸ ἐκείνης, μίαν τοῦ Ἀποστόλου ῥῆσιν ἀπολαβόντες.

Περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν ὁ Πιλάτος τὸ αἷμα ἔμιξε. Περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν ἀπήγγειλαν τῷ Χριστῷ, ὅτι τὸ αἷμα αὐτῶν.

Εἰς τὸ Χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ξ΄, καὶ περὶ παίδων ἀνατροφῆς, καὶ περὶ ἐλεημοσύνης.

Εἰς καιρὸν ἡ τοῦ πνεύματος ᾠκονόμησε ταύτην τῆς Ἀποστολικῆς ἐπιστολῆς ἀναγνωσθῆναι τὴν περικοπήν.

Εἰς τὸ ῥητὸν, Οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοὶ, ὅτι οἱ πατέρες ὑμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην. Οἱ ναῦται τοῦτο μάλιστα φιλοῦσι τοῦ πελάγους τὸ μέρος.

Περὶ μνησικακίας, ἤτοι ὀργῆς. πρὸς τὸ τέλος ἡμῖν τῆς νηστείας λοιπὸν ὁ καιρὸς ἐπείγεται.

Εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου. Ο῞ντως ἐπεφάνη ἡμῖν ἡ χάρις τοῦ Χριστοῦ.

Εἰς τὸ ῥητὸν. Ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου, ψώμιζε αὐτόν. Οὐδὲν ὡς ἔοικεν ὠφελήσαμεν μακρὸν λόγον.

Περὶ τοῦ προνοεῖν τῶν κοινῇ συμφερόντων οὐδὲν ἴσον εἶναι εἰς εὐδοκίμησιν παρὰ τῷ Θεῷ, καὶ ὅτι ῥαθύμως προσιέναι τοῖς θείοις. Ἐγὼ μὲν καὶ σήμερον παρεσκευασάμην πρὸς τά.

Εἰς τὸ ῥητόν. Ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου. Μέλλοντες ἀγαπητοὶ τοῦ κοινοῦ.

Εἰς τὸ ῥητὸν Ἀποστόλου. Ἐβουλόμην ἐγὼ αὐτὸς ἀνάθεμα εἶναι. Ἆρα οὐ μεγάλα τινα, καὶ ὑπερφυῆ τὰ περὶ τοῦ παύλου.

Περὶ τοῦ κατὰ θεὸν πολιτεύεσθαι. Πάσης μὲν θεοπνεύστου γραφῆς

Εἰς τὸν ῥητὸν Οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος. Εἰ καὶ ἐθάλωσεν ὑμᾶς ἡ κατὰ τὴν ἑσπέραν ταραχή.

Ο῞τι ἐπισφαλὲς τὸ εἰς θέατρα ἀναβαίνειν. Πολλοὺς οἶμαι τῶν πρώην καταλιπόντων.

Εἰς τὰ ἅγια θεοφάνια Πάντες ὑμεῖς.

Εἰς τοὺς τὰ πρῶτα πάσχα νηστεύοντας. Πάλιν χρεία τις ἀναγκαία, καὶ κατεπείγουσα.

Κατὰ

Κατὰ αἱρετικῶν, καὶ εἰς τὴν αἴτησιν τῆς μητρὸς τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου. Χθὲς ἐκ πολέμου ἐπανελθόντες, ἐκ πολέμου, καὶ μάχης αἱρετικῆς.

Εἰς τὸν Ἀβραάμ, καὶ Ἰσαάκ. Ἀποικίζει ὁ Θεὸς τὸν δίκαιον Ἀβραάμ.

Περὶ ἐνανθρωπήσεως τοῦ κυρίου, καὶ ὅτι θεοτόκος ἐστὶν ἡ ἁγία παρθένος Μαρία. Τί τοῦτο; σημεῖον ἀπλεγόμενον ὁρῶ.

Εἰς τὴν γέννησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁπόταν ἐκ χειμῶνος κρυεροῦ θερμὸν ἔαρ ἐκλάμψει.

Εἰς τὰ ἅγια θεοφάνια. Ἑορτάσαι θέλω ἀγαπητοί, καὶ πανηγυρίσαι βούλομαι.

Opera Chryſoſtomi Græcè excuſa, præter illa de quibus dictum eſt ſupra.

Sed & Commentarij perpetui in omnes Epiſtolas Pauli Veronæ multis ab hinc annis. Iterum autem ſuperiore anno in Germania, collati cum m. ss. codicibus Auguſtanæ, ac Palatinæ Bibliothecarum. Quam tamen editionem, vt cupiebamus, recognoſcere nequiuimus, tot aliorum Auctorum mole preſſi in adornando hoc Apparatu. Quod dictum eſtò, vt quandoquidem editio illa prodijt ab hominibus à fide catholica alienis, non temerè ijs fides habeatur.

Homiliæ viginti & vna, priores ad Populum Antiochenum, vt vocant.

Περὶ ἱερωσύνης λόγοι ἕξ.

Περὶ προνοίας, καὶ εἱμαρμένης λόγοι ἕξ. Initium primi. Πολλῆς γέ μοι ταραχῆς ἡμῶν ἡ ζωή. Initium poſtremi. Φάγωμεν, καὶ πίωμεν αὔριον γάρ.

Εἰς Βαβυλᾶν μάρτυρα, καὶ κατὰ ἑλλήνων. Incipit. Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς μέλλων πρὸς τὸ πάθος ἤδη χωρεῖν.

Περὶ προσευχῆς λόγοι β΄. Initium primi. Ἀμφοτέρων ἕνεκα προσήκει τοὺς τοῦ Θεοῦ θεράποντας μακαρίζειν, καὶ θαυμάζειν. Initium ſecundi. Ὅτι μὲν παντὸς ἀγαθοῦ κεφάλαιον ἐστὶν ἡ προσευχή.

Εἰς τὸ προφητικὸν ῥητόν. Πλὴν μάτην ταράσσεται πᾶς ἄνθρωπος. Προσέπεται καὶ κόλπος βύθος ἁλιέα ὅταν τὸ δίκτυον.

Εἰς τό. μὴ φοβοῦ ὅταν πλουτήσει ἄνθρωπος. Ὁ μὲν γηπόνος εἰς καθαρὰς ἕλκει τὰς ἀρούρας.

Εἰς τὸν τελώνην, καὶ τὸν φαρισαῖον. Καθάπερ γὰρ νεφῶν συνδρομή, παρὰ μὲν τὴν ἀρχὴν ζοφερὸν ποιεῖ τὸν ἀέρα.

Εἰς τό. Ἑκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν. Τῶν δένδρων ὥσπερ ἂν φυτευθέντα.

Εἰς τὴν προσκύνησιν τοῦ σταυροῦ. Ἧκεν ἡμῖν ἐνιαύσιος ἡμέρα, ἡ πανσέβαστος, καὶ φωσφόρος τῶν ἁγίων νηστειῶν.

Περὶ τοῦ μὴ ἐπαισχύνεσθαι ὁμολογεῖν τὸν τίμιον σταυρόν. τοῦτο ἐστὶν ἀδελφοὶ τὸ σημεῖον ὅπερ ὁ δεσπότης πᾶσιν ὑπέσχετο δώσειν.

Εἰς τό. Παρέστη ἡ βασίλισσα ἐκ δεξιῶν σοῦ. Ἡδὺς μὲν λειμών, καὶ παράδεισος.

Ὅτι τὸν ἑαυτὸν μὴ ἀδικοῦντα οὐδεὶς παραβλάψαι δύναται. Οἶδα μὲν ὅτι τοῖς παχυτέροις, καὶ πρὸς τὰ παρόντα κεχηνόσι.

Εἰς τὴν ἐν τῷ ᾅδῃ τοῦ κυρίου κατάβασιν, καὶ εἰς τὸν λῃστήν. Ὢ τῶν ξένων, καὶ παραδόξων πραγμάτων.

Εἰς τὴν ἀπιστίαν τοῦ Θωμᾶ. Ἰδοὺ πάλιν ἑορτή. Ἰδοὺ πάλιν σωτηρία ψυχῶν.

Εἰς τὴν ἁγίαν πεντηκοστήν. Μεγάλα ἀγαπητοί, καὶ πάντα λόγον ὑπερβαίνοντα.

Περὶ παρθενίας. Τὸ τῆς παρθενίας καλὸν ἀποτρέφονται.

Εἰς εὐαγγελισμόν, ſiue Annuntiationem Beatiſs. Virginis. Πάλιν χαρᾶς εὐαγγέλια, καὶ ἐλευθερίας μηνύματα.

Εἰς τὰ ἅγια θεοφάνια. Ἄνδρες φιλόχριστοι, καὶ φιλόξενοι ξενοδοχήσατε.

Εἰς τὰ αὐτά, καὶ εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην. Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ πανήγυριν ἄγομεν.

Εἰς τὴν ἀποτομὴν Ἰωάννου τοῦ προδρόμου. Πάλιν Ἡρωδιὰς μαίνεται, πάλιν ταράττεται, πάλιν ὀρχεῖται.

Εἰς τὴν παραβολὴν περὶ τοῦ ἀσώτου. Ἀεὶ μέν, ἀδελφοί, τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν κηρύττειν ὀφείλομεν.

Εἰς τὴν ὄρχησιν τῆς Ἡρωδιάδος. Ὥσπερ τις ἀνὴρ φιλέρημος ἐν τινι τόπῳ ἀλσώδει.

Εἰς τό. συνήγαγον οἱ Ἰουδαῖοι συνέδριον. Ioan. 18. Ἐοίκασιν οἱ τῆς ἐκκλησίας φίλτατοι παῖδες νηπίοις.

Εἰς τὰς δέκα παρθένους. Ὅταν τὸ ἀδαπάνητον τῆς ζωῆς ἐννοήσω.

Eiς

Εἰς τὴν πόρνην. Πάντοτε μὲν ὁ Θεὸς, ὡς φιλάνθρωπος, καιρὸν εἰς μετάνοιαν τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἔδωκε.
Εἰς τὴν προδοσίαν τοῦ Ἰούδα. Οὐκ ὀλίγα ἀνάγκη σήμερον πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην εἰπεῖν.
Τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ. Πεπλήρωται ἡμῖν λοιπὸν ὁ τῆς νηστείας ἀγών.
Εἰς τὸ ἅγιον πάσχα. Χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε ἀγαπητοὶ ἀδελφοί.
Περὶ ὅρκων ἀποχῆς, καὶ ὅτι οὐκ ἀρκεῖ ἡ νηστεία. Πρὸς τὸ τέλος ἡμῖν τῆς νηστείας ὁ καιρὸς ἐπείγεται.
Εἰς τὴν γενέθλιον ἡμέραν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἃ πάλαι πατριάρχαι μὲν ὤδινον.
Εἰς τὸν πρόδρομον. Οἱ ἀνθηρότατοι λειμῶνες ἄνθεσι χρυσοκόμοις πεποικιλμένοι, δένδρεσι καλλίστοις κοσμούμενοι.
Εἰς τὸ Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὅτι τὸ πνεῦμα ἐρευνᾷ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Χθὲς ἡμῖν ὁ λόγος εἰς τὴν τοῦ μεγάλου αὐτοῦ θεωρίαν.
Περὶ τοῦ κατὰ Μωϋσέως ὄφεως ὃν ἐσταύρωσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ περὶ τριάδος. Χθὲς ὑμῖν ὁ λόγος πρὸς τὴν αἱρετικὴν πάλην.
Εἰς τὸν παραλυτικόν. Εὐλογητὸς ὁ Θεός. Καθ' ἑκάστην σύναξιν αὐξανομένην ὁρᾷ τὴν ἄρουραν.
Εἰς τὸν ἅγιον ἀκάκιον τὸν ποιμένα. Πάλιν μαρτύρων μνήμης πάλιν εὐσεβῶν ἑορταί.
Εἰς τὸ ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου. Ὅτι τὸν παναρμόνιον τουτονὶ κόσμον ἐξ ἀρχῆς ἔπλασεν ὁ Θεός. ὅτι ἐκ ῥαθυμίας ἡ κακία καὶ ἀπὸ σπουδῆς ἡ ἀρετή. ἡμεῖς μὲν πρὸ τῆς χθὲς ἡμέρας τοὺς περὶ τοῦ διαβόλου λόγους πρὸς τὴν ἀγάπην.
Ἔπαινος τῶν ἀπαντησάντων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ περὶ εὐταξίας τῆς ἐν ταῖς δοξολογίαις. Πολλὴν ὁρῶ τὴν σπουδὴν ἐνδεικνυμένους ὑμᾶς, εἰς ἔργον ἀγαγεῖν τὰ πρώην ἡμῖν εἰρημένα.
Εἰς τὸ ὅτι παλαιᾶς καὶ καινῆς εἷς νομοθέτης. Τῆς Χριστοῦ βασιλείας τὸ εὐαγγέλιον κηρύττουσιν οἱ προφῆται.
Εἰς τὸ χθὲς τὴν χεῖρα σοῦ ὑπὸ τὸν μηρόν μου. Ἐθαύμασα μεθ' ὑμῶν, ὦ φιλόχριστοι, τὰ νέα τῆς εὐαγγελικῆς χάριτος.
Εἰς τὰς σφραγίδας τῶν βιβλίων. Μέγα τῆς ψυχῆς ἐφόδιον εἰς σωτηρίαν τὰ ἱερὰ μαθήματα.
Κατὰ τῶν παρατηρούντων τὰς νεομηνίας. Καθάπερ χορὸς τὸν κορυφαῖον ἐπιζητεῖ.
Εἰς τὸ. Περὶ δὲ τῶν κεκοιμημένων. Ἡμέρας τέσσαρας ἀναλώσαμεν Λάζαρον παραβολήν.
Ἐπιστολὴ, πρὸς ἐπισκόπους ἐγκεκλεισμένους διὰ εὐσέβειαν. Μακάριοι τοῦ δεσμωτηρίου, καὶ τῆς ἁλύσεως.
Ἰννοκεντίῳ ἐπισκόπῳ Ῥώμης ἐπιστολή. Καὶ πρὸ τῶν γραμμάτων οἶμαι τῶν ἡμετέρων.
Εἰς τὸν αὐτὸν ἐπιστολή. Τὸ μὲν σῶμα ἡμῖν ἐν ἑνὶ ἵδρυται χωρίῳ.
Πρὸς Κυριακὸν ἐπιστολή. Φέρε δὴ πάλιν ἀπαντλήσω σου, τῆς ἀθυμίας τὸ ἕλκος.
Πρὸς τοὺς ἐγκαλέσαντας ὑπὲρ τοῦ μήκους τῶν προοιμίων, καὶ ὅτι χρήσιμον τὸ φέρειν ἐλέγχους, λόγος. Ἐνεκάλεσαν ἡμῖν τινὲς τῶν ἀγαπητῶν ἡμετέρων.
Εἰς τὸ, πῶς δεῖ ἐπιτιμᾶν τοῖς τῶν ἀδελφῶν ἁμαρτήμασιν. Εἰ μὲν ἦν δυνατὸν ὑμῖν εἰδέναι τί μὲν ἡμῖν εἴρηται, τί δὲ ὑπολέλειπται.
Εἰς τὸ. ὑψώθη ἡ καρδία τοῦ Ὀζίου, καὶ περὶ ταπεινοφροσύνης. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, καὶ ἐπὶ τῆς γυναικὸς τῆς ἡμετέρας ἐβλάστησεν μαρτυρῶν.
Περὶ πραότητος. Οἶμαι πάντας ὑμᾶς ἐπίστασθαι σαφῶς, ὅτι προσήκει τοὺς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ συνετῶς ἀκούοντας.
Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἀναθεματίζειν. Πρώην μὲν περὶ ἀκαταλήπτου γνώσεως θεοῦ διαλεγόμενος πρὸς ἡμᾶς.
Εἰς τὸν προφήτην Ἠλίαν. Πρότερον μὲν τῶν ἐκαλλωπίζετο Ἰουδαίων ὁ δῆμος τῇ τῶν προφητῶν κλήσει.
Ὁμιλία εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον π γ΄. Βαβαὶ πόση πώρωσις τοῦ προδότου, καὶ τῶν μυστηρίων μετέχων ἔμενεν ὁ αὐτός.
Ὁμιλία εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον. ἐνταῦθα πανταχοῦ ἡ πλάνη ἑαυτὴν περιπείρει, καὶ τῇ ἀληθείᾳ ἄκουσα συνηγορεῖ.
Ὁμιλία 91. διὰ τούτους τοὺς στρατιώτας ὁ σεισμὸς ἐκεῖνος ἐγένετο.
Σύγκρισις βασιλικῆς δυναστείας πρὸς μοναχόν. Ὁρῶ ἐγὼ τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων τὰ δοκοῦντα εἶναι καλά.
Εἰς τὸν Λάζαρον λόγος α΄. Τὴν ἡμέραν ἑορτὴν οὖσαν διαβολικήν.
Εἰς τὸν Λάζαρον λόγος β΄. Ἐθαύμασα τὴν ἀγάπην.
Εἰς τὸν Λάζαρον λόγος γ΄. Οὐ τὰ τυχόντα ὑμᾶς ὤνησεν ἡ κατὰ τὸν λάζαρον.
Εἰς τὸν λάζαρον λόγος δ΄. Τῆς τοῦ Λαζάρου παραβολῆς τὸ τέλος ἀνάγκη σήμερον.

Homiliæ

Homiliæ Chrysostomi m. s. quæ extabant apud Episcopum Citheri, qui ann. 1602. mortuus est Venetijs.

	Ὁμιλίαι	Ἀρχή
1	Εἰς τό. Πάτερ εἰ δυνατὸν παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο.	Οὐδὲν ἀπεοίκασιν.
2	Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ εἰς τὸν σταυρὸν	Πεπλήρωται ἡμῖν λοιπόν.
3	Εἰς τὸν λῃστήν, καὶ τὸν σταυρὸν	Ἀπαρξώμεθα τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σταυροῦ.
4	Εἰς τό, συνήγαγον οἱ ἰουδαῖοι συνέδριον	Ἐοίκασιν οἱ τῆς ἐκκλησίας
5	Εἰς τό. ἐξελθόντες οἱ φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον.	Ὅσοι τοῦ ἡλία μαθηταὶ
6	Εἰς τὸν σταυρόν, καὶ τὸν λῃστήν, τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ.	Σήμερον ὁ κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη.
7	Εἰς τὴν ἁγίαν παρασκευήν	Εἴ τις τῶν εὐφρονούντων.
8	Εἰς τό. ὁ πάτερ εἰ δυνατόν, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον.	Βαθεῖαν τὸ μὲν τὸ ἢ ἁρπάζουσι
9	Τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ	Τῆς χθὲς ὑποσχέσεως βούλομαι.
10	Εἰς τὸ ἅγιον πάσχα	Λαμπρὰ τῆς δεσποτικῆς ἀναστάσεως.
11	Εἰς τὴν ἀνάστασιν	ἀπεθέμεθα τῆς νηστείας τὸ φορτίον.
12	Εἰς τὴν αὐτήν	Χαίρεται ἐν κυρίῳ πάντοτε ἀγαπητοί. .
13	Εἰς τὴν ἀπιστίαν τοῦ θωμᾶ	Τὸ χρεὸς ἀποδώσων ὑμῖν
14	Εἰς τοὺς μυροφόρους	Τῆς παρελθούσης ἡμέρας τὰ εὐαγγέλια
15	Εἰς τὴν ἀνάστασιν τοῦ σωτῆρος	Εὔκαιρον σήμερον ἅπαντας.
16	Εἰς τὴν αὐτήν	Πάντοτε μὲν χαίρειν πάρεστι.
17	Εἰς τὴν ἀπιστίαν τοῦ θωμᾶ	Ἰδοὺ πάλιν ἑορτή.
18	Εἰς τὴν μεσοπεντηκοστήν	Ῥόα, καὶ μῆλον, καὶ φοίνιξ
19	Εἰς τό. δαιμόνιον ἔχεις	Ὥσπερ ἡ φωσφόρος σελήνη.
20	Εἰς τὴν πεντηκοστήν	Ὅπου δ' ἂν ὁ δεσπότης χριστός.
21	Εἰς τό. Ὁ οὖν Ἰησοῦς κεκοπιακώς, καὶ εἰς τὴν σαμαρεῖτιν	Πᾶσα μὲν γλῶσσα.
25	Εἰς τὴν αὐτήν	Σήμερον ὁ χριστὸς πᾶσιν ἡμῖν.
26	Εἰς τὴν μεσοπεντηκοστήν	Ὑπερμεγέθης ἡ τοῦ δεσπότου χριστοῦ.
27	Εἰς τὴν αὐτήν	Ἐγὼ φιλόχριστοι.
28	Εἰς τὴν ἀνάληψιν	Φαιδρὰ μὲν πᾶσα ἑορτή.
29	Εἰς τὴν αὐτήν	Ἐπειδὴ χάριτι θεοῦ τὸν λόγον.
30	Εἰς τὴν αὐτήν	Καὶ ὅτε σωτηρίου μνείαν
31	Εἰς τὴν αὐτήν	Εὔκαιρον συμβέβηκε.
32	Εἰς τὴν αὐτήν	Θεία τις ὡς ἔοικεν.
32	Εἰς τὴν αὐτήν .·.	Φαιδρόν μοι τῆς ἐκκλησίας.
33	Εἰς τὴν αὐτήν	Ἔπεμον αἱ ψυχῶν ἀριθμοῦντι.
34	Εἰς τὴν πεντηκοστήν	Οὐρανὸς ἡμῖν γέγονε σήμερον,
35	Εἰς τὴν αὐτήν	Μεγάλα ἀγαπητοί, καὶ πάντα λέγον.
36	Εἰς τὴν αὐτήν	Πάλιν ἑορτή, πάλιν πανήγυρις.
37	Περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος	Χθὲς ἡμῖν ὦ φιλόχριστοι.
38	Εἰς τὰ γενέθλια τοῦ σωτῆρος.	Ὁπόταν ἐκ κρυεροῦ
39	Εἰς τὸν εὐαγγελισμόν	Πάλιν χαρὰ εὐαγγέλια
40	Εἰς τὴν αὐτήν	Ἀδελφοί, βασιλικῶν μυστηρίων.
41	Ὁ λόγος ὁ τοῦ . . . ἀπολλυμένης	Τοῖς κάμνουσι, καὶ ψυχορραγοῦσι.
42	Εἰς τὴν προσκύνησιν τοῦ τιμίου ξύλου	Ἆσμα καινὸν ᾄσωμεν.
43	Εἰς τὸν τίμιον σταυρὸν	Τί εἴπω, ἢ τί λαλήσω;
44	Εἰς τὴν μεταμόρφωσιν τοῦ σωτῆρος.	Ἐπειδὴ πολλὰ περὶ κινδύνων
45	Εἰς τὴν αὐτήν	Ἁγίαν αἰδέσιμον ἡμῖν.
46	Εἰς τὸ μὴ πλησιάζειν θεάτροις, καὶ εἰς τὸν ἀβραάμιον	Πολλοὺς οἶμαι τῶν πρώην.
47	Εἰς τὸν μακάριον φιλογόνιον	Ἐγὼ μὲν καὶ τήμερον.
48	Εἰς τὴν ἀπογραφὴν τῆς	Μέλλοντες ἀγαπητοί.
49	Εἰς τὴν εἰσαγωγὴν τοῦ σωτῆρος	Ἀντιλεγόμενοι.

50	Εἰς τὴν αὐτὴν	Οὐρανίου κλάδου
51	Εἰς τὸν ἡρώδην, καὶ τὰ νήπια	Ὥσπερ ὁ ἡλιακὸς οὗτος πόλος.
52	Εἰς τὸ γενέθλιον τοῦ σωτῆρος	Μυστήριον ξένον, παράδοξον.
53	Εἰς τὴν αὐτὴν ἑορτὴν	Ἅπαλαι πατριάρχαι
54	Εἰς τὸν ἡρώδην, καὶ τὰ βρέφη	Ἤθελον μὲν ἂν καὶ πάντοτε.
55	Εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν	Ὄντως ἐπιφανὴ ἡμῖν.
56	Εἰς τὸ οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοί, ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν	Οἱ ναῦται τοῦτο μάλιστα.
57	Εἰς τὰ ἅγια θεοφάνια	Ἡ πηγὴ τῶν εὐαγγελικῶν.
58	Εἰς τὰ ἅγια φῶτα	Ἄνδρες φιλόχριστοι.
59	Εἰς τὰ θεοφάνεια	Πάντοτε ὑμεῖς ἐν ἀγαλλιᾶ.
60	Εἰς τὴν ὑπαπαντὴν	Οὐ μόνον φορεῖ σάρκα ὁ κύριος.
61	Εἰς τὸν λάζαρον	Ὥσπερ μήτηρ φιλότεκνος

Extat autem eiusdem Chrysost. manuscriptum Compendium Bibliorum. Item in Apostolorum, sed imperfectum, Græcè nondum quod sciam editæ. Hæcque apud Reuerendiss. Episcopum Bellunensem Aloysium Lullinum.

Quin & Volumen variarum Epistolarum ad diuersos scriptarum, cuius transsumptum, siue exscriptionem dono dedit Episcopo Ebroicensi, Philippo Perronio S.E.R. Cardin.

Extat itē apud eundem Volumen alterum antiquum Epistolarum circiter viginti, sed longiuscularum, ac stylo facili conscriptarum ad Olympiadem: quarum pars continetur in postrema Chrysostomi editione Parisiensi.

At & Græcas quasdam Homilias m.s. peruetusta scriptione in charta pergamena vidimus Bononiæ in 22. pluteo Bibliothecæ S. Saluatoris. Prima prænotatur περὶ εὐταξίας τῆς ἐνδόξου λογίας. καὶ εἰς τό, εἶδον τὸν κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ, καὶ ἐπηρμένου.

In Collegio item Antuerpiensi Societatis nostræ, Volumen extat pulchrè descriptarum Græcè Epistolarum multo plurium, quàm quæ vulgò circumferuntur.

Falsò ascripta Chrysostomo sunt sequentia.

Homilia de Adamo, & Heua quæ incipit, *Dignitas humanæ originis*. Nusquam enim apud Græcos hęc inuenitur: & verò Latinum fuisse Auctorem valde probabile est, cum etiam duo capita in ea extent sumpta ex libro De dogmatibus Ecclesiasticis.

Commentarius in Psalmum vigesimussecundus. Neque enim est ipsius, neque adeo Græci Auctoris, pręterquam quòd dictio merè Latina procul à dictione, modoque scribendi Chrysostomi abest.

Auctor Operis imperfecti, cuius homiliæ 54. Gręcè, Latineque non semel prodierunt, non sunt Chrysostomi, scatent enim hęresibus Arianorum, Manichęorum, Montanistarum, Armenorum, Donatistarum. Quin & ipse Auctor, qualis fuerit, se prodit, potissimum Homilia 49. distinguitur autem hic à perfecto in idem Euangelium Commentario, quo nonaginta, & vna Homilię comprehenduntur. Plura de Auctore Operis imperfecti cerni possunt in Sixti Senensis Bibl. sanctę, libro sexto, in Cardin. Bellarmino De Verbo Dei non scripto, cap. 11. in lib. 1. cap. 9. De bonis Operibus in particulari. In Ioan. Maldonato in cap. 11. Matthęi, & alibi, in Baronij Cardin. Quinto Annalium Tomo, pręter illa, quę Melchior Canus in Locis communibus, & alij attigerant.

Auctor expositionis in Marci Euāgelium, cuius Auctoris Godefridus Tilmannus Scholiastes cum errores quosdam adnotasset, Sixtus quoque Senensis in eodem lib. sexto Biblothecę sanctę aliquos indicauit.

E decem Homilijs, quas Gulielmus Cardin. Sirletus emisit sub Chrysostomi nomine, decima non Chrysostomi, sed Seueriani eius ęqualis fuit legitimus fętus.

Qui ab hęreticis quibusdam tributus est Liber, siue Epistola ad Cęsarium monachum nullus est. Nec verò inter omnia Chrysost. scripta vllus est liber, siue Epist. ad Cęsarium.

Atqui cum Fronto Ducęus nostrę Societatis Theologus, Græcè autem apprimè noscens

ſcens magnam ſui laboris partem conquirendis, & vertendis Chryſoſtomi Operibus addixerit, animaduertit, Græcos collegiſſe ex Diſcurſibus, ſiue Diſſertationibus huius Patris, varia, quæ credita ſunt fuiſſe Sermones ipſius, cum verè non ſint niſi fragmenta, ſiue Centones.

Sic autem ipſe Lectori initio Homiliæ abs ſe primum Græcè editæ quàm Chryſoſtomus habuit *In calamitatem Ciuitatis Antiochiæ, & quòd vtilis vbique timor, & quòd luctus riſu vtilior, & in illud dictum, Agnoſce, quòd in medio laqueorum pertranſis, & quod peius eſt iurare, quàm occidere*.

Ad populum Antiochenum (inquit) Conciones habuiſſe Chryſoſtomum, quibus eum conſolatus eſt profecto ad Imperatorem placandum Epiſcopo Flauiano, teſtatur Nicephorus, lib. 12. c. 43. Multę ſunt, inquit, eius, quas hoc argumento compoſuit orationes, quas ἀνδριάντας hoc eſt, Statuas inſcripſit. Reperiuntur etiamnum in veteribus Græcis manu ſcriptis codicibus eius cōcionum Tomi, quorum alij μαργαρῖται alij ἀνδριάντες inſcribuntur, ſed in his xxi. tantum ex primis illis quas habet Tomus 5. Latinæ editionis offendimus in Bibliotheca Regia Medicæa, ſic vt non immeritò conijciamus reliquas fere omnes vſque ad octogeſimam ex alijs auctoris huius Commentarijs & Homilijs eſſe conſarcinatas & ex diuerſis quaſi lacinijs conſutas, ſelectis moralibus ſingularum concluſionibus & in vnum concionis corpus aggregatis. Exempli cauſſa viceſima ſeptima ab initio vſque ad illa verba *Poſuimus legem*, ex homilia 11. in Acta Apoſtol. quę ſequuntur vſque ad *Opus eſt autem*, ex homil. 10. in Acta, reliqua vſque ad finem ex homil. 12. in eadem Acta decerpta ſunt, in quibus & locus ille Zachariæ 5. *de falce volante* tractatur in eandem ſentētiam, qua in hac, aduerſus iuramenta. Latinam interpretationem Bern. Brixiani paucis in locis recognitam, & immutatam ijs in locis, quæ manifeſtè à Græco diſcrepabant, quæque Sigiſmundus Gelenius intacta reliquerat; ſed & noſtras ad finem ſingularum homiliarum Notas adiunximus. Antiquiſſimam Brixiani editionē vidimus impreſſam Baſileæ ex officina Iacobi de Pfortzen, anno Chriſti 1504. ſed hic cū veteres editiones citamus alias duas minus antiquas indicamus apud Cratandrum Germanum 1522. & Gromorſum Pariſienſem 1524. recētiorem poſt Gelenij recognitionē ann. 1570. apud Merlinum, & Niuellium.

Quanquam verò libellus, ſiue Lucubratio illa Chryſoſtomi: *Quod nemo læditur niſi à ſe ipſo*, ſit legitimus fętus ipſius, id quod Epiſt. 4. ad Olympiadem ipſe teſtatur, incautè tamē prænotata fuit nomine Homiliæ, quippe quæ non habita fuit in Eccleſia, ſed exarata in cubiculo, & adeo poſtrema ſuarum lucubrationum, quā & Beniamin vocauit videlicet *dexteræ Filium*, nimirum efficaciſſimam ad erigendum quemlibet, qui tantum non abyſſo afflictionum obrueretur.

At illa quæ item Sixtus Senenſis perperam aſcripta Chryſoſtomo notauit, hæc ſunt.

In Gen. cap. 2. homilia 1. quę incipit, *Dignitas humanæ originis*.

In Gen. cap. 2. homilia 1. incipiens, *Deus inſtitutor Mundi*: quę collecta eſt ex centonibus Auguſtini; ſuntque in ea duo integra capita, ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus tranſcripta, nempe trigeſimum primum, & trigeſimum ſecundum.

In Gen. cap. 2. homilia 1.	*Iubetur Adam*.
In Gen. cap. 3. homilia 1.	*Deus ſine initio*.
In Gen. cap. 3. homilia 1.	*Quoties mecum temporis*.
In Gen. cap. 3. homilia 1.	*Chriſtiano cum hoſte*.
In Gen. cap. 15. homilia 1.	*Fides eſt religionis*.
In Gen. cap. 25. homilia 1.	*Portabat Rebecca*.
In Gen. cap. 37. homilia 1.	*Filij autem Iacob*.
In Exo. cap. 17. homilia 1.	*Stabat Moyſes*.
In Iud. cap. 11. homilia 1.	*Deus qui voluit*.
In 1. Reg. 13. homilia 1.	*Dominus Deus cum Dauid*.
In 2. Regum 7. homilia 1.	*Imitatores Chriſti*.
In 2. Regum 17. homilia 1.	*Perdidit Abſalon*.
In 3. Regum 17. De Helia, homil. 1.	*Glorioſus olim*.

In

In idem. homilia 1. *Cum gesta peccata.*
In 4. Regum. 2. De ascensione Heliæ, homilia 1. incipiens, *Apud quosdam veteres.*
Hanc Beda in Quæstionibus libri Regum putat esse Chrysostomi; sed stylus resipit auctorem eius homiliæ, cuius initium est, *Exulta cælum, & lætitia esto terra.* quæ ponitur inter pseudepigrapha Hieronymi, in die Dominicæ Resurrectionis, & inter Sermones Eusebij Emisseni.

In 4. Reg. 5.	De Naaman, homilia 1.	*Cum Naaman.*
In 4. Reg. 6.	De Heliseo, homilia 1.	*Etsi frequenter.*
In Iob cap. 1.	homilia 1.	*Veruntamen fratres charissimi.*
In Iob cap. 1.	homilia 1.	*Athletam in certamen.*
In librum Psalmorum Præfatio, incipiens,		*Post Mosem.*
In lib. Psalm. Præfatio altera incipiens,		*Omnis scriptura.*
In Psalm. 1.	homilia 1.	*Beatitudo est omnium.*
In Psalm. 2.	homilia 1.	*Quemadmodum qui in Solem.*
In Psalm. 9.	homilia 1.	*Creatoris omnium rerum.*
In Psalm. 9.	homilia 1.	*Deus generis nostri.*
In Psalm. 13.	homilia 1.	*Quemadmodum cum Dominus.*
In Psalm. 14.	homilia 1.	*Est pulcher Psalmus.*
In Psalm. 22.	homilia 1.	*Circulo consecrato.*
In Psalm. 24.	homilia 1.	*Viatores arcta, & angusta via.*
In Psalm. 25.	homilia 1.	*Filij lucis.*
In Psalm. 26.	homilia 1.	*Ex plenitudine verbi.*
In Psalm. 29.	homilia 1.	*Celebritas confessionis.*
In Psalm. 33.	homilia 1.	*Sermo Diuinus.*
In Psalm. 37.	homilia 1.	*Sæpe à nobis.*
In Psalm. 38.	homilia 1.	*Et quomodo potest Psalmus.*
In Psalm. 39.	homilia 1.	*Nec hunc quidem Psalmum.*
In Psalm. 40.	homilia 1.	*Nonnulli quidem.*
In Psalm. 40.	homilia 1.	*Etiam si propheta.*
In Psalm. 42.	homilia 1.	*Hic Psalmus est.*
In Psalm. 42.	homilia 1.	*Cohæret priori.*
In Psalm. 68.	homilia 1.	*Qui orationibus.*
In Psalm. 71.	homilia 1.	*Dominus virtutum.*
In Psalm. 84.	homilia 1.	*Omnis, qui se agnoscit.*
In Psalm. 90.	homilia 1.	*Psalmum nonagesimum.*
In Psalm. 93.	homilia 1.	*Aduersus fluctus.*
In Psalm. 95.	homilia 1.	*Egregium vereq; mirandum.*
In Psalm. 96.	homilia 1.	*Ictus à vipera Paulus.*
In Psalm. 106.	homilia 1.	*Spiritus sanctus.*
In Psalm. 115.	homilia 1.	*Narratur quòd apicula.*
In Psalm. 118.	homilia 1.	*Benignitas Dei.*
In Psalm. 118.	homilia 1.	*Veritatem prædicandam.*
In Psalm. 121.	homilia 1.	*Dominus noster.*
In Psalm. 142.	homilia 1.	*Iudicia domini, sicut abyssus multa.*
In Esaiæ cap. 1.	homilia 1.	*Si volueritis, & audieritis.*
In Esa. 9.	homilia 1.	*Christus vnà cum Patre.*
In Esa. 42.	homilia 1.	*Vita innouata.*
In Esa. 62.	homilia 1.	*Quoniam tempus venit.*
In Ierem. 1.	homilia 1.	*Magnum Ieremiæ meritum.*
In Dan. 3.	De tribus pueris. homilia 1.	*Trium puerorum sermo.*
In Dan. 13.	De Susanna. homilia 1.	*Diuinæ lectiones.*
In Zach. 6.	homilia 1.	*Nobilis genere.*

Hos

Hos hucusque (subdit Sixtus Senensis) enumeratos sermones, quanquam ipsi eruditi sint & digni, qui à studiosis auidè legantur, multis tamen non spernendis coniecturis apparet non esse Chrysostomi, sed aliorum auctorum; quibus neque candor, neque illa perpetua orationis facilitas inest, quam in Chrysostomo miramur, sed sermo commaticus, concisus, & affectatione duriusculus, similitudinum & collationum, quæ præcipua sunt Chrysostomi ornamenta, nihil habens. contra verò abundans similiter respondentibus vocibus, & similiter terminantibus sententijs; veluti illud est, quod in expositione Ps. 33. Legitur, *Eia fratres mei, hic modo respondere volo: quanti modo dicunt nolo, qui iam dicebant volo.* itemque illud, *Oracula sanctæ lectionis, quæ sonant in auribus vestris, nidum faciant in cordibus vestris.* à quibus dicendi formis maximè abhorret Chrysostomus. Continent etiam aliqui ex hisce sermonibus notas quasdam, ex quibus facilè suspicari queas, auctorem illorum non scripsisse Græcè, quales sunt nonnullæ orationis figuræ, quæ aptari non possunt ad Græcum sermonem; & similiter interpretationes aliquę vocabulorum, ceu etymologia Meridiei, quam habes in homilia Psalmi 90. videlicet, *Meridies dicitur, quia diuidit diem: meros enim pars est diuisa diei.* & in homilia Psalmi 118. *Veritas tres sunt syllabæ, & septem literæ: quia in septima die requieuit Deus ab operibus suis.* Sunt præterea homiliæ istæ contra Chrysostomi consuetudinem destitutæ exordijs in ingressu orationis, sine moralibus adhortationibus ante finem, & absque vllis doxologijs, ac precationibus in cõclusione sermonis, sed & loci communes de peccato originali, de prædestinatione, de pręscientia, de induratione, de gratia & merito in quibusdam sermonibus pertractati, Augustino magis peculiares videntur, quàm Chrysostomo, qui vt ab his semper abstinet, ita nusquam citare solet nomina Ecclesiasticorum Doctorum: ex quibus tamen nonnulli in his sermonibus nominatim inducuntur, vt Hippolytus, & Cyprianus, citatur item Ioannes Euangelista sub appellatione Theologi. quod sanè cognomen nescio an alicubi Chrysostomus tribuerit Ioanni: quem tamen sæpe *tonitrui filium* vocare consueuit. Neque prętereundum arbitror, quòd auctor hic lectiones scripturarum, quæcumque illæ sint, diuidit & exponit per versiculos, interdum quoque numeratim distinctos, crebrò illud repetens, *Versiculum quem modo audiuimus.* Item, *Sequitur alter. versiculus.* Item, *Reuertamur ad propositos historiæ versiculos.* & rursus, *Viso iam primo versu, atque item secundo, videamus & tertium.* quam diuidendi formulam nullibi in Chrysostomi scriptis reperies. His accedit, quòd auctor sæpe, relicto historico sensu, citra vllam occasionẽ ad allegoricos, & anagogicos sensus deuoluitur: quod rarissimè facit Chrysostomus, & non nisi necessitate adactus. Ceterum, quisquis ille fuerit horum sermonum scriptor, apparet eũ esse vetustum, tum ex antiqua translatione scripturarum ab eo exposita, quod non leue indicium est vetustatis, tum ex paschali baptismate, alijsque antiquis Ecclesiæ ritibus; quos commemorat temporibus suis in obseruatione fuisse. Hactenus de pseudepigraphis, ad vetus Testamentum pertinentibus; nunc ea, quæ ad nouum spectant, enumerabimus.

Post Opus imperfectum in Matthæum, habetur inter Opera Chrysostomi Farrago diuersorum sermonum in varios quattuor Euangelistarũ locos; quorum alij desumpti sunt ex homilijs Chrysostomi, alij ex iam memorato opere imperfecto, alij verò esse putantur eiusdem auctoris, cuius in Marcum habemus quattuordecim sermones: qui, quantum ex eius scriptis deprehenditur, monachus fuit sub potestate Episcopi constitutus; & ad monachos edidit explanationes suas, frequentibus intermistas allegorijs, & interdum violentis, quod ipse non ignorans homilia 9. in Marcum se his verbis excusat: *Putatis nos vim facere scripturæ: & forsitan aliquis dicat in tacita cogitatione, iste semper allegorias sequitur & vim scripturæ sanctæ facit, &c.* Huius igitur, atque aliæ aliorum Homiliæ hæ sunt:

In Matthæi caput secundum: De aduentu Magorum, homilia Incerti Monachi: quæ incipit, *Hoc futurum Esaias.*

In Matth. 2. De fuga pueri in Aegyptum, homilia Incerti Monachi. *Hunc ergo puerum.*

In Matth. 2. De cęde infantium, homilia Incerti Monachi. *Dedicatur nonus.*

In Matth. 2. De reditu pueri in Iudęam, homil. 1. Incerti Monachi. *In eo quod dixit.*

In Matth. 4. De tentatione Christi, homil. 1. Incerti Monachi. *O incomparabilem.*

In Matth. 5. De Beatitudinibus, homil. incipiens, *Non tantum corpora*. quæ est pars homil. 15. Chrysostomi in Matthæum.
In Matth. 5. De maximo & minimo in regno cęlorum, homil. 1. Incerti Monachi. *Cum nobis pro officio*.
In Matth. 5. De dilectione inimicorum, homil. Incerti Monachi. *Per omnia vult nos*.
In Matth. 6. De Oratione Dominica, homilia, *Dominica Oratio*.
In Matth. 6. De ieiunio, homil. 1. Incerti Monachi. *Sicut in superioribus*.
In Matth. 6. De cauendo ieiunio hypocrytarum homil. Incerti Monachi. *Series lectionis*.
In Matth. 7. De cauendis pseudoprophetis, hom. Incerti Monachi. *Omnibus notum est*.
In Matth. 9. De nauicula, hom. *Christum in humanis actibus*. Est autem Petri Chrysologi.
In Matth. 9. De conuersione Matth. hom. *Multa tempestates*.
In Matth. 14. De Ioannis decollatione, homilia. *Hodie nobis Ioannis virtus*. Est item Petri Chrysologi.
In Matth. 15. De Cananæa, homilia. *Miratur Euangelista*. habetur inter opera Origenis.
In Matth. 18. De necessitate scandalorum, homil. Incerti Monachi. *Videtur quidem*.
In Matth. 18. De correctione fraterna, hom. Incerti Monachi. *Exercitia legis*.
In Matth. 18. De correctione fraterna, homil. *Magnum quiddam*, &c. Quæ sumpta est ex explanatione Chrysostomi in Matth. hom. 62.
In Matth. 19. De repudio, homil. *Iustus Dominus*. Quæ est in Opere imperfecto, hom. 32.
In Matth. 19. De Petro Christum interrogante, homil. *Quoniam possibile*. Est pars homil. 33. Operis imperfecti.
In Matth. 20. De ascensu Christi in Hierusalem. hom. Incerti Monachi. *Postquam virgini*.
In Matth. 20. De Christo ascendente Hierosolymam, homilia. Incerti Monachi. *Proximè eum*.
In Matth. 21. De Christo asinis inuecto, homilia. *Puto res ipsa*. quæ est in Opere imperfecto, homil. 37.
In Matth. 21. De ficu arefacta, hom. Incerti Monachi. *Si ad arborem*.
In Matth. 22. De censu, homil. *Omnis malitia*. quæ est pars homilię 42. Operis imperfecti.
In Matth. 22. De dilectione Dei & proximi, homilia. *Frequenter Iudæi*. quæ est altera pars eiusdem homiliæ.
In Matth. 26. De cœna Domini, hom. Incerti Monachi. *Ad hodiernum*.
In Matth. 26. De cœna Domini, hom. Incerti Monachi. *Secundum Saluatoris*.
In Matth. 27. homil. Incerti Monachi. *Euangelica Series*.
In Matth. 27. homil. Incerti Monachi. *Sufficiant quidem*.
In Marci, cap. 1. De principio Marci, homil. Incerti Monachi. *Animal illud*.
In Mar. 1. De Io. Baptista, hom. eiusdem. *Nunc veniamus*.
In Mar. 1. De Iesu veniente à Nazareth Galilæę, hom. eiusdem. *Videte vnitiones*.
In Mar. 1. De Christo degente cum bestijs, hom. eiusdem. *Quoniam præterita Dominica*.
In Mar. 1. De Christo ingrediente Capharnaum, homilia eiusdem. *Felix, & pulchra mutatio*.
In Mar. 1. De socru Simonis, homilia eiusdem. *Instruxerat Dominus*.
In Mar. 5. De sanguiniflua, hom. eiusdem. *Interrogat circumspiciens*.
In Mar. 8. De panibus, hom. eiusdem. *In superiori parte*.
In Mar. 9. De transfiguratione, hom. eiusdem. *Iurat Christus*.
In Mar. 10. De cæco, homil. eiusdem. *Quoniam sanctus presbyter*.
In Mar. 11. De Christo asinis inuecto, homil. eiusdem. *Ille qui ligatus*.
In Mar. 11. De ficu arefacta, homil. eiusdem. *Ingreditur Dominus*.
In Mar. 11. De eiectione vendentium, homil. eiusdem. *In Euangelio secundum Ioannem*.
In Mar. 13. De die iudicij, hom. eiusdem. *Euangelica lectio*.
In Lucæ, cap. 1. De natiuitate Ioan. Bapt. hom. eiusdem. *De Sol*.
In Luc. 2. De ortu Christi, hom. eiusdem. *Ioseph autem non audebat*.
In Luc. 10. De eo, qui incidit in latrones, hom. eiusdem. *Tunc dixit Dominus*.

In

In Luc. 15. De duobus filijs, homilia *Omnium quidem de scripturis*. Ferebatur autem inter Opera Hieronymi, tametsi nec Hieronymi esset.
In Luc. 16. De diuite, homilia incerti Monachi. *Quoniam dixerat*.
In Luc. 19. De Zachæo, homilia incerti Monachi. *Si per Christum*.
In Ioannis cap. 1. De verbo filio Dei, incerti Monachi, hom. *Si credis quod Deus*.
In Ioan. 1. De Ioanne Baptista, homil. eiusdem. *De Ioanne dicitur*.
In Ioan. 4. De veris adorantibus, homil. eiusdem. *Innumera beneficia*.
In Ioan. 11. De Lazaro, homil. *Grandi fratres*. creditur esse Chrysologi.
In Ioan. 15. Super, Vos amici mei estis, hom. incerti Monachi. *Dominus Christus in Euang.*
In Ioan. 20. De Maria flente ad monumentum, homil. 2. Quarum vna incipit, *Maria veniens*: altera, *Licet omnes*.
In Ioan. 20. De Thoma, homil. 1. *Hoc ergo hodie*.
In primum Cor. 13. De Fide, Spe, & Charitate, hom. 1. *Apostolus Paulus loquitur*.
In 1. Cor. 15. Super illud, Cum subiecta fuerint illi omnia, hom. 1. *In hesterno fratres*.

IOANNES Chrysostomus, Abbas Schyrensis in Bauaria, scripsit Axiomata contra abusum Diuinæ Scripturæ. Viuebat autem 1547. Eisingren.

IOANNES Chrysostomus à visitatione, Lusitanus, Theologus Cistercienſis, scripsit libros 12. De Verbis Domini, hoc est, De Verbis, quæ Maria Deipara, & simul Virgo sacrosancta ad Angelum, & ad Elisabeth cognatam locuta est. Venetijs apud Iacobum Vincentium, & Ricciardum Amadinum socios.

IOANNES Chrysostomus Zanchus, Basilij Zanchi frater, Bergomas, Canonicus Regularis, multarum linguarum peritus, scripsit Alphabetum dictionum, ac vocum Sacræ Scripturæ Græcum, Latinum, Hebraicum, & Chaldaicum, vsque ad literam R, quod ob mortem non potuit absoluere. Libros item tres de Origine Orobiorum, siue Cenomanorum, & Panegyricum ad Carolum V. Imp.

IOANNES è Ciminetho Gallus, Ordinis Carmelitarum, Professor in Metensi Ordinis sui cœnobio, scripsit Speculum Institutionis eiusdem Ordinis. Sermones de Tempore, De Sanctis, Quadragesimales. Tritemius, & Petrus Lucius.

IOANNES è Clarauo, Catalanus Hispanus, Carmelita, Episcopus Bosnensis in Sardinia, Commentarios in libros 4. Sent. Lecturas alias de Theologia libro vno. Sermones coram Pont. Max. habitos Auenione, reliquit. Obijt ann. 1340.

IOANNES Clerici, Belga, Ordinis Minorum, scripsisse fertur in Canticum Canticorum. Henricus Villot.

IOANNES Climachus Abbas in Monte Sinai, Sermones Græcè scripsit, quibus tamquam gradibus triginta ad similitudinem triginta annorum Vitæ Christi Domini discere quisque potest ascensionem ad perfectionem vitæ, & Christianæ, & Monasticæ, atque religiosæ. Versus autem erat Latinè antea, sed non aptè; cum Ambrosius Camaldulensis Monachus eum iterum è Græco in Latinum conuertit, & Michael Isseltius Notis illustrauit: quare hæc versio admittenda est, quæ Coloniæ prodijt apud Arnoldum Mylium anno 1583. & antea Venetijs ann. 1569. Sed & antea ibid. ann. 1531. apud fratres de Sabio. Quin & factus Italicè editus est anno 1585. Venetijs apud Petrum Marinellum. Porrò dum quisque gradum, seu Sermonem aliquem Ioan. Climachi percurrerit, meminerit ad Operis calcem extare Declarationem quandam breuem rerum magis notabilium, quæ in vnoquoque gradu, siue Sermone continentur. Quin & libro Ioannis Climachi adiuncta est tum Vita ipsius à Daniele Monacho, tum Onuphrij Anachoritæ à Paphnutio (aliàs Pafnuffio) scripta, qui Onuphrius in eremo socius fuit Ioannis Abbatis montis Sinai, quem Scholasticum appellarunt, & ad quem Ioannes Climachus librum suum scripsit. Extat in Bibliotheca SS. Patrum Margarini. Viuebat ann. 340. Eisingrenio. Extat item Romę in Bibliotheca Vaticana vnà cum scholijs Heliæ Cretensis.

Extabat item eiusdem in Sacram Scripturam Expositio de varijs capitibus Religionis, De Virtutibus, De Vitijs, De Beatitudine, De Precibus, De Pigritia, De Falso. m. s. in Bibl. Imp. Viennæ Austriæ.

IOANNES Clipston, Anglus, Notimgamiensis cęnobij Carmelita, librum exemplorum è Diuina Scriptura composuit. Postillas in Ioannem. Expositorium Bibliorum. Quæstiones Sententiarum libris quatuor. Disceptationes Scholasticas, libro vno. Sermones hyemales, æstiuos, de Sanctis per annum, per Aduentum, De communi Sanctorum. Viuebat ann. 1378.

IOANNES Cochlæus Norimbergensis, Germanus, & Catholicæ fidei propugnator contra Lutheranos, scripsit aduersus nouam in Ecclesia reformationem, & Senatus Bernensis apud Heluetios expostulationem, impressam Lipsiæ apud Nicolaum Fabrum, anno 1534. De canonicæ scripturæ, & catholicæ Ecclesiæ auctoritate libellum ad Hen. Bullingerum hæreticum Ingolstadij ann. 1543. Sacerdotij ac Sacrificij nouæ legis defensionem, aduersus Vuolfangi Musculi arrosiones, ibidem impressam, ann. 1544. In quattuor Andreæ Osiandri coniecturas de fine mundi, Velitationem, ibidem ann. 1545. De animarum Purgatorio Ingolstadij. aduersus locos communes Melanchthonis, item Philippicam sextam cōtra Melanchthonem. De nouis Hebræorum translationibus Sacræ Scripturæ. Disceptationem, Libellos Germanicè Lipsiæ ann. 1537. De Potestate generalis Concilij, triginta testimonia firma & irrefragabilia, per quinque discrimina: Refutationem 30. articulorum, qui Vvitembergæ disputati sunt. Septuaginta Sententias in generali Concilio. De factis & dictis Martini Lutheri libros aliquot, Moguntiæ impressos. De Petro & Roma, cōtra Verlenum, breues Confutationes, contra quingentos articulos Lutheri ex 36. Sermonibus eius excerptos. Commentarium in libellum Lutheri contra seditionem rusticam. Catalogum seditionum per diuersas Germaniæ partes exortarum. Contra Epistolam Pomerani ad Anglos scriptam. Ad Bernenses contra disputationem, ne fieret. Librum qui inscribitur Lutherus Septiceps. Dialogum de bello contra Turcas, vbi biceps est Lutherus. Apologiam pro Duce Georgio ad Electorem Saxoniæ. Responsionem contra mendacia Lutheri pro Duce Georgio. De Missa & Transubstantiatione contra Chronica Franci. De Missa & consecratione Sacerdotum contra Lutherum. De 21. Articulis anabaptistarum. Ad Iustum Ionam de Missa contra Lutherum. Ad regem Scotiæ contra Alesium, & Melanchthonem. De auctoritate Conciliorum. Contra catechismum Moibani. Contra Araneas Morysini Angli. Contra Ioannem Sturmium de consilio Cardinalium delectorum. Relationem compendiosam ad Regem. Epistolam ad Principes, & status partis Catholicæ. Philippicas 4. contra Melanchtonem, contra eiusdem Apologiam, & Confutationem Didymi Fauentini. De matrimonio regis Angliæ. Defensionem Roffensis Episcopi & Mori. Propositiones 153. aduersus 70. propositiones Lutheri contra Antinomos. Libellum, vtrum is, qui non est ab Episcopo aliquo consecratus, Eucharistiam per verba consecrationis conficere queat. Colloquium cum Luthero habitum Vvormatiæ. An liceat duas habere vxores simul. De vera Ecclesia. De ordinatione Episcoporum & presbyterorum, & de Sanctis. Eucharistię consecratione. Philippicam quintam. Contra 18. articulos Vvitebergensium de peccato originali, & 21. de fide iustificante. Defensionem ceremoniarum Ecclesiæ contra tres libellos Ambrosij Moibani. Quadruplicem rationem Concordiæ super confessione Augustana. De Inuocatione Sanctorum, eorumque intercessione, & de reliquijs, imaginibusque eorundem. Contra Bullingerum. Historiā de vita Theodorici regis Ostrogothorum & Italiæ. De modo & vsu orandi antiquo. Miscellaneorum lib. 3. qui diuersos continent Tractatus 30. Considerationem de Concordiæ Tractatu contra duo scripta Lutheranorū. Replicam in Musculi Anticochlæum, & in Antibolem Bullingeri, atque in quędam scripta Buceri. In Nycticoracem noui Euangelij. De veneratione Sanctarum Reliquiarū, contra Caluinum. De interim, contra eundem. De seditiosis appendices 3. ad librum Bruni. Historiæ Hussitarum, lib. 12. Philippicam 7. in Melanchtonem. Speculum antiquæ deuotionis circa Missam. Rudimenta Musicæ & Geometrię. Commentationem in Meteōra Aristotelis. Exhortationem ad Germaniam de inuocatione Sanctorum. Responsionem ad singula puncta Confessionis Protestantium Principum Augustę exhibitæ. Discussionem omnium Confessionis, & Apologiæ Augustanæ articulorum.

De Actis, & Scriptis Martini Lutheri historiam ab ann. 1517. vsque ad ann. 1546. quam in Germanicam linguam transtulit Ioannes Christophorus Huber, Ingolstadij ann. 1582. Scripsit etiam de Caroli V. ratione Interim. Quæ omnia diuersis in locis, plurima tamen Moguntiæ excusa sunt. Obijt Viennæ ann. 1552.

Ceterum Ioannes Cochlæus, qui ab hæretico aliquo Hormisdæ Papæ Epistolam fuisse conscriptam, dixit, excusandus est (inquit Baronius Card.) quòd caruit citatis à Baronio, atque adeo insertis suo 7. Annalium tomo Epistolis talibus Hormisdæ, quæ postea erutæ sunt inde, vbi delitescebant.

IOANNES Cognatus Tornacensis Orationem vberem edidit, De Naturali Dei cognitione, Louanij apud Philippum Zangrium, ann. 1595.

IOANNES Coletus, Anglus, scripsit Commentarios in Prouerbia Salomonis. In Euangelium Matthæi. In Epistolas omnes Pauli. Librum De reformatione. In Orationem Dominicam. In Symbolum Fidei. Breuiloquium dictorum Christi. Concionum Ordinariarum, lib. vnum. Extraordinariarum alterum. Disputationem contra Erasmum. Librum De moribus componendis. Alterum: De puerili Institutione. Obijt ann. 1519.

IOANNES Collgus, Carmelita, scripsit De Passione Christi Domini. De laudibus Apostolorum. Sermones aliquot. Epistolas ad diuersos. Viuebat ann. 1440.

IOANNES Coloniensis, siue, è Colonia Agrippina, Ord. Minorum scripsit in quatuor libros Sententiarum. Tabulam in omnia Doctoris subtilis Opera. Quæstiones Magistrales in Scoti Volumina Sententiarum, Quodlibetorum, Metaphysices, De Anima, & Posteriorum, quæ Basileæ prodierunt anno 1520. apud Adamum Petri. Postillam item æstiuam, & hyemalem.

IOANNES Colton, Anglus, scripsit de causa Schismatis, librum. De remedio Alterum. Viuebat ann. 1410.

IOANNES Columberius, librum edidit iuxta Alphabeti seriem, prænotatum, *Scala Cœli.* Vlmæ anno 1480. apud Ioannem Zainer.

IOANNES Columbinus, Episcopi Almirensis Suffraganeus, De Sacramento Confirmationis Germanicè. Dilingæ ann. 1572.

IOANNES Columna Romanus, Ord. Præd. Archiepiscopus Messanensis, scripsit Mare historiarum, libris decem. Epistolas ad diuersos.

IOANNES è Combis, Ord. Minorum, scripsit Compendium totius Theologicæ Veritatis. Adnotationes item cum D. Bonauentura Theologalium terminorum declaratione. Excudit Lugduni Gulielmus Rouillius, ann. 1560. Petrus autem Deuchinus Venetijs ann. 1575.

IOANNES Comes Sacrensis Epistolam ex Epheso scripsit ad Reges, qua exponit, quid egerit, vbi ad Synodum venit. Extat in Apologetico Cyrilli, pro duodecim Anathematismis.

IOANNES è Comitibus Catechismum Concilij Tridentini Romanum in quatuor libros, certaque capita distribuit, pluribus Diuinarum Scripturarũ, & Patrum testimonijs ad margi nem additis. Coloniæ ann. 1572.

IOANNES Comus Alexandriæ, quæ in Aegypto est, Chorepiscopus Epistolam scripsit Clementi VIII. Pont. Max. Vide autem Legationem Alexandrinæ Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem, in Appendice ad 6. Tomum Annalium Card. Baronij.

IOANNES Concilij, Gallus, Ord. Minorum, cum multa concinnasse scribatur à Francisco Gonzaga Mantuano Episcopo, atque interfuisse Tridentinæ Synodo, quænam tamen illa fuerint, tacentur.

IOANNES è Condeto, Hannoniensis, Carmelita Cœnobij Valencenarum scripsit in Canonicam Epistolam D. Ioannis. Lecturam in libros quatuor Sent. Sermones de Tempore, ac De Sanctis. Viuebat anno 1380.

IOANNES Consiliarius scripsit, quam & habuit Tridenti in Concilio, Orationem de Triumpho Christi, die eius Ascensionis anniuersaria.

IOANNES Consobrinus Lusitanus Carmelita, scripsit Opus tripartitum De Contractibus, siue de Iustitia Commutatiua, quod prodijt Parisijs, ann. 1496. apud Guidonem Mercatoris. Sermones item varios, & Francisci Mayronis Conflatum in Compendium redegit. Viuebat ann. 1475. qui Sixto Quarto Pontif. Max. Obijt Vlyssipone.

IOANNES (vt Isidorus habet in Catalogo) sanctæ memoriæ Constantinopolitanus Episcopus, natione Cappadox, vir inæstimabilis abstinentiæ, & eleemosynis tam largus, vt etiam zelo auaritiæ aduersus eum Imperator Mauritius permotus, vrbe pellendos pauperes ediceret, Græco eloquio edidit de Sacramento Baptismatis rescriptum ad B. recordationis Dominum meum, & prædecessorem Leandrum Antistitem, in quo nihil propriũ ponit, sed tantummodo antiquorum Patrum replicat de trina mersione sententias. Claruit temporibus Mauritij Principis, defunctusque Augusto eodem regnante: anno autem 590. vt habet Tritemius. Eius libellus de Fide extat in Volumine Conciliorum Coloniæ editorum.

IOANNES Contractus, Belga, Ord. Minorum, scripsit libros sat vberes Concionum, quas olim excudit Ioannes Roelhoff Lubecensis. Extabant in Bibliotheca Franciscanorum Louaniensium.

IOANNES Corasius De Beneficijs. Vide in Tractatibus To. 15. p. 2. fol. 287. excusis Venetijs vltima editione.

IOANNES Cornubiensis Theologus, scripsit ad Eulogium De Homine assumpto. De virtute Crucis. In Canonem Missę. Disceptationes. Epistolas ad diuersos. Qui verò aiunt eum scripsisse Commentarios scripturarum, idque pluribus libris, non declarant, quinam ij fuerint. Viuebat ann. 1170.

IOANNES Costerius, Parochus Aldessardensis, edidit Institutionem De Exitu Aegypti, & fuga Babylonis, qua Catholicos hortatur, vt è Ciuitatibus hęreticorum ineuitabili contagio pollutis egrediantur. Duaci apud Ioannem Bogardum ann. 1580. Puto autem hunc ipsum esse, qui Commentariolum ad Vincentij Lyrinensis aduersus hęreses libellum edidit Colonię ann. 1569. quamuis hic *Ioannes Costerus*, non Costerius scribatur. Sed & Ioannis Costerij opera recogniti atque recensiti ex collatione veterum Codicum emissi sunt Sermones Guerici, Abbatis Igniacensis, Antuerpię apud Philip. Nucium, ann. 1580.

IOANNES Couillonius Belga Theologus Societatis Iesu Conclusiones edidit deductas è priore Epist. D. Pauli ad Corinthios. Romę apud Ant. Bladum, ann. 1554.

IOANNES Crassus, siue (vt vocant) *de Crassis* tam suis, quam aliorum Notis illustrauit Commentaria Dominici è Sancto Geminiano in Volumen Decretorum.

IOANNIS Creselij, Academię Ingolstadiensis Bibliothecarij elogia in duas diuisa partes: quarum prior iam inde à Constantino illo Magno Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum heroum superioribus, & nostro seculo virtute bellica illustrium encomia complectitur: Posterior eos collaudat, qui eruditionis laude, & publicatis literarum monumentis, vel olim claruerunt, vel etiamnum clarescunt. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium, ann. 1584.

IOANNES de Cressy, quem, *Ioannem Monachum*, nominãt, Gallus, quem & *Moriuunt* dictum fuisse scribit Belleforestus, ob nomen professionis, quam suscepit, Ordin. quidem D. Benedicti, Congregationis Cluniacensis fuit, ac deinceps Episcopus Meldensis, & Cardinalis tit. SS. Petri, & Marcellini, Vicecancellarius, denique Pont. Maximus, quique Collegium Parisijs fundauerat, quod hodieque Collegium Card. Monachi vocatur, scripsit in Sextum librum Decretalium Commentarium, qui inscriptus est: *Glossa aurea*; Hic verò Parisijs ann. 1535. sub nomine *Cardinalis* non *Monachi*, deinde Venetijs ann. 1586. cum additionibus Philippi Probi Biturici I.C. excusus est. Obijt ipse Ioãnes ann. 1307. Auenione. Le College du Moyne.

IOANNES è Cruce Ambianensis Gallus, Ord. D. August. Homilias reliquit in omnes dies Dominicos, ac festos totius anni. Obijt Parisijs ann. 1525.

IOANNES Curiensis Germanus ob vitę sanctitatem celebris, D. autem Galli Abbatis auditor, ac deinde Constantiensis Episcopus ad Acronium lacum, scripsit pro fide Catholica aduersus hęreticos. Viuebat ann. 633. Eisingr.

IOANNEM Curopalatam Caluinianus interpres, & scholiastes, Iunius nescio quis malè vertit, vt Diuinum in Ecclesia cultum adhiberi solitum obliqua mente obscuret, nimirum σεβασμίαν μονὴν perpetuò vertit, *Venerandam Aedem*, cum vertendum sit *venerabile Monasterium*. Graeci enim vocant Monasteria μονὰς, quasi dicans *mansiones*. Hinc & apud Latinos Ecclesiasticos Auctores *Mansionarij*. Simili astu & voces has *Liturgia*, *Vesperarum Officium*, *Peruigilia*, *Matutinum*, *Festa Domini*, & alia, quae sunt in Graeco contextu euidentissima, perturbat. Vide Iacobum Gretserum nostrum pag. 588. & 589. in Notis ad secundum Tomum sui Operis De Cruce, vti & ibidem pag. 597. & maximè pag. 599. 600. 616. & 622.

IOANNES Dadraeus, Theologus Doctor Parisiensis, scripsit Locos communes similium, & dissimilium, ex omni propemodum antiquitate, tam sacra, quam profana collectorum, quibus docendi, & dicendi ratio Theologiae, ceterarumque artium studiosis facilè, ac copiosè suppeditatur. Parisijs ann. 1557. apud Michaelem Iulianum, & ibidem anno 1582. quae auctior fuit, vti & quae Vvirtzburgi, hoc est, Herbipoli in Franconia prodijt ex Officina Henrici Aquensis, Episcopalis Typographi, eodem anno 1582. Sed & postea Venetijs anno 1583. excusi sunt apud M. Anton. Zalterum, & Michaelem Zannettum, & ann. 1594. Coloniae, sumptibus Arnoldi Mylij. Quin & eiusdem opera libri Eusebij Caesariensis emendatiores, & Scholijs illustrati Parisijs emissi sunt, ann. 1581. Vbi & librum protulit De Vita Christi Domini à Ludolpho Cartusiano ex Euangelio, & Patribus contexta, ita dispositum, vt Historiae, ac totius anni Concionibus vsui esse possit. Denique & Glossae cum Ordinariae, tum Interlineari, ac Postillae Nicolai Lyrani, cum Pauli Burgensis magno studio repurgandis in Biblia suam operam praestitit vnà cum Francisco Feuardentio, & Iacobo Cueillyo, Theologis eximijs Parisiensibus. Vide in verbo, Glossa.

IOANNES Dalton, Anglus I. V. C. scripsit in Decretales.

IOANNES Damascenus natione; cognomento autem Chrysoras, & Mansur; qui à Paulo Diacono nominatur etiam Manzurim, & Saracenicus, non fuit Sacerdos, vt quidam scripserunt, sed omnibus disciplinis excultus; cum autem plura scripsisset Graecè, secessit denique in eremum post excisam sibi ab Iconomachis, sed deinceps Beatissimae Virginis ope restitutā manum, qua aduersus Leonē Imperatorem Iconomachum scripserat. Ceterum vir fuit eloquentissimus. & *Opera ipsius*, (inquit Suidas) *per quam multa, & in primis erudita, tum in Diuinam Scripturam Parallelorum collectanea, tum Musici Canones, partim Iambico carmine conditi, partim oratione soluta. Floruit autem vnà cum eo Cosmas Hierosolymitanus, vir elegantissimo ingenio, Musicamque spirans prorsus concinnam, ac modulatam. Certè Musici canones Ioannis, & Cosmae, nullam adhuc comparationem admiserunt, nec, quamdiu hic Mundus durabit, admittent.* Floruisse autem Damascenum sub Theodosio Seniore, Volaterranus, Vincentius Valuacensis, ac D. Antoninus tradunt: Quod quidē Ioannis Hierosolymitani, & ipsius adeo Damasceni testimonio refutatur. Petri enim Cnaphei meminit libro tertio de Orthodoxa fide, cap. decimo, & in libro de Trisagio: qui Cnapheus in quinta Synodo sub Iustiniano damnatus est: Quarto etiam libro, capite decimoseptimo aduersus Iconomachos disputat. Et in libro de haeresibus Monothelitarum auctores profert Cyrum, Sergium, & Eustathium, qui in sexta Synodo condemnati sunt: vt hinc etiā Tritemius falsus sit, qui duos Damascenos fecerit; alterum sub Theodosio, qui Theologiam fusè antea disputatam primus in methodum apud Graecos perdoctè redegerit; alterum sub Leone, qui pro imaginibus disputauerit. Certissimum est itaque Damascenum sub Leone III. Imaginum hoste floruisse circa ann. 740.

Porrò nactus est praeter alios bonum Interpretem, qui eius labores è Graeco Latinos fecit. Qui quidem sequenti cum Inscriptione, Partitione, ac Monitis euulgati fuerunt: *S. Ioannis Damasceni Opera, multò, quàm vnquam antebac auctiora, magnaque ex parte nunc de integro conuersa per D. Ioannem Billium Prunaeum, S. Michaelis in Eremo Coenobiarcham; cum locupleti rerum, & verborū memorabilium Indice: Parisijs apud Gulielmū Chaudiere an. 1577. Carolo Cardinali Borbonio ab ipso Billio dicata.*

Elenchus

Elenchus Operum D. Ioannis Damasceni: quorum quæ asterisco notantur, tunc primum in lucem exiuerunt Parisijs.

✱ Parallelorum libri tres: Qui ita percommodè distincti fuerant à Damasceno, vt Primus ea complecteretur, quæ ad res Diuinas, ac fidem pertinent; In Secundo autem de rerum humanarum statu; In Tertio denique de virtutibus, ac vitijs ageretur. Verum postea, vt Lectores ea, quæ quærerent, facilius inuenirent, consilium mutauit, atque Alphabetico ordine capita collocare maluit.

Quòd si in hoc genere (inquit Billius) tum Antonij Meliss, tum Maximi Collectanea, magna cum animi voluptate studiosi legunt, certè dubium non est, quin maiore illos oblectatione Parallelorum lectio affectura sit, vt quæ longè vberiorem, atque ornatiorem suppellectilem ipsis subministret.

Auctores autem, ex quorum scriptis Damascenus Parallela sua condidit, hi sunt.

Athanasius.
Basilius.
Cassianus.
Clemens Alexandrinus.
Cyrillus.
Didymus.
Dionysius Areopagita.
Dionysius Alexandrinus.
Dorotheus.
Eleutherius.
Epiphanius.
Euagrius.
Eusebius.
Gregorius Thaumaturgus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.
Hesychius.
Ignatius.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Climachus.
Iosephus.
Irenæus.
Isidorus Pelusiota.
Iustinus.
Maximus.
Methodius.
Nilus.
Philo.
Serapion.
Sixtus, quem tamen Romanum Pontificem esse putat, cum sit Pythagoricus Philosophus.
Synesius.
Theophilus.
Theotimus.
Testamentum vtrumque.
Theodoretus.

De Orthodoxa fide libri quatuor, cum Iodoci Clichtouei Commentarijs.
De ijs, qui in fide obierunt.
✱ De Christi Transfiguratione Oratio Græcè, & Latinè.
✱ De Natiuitate B. Mariæ Orationes tres Græcè & Latinè.
De eiusdem Assumptione.
Iambica pentasticha Græcè & Latinè.
Varia Cantica numeris soluta.

✱ Ecclesiastica Græcorum Cantica, quæ Ὀκτὼ ἦχοι, vel Ὀκτάηχος, hoc est, Octosoni inscribuntur: Auctoribus D. Ioanne Damasceno, Metrophane Smyrnæo, & alijs Ecclesiæ Orientalis Doctoribus: Petro Morelio Turonensi Interprete, ex Bibliotheca C. V. D. Ioannis à Sancto Andrea.

Damasceni Dialectica.
De decretis, & placitis primæ Institutiones; Ioachimo Perionio Interprete.
Quomodo ad imaginem Dei creati simus, eodem Interprete.
De Imaginibus Orationes tres, Francisco Zino Interprete.
✱ Physica.
De Hæresibus, Perionio Interprete.
Aduersus Manichæos Dialogus.
De natura composita.
Epistola de Trisagio.
De duabus Christi voluntatibus, Perionio Interprete.
✱ Vita S. Stephani Iunioris.
Disputatio Christiani, & Saraceni, incerto Interprete.
Sententiarum fragmentum, Pircheymero Interprete.
✱ Euagrij de octo vitiosis cogitationibus.
✱ Nili de ijsdem.
De die Iudicij, incerto Interprete.

Damasceni Historia de Barlaam, & Iosaphat, de qua à quibusdam ambigebatur, num Damasceni esset: sed Billius verum Damasceni eam esse fœtum non inualidis rationibus ostendit. Ea vero edita est etiam separatim apud Bellerum, Antuerpiæ ann. 1602.

Omnia

Omnia in quibus Interpretis nomen adiunctum non est, à Iacobo Billio Latinitate donata sunt.

Præfixa est autem Operibus, eiusdem Damasceni Vita, per Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum, Billio Interprete: sed quæ Vita, vt is ipse Io. Patriarcha refert, rudius aliquanto, & incultius lingua, & literis Arabicis fuerat conscripta.

Atqui vt antea varijs in locis varia Damasceni Opera prodierant, ita eadem à varijs aut versa in Latinum, aut Notis illustrata fuerunt. Nam & non solus Zinus, verum etiam Godefridus Tilmannus Latinas reddidit eas Orationes, quas scripsit Damascenus aduersus Imaginum traductores: quæ & Antuerpiæ ann. 1556. fuerunt emissæ in lucem. Historiam verò Barlaam, & Iosaphat ibidem edidit (vt diximus) Ioannes Bellerus, cum Scholijs Aloysij Lipomanni, ann. 1568. Pleraque autem Iacobus Faber Stapulensis eorum cō uerterat, quæ Veronæ Græcè emissa ann. 1531. prodierunt Parisijs, apud Henricum Stephanum ann. 1507. & 4. libri de Fide Orthodoxa, qui Marpurgi ann. 1602. ne quid dicam de ijs, quæ Basileæ ann. 1548. euulgata sunt, cum Billius ipse postea limam suam vir doctissimus adhibuerit. Canones quidem Anastasimi extabant in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini.

Iam verò adhuc anno 1603. eadem Damasceni Opera auctiora Parisijs cudebantur, non cessante Deo proferre in lucem seruorum suorum labores, vt nouas identidem coronas in cęlis accipiant.

Quædam obiecta Damasceno.

Præter illa verò, quæ à Billio declarata sunt, in quibus aliqua scripta Damasceni non fuisse legitimos eius fœtus ferebatur, D. Thomas, Bessarion, Gennadius, Sixtus Senensis, & Bellarminus Cardinalis, eum sic tuentur, siue exponunt. Nam lib. 4. de fide Orthod. locum in fine, vbi vocat ignem Inferni non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus, etsi Durandus Portianensis in quarto Sent. liberè pronunciat, in hac parte malè sentientem errasse; Diuus tamen Thomas eius mentem benignè interpretatur, vt Damascenus intellexerit ignem inferni non esse materialem perinde ac nostrum, qui ab illo igne proprietatibus aliquot discernitur: vel eum non negasse Inferni ignem materialem esse, quoad substantiam, sed quoad punitionis effectum: punit enim spirituali quadam actione corpora, quæ nec dissoluit, nec consumit, & ipsas animas multò magis spiritualiter cruciat.

Quod item lib. 4. de fide cap. 10. τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται. i. *Oleum Baptismati succedit.* Oecolampadius autem vertit *Oleum in Baptismate assumitur.* In Codice Gręco non est, *In Baptismate*; & verbum παραλαμβάνω propriè dicitur de eo, quod assumitur, vt alteri succedat, quemadmodum Sacramentum Confirmationis Sacramento Baptismi succedit.

Damascenus quoque, vt docent Bessarion, & Gennadius, non negauit Spiritum Sanctum procedere ex Filio, quòd ad rem attinet, cum dixerit Spiritum esse imaginem Filij, & per Filium esse; sed existimauit, tutius dici per Filium, quàm à Filio, quòd pertinet ad modum loquendi, propter hæresim Macedonij, & Eunomij, qui ex Filio tamquam ex primaria, imò etiam sola causa processisse dicebant Spiritum Sanctum: Quemadmodum dicimus post hæresim Nestorij, Mariam non esse Christiparam, sed Deiparam, non quod non sit Christipara, sed ne putetur solùm Christipara, & non Deipara. Ceterum sicut propter hæresim Macedonij rectè dicebatur Spiritus esse à Patre per Filium; ita propter errorem Græcorum rectius dicitur nunc à Patre, & Filio.

Porrò Damascenus libros suos de Fide ante Concilij Septimi tempus scripsit, in quo Concilio Symbolum legitur cum hac additione, *Filioque.* Quamobrem, si eo tempore vixisset, planius vtique de Processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio scripsisset.

Cum audiuisset, ac credidisset Traiani Imp. animam Gregorij Magni precibus ex Inferno liberatam fuisse, id quidem bona fide Vir Sanctus retulit: At commentum falsissimum fuit, quod putabatur esse historia.

IOANNES Datus è Foro Cornelij, quæ vulgo dicitur *Imola*, primò Ordin. D. Augustini, deinde eiusdem Ciuitatis Episcopus, scripsit De Diuinis attributis. In libros Diuî Augustini de Trinitate. In eundem contra Faustum Manichæum, & contra Cresconium Donatistam. In Priora, & Posteriora Aristotelis. De Potentijs animæ. Obijt autem anno 1360. ætate sat viridi, in Aede Cathedrali Episcopatus sui sepultus. Ioseph Pamph.

IOANNES è Dauentria, Belga, Ordin. Minorum, Minister Prouinciæ Coloniæ eiusdem Ordinis scripsit aduersus hæreticos Exegesin errorum Lutheranæ Confessionis. Librum item contra Anabaptistas, qui inscriptus est *Catapulta*. Et Apologiam. Viuebat anno 1535.

IOANNES Dauid Cortracensis, Belga, Societatis Iesu, librum prænotatum, *Veridicus Christianus*, emisit Antuerpiæ ex Officina Plantiniana, ann. 1601. & Araneam Caluinisticam, ibidem editam.

IOANNES de Dehu, Gallus, qui fuit à Concionibus Ducis Mompenserij, edidit Expositionem ad Articulum Catholicæ Confessionis Gulielmi Caillierij presbyteri. Lugduni ann. 1578. ex Typographia Michaelis Iouij Gallicè.

IOANNES Delphinus Italus è Casali Maiore, quod est ad Padum insigne Oppidum in tractu Cremonensi, Ordin. Minorum, scripsit de Cęlibatu Sacerdotum. De Potestate Summi Pont. & de Notis Ecclesiæ, quæ Coloniæ prodierunt. De cęlestibus Globis ad Camillum Paleottum. De Methodo. Franc. Gonzaga.

IOANNES Delphius Episcopus Tripolitanus Quæstiones proponendas ordinandis in maioribus ordinibus, ad vsum Diœceseos Argentinensis, qua parte retinet Catholicum cultum, & suo legitimo Episcopo subest, emisit. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1581.

IOANNES à S. Demetrio, Aquilanus, Ordin. Minorum, scripsit Italicè Conciones, quas & euulgauit.

IOANNES Dencok Saxo, siue Turingus, Ord. D. Augustini, scripsit in Magist. Sent. Quæstiones item Pragæ disputatas. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Epistolas ad diuersos. Viuebat ann. 1360. Tritem. At Ioseph Pamphilus inquit obijsse eum Pragæ, ann. 1352. die 15. Iunij.

IOANNES à Deo, Venetus, Italus, Venetæque Cartusiæ Monachus, scripsit De immensa Dei charitate. De humilitate interiore, & vera patientia. De præparatione ęgrotorum, & dispositione morientium. Coronam Senum. Opus denique inscriptum: *Nosce te ipsum*. Viuebat Friderico III. Austriaco Augusto.

IOANNES de Deo, Hispanus, scripsit Concordantiam Decreti, atque Decretalium. Ad nouas item, ac veteres Decretales. Quæstiones varias. De dispensationibus pro ratione diuersorum personatuum, & dignitatum. Librum Pœnitentialem, vbi De generali Confessione: De pœnæ impositione: De peccatorum Origine: Quonam modo habere se debeat Confessarius ad pœnitentem: De pœna personarum, quæ in Statu Spirituali eminent in dignitatibus: De ijs, qui sunt in Statu Seculari: De pœna Religiosorum, & vtilitate pœnæ: De differentia mortalium, ac venialium peccatorum: & quomodò peccata vitentur. Sed & reliquit libros septem de Cauillationibus, & quatuor alios, quos prænotauit, *Iudicium*: duos autem, quibus Tabulam Decreti, & vnum, quo Tabulam Decretalium explicuit. Viuebat Bononiæ ann. 1240.

IOANNES Diaconus, Romanæ Ecclesiæ ab alijs *Paulus* nomine non suo appellatus, ad Ioannem Septimum huius nominis Papam, scripsit Vrbano stilo quatuor libros de Vita primi Gregorij Papæ, & idem petente Ganderico Veliternensi Episcopo, scripsit etiam gesta Clementis Papæ Sigebertus in Catalogo. Viuebat autem ann. 860.

Eum verò lapsum fuisse constat, cum scripsit S. Gregorij Magni atauum fuisse Felicem Pont. Max. huius nominis Quartum, cum fuerit Tertius. Sic enim & ratio temporis, & Patria quoque cogit affirmare: siquidem ille Samnita; hic verò Romanus fuit, sicut & Gregorius. Vide Baron. Card. To. 6. initio anni 492. in Annalibus; in Notis autem ad Martyrologium Roman. die 25. Februarij.

Quin & Ioannes Diaconus trecentos annos post D.Gregorium Magnum Vitam huius scripsit, in quibus, quod sæpe accidit historicis licet oculatis, non potuit omnium rerum assequi notitiam. Nam propterea inter alia illud ipsum, quod Ioannes Diaconus asseruit de Cardinalatu Gregorij sub Benedicto Papa, quodque in Romano Breuiario legebatur, est correctum in Breuiario iussu Clementis VIII. Pont. Max. recognito, ac Benedicti ipsius nomen est sublatum, quod tandem Viri docti id senserint apertum esse mendacium: vt ipse Antonius Gallonius rectè obseruauit in suo Apologetico aduersus Constantinum Bellottum, monachum Cassinatem.

IOANNIS Diaconi, Monachi Cassinensis Versus quosdam extare De Beatissima Virgine, scribit Arnoldus Vion.

IOANNES Diaconus, Hispanus, librum edidit, qui Flos Decretorum dicitur, quique cum ijs fuit excusus.

IOANNES Dibbarola, Canonicus Vasatensis, in Aquitania Galliæ, edidit Opus à Baptista Saluatoris olim eiusdem Ecclesiæ Canonico conscriptum, qui quidem nomen suum non adscripserat ob animi demissionem, in laudem Diui Ioannis Baptistæ Præcursoris. Burdigalæ ann. 1530.

IOANNES Dietenbergius, Ordin. Prædic. ad quem Francofordiæ admissus est, Latinè & Hebraicè, præter Theologiam, noscens, prauitatis hæreticę Inquisitor apud Rheni, & Mosellæ Confluentiam, Postillam ad Euangelia totius anni Germanicam, & vberem scripsit, quæ anno quoque 1583. Coloniæ prodijt. Opusculum de votorum emissione, ac solutione. Alterum de Apostasia. Aliud de Præceptorum, & Consiliorum differentia. Vtrumque autem Testamentum, ne quis in laqueos versionum hæreticarum impingeret, è vulgata editione Germanicum reddidit. Falsas item hæreticorum opiniones, & mores indicans, nec semel cum Luthero congressus, sanctissimum autem Sacrificium propugnās librum edidit, quem *Phimostomum* inscripsit, siue *Confutatorium Scripturariorum* (ita enim Lutheranos appellabat) & *Frenum Lutheranorum*. Vixit ann. 1520.

IOANNES Diophylas, Belga, Gandensis Carmelita, cum vigesimum ætatis annum haud excessisset, pleraque carmine, ad quod natus videbatur, scripsit. Quæ omnia Lugduni cum expressa eius effigie ann. 1527. quo ibidem Mundo valedixit in Domino, exierunt in lucem. Nimirum Christomachia. Fornax Chaldaica. Catachresis Israelitica. Laus Lucis. Erotema Religionis. Carmen de Belgio. Odæ in Christi Domini Natale. Epigrammatum liber. Epistolæ ad diuersos.

IOANNES Docæus, Gallus, Ord. D.Benedicti, quique insigni D.Dionysij cœnobio extra Parisios prȩfuit, quem & Laudunensem fuisse Episcopum scribunt, reliquit Librum De æterna generatione Filij Dei, & eiusdem temporali, vt hominis, natiuitate, qui Parisijs prodijt apud Carolum Pererium ann. 1554. Enarrationem Dominicæ Passionis, quæ ibidem apud Viuantium Gualterotum, ann. 1552. fuerat excusa. De Domini quoque Resurrectione, ibidem ann. 1560. Homilias ad populum, Antuerpiæ apud Ioãnem Steelsium ann. 1561. Videat, cui lubet, Vitam eius Operibus ipsius præfixam. Eundem autem hũc esse, quem Eisingrenus *Ioannem Docreum* scribit, qui de Vita, Passione, sepultura Dionysij Areopagitæ scripserit, quem item vixisse ferunt ann. 1318. probabile videtur. Io. Docreus.

IOANNES Dominici Florentinus, ann. 1340. natus ex obscuris parentibus, si Mundana spectemus, in Ord. Prædicatorum ann. 1362. admissus, vir ita viuido ingenio, vt D.Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui fuit discipulus ipsius, testatus sit, eum in nulla scientia, velut alterum Augustinum, habuisse Doctorem; deinde Rhagusæus Archiepiscopus, denique Cardinalis, tit. S.Sixti, à Gregorio XII. Pont. Max. creatus: Postremò autem iam plenus dierum missus Legatus in Hungariam ad Sigismundum Imp. Budæ obijt, sanctitate ac miraculis clarus, vt idem D.Antoninus refert ibidem. Scripsit autem In Ecclesiasten. In Canticum Canticorum. In D.Matthæi Euangelium, in quo Scholasticas Expositiones inseruit. Expositionem in *Magnificat*. Alteram Epistolæ D. Pauli ad Romanos. Quadraginta quattuor Sermones iusto volumine De Amore charitatis Italicè, in verba illa D.Pauli 1.Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar*. Sermones quinquaginta Par.hist.3. ti.23.c.11.

in nouem primos Psalmos, quos in Cathedrali Florentina Ecclesia exposuerat. Sermones Quadragesimales. Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Librum inscriptum: *Lucula noctis*. ad Colucium Saluiatum, qui de Fortuna, & Fato incommodè scripserat. Itinerarium deuotionis.

IOANNES Dominicus Candela, Siculus, & Theologus Societatis Iesu, scripsit Italicè de Bono Virginitatis Discursus (vt vocant) quatuordecim, ijque Panormi editi sunt anno 1599. apud Ioannem Baptistam Maringum. Id verò & argumentum, & quæ ad illud attinent, testatur se, vir ingenuus, accepisse ex Ambrosio, Hieronymo, Gregorio Nazianzeno, Basilio, Gregorio Nysseno, Ioanne Chrysostomo, Augustino, Cypriano, & alijs pluribus Ecclesiæ Luminibus. Atqui & secundum eiusdem argnmenti volumen expectabatur ab eodem.

Io. Dorsten. IOANNES Dorpen, Germanus, siue (vt alij scribunt) de Dortsten, Ord. D. Augustini, Professor Gymnasij Erfordiensis ingens Volumen Sermonum reliquit. Viuebat an. 1474. Tritem. Eisingr. Iosephus Pamphilus.

Io. Dornstein. Quòd si hic Ioannes est idem, qui etiam cognominatur, *Dornstein*, sciendum est, cum scripsisse Quæstiones Sententiarum. Librum quoque de vitijs linguæ. Alterum item de cognitione Angelorum, & Consolatorium contra mortis metum.

IOANNES Douetus, siue *de Douet*, Dinnanicus, Ord. Minorum, Professor Theologiæ nostra ætate Parisijs, in vnum contexuit Formalitates Scoti, Syrecti, Trumbetæ, Brullisferi, Franciscanorum.

IOANNES Driborck fertur extare m.s. ad quinque libros Decretalium in Germania. Is mihi ignotus.

IOANNES Driconus, Anglus nobilis, fertur scripsisse contra Seductores Fratres. De tribus item Principijs. De Relatione. De Principijs Theologicis. Conclusiones Scholasticas. Viuebat anno 1260. ni mendum sit in numero.

IOANNES Driedo, in Municipio Turnhoutano apud Brabantos in Belgio natus, suæ gentis industriam, ad Theologiæ studium felici conatu traducens, in ea, & in linguarum peritia eminuit. Publicè autem in Louaniensi Academia docens scripsit.

Quattuor libros ad Ioānem Lusitaniæ Regem De Ecclesiasticis Scripturis, atque dogmatibus, qui anno 1550. Antuerpię apud Birckmannum, & alibi cusi, denique cum ampliori Indice recusi sunt Louanij ann. 1592. apud Bartolomæum Grauium.

Atqui cū post quattuor istos libros Tractatum digessisset de Temporibus ad illustrandas obscuritates in Sacra scriptura emergentes, falsus est in eo, quòd statuerit sequendam esse supputationem Berosi Chaldæi, Metasthenis Persæ, Manethonis Aegyptij, Philonis Iudæi, Xenophontis Græci, Fabij Pictoris, & Catonis Romanorum, quorum Chronographiam cum Hebraica Sanctæ Scripturæ veritate concordare conatur. At vir, alioquin doctissimus, nondum animaduerterat hosce Auctores esse suppositițios. Vide quę 16. lib. Selectæ Bibliothecæ de ipsis, & in verbo *Annius Viterbiensis* scripsimus in hoc Apparatu.

Scripsit item De Gratia, & Libero Arbitrio, atque huius cōcordantia cum D. Prædestinatione. Præterea de Captiuitate, atque Redemptione humani generis, ac de Libertate Christiana. Viuebat ann. 1540.

IOANNES Drusius, donec expurgetur, prohibitus est in Romano Indice. Scripsit in Nahum, Habacuk, Sophoniam, Ioelem, Ionam, Abdiam. Eiusdem in Græcam editionem coniectanea, & Interpretum veterum, quæ extant fragmenta Lugduni Batauorum. Græcam, Hebraicam, Latinam linguam callens breuissimè scribit, vt expurgatis quibusdam erroribus, siue item modis dicendi, sit futurus alicui vsui.

IOANNES Dubrauius, Olomucensis Episcopus, Historiam Boemicam scripsit, quam quidem audio à Thoma Iordano Medico nouis Genealogiarum, Episcoporum, Ducum catalogis, & Notis auctam, sed quoniam eam non legi, nihil hic possum addere: Viderint autem cordati Catholici, quænam ea sit, pręsertim cum Basileæ à Typographo haud Catholico fuerit excusa, ann. 1575.

IOANNES Dumbleton, Oxoniensis in Anglia Philosophus, atque Theologus, dum

Catholica

Catholica fides, atque interiores literæ vigebant, scripsit Summam Theologiæ maiorem, libris decem. Summam Theologiæ minorem, libro vnico. Summam artium, lib. altero. Commentarios in Cantica. Libros decem in Philosophiam moralem. Libros nouem de Logica intellectuali. Totidem de Philosophia naturali. Viuebat ann. 1320.

IOANNES Degue, Ord. Minorum, ex Hispanico Latinum reddidit librũ prænotatum *Speculum Consolationis afflictorum, & tristium:* idque Parisijs prodijt ann. 1582.

IOANNES Dumæus, Belga, Ord. Prædic. Gandensis conuentus, siue Cœnobij filius, & Theologus S, ermones tum Quadragesimales, tum in Psalmos Graduales reliquit. Viuebat adhuc ann. 1571.

IOANNES cognomento Duns, Ordinis Minorum, natus in vlteriore Britannia, ad Caledoniam Syluam, Gulielmi Varronis Anglici, eiusdem Instituti (non autem Alexandri de Hales (vti putabat Tritemius, & ex eo Sixtus Senensis) qui anno 1245. diem obierat) Parisijs quondam auditor, & discipulus, floruit anno Domini 1300. Hic à Patria Scoti nomen in Scholis obtinuit, & in Diuinis Scripturis, ac in Philosophia Aristotelica adeo præstitit, vt in disputationibus palmam ceteris prærip eret, atque ob id Doctor subtilis fuerit appellatus. Hic primum in Anglia, Oxonij, Sententias interpretatus: deinde in Schola Parisiensi primum locum assecutus, Academiam illam illustrauit, Theologia Scholastica multis subtilitatibus exquisitis aucta, in quibus, quòd multa, quæ non ita patebant, eruerit, factum est, vt qui eius doctrinam sectantur, Scotistæ vocentur. Hunc autem complures instituisse discipulos constat, inter quos fuere præcipui Franciscus Mayronis, Antonius Andreæ, Aragonius, Aluarus Pelagius, natione Hispanus, & Ioannes Canonicus. Qui verò huic Doctori primam Dionysij Areopagitæ librorũ partem de Sacra Hierarchia, è Græco cõuersionem ascribunt, falluntur: Alteri enim Ioanni Scoto Monacho, qui multis istum seculis antecessit, & Athenis Græcè didicit, ea referenda est. Nimirum ille vixit anno 877. & iussu Caroli Calui Francorum Regis, libros illos Latinitate donauit; discipulus olim Bedę, & collega Alcuini, siue Albini, & vnus ex quatuor fundatoribus Gymnasij Parisiensis, qui postea ab Alfredo Rege è Gallijs, vbi Carolus Caluus eum fouebat, reuocatus in Angliam, in Schola Oxoniensi, quę ab ipso Alfredo fuerat instituta, prælegit. Sed cũ Ordini S. Benedicti se addixisset, discipuli, quos (vt fit) erudiendos susceperat, apud Monasterium Malmesberiense, contra ipsum conspirarunt, graphijsq́; assumptis transfixerũt, atque illum sęuissimè interemerunt, & Martyr Christi ęstimatus est. Ioan. Scotus Monachus.

Porrò scripsit Ioannes Duns pleraque in Theologiam, & in doctrinam Peripateticam. Quorum hæ sunt inscriptiones:

Scriptum Oxoniense super Sententias, lib. 4. Quod incipit, *Circa prologum huius primi libri.*

Scriptum Parisiense, super Sententias, lib. 4.	
Quodlibeta, lib. 1.	*Cuncta res difficiles.*
Collationes Parisienses, lib. 1.	*Vtrum tantum sit, &c.*
De primo omnium rerum principio, lib. 1.	*Primum rerum principium.*
Theoremata, lib. 1.	*Intellectus intelligibilis.*
De cognitione Dei, lib. 1.	*Quia summa nobis.*
Tetragammata quædam, lib. 1.	
Sermones de Tempore, lib. 1.	*Erunt signa, &c.*
Sermones de Sanctis, lib. 1.	
Commentar. super quattuor Euangelistas.	
Commentar. super Epistolas Pauli.	*Circa Epistolam Pauli ad Romanos, &c.*
Lecturam super Genesim ad literam, lib. 1.	
Quęstiones super vniuersalia Porphyrij, lib. 1.	*Circa Logicalia.*
Quęstiones super Prędicamenta, lib. 1.	*Quaritur, vtrum liber Pradicam.*
Quęstiones super lib. Perihermenias, lib. 2.	*Circa subiectum huius libri.*
Quęstiones super libros Priorum, lib. 2.	*Quaritur circa librum Priorum.*
Quęstiones super libros Posteriorum, lib. 2.	*Scire autem opinamur.*
Quæstiones super libros Elenchorum, lib. 1.	*Quaritur, vtrum Logica.*

Quęstiones super libros de anima, lib. 1. *Quaeritur, vtrum sensus.*
Quęstiones super Metaphysicam, lib. 12. *Omnes homines natura.*
Expositionem Metaphysicæ, lib. 12. *Iuxta consuetudinem.*
Collectiones conclusionum Metaphysic. lib. 12. *Conclusiones Metaph. Aristot.*
Super Physicam Aristot. lib. 8. Super Categorias eiusdem, lib. 1.

Feruntque scripsisse super ceteros libros, variosque composuisse alios Tractatus. Denique apoplexia correptus ex hac luce migrauit, die octaua Nouembris anni 1308. Colonię Agrippinę sepultus in cœnobio fratrum Minorum. Quamuis à plerisque existimetur viuus fuisse humatus. ferunt enim diem totum, & amplius immobilem interdum sedere solitum, sensibus sopitis, mente nimirum rapta in altissimarum rerum contemplationem, atque ita demũ ab hominibus eius rei nescijs, festinato funere pro mortuo elatum.

Ceterum anno 1580. Venetijs à Melchiore Sessa editæ sunt Quæstiones quatuor voluminum Scripti Oxoniensis super Sententias, emendatiores, quàm antea. Addito libro Resolutionum Ioannis Scoti, à Melchiore Flauio, illustrato, & auctoritatibus Noui, & Veteris Testamenti, ac Sanctorum Patrum sententijs comprobato.

Adiecit autem Bartolucius Assisias huic editioni Syllabum generalem, siue accuratum Indicem in illud Scriptum Oxoniense Ioãnis Scoti, ex antiquiore Indice collectum, quem Iacobus ab Asculo vir doctus olim ediderat. Eo videlicet Syllabo, per ordinem Alphabeti, selectos doctrinæ Scoticæ flosculos, & materias, definitiones, distinctiones, axiomata, enunciationes; insigniores propositiones, tum Theologicas, tum Peripateticas, strictim attigit.

Quin etiam, quoniam Iouius suis Elogijs, & alij, de Ioanne Duns Scoto, quasi non solum obscuriore, sed & veritati (vt non rectè putabant) tenebras offundente, licentius fuerant locuti, Bartolucius Apologia Syllabo pręfixa, vindicat Scotum ab obtrectatione, cuius doctrinę graue illud testimonium extat, quòd eius libri absque vllo erroris nęuo, vsque in hanc diem, trecentos circiter annos, in Oecumenicis Concilijs inuiolati permanserint.

Certè cum illud D. Augustini de laude charitatis vèrum sit; *Ille tenet, quicquid latet, & quicquid patet in Diuinis Sermonibus, qui charitatem seruat in moribus:* haud mirum fuerit, si ingenium Doctoris Subtilis appellati, modestia, & charitate pręditũ, altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam. Nunquam enim suam sententiam profert in aliorum iniuriam, vel depressionem: Quin quorum autem errores conuellit, aut opiniones excutit, tam id modestè, & adeo plerumque suppresso nomine facit, vt Christiano pectori hęsisse à Domino sapientiam (certè integram mentem) conijci possit.

Insignes Scoticæ Doctrinæ Scriptores.

Inter eos autem, qui Scoti doctrinam illustrarunt, fuit Petrus Aquilanus, Ordinis Minorum, cognomento *Scotellus*. Hoc enim non solum ad Scoti subtilitates, verum etiam ad D. Thomę, ac reliquorum Scholasticorum doctrinam facilis paratur via. Hic verò auctis duobus Indicibus, altero quęstionum, altero verborum, Stephani Nouelletij opera prodijt emendatior in lucem Parisijs, ex Nicolai Niuellij Officina, anno 1585.

At & Antonius de Fantis, Taruisinus, Tabulam generalem Scoticę subtilitatis emiserat, iterum abs se castigatam, ann. 1530. Lugduni, optimam illam quidem, & octo sectionibus per Alphabeti ordinẽ quamlibet distinctam: Quarum prima materias omnes à Scoto disputatas, vel pertractatas. Secunda decisas cõclusiones circa pertractatas materias. Tertia pręcipuas Entium definitiones. Quarta subtilissimas diuisiones ex omnibus volu minibus Scoti congestas, quarum cognitio facilem pręstat aditum ad pleraque omnia percipienda. Quinta Regulas in explicandis errorum omnium proprietatibus. Sexta propositiones, tanquam certa Theoremata, pro decidendis conclusionibus, ex Philosophię penetralibus deprompta. Septima plurimas Sanctorum Interpretum ambiguas propositiones; nimirum Ambrosij, Hilarij, Augustini, Gregorij, Damasceni, Anselmi; quin etiam Triplicis Peripateticæ Philosophiæ Aristotelis, & Auerrois pugnantes sententias.

Octa-

Octaua, quæ omnium sectio vberior, ac fructuosior, Epitomen scibiliũ, seu mare magnum Scoticarum omnium Speculationum, continet. Ad quarum Sectionum calcem idem Auctor, siue Collector, digressionem perbreuem adiecit, qua eorum, quæ in vnum congessit, seriem methodicam oculis subijcit.

Deerat autem huic editioni Secunda Sectio, seu Tabula Resolutionum, siue decisarum conclusionum: sed & hasce postea curauit idem, quem diximus, Bartolucius, adijci altera editione Veneta ad singulos Scoti Tomos.

Sed & idem Antonius de Fantis explanandæ Scoti Logicę, atque adeo intelligendo Scoto, operam suam, quæ extat, impendit.

Præterea fuit Paulus cognomento *Scriptor*, qui cum Quæstiones Scoti in Primum Sententiarum Tubingæ, quæ tum erat Catholica ciuitas, anno 1498. exposuisset, deinceps hic liber Carpis, eius Oppidi Principe Alberto Pio procurante, editus est, anno 1506. à Benedicto Dulcibello.

Gratianus item Brixiensis in Quæstiones Scoti in secundum Sententiarum cum doctè scripsisset, eodem Principe, Typographo, loco, & anno emissus est.

Franciscus Lychetus Brixiensis commentaria erudita in tres primos Sententiarum libros, & in Quodlibeta Scoti cum absoluisset, hęc postea à Paganino de Paganinis Brixiensi ann. 1517. euulgata sunt Venetijs: sed & postea nouissimè in omnes Sententiarum libros ab Andrea Zenario Venetijs exijt iterum in lucem.

Petrus Tartaretus, scripsit Reparata in Quartum Sententiarum Scoti, & in Quęstiones Quodlibetales eiusdem Scoti, quę deinceps ann. 1519. & 1520. à Claudio Cheualerio Typographo Parisijs excusa sunt.

Ioannes Vigerius Genuensis in primum Sententiarum Scoti, quem Venetijs an. 1527. edidit Ioannes Taurinus de Tridino.

Hieronymus Gadius, qui viginti annos in publico Bononiensi Gymnasio docuerat Metaphysicen, scripsit in Quodlibeta Scoti, quę & in eadem Ciuitate, ex Officina Ioannis Baptistę Phaelli prodierunt, anno 1533.

Iacobinus Malafossius Bargius, qui & ipse Patauij publicè quadraginta septem annos Metaphysicen professus est, scripsit enarrationem in primum Sententiarum librum Scoti, quam Gratiosus Percacinus, ann. 1560. Patauij dedit in lucem.

Accessit denique nouus labor hac inscriptione, Nempe *Repertorium locupletissimum tam librorum Sententiarum, quam Quodlibetorum Doctoris Subtilis, Ioannis Duns Scoti: olim ab Hieronymo de Ferrarijs Fantono Vigleuanensi, Ordinis Prædicatorum Obseruantium, & Hæreticæ prauitatis Inquisitore Ferrariensi collectum: Nunc opera R. P. F. Iulij Hyssopij, Cesennatis, Lectoris Patauini, eiusdem Ordinis in lucem editum: A quo adiectæ sunt etiam opiniones, & propositiones à Scotò contra D. Thomam ad probandum assumptæ, quasque Ioannes Capreolus confutauit hoc signo* ✻ *demonstrata: Opus maximo vsui futurum non tantum Scoti, & D. Thomæ doctrinam profitentibus, sed & omnibus seriò Theologica tractare cupientibus. Venetijs apud Melchiorem Sessam, anno 1588.*

Ceterum quod ad hoc genus Indicum, siue Repertoriorum attinet, spero viris eruditis valde probatum iri Ioannis è Colonia ordinem Alphabeticum ad Quęstiones Scoti tam in quatuor libros Sententiarum, & in Quodlibeta, quam in Metaphysicen, atque in libros de Anima. Eas enim omnes in Cõpendium ita redegit, vt magnus studiosis labor ademptus sit. Porrò cum multos ante annos liber hic fuisset editus, recusus est à Vuendelino Spirensi, locis è Scoto, vnde eadem deprompta sunt, adnotatis.

Edidit quoque Romę, anno 1589. apud Dominicum Basam, Constantius Sarnanus, Cardinalis, librum, qui inscriptus est: *Conciliatio dilucida omnium controuersiarum, quæ in Doctrina D. Thomæ, & Ioannis Scoti leguntur.*

Quod superest, admonitos velim, pro meo captu, cãdidatos siue Philosophię, siue Theologię, vt quoniam tanti viri, qualis sine dubio fuit Ioannes Scotus, plerique interpretes non omnino eius mẽtem sunt assecuti, dispiciant, quinam inprimis sint versandi. Et quoniam antequam ad Theologiam accesserint, solida sunt in Philosophia fundamenta iacienda,

da, curent, vt hæc è Scoto rectè intelligant. Quam ad rem permultum conferet, vt pręma nibus habeant Philosophiam Naturalem ipsius ex 4. libris Sentent. & Quodlibetis collectam à Philippo Fabro, de quo vide in verbo, Philippus Faber.

Liber perutilis Philosophus. Etenim prodijt Io. Duns Scoti Philosophia Naturalis ex quatuor lib. Sent. & Quodlibetis collecta in Theoremata distributa, & contra Aduersarios omnes tā veteres, quam recentiores, impugnationibus, & defensionibus illustrata, ac dilucidata. Cui pręmissa sunt viginti Theoremata, præcipuas difficultates Logicas complectentia. Et in cuius fine additus est Tractatus breuis, facilis, & necessarius ad Formalitates Scoti. Auctore eodem Philippo Fabro Fauētino, Ord. Minorum Conuentualium, Artium & S. Theologię Doctore, in Parmensi Gymnasio Regente, ac in Cęnobio S. Ioannis Euangelistę Lectore. Venetijs ann. 1602. apud Io. Bapt. Bertonum.

Ioannes Duraclusius, Germanus, Monachus Ord. S. Benedicti, Congregationis Bursfeldensis, & Io. Tritemij auditor, etsi fertur multa scripsisse, nescio tamen, vbi aliquid extet ipsius, pręter Epistolam de Operibus, & Vitam Magistri sui, cuius bona pars & Colonię initio Polygraphiæ eiusdem Tritemij ann. 1564. & Francofurti, ann. 1601. ante omnia eius Operą excusa est.

Ioannes Duræus, Scotus, Theologus Societatis Iesu, librum edidit doctum, & elegantem, quo Edmundum Campianum eiusdem Societatis Theologum, qui pro Catholica fide martyrium Londini passus est, defendit, aduersus Gulielmum Vuitakerum hæreticum Anglum, Rationes decem eiusdem Campiani, quibus certamen Anglicanę Synagogę ministris obtulit in causa fidei. Is liber primò in Germania excusus cum explanatione dogmatum præcipuorum nostro seculo controuersorum, Ingolstadij, apud Dauidem Sartorium, ann. 1585. cū antea Parisijs prodijsset ex Officina Tho. Brumennij, an. 1582.

Ioannes è Duren, quem Henricus Villot *Durenium* vocat, Franciscus autem Gonzaga *Durandum*, Germanus, Ordin. Minorum, scripsit de Septem peccatis mortalibus. Librum item de Vitijs occultis. Alterum de Confessione. Sermones Quadragesimales. De Tempore. De Sanctis. Vixisse autem ann. 1468. perhibetur ab Eisingrenio.

Ioannes è Dusseldorp, Carmelita, Germanus, Conuentus Moguntinensis, & Prior Argentinensis, scripsit De obseruantia dierum festorum. Itinerarium item Terræ Sanctæ, ad quam ipsemet profectus est. Sermones varios de Tempore, ac de Sanctis. Obijt ann. 1494. & Argentinę sepultus est. Petrus Lucius post Tritemium.

Ioannes Eccius, quem alij scribūt *Eckius*, Sueuus, quę Prouincia est in Germania, Theologus, & Catholicæ fidei aduersus Lutherum, ac reliquos hęreticos propugnator insignis, qui verè de se ipso dicere potuit, quę ad Conradum à Tungen Herbipolensem Episcopum scripsit ann. 1529. *Et ego*, inquit, *omnium minimus, cum his bestijs dentatis iam sæpe & eminus, & cominus pugnaui. Cominus quidem Lipsiæ cum ipso Draconis capite Luthero, & Carolstadio, viginti diebus disputando, spectante nonnunquam D. Georgio Saxoniæ Duce: & in Baden cum Capharnaita Oecolampadio, & asseclis, assidentibus duodecim Cantonum Heluetiorum, & quatuor Episcoporum Legatis, pluribus diebus conflixi. Eminus verò, editis aliquot in Germania, & Italia libellis, cum hæreticis manum conserui, è quorum numero est locorum communium Enchiridion à me editum, quo occupatiores, quibus non vacat, grandia Heroum volumina reuoluere, in promptu, & breui (vt aiunt) manu haberent, quo hæreticis occurrerent.* Scripsit igitur idem Enchiridion, in quo agitur

De Sacrificio Missæ.
De Cardinalibus, & Legatis.
De immunitate Ecclesię. De Annatis.
Sub Eucharistia esse corpus Christi.
De Transsubstantiatione.
De Libero arbitrio.
De Pluritate Sacerdotum, & decimis.
De Oratione, & Horis Canonicis.
De Charactere. De Votis.
De Excommunicationibus.
De Indulgentijs.
De Hęreticis comburendis.
De Missa Latinè dicenda.
De pueris Baptizandis.
De Ecclesijs ędificandis, & ornatu eorum.
De Cęlibatu Clericorum.
De Bello in Turcas. De Purgatorio.
Non disputandum cum hęreticis.

At

At cum hic liber sępius excusus fuerit, aduersus omnes Ecclesię hostes vtilissimus, tum ex septima Auctoris recognitione prodierat Ingolstadij ann. 1535. vnà cum Annotationibus P. Tilmanni, & Venetijs ann. 1538. ad Signum D. Bernardini.

Veruntamen idem Eccius alia Opera scripserat, quorum inscriptio est sequens: *Chrysopassus, siue de Prædestinatione centuriæ sex*. Editæ Augustę Vindelicorum ann. 1514. cuius Operis, & tituli ratio ea fuit, quod D. Ioannes in Apocalypsi pro decimo lapide supernę ciuitatis Hierusalem illum posuerit, communi Doctorum interpretatione, decimum articulum Fidei, qui est Sanctorum communio, designantem: Hęc autem, quę varia est, nullibi perfectior inueniatur, quàm in gloria Prędestinationis.

De Sacrificio Missę sanctissimo ad Sigismundum Polonię Regem contra Lutheranos libris duobus, qui prodierunt in lucem, ann. 1526.

Libri tres de eodem Missę sacrificio, quibus ex Diuino verbo demonstrat, eam esse sacrificium, & quisquilias hęreticarum obiectionum explodit. Colonię apud Quentelium.

Epistola Augustę excusa anno 1529. ad fidei Catholicę propugnationem pertinens.

Postillę siue Homilię de Tempore, ac de Sanctis Germanicè tribus Tomis comprehensę, atque ab Auctore emissę Ingolstadij, ann. 1531. Parisijs autem Latinè, apud Iacobum Keruer. apud quem item Sermones eiusdem de Sanctis, ac de septem Ecclesię Sacramentis. Sed & ibidem ann. 1566. apud Gabrielem Betonum, quatuor Tomis, & anno 1580. ibidem.

Commentarius in Aggęum breuis, at eruditus, anno 1538. apud Ioannem Soterem, Coloniæ.

Epistola ad Heluetios Germanicè de hęresi Lutherana, & de Hulderico Zuinglio hęretico, excusa in oppido insigni Bauarię, Landshuth.

De Pœnitentia, & Confessione secreta, de Satisfactione, & alijs pœnitentiæ annexis. Venetijs apud Ioan. Patauinum anno 1535.

Apologia aduersus Bucerum De Actis in Comitijs Ratisponę. & Altera pro Contareno. Colonię ann. 1542.

Epistola de Ratione studiorum suorum. Ingolstadij ann. 1543.

Ad Philippum Melanchthonem hęreticum. De Theologica disputatione Lipsica. De Iuramentis. De celebratione Paschatis. De Primatu Petri, & Pontificis Maximi aduersus Lutherum.

Funebris Oratio in obitum Ioannis à Vuisberg, Decani Eistettensis, ann. 1537.

Philosophica verò.

Elementarium Dialecticæ.

Commentarij in octo libros Physicorum Aristotelis, Augustæ Vindelicorum, ann. 1518.

In quatuor libros de Cælo. In duos de Generatione. In quatuor Meteororum. ibidem anno 1519.

In libros de Anima. De Sensu, & Sensato. De Memoria, & Reminiscentia. De Somno & Vigilia. De Longitudine, & breuitate Vitæ. ibid. ann. 1520.

Ceterum cum Ioan. Eccius quędam scribere visus sit, quibus Io. Tauleri opera nō probet, vide, quæ & Laurentius Surius Cartusianus in Tauleri præfationem scripsit, & quæ nos in verbo, *Ioannes Taulerus* attigimus.

IOANNES Ecdebergensis, quem aliqui fuisse Belgam tradiderunt, Ordin. Prędic. ad omnes Bibliorum libros Postillas, & Lecturas sollemnes; atque item ad quatuor libros Sententiarum Magistri scripsisse innuitur ab Ant. Senensi, qui eum cum Ioanne Francfordiensi coniungit, qui vixit ann. 1440. Vide in verbo, Io. Francfordiensis.

IOANNES Edæus, Ordin. Minorum, genere Vvallus, patria Herefordiensis, scripsit

Commentarios in Magist. Sentent.
Lecturam in Apocalypsim, lib. 1.
Lexicon originalium, lib. 1.
Conciones varias, lib. 1.
Fasciculum virtutum, & vitiorum, lib. 1.
In Logicam Aristotelis, lib. 1.
In Physica eiusdem, lib. 8.
Obijt ann. 1406.

IOANNES Engerdus, Neapolitanus, Orilanus, Turingius, Poetices Professor ordinarius in Academia Ingolstadiensi, edidit

Partem primam Poematum, Catechesim Catholicam, & Institutionem Christianæ Pietatis, atque alia sacra Natalitia, & Funebria continentem. Ingolstadij ann. 1582.

Tomum item primum eiusdem Academiæ in septem partes distributum. Quarum prima complectitur Poeticas Acclamationes. Secunda Cancellarios, & Procancellarios. Tertia, Principes IIII. Comites V. Barones VI. Archiepiscopos, & Episcopos VII. Professores sacræ Theologiæ, inchoatos quidem primum à Valentino Rotmaro, Poeta & ipso Laureato, sed post ipsius obitum immaturum absolutos. Ingolstadij ann. 1581.

Paraphrasim nonagesimi Psalmi, qui est Oratio Moysis, vitę mortalium ærumnas ponens ob oculos. Ibidem apud Vvolfgangum Ederum.

Parentela anniuersaria Doctori Simoni Thaddæo Eccio. Ibidem.

Epęnesim duarum illustrium familiarum Germaniæ, Monfortiorum, & Fuggerorum.

Prosodiam Germanicam: De condendis Rythmis Germanicis. Ibid. ann. 1583.

IOANNES Eremita. Vide in verbo, Cassianus.

IOANNES de Erfordia, Thuringus, & natione Teutonicus, Ordinis Minorum, scripsit librum haud exiguum prænotatum. *Tabula Iuris.* Summam de Casibus. Scriptum ad quartum librum Sententiarum. Sermones elegantes. Viuebat ann. 1350. Eisingrenio autem 1359.

IOANNES Ergon, Anglus, Ordin. D. Augustini, conquisitos Auctores, Methodium Ioachimum Calabrum, Cyrillum Carmelitam, Ioannem Bridlingtonum, Robertum Vsetium, Ioannem de Rupescissa, Ioannem Barsigneium, Sibyllas, & alios, qui siue Prophetias, siue Reuelationes ediderunt, in vnum condens, & Herfordiæ Comiti dicatos edidit: Quod Opus inscripsit *Compilationes Vaticiniorum*. Scripsit item in Vaticinia Ioannis Bridlingtoni, lib. 3. Calculationes Astrologiæ, lib. 2. Sermones ad populum. Obijt Eboraci in Anglia apud suos fratres. Ioseph. Pamphilus.

IOANNES Eriginus, siue *Erigina,* Vuallus, Anglus, is est, vt credo, quem Sigebertus in Catalogo scripsit iubente Carolo Ludouici Imp. filio, in Latinum è Græco transtulisse Dionysij Areopagitæ libros: quique ann. 850. vixerit Tritem. Notat autem Suffridus Petrus in m. s. codicibus Gemblacensi, & Affliginiensi, non *Eriginam,* sed *Eurigenam* dici. Vide in verbo, Ioannes Duns Scotus, cui falsò ascriptam hanc versionem monuimus. Atqui huic Ioanni Erigino tribuuntur libri sequentes.

De Immaculatis Mysterijs.
De Corpore, & Sanguine Domini.
Commentarij in Hierarchiam, & Theologiam mysticam.
De instituendis Nobilium filijs.
Tomi Paraphrastici.
De fide contra Barbaros.
Visionum Dionysij vnus.
In Moralia Aristotelis, libri nouem.
Dogmata Philosophorum.

IOANNES Ernesti, Germanus, Heydelbergensis Gymnasij, dum in Catholica fide stabat Heidelberga, Rector, scripsit De Natiuitate Domini. De Ieiunio ad vniuersitatem. De auctoritate Concilij. Quæstiones ad libros Sententiarum. Alias disputatas. Sermones & Orationes varias. Viuebat ann. 1440.

IOANNES Ertlinus Canonicus Forcheimensis, qui postea Bambergensis Suffraganeus, De vera antiqua Catholica fide Germanicæ nationis. Germanicè. Ingolstadij anno 1581. quo & viuebat.

IOANNES Esculanus, Ord. Minorum, qui S. Bonauenturæ successit in Generalatu, cum à Gregorio X. Pont. Max. allegatus Byzantium Gręcos inde ad Concilium ab eodem Pontif. indictum adduxisset, reliquit plures Sermones. Viuebat ann. 1270.

IOANNES Euangelista. Vide in verbo, Ioannes Apostolus.

IOANNES Euangelista Mormilius, Neapolitanus, Monachus Cassinensis, qui scripsit de S. Febronia Virgine, & Martyre versus excusos Romæ 1589. vnà cum Operibus Prosperi Martinengij Monachi: Item Carminum, Hymnorum, Odarum, Epigrammatum, de diuersis materijs, & præcipuè de Beata Virgine, & Sanctis, lib. 4.

Sermo-

Sermonum, & Homiliarum, lib. 1. In Epistolam Pauli ad Romanos, lib. 1.
In Perihermeniam Aristotelis, lib. 1. De Gloriosa Virgine versu heroico Italico, lib. 1.
Et alia, quæ extabant apud eũ m.s. in Monte Cassino. Viuebat ann. 1590. Arnold. Vuion.

IOANNES Euangelista Veronensis, Augustinianus, qui Lutetiæ Lauream Doctoratus est assecutus, & Veronam reuersus, præfesq́ue Prouincialis sui Ordinis, scripsit in aliquot Psalmos Dauid Annotationes, & Sermones ad populum. Ioseph. Pamph.

IOANNES Euerisden, Monachus Buriensis, scripsit Concordantias Historię Diuinę. Librum De Regibus & Episcopis Angliæ. Concordiam Doctorum. Medullam legum. Seriem temporum. Viuebat ann. 1336.

IOANNES Faber, Episcopus Viennensis, qui nostra vixit ætate, opere, & verbo potens, cum aduersus hæreticos pro fide Catholica diu depugnasset, pleraque scripsit, quæ extant, cum etiam Iuris vtriusque sciens, ad idem lucubrationes, quas afferam, emisisset. Eius verò ista feruntur. Homiliarum Opus. Coloniæ ann. 1541.
De Sanctiss. Eucharistia Tractatio pluribus Homilijs, quę librũ implet, Colonię an. 1537.
Malleus hæreticorum, libris sex.
De Fide & Operibus. Coloniæ apud Quentelium.
Orthodoxa fidei Catholicæ defensio excusa Lipsiæ ann. 1528. aduersus Balthasarem Pacimontanum, Anabaptistarum pessimum huius seculi antesignanum: qui etsi à Fabro Episcopo conuictus Palinodiam de multis ita cecinit, vt etiam librum aduersus priora sua dogmata ediderit; in aliquibus tamen peruicax hæsit; quę satis fuerunt, vt ęternis cruciatibus addiceretur.
Ceterum Orthodoxæ defensionis eiusdem Ioannes Fabri, contra illum, hæ sunt pręcipuæ Tractationes.

De sana expositione, intelligentiaq́ue Scripturæ Sacrę.
De Baptismo paruulorum.
De non scriptis Ecclesię traditionibus.
De Baptizandis infantibus.
De veritate Corporis, & Sanguinis Christi in venerabili Sacramento Altaris.
De Sacrificio Missę.
De Sanctorum intercessionibus pro nobis ad Deum.
De Purgatorio animarum.
De Imaginibus Christi & Sanctorum.
De Fide & Operibus.
De satisfactione pro peccatis.
De libertate Christiana.
De absoluta necessitate.
De libero arbitrio.
De Beatiss. Genitrice Dei Maria, & Filio eius verè Deo.
De perpetua Virginitate Marię.
De Assumptione Beatiss. Virginis Marię, gaudioque Sanctorum in Cęlo.
De extremi die Iudicij.
De agenda pœnitentia pro peccatis.
De auriculari Confessione peccatorum.
De Clauibus Petri.
De operibus satisfactorijs.
De Ieiunijs ab Ecclesia institutis.
De excommunicationibus.
De Ecclesia quid sit.
De Zuinglij tyrannide, varioque sacrilegio.
De inconstantia doctrinæ Zuinglianæ.
De inconstantia Lutheri.

De consensu, & concordia Conciliorum, ac Doctorum in fide.
Conclusio, vt perstemus in Ecclesia, quia in fide nunquam errat.
De Potestate Summi Pontificis, aduersus Lutherum.
Opus contra noua quędam alia Lutheri dogmata. Romæ ann. 1522.
Tractatio, cur ipse Faber hæresi Lutheranę non adhæreat.
De Victoria à Pagis Heluetiorum Catholicis parta, aduersus Pagos hæreticos aliorũ Heluetiorum, quos Zuinglius dementauit, qui & inter eos interfectus est.
Liber Germanicè scriptus, qui iugulum hæreticorum petijt.
Redargutio sex articulorum Hulderici Zuinglij exhibita Badenæ, in Heluetia, in publica Disputatione, ann. 1526. Quæ etiam excusa est Tubingæ.
Epistola Germanicè, instar Dialogi, ad eundem Zuinglium, qua eum reprehendit, quod Badenæ in Disputatione non apparuerit.

De

De Sacerdotum cœlibatu. De Baptismo paruulorum. De Patientia.
De lege Moscouitarum, qui liber Basileæ prodijt.
De bello Turcis inferendo ad Tridentinum Episcopum.
De origine, potentia, & tyrannide Turcarum Oratio, quam coram Henrico VIII. Angliæ Rege Londini habuit, Coloniæ edita ann. 1535. in Fasciculo Ortuini Gratij.
Commentarij ad Instituta Iustiniani, Lugduni ann. 1534.
Breuiarium ad primum, & secundum Codicis eiusdem Iustiniani, quod paucos ante annos recognitum, & emendatius prodijt, Additis Bartoli De Insignibus, & Armis Tractatu, & Repetitione in materia Torturarum, siue Quæstionum in folio Regali Lugduni. Floruit ann. 1536.
Quod autem siue Gesnerus, siue Simlerus hæretici huic adscripserunt Homilias in Ioelem Prophetam, & alias 34. De miseria vitæ humanæ, ac de Mundi contemptu; Quin & Tractatum de Missa Euangelica, crediderim eos esse deceptos simili nomine, atque cognomine, sed non eodem auctore. Vide autem sequentem Auctorem.

IOANNES Faber Heilbrunnensis Germanus, & Catholicus Concionator Augustæ in Cathedrali, scripsit
De miseria vitæ humanæ, deque mundi contemptu 1564.
Item de Missa Euangelica. Parisiis ann. 1567.
Eiusdem Enchiridion Bibliorum, concionatoribus in popularibus declamationibus vtile, Augustæ ann. 1549. & Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1568.
Conciones in Ioelis Prophetiam: Latinitate donatæ per Tilmannum Bredembachium, ann. 1578. & 1589.
Idem de Fructibus, è quibus dignoscuntur hæretici: Deque eorum nominibus, ex Philastrio, Epiphanio, Augustino, & alijs, ac quibusnam armis vincendi. Ingolstadij anno 1551.
Libellus, quod fides esse possit absque charitate. Augustæ 1548.
Recta via, qua fidelibus eundum est, vt æterna pace, & quiete fruantur, Dilingæ ann. 1569. Germanicè.
Expositio Germanicè ex Scripturis sacris, & ex Patribus, quid sit Missa Euangelica. Viuebat ann. 1549. Eisingr.

IOANNES Fabrianensis, siue è Fabriano, Ordin. D. Augustini Theologus, Euangelia exposuit, in id incumbens, vt Philosophiam præcipuè Platonicam tanquam ancillam adduceret ad Arcem Theologiæ, non nescius in Platone plures fuisse errores, de quibus egimus in secundo Tomo Bibliothecæ Selectæ, in lib. de Philosophia vera, & Platonica, & Peripatetica. Scripsit autem in Ethica, & Politica. Obiit Bononiæ, sed viuebat ann. 1340. Ambrosius Coriolanus, & Ioseph. Pamphilus.

IOANNES Fabrica, Ord. Minorum, scripsit de Indulgentiis per modum suffragij pro animabus, quæ expiantur igne Purgatorij. Viuebat ann. 1511.

IOANNES Falckembergius, Polonus, Ord. Prædic. Theologus de Vladislao, & Polonis quidnam scripserit, quidque passus sit, vide Martinum Chromerum, lib. 8. de rebus Polonicis. Vixit ann. 1458.

IOANNES Fanensis, Ordin. Minorum, scripsit Italicè contra Lutheri Deliramenta ad F. Paulum Pisotum Parmensem. Et in Regulam D. Francisci, ac de Paupertate Fratrum Minorum.

Extat eius Dialogus Salutis, Italicè conscriptus, inter Fratrem Stimulatum, & Fratrem Rationabilem, circa Regulam Fratrum Minorum. Anconæ apud Bernardinum Vercellensem, ann. 1527.

IOANNES Fauentinus Franciscanorum (vt vocant) Guardianus olim Parchiensis, in Insula Cypro, scripsit Vitam Petri Thomæ, Patriarchæ Constantinopolitani, Carmelitæ. Viuebat ann. 1370.

IOANNES de Faucona inter Canonicos, siue Ciuilis Iuris Scriptores citatur in Angelica Summa.

IOAN-

IOANNES Fedantiola, Perusinus, Ord. Minorum, Generalis Terræ sanctę, edidit Opusculum descriptionis ipsius.

IOANNES Felix Astulphus centum Monita, siue Accidentia (Italicè Auuertimenti) mira, stupenda (vt habet inscriptio) & rara, Italicè scripsit, in quibus sequentia cōtinentur. Destructio Oraculorum, Maleficiorum, Proditionum. Gesta magnanima Virorum fortissimorum, Castarum mulierum, & Puerorum magnanimorum. Accidentia Auarorum, Fictorum, siue Simulatorum, & Ambitiosorum, Victorias singulares aduersus Dæmones, Mundum, Carnem, & homines improbos. Venetijs apud Sebastianum Combium, ann. 1603.

IOANNES Fernandus, Belga. Vide in verbo, Carolus Fernandus.

IOANNES Ferrariensis, Ordinis Minorum, scripsit De cælesti Vita. De Natura animæ Rationalis. De Inferno, & de animæ cruciatu. De Paradiso, & felicitate animæ. Extabant in Bibliotheca S. Antonij Pataui, m. s.

IOANNES Feri Franciscani, Germani, Opera omnia in Romano Indice prohibita sunt. Excipiuntur tamen eiusdem Feri Annotationes, & Commentaria in S. Matthæi, & S. Ioannis Euangelia, ac in eiusdem S. Ioannis Epistolam primam, Romæ recognita, & impressa.

IOANNES de Sancta fide, Carmelitanus, scripsit in Euangelia SS. Matthęi, & Ioānis. In Canonicam Ioannis. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Tabulam Iuris. Concordantias Thomæ. Loca contrarietatum. Obijt Burnehamiæ, ann. 1359. vbi claruit. Iacobus de Plebe.

IOANNES Filesacus, Theologus Parisiensis, è veteribus monumentis exscripsit Libellum prænotatum *Veteris Ecclesiæ Gallicanæ Querela*. Lutetiæ apud Bartholomęum Macæum, ann. 1603.

IOANNES Fischerus, Anglus, Episcopus Roffensis & Martyr, ann. 1535. die 22. Iunij, quòd noluit assentiri repudio Catharinæ Angliæ Reginæ quam Henricus Octauus iniustè repudiauerat, quodque eundem Henricum noluit agnoscere tamquam supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput in causis spiritualibus, scripsit egregiè

Aduersus Lutherum, hoc est aduersus XLI. eius articulos.
Contra illius item Captiuitatem Babylonicam, pro S. Missæ Sacrificio.
Pro Christiano Sacerdotio aduersus eund.
Pro defensione Regis in Lutherum, dum adhuc esset Catholicus, ac se talem Rex ostenderet.
De Matrimonio eiusdem.
In septem Psalmos pœnitentiales.
Precationes.
De septem Sacramentis.
Contra Oecolampadium.
Scripsit item in septimum D. Lucæ caput.
De vnica Magdalena aduersus Iacobum Fabrum.

Hic autem cum insignia Cardinalitiæ dignitatis à Romano Pontifice in testimonium approbatæ fidei, & constantiæ suæ transmissa in vinculis recepisset, sequenti die, prius quam ea posset induere, vnà cum plerisque alijs innocentibus, & Catholicis monachis, pro fide, & veritate, triumphalem Martyrij coronam suscepit, anno 1535. die 21. Iunij, Londini, iam senex.

Eius verò Opera cum antea alibi prodijssent, fuerunt denique excusa apud Georgium Fleischmannum Herbipoli in Franconia, ann. 1597.

Sed & sciendum est, librum de Fiducia, & Misericordia Dei falsò adscriptum fuisse Io. Fischerio; quamobrem meritò prohibitus est in Indice Romano.

IOANNES Flasboriensis, cum scripsisse quędam Historica dicatur à Nauclero, non possum asserere, qualisnam sit, & num extet hic liber.

IOANNES Flete Vuestmonasteriensis in Anglia Cęnobij Sacerdos, Chronicon de sui Cęnobij fundatione, ac progressu duobus libris confecit. Homilias itē nonnullas reliquit.

IOANNES Florentinus, Ord. Franciscani, Historiam Ordinis sui, & quædam alia contexuisse, quæ apud eundem ordinem asseruantur, scribitur à Michaële Pociantio, Ordinis Seruorum, in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

IOAN-

IOANNES Folsham Nordouolcas, Anglus, Carmelita, scripsit

Quæstiones Theologicas. Flores è Sancto Chrysostomo.
Rerum Moralitates. Indices in Anselmum.
De arte concionandi. Collationes per annum.
De Matrimonio. Isagogen ad Metaphysicen. Viuebat an. 1348.

IOANNES Fontana, Placentinus, Ordin. Prædicatorum, scripsit Sermones, qui dicuntur Discipuli. Viuebat ann. 1470.

IOANNES Fontanus, Gallus, Historiam nostrorum temporum Catholicam aduersus eam, quam Ioannes Sleidanus hæreticus plenam mendaciorum emiserat, scripsit Gallicè; sed facta deinceps Italica prodijt Venetijs ex Officina Gasparis Bindoni, anno 1563.

IOANNES de Fonte, siue de la Fuente, Ord. Minorum, non videtur is ipse, qui dictus est *Ioannes à Fonte*. Hic enim Toletanus fuisse & euulgasse libellum in D. Marci Euangelium, qui editus sit ann. 1582. Ille autem vtpote Gallus (opinor) Professor in Monte Pessulano, emisisse Conclusiones in quattuor libros Sententiarum, scribitur. Viuebat autem hic ann. 1483. Eisingr. Franc. Gonzaga.

IOANNES è Forda, in Prouincia Deuoniorum, Abbas Fordensis Cœnobij, Cisterciensis Ordinis, scripsit 120. Homilias. Librum ad Threnos Hieremiæ. Introductorium ad eosdem. Librum De triplici cruce. Vitam D. Vuolfrici Sacerdotis. Sermones alios duodecim altero libro, præter superiores Homilias. Librum De contemptoribus Mundi. Expositionem ad reliquum Hieremiæ. Acta Regis Ioannis, ann. 1210.

IOANNES Forestus, Anglus, Ord. Minorum, Theologus, & martyr, à confessionibus olim Catarinæ Reginę Angliæ, quę erat Catholica, edidit Tractatum De auctoritate Summi Pontificis, & Ecclesiæ, cuius initium est, *Nemo sibi sumat honorem*. Propter Primatum igitur Romani Pontificis obijt ann. 1538.

IOANNES Forsanus, Ord. Minorum, Theologus Parisiensis, emendauit, & edidit Resolutiones in quattuor libros Sentent. Scoti.

IOANNIS Fouleri, liber locorum Communium Theologicorum, in quo sigillatim descripta sunt omnia loca, quæ in D. Thomæ Summa comprehenduntur, seruata vbique eadem prorsus Methodo. Adiectis autem paucis aliquot locis, quæ ad horum temporum controuersias spectant, singulis locis spacia vacua relicta sunt, vt studiosi illhuc reponere possint, quicquid de quolibet argumento, vel legerint, vel audierint. Louanij ann. 1572.

IOANNES è Francfordia, scripsit contra Hussitas librum, & alterum aduersus Scabinos. Alium autem De contractibus, & alium De prędestinatione. Viuebat ann. 1430. At alterius Ioannis è Francofurto, Ordin. Prædic. meminit Sixtus Senensis ex Vincentio Bandillo, in libro De Christi Conceptione, eumque inquit concinnasse in Iob Scholasticam Explanationem. Qui & extabat Lugduni in Bibliotheca Prædicatorum, antequam Caluiniani, qui eam Ciuitatem per fraudem ceperũt, omnes Bibliothecas familiarum Religiosarum, aut combusserunt, aut cum pretiosis quibusque sacrarum ædium ornamentis sunt depopulati. Nos Lugduni tunc interfuimus, propter quod & vera scribimus. Porrò eius Explanationis in Iob initium erat, *O vos omnes, qui transitis per viam*. Vixit anno 1500.

IOANNES cognomento Francioigia, vt Ciaconus animaduertit, de Abbatis villa, Gallus, Monachus Cluniacensis, & Abbas S. Petri de Abbatis villa, in Morinis, Ordinis S. Benedicti Congreg. eiusdem, Archiepiscopus Bisuntinus, deinde Episcopus Cardin. Sabinus, scripsit Sermones De Tempore, lib. 2. Sermones De Sanctis, libris totidem.

In his autem scribendis, primò breues lectiones Euangelicas, & Apostolicas, breuiter exponendo inserit, postea verò Sermones alios, tam Dominicales, quàm feriales, & quidem satis copiosos.

IOANNES Franciscus Bonhomius, nobilis Cremonensis, & Episcopus Vercellensis, qui charissimus B. Carolo Borromæo Card. S. Praxedis, & Gregorio XIII. Pont. Max.

cuius

cuius nomine tum apud Rodulphum II. Cæsarem Legatione aliquot annos functus, eandem in Belgio, & Rhenano tractu indefessus obiuit, emisit Coloniæ Decreta Reformationis Ecclesiasticæ omnium Ecclesiarum vsibus accommodata, ann. 1585. Poema quoque Sacrum.

IOANNES Franciscus Brixianus, monachus Ord. D. Benedicti, Congregationis Sanctæ Iustinæ, collegit Opus de quattuor Religionibus Monachorum, quod Rothomagi prodijt ann. 1510.

IOANNES Franciscus Carrara, vberem edidit Orationem, qua Principes excitantur ad bellum aduersus Turcas post Classem Turcicam deuictam. Venetijs ann. 1572.

IOANNES Franciscus Faernus, Cremonensis, Theologus, Ordin. Minorum, edidit varias Orationes Latinas, & Quadragesimale. Obijt Bononiæ, dum sacras Conciones in Quadragesima ad populum haberet, ann. 1537.

IOANNES Franciscus, Lombardus, Theologus, & Canonicus maioris Ecclesiæ Neapolitanæ, confecit aduersus libros hæreticorum, Catalogum, quo eorum errores expurgandi ratio extat in Enchiridio Ecclesiastico Gregorij Ord. Capuccinorum Neapolitano; vno è Deputatis Patribus pro reuisione librorum in Ciuitate Neapolitana: Quod quidem Enchiridion Venetijs excusum est ann. 1588. apud Hieronymum Polum Typographum. Vide ibid. pag. 146. & quæ sequuntur.

IOANNES è S. Francisco, Ord. Minorum, Mexicana lingua, quam Diuinitus addidicisse fertur, Varias Collationes, atque Conciones edidit.

IOANNES Franciscus Pasqualicus, Venetus, duos composuit Dialogos. Alterum De Diuinis, atque humanis legibus. Alterum, De instauratione scientiarum, ann. 1485.

IOANNES Franciscus Pauinus, Patauinus, De Officio, ac potestate Capituli sede vacante. Vide inter Tractatus Iuris Tomum 13. p. 2. De Visitationibus autem Tom. 14. Extat eiusdem Relatio ad Pontificem Max. De Canonizatione D. Bonauenturæ Balneoregiensis. & Baculus Pastoralis.

IOANNES Franciscus Picus, Mirandulæ & Concordiæ Comes, Galeotti Pici filius, Græcè & Latinè doctissimus, multos libros ipse cōscripsit, & quæ patruus imperfecta reliquerat, ea collegit, & absoluta typographis tradidit. Scripsit autem De rerum prænotione, lib. 9. Pro veritate Religionis Christianæ contra superstitionis Gentiliū vanitates. De morte Christi, & propria cogitanda, lib. 3. De studio Diuinæ & humanæ Philosophiæ, lib. 2. De Diuini amoris imaginatione ad Maximilianum Cæsarem. De vita Ioannis Pici patrui librum, in quo copiosè de eruditione ipsius, ac scriptis tum absolutis, tum inchoatis ab eo, differit. Defensionem Opusculi, quod patruus scripserat de ente & vno. Ad Ant. Fauentinum Epistola quarta. Iustini Philosophi & martyris Sermonem admonitorium gentium è Græco transtulit. Declarationem cap. *In Christo Pater, & Christus in nobis*, Quod ex octauo de Trinitate, lib. Hilarij sumptum est, & positum à Gratiano in Decret. de consecr. dist. 2. Staurostichon, poema Heroicum de mysterijs Dominicæ Crucis in Germania tum apparētibus. De fide & ordine credendi Theoremata, ad Iulium II. Pont. Maximum. Epistolarum lib. 4. in quibus cum ipsius Ioannis Pici, tum aliorum aliquot suæ ætatis Virorum doctorum extant Epistolæ. Scripsit præterea historiam suorum temporum vniuersam. De prouidentia, librum. De Dialectica ad filium. Hymnos carmine hexametro. Dialogum de serena conscientia. Transtulit è Græco sermone Theophrasti librum de igne. Hymnos verò emisit heroicos, & Opus de Prouidentia. Examen vanitatis doctrinæ gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ, lib. 6. conscriptum: quorum primis tribus omnes philosophorum sectas vniuersim, reliquis Aristotelicam, etiam Aristotelis armis, particulatim oppugnat, quod primò prodijt excusum Mirandulæ, anno 1520. In eius autem fine habetur Epistola, omnia huius Auctoris opera recensens. De appetitu primæ materiæ, lib. 1. De elementis, lib. 1. De imitatione stili ad P. Bembum, quod quidem scripsit Romæ, ann. 1512. Atqui Ioannis Franc. Pici Opera omnia in vnum corpus redacta, Basileæ excusa sunt in officina Henrici Petri, ann. 1573. vnà cum Operibus Ioannis Pici Patrui sui. Viuebat ann. 1520.

IOAN-

IOANNES Franciscus Quintianus, Brixianus, quem Sixtus Senensis, *Venustissimum* appellat Poetam, Tragœdiam è quattuor Euangelijs grauissimam De Passione Domini latinè conscripsit ann. 1520.

IOANNES Franciscus Pogius, De potestate Summi Pontificis, & Concilij.

IOANNES è Friburgo, Ord. Prædic. Summam Maiorem, siue Confessorum scripsit, quæ Bertlingæ in Germania, cum ex Typographia Ioannis Othmari, ann. 1487. prodijsset, Parisijs deinde apud Ioan. Paruum, & Lugduni recusa fuit apud Ioan. Robergerum, ann. 1518.

IOANNES Fridericus Lumnius, edidit De extremo Dei iudicio, & Indorum vocatione, librum, ann. 1567. apud Brectanum, Antuerpiæ, & ibidem apud Ioannem Keerbergium, ann. 1594. Venetijs autem ann. 1569. apud Dominicum Farrum.

Eiusdem Strena Euangelica De Vita, & Passione Christi, Carmine. Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1568.

Eiusdem Thesaurus Christiani hominis ex scriptis D. Augustini collectus. ibidem apud eundem ann. 1588. At de Flagello Dei, vel De Medicina animæ, Leodij ann. 1582.

IOANNES Frihitoris, Parisiensis, Theologus, Ord. Prædic. scripsit in Mag. Sentent. & Sermones varios. Vixit ann. 1290. Ant. Senensis.

IOANNES Frossardus Hannonius, scripsit Rerum suo tempore gestarum, lib. 4. De Philippa item Regina, librum. Vixit ann. 1400.

D. IOANNES Frumentarius, Anglus, Monachus Ordin. D. Benedicti, Glocestrensis, scripsit ad Glocestriæ Ducem De rebus diuersis libros plures, & Commentarios Scripturarum. Viuebat ann. 1440. sub Congreg. Cluniacensi.

IOANNES Fucer, Aquitanus, Ordinis Minorum, reliquit monimenta; quorum ea, quæ prodierunt, sunt:

De iudicio Ecclesiastico.
De iusta delinquentium punitione.
Manuale Prælatorum.
De religioso ab Ordine eiecto, volente contrahere matrimonium.
De electionibus per scrutinium celebrãdis.
De immunitate Ecclesiarum.
Antidotum infirmorum.
De iusti pretij æqualitate.
De tertia specie cognationis spiritualis.
Itinerarium Catholicorum ad conuertendos infideles.
Diuersorum diplomatum expositiones.

In parte autem quarta historiæ Seraphicæ in Prouincia S. Euangelij fol. 242. eius Vita narratur à Francisco Gonzaga.

IOANNES Fust, siue Fustgin, Germanus, ex oppido Crutzennac in Comitatu Spanhemensi, Carmelita, & Prior Argentinensis, scripsit Sermones de Tempore. De Sanctis, & Feriales per Quadragesimam. Viuebat ann. 1355. Eius verò sermones m.s. (vt vocant) Originales extabant in cœnobio Crutzennacensi teste Tritemio, sed à Luteranis postea & locus, & Dei cultus ademptus in eodem oppido, fecit, vt & eius Viri Theologi, & aliorum labores ibi perierint.

IOANNES Gagnæus, Gallus, Parisiensis Academiæ Theologus, ac deinceps Cancellarius, qui & à concionibus Francisci primi Valesij Galliæ Regis fuit magnis ingenij, ac pietatis, vti & eruditionis dotibus ornatus, scripsit In quattuor Euangelia. In Actus Apostolorum. In omnes D. Pauli Epistolas. In septem Canonicas. In Apocalypsim. Quæ partim ann. 1552. apud Carolum Pererium, Parisijs, Ioanne Benedicto eadem recognoscente, partim ann. 1564. ibidem prodierunt.

Psalmos quoque Dauidicos in Lyricos diuersorum generum versus, adiectis singulo Psalmo breuibus argumentis, descriptisque ad latera paginarum ipsis Psalmorum verbis ex vulgata editione, Paraphrasibus vnà cum Hebraica veritate illustrauit; excusi sunt autem ibidem apud Nicolaum Diuitem.

Quin & emisit Hendecasyllabum De Sanctiss. Christi corpore in Eucharistia.

E' Diuionensi Bibliotheca Alcimum Auitum, è Barbarensi Claudium Marium Victorem Poetas Christianos, edidit Lugduni ann. 1536. apud Melchiorem, & Gasparem Trechsel fratres.

Primasium in omnes S. Pauli Epistolas euulgauit, quem & in gratiam Francisci Regis id cupientis in Gallicam linguam conuertit.

In sex Christi in Cruce morientis verba, Lugduni, apud Ioan. Tornæsium, ann. 1543. Guerrici Abbatis Sermones Gallicè reddidit, atque adeo libros aliquos Tertulliani. Viuebat eodem tempore, quo ista cudebantur.

IOANNES Gallkir, Cherius, Tabulas seu partitiones catecheticas Summam Religionis Christianæ perspicuè, & Orthodoxè complectentes emisit Ingolstadij ann. 1578. Theses item de hæredibus instituendis. De Testamentis ordinandis. Theses quinquaginta De Testamento Militari. Theses de Transactionibus. Theses quinquaginta de liberis, & posthumis instituendis, vel exhæredandis, vel præteritis. Ingolstadij apud Sartorium.

IOANNES Galensis, alijs *Valois*, alijs *Valeis* Anglus, Ord. Minorum, scripsit In Apocalypsim D. Ioannis. Summam Collationum, libris septem. Librum prænotatum, *Manipulus Florum*. Libros quattuor in Magist. Sentent. Sermones varios varij argumenti. Summam De Regimine vitæ humanæ, siue Margaritam Doctorum, hoc est locos communes ad omne propositum, Lugduni excusos ann. 1511. Qui fortasse idem sunt cum Summa Collationum eiusdem, quæ prodijt Parisijs ann. 1561. Compendiloquium De Vitis illustrium Philosophorum. Breuiloquium De Philosophia, siue Sapientia Sanctorum. Breuiloquium De Virtutibus quattuor Card. antiquorũ Principum, & Philosophorum. Ordinarium, siue Alphabetum vitæ Religiosæ, cuius prima Pars Dictarium, secunda Locarium, tertia Itinerarium inscribitur, primò Venetijs, deinde Lugduni in Gallia excusa ann. 1511. Viuebat autem Auctor ann. 1270.

IOANNES Gallus, Monachus, & Abbas Fontanellæ, Congregationis Floriacensis, qui vixit ann. 230. scripsit vitam S. Vulfranni Archiepiscopi Senonensis, quæ excusa est inter Vitas Sanctorum Surij, Tomo 2. ad diem 20. Martij.

IOANNES Garetius, Louanij natus, vbi & studijs literarum operam dedit, cum Martiniano in Patria sua Monasterio Ord. D. Augustini se addixisset, Mishagensibus agri Antuerpiensis Virginibus sacris præfectus est, cumque imminentem Belgicæ cladem animo prouideret, vt erat antiquitatis peritissimus, Classes nouem De vera Corporis Christi in SS. Eucharistiæ Sacramento præsentia aduersus Caluinianam pestem, è SS. vtriusque linguæ Patribus ætatis cuiusque habita ratione collegit, ac in lucem protulit.

Is liber, vti & de Sanctiss. Missæ Sacrificio editus est secundò Antuerpiæ, ann. 1563. quemadmodum item alter prænotatus, *Assertio è Sanctis Patribus, quòd mortui viuorum precibus adiuuentur.* Liber autem eiusdem De Sanctorum inuocatione, in quo Orthodoxorum Patrum testimonijs asseritur Apostolicam esse Traditionem Sanctorum animas, post mortem in cœlesti gloria Angelis esse similes, nostra non ignorare, pro nobis orare, à Deo exaudiri, & à nobis esse inuocandas, exiuit in lucem Gandaui ann. 1570. Louanij, vbi primò se Ordini Augustinianorum aggregauerat, obijt ann. 1572.

IOANNES Garia Tolosanus, Ordin. Minorum, Theologus insignis fuisse, atque nonnulla edidisse Opuscula scribitur à Francisco Gonzaga Episcopo Mantuano. At quænam illa fuerint, non affert.

IOANNES Garo Auenionensis De Pœnis, & Remedijs secundò nubentium, extat in Tractatibus. To. 9. fol. 115. in Veneta postrema editione.

IOANNES. Garzonius Bononiensis, scripsit de Viris illustribus Ordinis Prædic.

IOANNES Gaona, Ord. Minorum, Mexicano idiomate, scripsit Dialogos spirituales, & latinè Apologiam. Viuebat ann. 1555.

IOANNES Gascoyne, Anglus, qui vixisse fertur ann. 1381. D. Hieronymi Stridonensis Vitam, & aduersus Vvicleﬁ hæretici hæreses scripsit.

IOANNES de Gauda, siue de *Veteri aqua*, Hollandus, Ord. Carmelitarum, scripsit De Initio & Incrementis Ordinis sui tres libros, prænotatos, *Fasciculus temporum Ord. Carmelitarum*. De Conceptione B. Mariæ semper Virginis. cōtra Vvigandum Monachum quendam Epistolas, & Sermones plures ad populum. Viuebat ann. 1495.

IOANNES Gaufredus Lecturam, siue Collectarium ad Decretale reliquit.

IOANNES Gattuer, qui sine hoc cognomento dictus est à natione sua Teutonicus, Carmelita, quem item Iacobus de Plebe in suo Catalogo scribit *Cauuer*, Professor in suo Cœnobio Moguntinensi, scripsit In Exodum. Ad libros quattuor Magist. Sent. Concordiam Euangeliorum. Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Quadragesimale triplex. Viuebat ann. 1440. Quem Iacobus Philippi Ordin. S. Augustini in Opere suo, quod prænotauit *Temporum Supplementum*, egregium Theologiæ Professorem, ac singularem Concionatorem vocans, ait eximium eruditionis suæ specimen præbuisse in Concilio Basiliensi. Vide Gesta ann. 1438. in eo Supplemento, vbi sine vllo cognomento Ioannes hic *Teutonicus* nominatur. Itaque, vt monuit Petrus Lucius Carmelita, stat, quod scribit Tritemius, si distinctè legas, claruisse Ioannem hunc ann. 1430. non autem obijsse. Nam si secus legeris, non cohæret; aut certe dices, annis octo ante Basileense Concilium, ipsum obijsse, ac deinde in Concilio rediuiuum apparuisse.

IOANNES Geiler è Keysersberg, siue *Keysersbergius*, Teutonicus scripsit,

Sermones ad Populum, lib. 1.
Orationes ad Clerum, lib. altero.
Nauiculam fatuorum, Tractatu vno.
Nauiculam Pœnitentię, Tractatu altero.
Peregrinationem.
Expositionem Dominicę Orationis.
Fragmenta Passionis.
Tractatum de Sancta Eucharistiæ communione danda ijs, qui vltimo supplicio afficiuntur.
Alterum de amouendis concubinis, licet vterque continere decreuerit.
Alium, De pueris non instigandis ad religiosas familias, in quibus regula non seruatur.
Contra Statutum, quo Testamentum condere ciues prohibentur.
De septem peccatis mortalibus.
Epistolas plures.
Tropos, siue Sales.

Quæ omnia fuerunt varijs annis excusa Argentinæ, nimirum 1509. 1510. 1518. apud Ioannem Gruningerum.

Quin & magnis sumptibus, atque labore scripta Ioannis Gersonis conquisita, & disposita dedit in lucem.

Porrò Ioannes hic Geiler Keysersbergij Theologus, & celebris sua ætate concionator Argentoratensis, siue Argentinensis, habuit Conciones à Dominica Quinquagesimę anni millesimi quingentesimi, in quem incidebat Iubilæus, vsque ad Dominicam tertiam Paschæ 17. die Maij, easque item quotidie, diebus Quadragesimæ habitas, sub nomine Peregrini; pro themate semper proponens illud Leuitici 25. *Anno Iubilæi redient omnes ad possessiones suas*. In quarum Concionum initio agit, quid sit Iubilæus, & quotuplex. Quid, & quænam sit nostra possessio, ad quam redeundum est. Quomodo ad eam sit redeundum. Ea verò *Peregrini* appellatione, pergit persequi, quidquid ad Peregrinum pertinet, vt omnibus virtutibus excultum adducat ad Iubilęum perpetuũ consequendum.

Has igitur Conciones cum collectas in ordinem redegisset Iacobus Ottherus, testatus autem fuisset superesse eiusdem Ioannis Geiler insigne alterũ volumen Concionum, quod nondum erat editum, subiecit hunc Peregrinum prelo Argentinæ, ann. 1513. apud Matthiam Schurerium. Viuebat autem Maximiliano Cęsare.

IOANNES è Sancto Geminiano, Ordinis Prædicatorum, Summam de Exemplis, & Similitudinibus locupletem Concionatoribus, & alijs vtilem scripsit. Quæ Venetijs anno 1577. & ann. 1582. apud Damianum Zenarium. Antuerpiæ verò ann. 1583. & ann. 1599. in ędibus Petri Belleri. Lugduni autem ann. 1585. cui adiunctum est Sophologium Sapientiæ Iacobi Magni. Et quidem post aliquot editiones, ea præstare videtur, quæ ab Aegidio Rochensi, Ordin. D. Augustini prodijt emendatior, cum illa primum prolata fuisset in lucem ann. 1499. Basileę apud Petrum Langestenium. Quo anno Venetijs fuisse excusa scribitur ab Antonio Senensi.

Scripsit quoque Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Librum diuersarum Collationum. Sermones de Opere sex dierum. Librum Sermonũ funebrium, qui Lugduni impressi sunt ann. 1510. Sermones duos notabiles in modum Dialogi inter Christum,

& La-

& Latronem, Abelem & Chaim. Alium in peruigilio Paschatis. Qui extant inter Sermones Gotscalchi Ord. D. Aug. Viuebat ann. 1310. Ant. Senensi. Sed & ann. 1319. Eisingr. Scribit autem Henricus Vvillot eum edidisse quasdam Meditationes in Euangelia.

IOANNES Genesius, Qualea, Parmensis, Ord. Minorum, scripsit librum De ciuitate Christi, quem Rhegij Vgo Rogerius, ann. 1501. Romæ Iacobus Mazochius, ann. 1523. excudit. Scripsit item Rosarium. Franc. Gonzaga.

IOANNES Genesius Sepulueda Cordubēsis Theologus, ac Caroli V. Imp. Historicus, qui ann. 81. cęlebs, & in bonis Artibus cōtinenter versatus, insumpsit, obijt ann. 1572. sepultus in Putalbani Municipij Aede maxima propè Cordubā. Scripsit, quę ad manus habētur.

De vita, & rebus Aegidij Albornotij, Cardin. libros tres.

Descriptionem Collegij Hispanorum Bononiensis.

De Regno, & Regis officio, lib. tres.

Epistolarum, lib. septem.

De correctione anni, & mensium Romanorum.

Dialogum de appetenda gloria, qui inscribitur Gonsalus.

De honestate rei Militaris, qui inscribitur Democrates, lib. 3.

Apologiam pro libro de Iustis belli causis suscepti contra Indos.

Orationem ad Carolum V. vt bellum suscipiat in Turcas.

Dialogum de ratione dicendi testimonium in causis occultorum criminum, qui inscribitur Theophilus.

De ritu nuptiarum, & dispensatione, lib. 3.

De Fato, & libero arbitrio contra Lutherum, lib. 3.

Antapologia pro Alberto Pio Comite Carpensi in Erasmum.

Porrò hæc cum sparsim varijs temporibus fuissent à Typographis euulgata, demum ab Arnoldo Mylio conquisita simul in lucem edita sunt in Officina Birkmannica Coloniæ, ann. 1602.

Ad Historiam quod attinet, quam de rebus Caroli V. Imp. scripsit, eam audio apud Catholicum Regem asseruari m. s.

Porrò & Aristotelis octo Politicos libros, Alexandri Aphrodisæi Commentarios in duodecim libros eiusdem Aristotelis, cuius & de ortu, atque interitu, quatuor Meteorologicos, & Paruos Naturales è Græco Latinos fecit.

Ceterum quoniam Sepulueda, vbi agit de Eræ Hispanicæ nomine, & ratione, quin & de modo illius scribendæ, existimauit se veritatem fuisse assecutum, reliqui vero docti inter se dissentiunt Vasęus, Resendius, Didacus Couarruuias, planius autem de ea disserere Stephanus Gariuaius, Ambrosius Morales, Cęsar Cardin. Baronius, Ioannes Mariana noster post Faustum Rhegiensem, Isidorum, & Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem (mitto alienos à fide Catholica, qui de hoc scripserunt) ideo legendum puto, quod Garsias Loaysa in collectione Conciliorum Hispanicorum attulit de Era in Notis ad Cōcilium Eliberitanum, quæ pro supputatione annorum diu fuit apud Latinos vsurpata. Is enim inter alia scribit. *Omnes figmentum Genesij viri docti rident: de alijs inter se dissident. Superare natiuitatis annum triginta octo annis Eram sine controuersia affirmant, excepto Episcopo Gerundensi, &c.* Hæc & pauca quędam cum dixisset, miratur Iosephum Scaligerum tribuisse Iulio Cęsari initium huius Supputationis, cum Natiuitas Christi Domini inciderit in quadragesimumsecundum annum Imperij Octauiani, vt Eusebius, Epiphanius in Panario lib. 1. hęr. 20. & alij Græcorum, & Latinorum, vt Isidorus, Beda de sex ętatibus sunt auctores: vel in primum, vt Iulianus Toletanę primę Sedis Episcopus, Hieronymus in Esaię cap. 2. Iulius vero Cęsar post Caium, & Sextum Pompeios, Magni Pompeij filios apud Mundam in Hispania Bętica, victos, Sextumque occisum (in quo bello Octauianus decimumoctauum agens annum strenuè militauit) Romam rediens, post triumphum à Bruto, & cōiuratis occiditur. *Quapropter* subdit, idem Loaysa, *si post natum Christum ab hinc triginta & octo annos est numerandum, in tempora Octauiani A. Pollione, & Domitio Consulibus, non Iulij necessariò incidimus: quo tempore Hispania pacata, Sexto Pompeio victo, Octauianus Dominus est conclamatus, initiumq́ erarij calculi inuentum, productumq́ vsque ad millesimum trecentesimum octogesimum tertium, qui est à Ioanne Primo Rege Castella, lege antiquatus.*

Ioannes Genuensis Monachus, Ord. Præd. Dictionarium prænotatum Catholicon ann. 1280. confecit, in quo præter quæstiones naturales, ac Theologicas, præter itē ea, quæ ad Orthographiā, Prosodiam, Etymologiam, Diasyntacticam, Constructionē, Regimen, Figuras, ait etiam de his ipsis, quatenus in Biblijs, & à Patribus vsurpantur: Opus autem hoc à Petro Aegidio auctum, & ann. 1506. Lugduni excusum prodijt, cum Venetijs antea ab Octauiano Scoto fuisset emissum ann. 1495.

Ioannes è Sancto Georgio, Bononiensis, celebris Iuris Canonici Doctor, citatur in Summa Angelica. Eius vxor filia fuit Ioannis Andreæ Bononiensis, qui claruit anno Domini 1437.

Ioannes Gerbrandus, de Leydis, Patria Batauus, Ord. Carmelit. & Harlemensis cœnobij, vbi etiam ann. 1504. obijt, libris decem sui Ordin. Historiam texuit, scripsit item Postillam Quadragesimalem. De Passione Domini, librum. Sermones de Sanctis. Sermones Aestiuos. Sermones Hyemales. Inscriptum, Collationes Sanctorū, librum. De Beatiss. Virginis doloribus, librum. De Festis Deiparæ, librum. Exemplorum eiusdem B. Virginis, librum. Chronicon Hollandiæ.

Ioannes Germanus, Monachus Castellensis, in Diœcesi Eystetensi, Congregationis Cluniacensis, scripsit circa annum Domini 1390. Ad Regulam S. Benedicti, lib. 2. De Passione Domini Sermones 42. Breuiarium Bibliorum, lib. 1. Epistolarum ad diuersos, lib. 1. Sermones de Tempore, lib. 2. Sermones de Sanctis, lib. 1.

Ioannes Gerson, dictus item *Carlerius*, Gallus, Monachus Ordin. Cœlestinorum, & deinceps eorundem Lugdunensis Monasterij Prior, demum vero Parisiensis Academiæ Cancellarius, antea vero Petri de Aliaco Cardinalis Cameracensis discipulus, Caroli VI. Galliæ Regis ad Constantiense Concilium Legatus, vir ingentis doctrinæ, atque pietatis pleraque soluta oratione, & metro conscripsit, quæ olim collecta anno ab vsque 1488. à Ioanne Geilero, de quo paullo antea locuti sumus, tribus Tomis edita fuere Argentorati apud Martinum Argentinensem.

Aliquorum autem Gersonis Operum quoniam nonnulla interiere, alia verò forsan alicubi delitescunt, neque adeo defuerint, qui eidem ascripserint, quæ non censentur esse fœtus ipsius, quales sunt Commentarij in septem Psalmos Pœnitentiales, qui Petri de Aliaco esse existimantur; & qualis est liber de Imitatione Christi, varijs iam linguis editus, cuius fuit auctor Thomas de Kempis; Nos, ne quid eorum, quæ nobis potuere esse comperta, omittamus, Primò Catalogum adtexemus, quem frater ipsius Ioannis Cancellarij Anselmo Celestini Ordin. à quo hac de re fuerat quæsitus, misit. Mox addemus Notas ad aliqua istorum Opera, quas idem ad Osualdum Cartusiæ Maioris monachum, scripsit. Quorum vtrumque extat in fine tertiæ Partis Operum Gersonis olim editorum. De Tritemij autem Catalogo minus soliciti fuimus, quòd pleraque ille omiserit. Qui vero in antiquis illis exemplaribus excusis ordo seruatus est, quem ille non seruauit, hunc subdemus, si prius hæc, quæ sequuntur, de ipso Gersone fuerimus præfati.

Expediet igitur ei, cui Gersonis Opera libuerit euoluere sic Viri huius prænosse præstātiam, vt simul quęnam ea tempora fuerint, quibus aliqua scripsit de Schismate, de Concilijs, de Pontifice Maximo, rectè percipiantur.

De Præstantia tanti Theologi, nemini dubium est, quin fuerit insignis. Eò autem insignior, quòd in plurimis difficilè possit agnosci, vtra fuerit in eo maior, pietasne an eruditio. Sanè cum varia in Diuinam Scripturam elaborauerit, Commentarij, quos sub vitæ finem conscripsit in Canticum Canticorum eiusmodi sunt, vt cum de quinquaginta Proprietatibus Diuini Amoris Vniuerso in Cantici Opere dispersis egerit, altissimè omnes Diuini amoris affectus hausisse, & quod ex Domino hauserat, eructasse videatur. Secuta vero mors triduo post Opus illud expletum, adhuc magis hoc probauit. postrema enim eiusdem Cantici verba, *Fortis est vt mors dilectio*, idem moriens magna animi, vultusq; constantia iterans, animam Diuinę Bonitati reddidit anno ętatis supra sexagesimum, salutis verò nostræ 1419.

Iam

Iam tempora, quibus de Potestate Ecclesiæ scripsit, ea fuerant, vt plurima in Mundo, & ob schisma Benedicti Lunę Antipapæ, & aliquot Anticardinalium, essent altercationes, & vero vnusquisque licet Catholicus, & doctus, dum id agitaretur in Synodo Constantiensi varijs sententijs distineretur, qui sartam tectam Ecclesiam Christi, & vnam inconsutilem vestem optaret. Inter hos igitur fuit Gerson, qui aliquando in sensu suo abundans, ea vel dixit, vel scripsit, quę nemini ambigendum est, qui in secus sensisset, si sequentia tempora, & secundas, vt vocant, cogitationes audiuisset, præsertim eas, quæ ab eadem Ecclesia ritę congregata non semel iterum profectæ fuerunt. Quamobrem reuocandum est ad memoriam, Concilium Constantiense, quod ad primas attinet Sessiones, vbi definiuit, Concilium fuisse supra Pont. Max. nec ab ipso Pont. Max. fuisse approbatum, ad quē rebus examinatis pertinet hoc iudicium, & reprobatum fuisse à reliquis Oecumenicis Cōcilijs rite confirmatis, hoc est à Concilio Florentino, & Lateranensi vltimo; vltimas autem Sessiones Constantiensis, quod spectat ad quęcūque Martinus V. probauit, ab omnibus Catholicis fuisse recepta. Quin & Concilij Basiliensis, quod subsecutum est Constantiense, nihil fuit, nec adeo est, ratum, aut probatum, præter Dispositiones quasdam circa beneficia Ecclesiastica, quæ ab ipso Concilio fuerant emanata (pacis, & vnitatis gratia) Quas Nicolaus V. Pont. Max. comprobauit.

De Ioannis Gersonis Operibus, iudicium Iacobi Vimpfelingij.

At quod generatim dici potest de Ioannis Gersonis Operibus, id Iacobus Vimpfelingius dixit sequentibus verbis.
Neque enim claudit hominibus facile cęlos neque cęcam nutrit præsumptionem, at media via, quæ tutior, incedit
Iugum Domini leue esse contendit.
Papæ & Prętatorum potestatem ostendit.
Ecclesiæ reformandę modum demonstrat.
Canonum, & legum necessitatem aperit.
Religiosos pro zelo docet.
Adolescentes instruit.
Pueros Paterno affectu complectitur.
Pręceptores Gymnasiorum particularium, etiam Priuilegiatorum informat.
Orationes ad Clerum, & in laudē quattuor facultatum sententiosissimas excudit.
Sermones optimos fecit.
Theologos speculatiuos ad materias vtiles excitat.
Hæreses eliminat.
In Schisma inuchitur.
Regum & Principum filijs pręcepta tradit.
Triplicem statum scilicet Ecclesiasticum, Militarem, & Ciuilem in Republica necessarium esse demonstrat.
Censuum, & redditnum benignus est moderator, & Iudex.
Curatorum, siue Parochorum iura defendit.
Religiosis contemplatiuis dulcissimas doctrinas infundit.
Prędicatorum Ordinem cum Vniuersitate Parisiensi reconciliauit.
Confessarijs bona pręcepta largitur.
Astantes Agonizantibus salubriter erudit.

Catalogus Operum Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis, ab eius fratre ad Anselmum Ord. Cælestini Monachum missus.

Collatio in primo cursu Theologiæ Parisijs in Regio Collegio Nauarrę, & consequenter in secundo, ac deinceps in Quadripartito libro Sententiarum, & tandem in magisterio anno ętatis eius, circiter 32. sumpto super hoc Themate *Quasiui sponsam mihi eam assumere,* sub metaphora nuptiarum Theologi cum sapientia, in modum Dialogi, per prosas, & metra more Boetij in libro de Consolatione.

Lectiones Magistrales ad Euangelium secundum Marcum. *Egrediebantur ad eum Hierosolyma vniuersi.*

Lectio vna de duplici Logica. Quarum vna est pro speculatiuis scientijs: Altera pro moralibus, quæ Rhetorica nominatur, vbi de duplici vi locutionis agitur. *Et erat Ioannes uestitus pilis camelorum.*

Duæ lectiones, Vna de non esu carnium, quam Cartusianis scripsit, & incipit, *Egregio viro Ioanni*. Altera de distinctione verarum Reuelationum à falsis. Quam fratribus Cęlestinis misit. Incipit, *Nuper unam*.

Item potest conuenienter annecti huic lectioni Opusculum aliud ab eodem compilatum De probatione spirituum. Incipit, *Probate spiritus*.

Multę Lectiones, in primis autem sex sub nomine Tractatus De vita spirituali animę. Incipit, *Ego uos baptizaui*.

Lectiones varij argumenti: Quarum vna est de Theologia mystica speculatiuè tradita. Incipit, *Pœnitemini, & credite*. Altera de Theologia practicè. Incipit, *Tractantes*. Quibus duabus lectionibus si addatur Tractatus de Passionibus, quem postea edidit, & incipit, *Passionum origines*. erit Opus completum, atque adeo vnus libellus è tribus.

Item ad illud Euangelicum *Pœnitemini* Lectiones duę contra curiositatem studentium.

Epistola item huius argumenti ad Magistros studentes in Theologia in Collegio Nauarre.

Opusculũ de Perfectione, & moderamine religionis ad Cartusienses. *Gratia uobis, & pax*.

Ad fratres Cęlestinos Opusculum de sollicitudine Ecclesiasticorum. *Nolite soliciti esse*.

Opusculum ad fratres Cęlestinos & Cartusienses. De laude Scripturę sanctę. *Scrutamini scripturas*.

Libellus De Corde, hoc est de Meditatione Cordis, de Simplicitate Cordis, de directione Cordis, & de perfectione Cordis. *Meditatio cordis mei*.

Libellus de tenore nostrę legis, siue, De Decem pręcepris Latinè redditus. *Reuerende in Christo Pater*.

Regulę Mandatorum. *Agamus nunc interim*.

Opusculum ad Rectores puerorum. *Sinite paruulos venire ad me*.

Monotessaron, hoc est vnum ex quattuor, in quo extat concordia quattuor Euangeliorum, & Incipit, *Vnum ex quattuor componere*.

Iosephina, libellus eo nomine, qui metricè scriptus, in quo item agitur de Virginali coniugio Iusti Ioseph, & Mariæ. *In prosa fontem fueuerunt*.

Opusculum de præparatione ad Missam. *Dubitaui frequenter*.

Alterum De cognitione castitatis, qui potest conuenienter prędicto annecti. *Scripsi super*, &c.

Libellus de Gradibus Veritatum Sacræ Scripturæ. *Declaratio compendiosa*.

Alius De probatione Doctrinarum.

Liber De consolatione Theologiæ per modum Dialogi, metro & prosa constans. *Quacumque scripta sunt*.

Dialogus Apologeticus, cuius sunt collocutores Volucer, & Monachus, eodem quo superior, modo conscriptus: Qui conuenienter adiungi potest prædicto libro, ut sit vnus. *Rem inquiris*.

Triloquium astrologiæ. *Theologizare sapientia à Domino Deo est*.

Opusculum ad Confessarium Regis pro eius instructione. *Charo & erudito viro*.

Trilogus de Ecclesia. *Sæpenumero*.

Opusculum de quibusdam scrupulis tẽpore schismatis Ecclesiæ. *Ad tollendum quorundam*.

Propositio facta coram Petro de Luna ex parte Vniuersitatis Parisiensis pro restrictione obedientię. *Benedic hæreditati tuæ*.

Sermo coram ea in die Circumcisionis. *Apparuit Gratia Dei*.

Opusculum de vnitate Ecclesię propositum tempore, quo celebrandum erat Concilium Pisanum. *Vnitatis Ecclesiastica tractatoribus*.

Propositio coram Anglis, ex parte Vniuersitatis Parisiensis, instante prędicto Concilio Pisano. *Congregabuntur filij Israel, & Iuda pariter*.

Liber De potestate Ecclesiastica.

Libellus de Auferibilitate Sponsi ab Ecclesia. *Venient autem dies, cum auferetur sponsus*.

De statu Papę, & minorum prelatorum. *Pax, quam omnes*.

Opu-

Opusculum de concupiscendo prælaturam, cui annectitur aliud contra statum Pompaticum prælatorum.

Epistola ad magistrum Vincentium Ordinis Prædicatorum, contra sectam se flagellantium. *Tanta de virtutibus tuis.*

Determinatio quæstionis. An liceat à Papa appellare, vbi ponuntur etiam articuli Theologicè compositi contra Petrum de Luna. *Quæritur num hæc assertio sit Catholica.*

Volumen, in quo continentur plures sermones eius, habiti in Concilio Constantiensi: *Ambulate, dum lucem habetis.*

Volumen in quo continẽtur multa scripta eius, contra propositionem Magistri Io. Parui, occasione erroris contra Domini præceptum. *Non occides.*

Opusculum contra errorem de communicando laicos sub vtraque specie. *Oblaturus iuxta.*

Libellus qui dicitur De Canticis. *Beati qui audiunt.*

Item Tractatus vtilis de Contractibus.

Volumen in quo continentur multi Sermones eius ad Clerum, præsertim in Vniuersitate Parisiensi.

Multa breuia, & vtilia scripta ab eodem Cancellario Parisiensi.

Opusculum inscriptum, *Cantica Peregrini,* metricè Incipit, *Eheu purgent,* in quo continetur breue testamentum Peregrini, prosa. Incipiens, *Sicut homo, qui.*

Dialogus de Quolibet.

Sequitur Annotatio Opusculorum eius idiomate Gallico.

Volumen in quo continentur Sermones eius ad populum.

Tractatus de Monte contẽplationis ad quinque sorores eius in cælibatu conuiuentes Rhemis, quæ in Gallia est Campaniæ Metropolis. De decem præceptis.

Tractatus de Mendicitate spirituali sub duplici Tractatu, & per modum Dialogi secundum speculatiuam, & practicam: cuius initium est, *Ma poure ame miserable.*

Ad easdem Sorores de tentationibus.

Ad easdem, De distinctione peccatorum mortalium à venialibus. *Qui bien considere.*

Sermo de Passione Domini. *Ad Deum vadit.*

Opusculum contra Romantium de rosa.

Propositio coram Rege, *Viuat rex,* & alia, *Veniet pax.*

Libellus in quo collecta sunt multa breuia vtilia ab eodem composita; vt patet in tabula.

Tituli aliorum Opusculorum eiusdem Gersonis, quæ etsi memorata sunt supra, tamen quoniam ab eiusdem fratre fuerunt Notis aliquibus liquidius indicata, hic iterum inseruntur ad Osualdum Cartusiæ maioris missi.

Tractatus de non esu carnium Parisijs legendo compositus ante annum Domini 1400.

Tractatus de distinctione Reuelationum circa idem tempus lectus.

Tractatus de spirituum probatione Constantiæ post longè compositus.

Tractatus super Magnificat, continens multos particulares Tractatus, compositus Lugduni, sicut ex eo constat. Præcipuus autem inter particulares visus est sibi esse nonus, ad illum versiculum *Esurientes.* Placeret, autem vt multiplicaretur seorsum cum additionibus duorum, aut trium Opusculorum: Quorum vnum est contra Boemos, de non cõmunicando Laicos sub specie Sanguinis. Alterum autem De præparatione ad Missam, decem considerationibus pridem compositum, quomodo, & quousque pollutio nocturna celebrationem impediret de necessitate. Tertium addi potest de Simonia. Videlicet num, & quando celebrare Missas pro pecunijs sit simoniacum.

Tractatus alius est seorsum de consolatione Theologiæ, ab eo in Germania conscriptus post Concilium Constantiense.

Tractatus heroicis versibus de Laude Iusti Iosephi Virginalis sponsi Mariæ, circa idem tempus editus, *Alme Ioseph, Patriarcha Sacer.*

Collectorium quorumdam centiloquiorũ diuerſi argumenti, quorum fit mentio in grandi Tractatu, ſeu libro de collectorio de Magnificat. Et preſertim iungitur Tractatus principalis de verbo, & hymno glorię pro intellectu conſummato ſecundum Theologiam myſticam verſiculi iſtius. *Gloria Patri, & Filio.*

Tandem pro monimento vacuę ſenectutis ſuæ conformiter ad annos diſciplinaris exercitationis in pueritia, ſcripſit Opus metricum, in Hymnum *Magnificat*, verſibus hexametris, & pentametris multis millibus, quibus ad proprij ingenij exercitationem pleraſque difficiles Quęſtiones, atque apices Theologiæ, potiſſimum per anagogiam, attingit, vt docerentur indocti, quamuis inſpectio, & ſtudium cũ modeſtia non nocebunt cupidis quibuſcumque, quę ſecundum pietatem eſt, veritatis.

Catalogus alter Operum Ioannis Gerſonis in tres Tomos Argentorati diſtinctorum, & editorum, ann. 1488.

Primi Tomi Tractatus.

De laude Scriptorum, qualis ſit, vel eſſe debeat Scriptor idoneus librorum doctrinę ſalubris.
Monoteſſaron, ideſt, de concordantia Euãgeliſtarum.
De poteſtate Eccleſiaſtica.
Sermo pro itinere regis Romano.
De auferibilitate Papę ab Eccleſia.
De modo ſe habendi tempore ſchiſmatis.
Schiſmata quot fuerunt.
Declaratio defectuum virorum Eccleſiaſticorum.
De vnitate Eccleſiaſtica.
De ſtatibus Eccleſiaſticis.
De modo viuendi omnium fidelium.
Sermo de ſignis ruinę Eccleſiæ, de ſchiſmate Tractatus duo.
De Concilio generali vnius obedientię in ſchiſmate Concilij Conſtantienſis.
Decreta eiuſdem Concilij.
Sermo in die Circuncíſionis coram Papa.
Epiſtolæ ad Ducem Aurelianenſem, & Cameracenſem.
Sermo habitus coram Alexandro Papa in die Aſcenſionis.
Sermo coram Papa Benedicto Maſſiliæ.
Propoſitio facta coram Anglicis euntibus ad Concilium Piſanum.
Trilogus in materia Eccleſiæ.
Sermo in feſto S. Antonij. *Nuptia facta ſunt.*
Tractatus de Nuptijs Eccleſię.
Errores circa pręceptum: *Non occides.*
Sermo in die Purificationis Marię.
Sermo corã Concilio. *Ambulate dum lucem.*
Propoſitio in Concilio ex parte Regis Franciæ.
Sermo coram commiſſarijs fidei de erroribus contra fidem, & mores.
Sermo contra aſſertiones magiſtri Ioannis Parui.
Quęnam veritates ſint de neceſſitate ſalutis credendę.
Determinationes duę per Concilium Conſtantienſe.
De proteſtatione circa materiam fidei contra hęreſes diuerſas.
De pertinacia conſiderationes, & ſigna.
Quomodo & an liceat in cauſis fidei à Papa appellari ad Concilium contra Petrum de Luna.
De aſſertione illa, *Sententia paſtoris iniuſta timenda, & tenenda eſt.*
De ſuſceptione humanitatis Chriſti, cõtra tertiam partem libri Ioãnis Ruisbrochi, de ornatu ſpiritualium nuptiarum.
Libellus fratris Ioannis de Scandauia, qui nititur defendere quædam dicta fratris Io. Ruisbroich contra Ioan. de Gerſon, contra prędictam defenſionem.
Lectiones ſuper Marcum.
Propoſitiones de ſenſu literali Sacrę Scripturę, & de cauſis errantium.
De Communione Laicorum ſub vtraque ſpecie.
De probatione ſpirituum.
De examinatione doctrinarum.
Epiſtola ad Patrem Oſualdum Cartuſienſem.
Epiſtola ad Studentes Collegij Nauarrę.
Quid, & qualiter ſtudere debeat nouus Theologię auditor, & contra curioſitatem ſtudentium.

Epiſtola

Epistola ad eosdem, an monachus pro studio lectionis possit se subtrahere à Diuinis.
Epistola de studio Religiosorum.
De libris quorundam cautè legendis.
De distinctione verarum visionum à falsis.
Trilogium astrologiæ Theologizatæ.
Contra superstitiosam obseruationem dierum.
Contra superstitionẽ cuiusdam medici sculpentis imaginem Leonis contra obseruationem dierum, quoad opera.
De erroribus circa artem magicam, & articulis reprobatis.
Propositiones contra assertiones Matthæi Graben, in causa fidei.
De vera religione & perfectione.
Cardinalis Cameracensis responsio super eisdem.
Fratris Matthæi Graben conclusiones, contra quas scripsit Ioan. Gerson, contra sectam se flagellantium.
Epistola missa Vincentio Ordinis Prædic. de eadem secta.
Contra proprietarios regulæ S. August.

In Secundo Tomo sunt.

Opuscula ad mores accommodata.
Regulę morales, quibus aliquot loci cõmunes explicãtur, de vitijs animi, & de Sacramẽtis.
Compendium Theologię, quod complectitur aliquas materias communes ad fidem & doctrinam Catholicam spectantes, eidem Cancellario adscriptũ, sed apparet eius non esse.
Primus autem eius Tractatus est, de expositione articulorum fidei. Secundus, de decem præceptis legis, & eorum expositione. Tertius, de septem Sacramentis Ecclesię. Quartus, de septem Virtutibus. Quintus, de septem petitionibus contentis in Oratione Dominica. Sextus, de septem donis Spiritus sancti. Septimus, de octo beatitudinibus. Octauus, de vitijs tam naturæ quam voluntatis: siue de septem vitijs capitalibus.
De peccato in Spiritum sanctum, & diuersis ipsius peccati acceptionibus, de peccato veniali, an primi motus sint peccata, de natura delectationis, & an sit peccatum. Vtrum consensus in delectationem sit semper peccatum, an consensus in actum sit peccatum, de intentione ac fine actionis, de natura & qualitate conscientiæ, de natura, qualitate, & numero circumstantiarum, de peccati actualis & venialis diuersis nominibus, ac effectibus. Aliæ peccati differentiæ, ex opere, ore, corde: Quæ omnia continentur in compendio Theologiæ.
Opusculum tripartitum.
De præceptis Decalogi, de Confessione, & de arte moriendi.
De cognitione venialium peccatorum, & mortalium.
De arte audiendi Confessiones.
De Confessione molliciei.
De remedio contra recidiuum.
De statuto Cartusiensium.
Quod in mortali certo cõfessus remittatur.
Auisamentum pro modo Cõfessionis in Religionibus non lapsis audiendæ.
De modis excommunicationum, & irregularitatum, & absolutionis ab eis.
Notabile de primis motibus, & de consensu.
De absolutione Confessionis Sacramentalis.
De absolutione defuncti Cartusiensis.
De moderata casuum reseruatione.
Epistola super eodem.
De potestate ligandi atque soluendi, Dialogus.
Resolutio super casu quodam de irregularitate.
De contemptu clauium, & materia excommunicationum & irregularitatum.
De cordis induratione.
De Indulgentijs.
Multarum breuium & vtiliũ Quæstionum resolutiones, de correptione proximi.
De paruulis ad Christum trahendis.
De contractibus, de simonia.
De solicitudine Ecclesiasticorum.
De testamento condendo.
Epistola super testamento librorũ suorum.
Epistola ad Cartusienses super acceleratione suffragiorum post mortẽ oblatorum.
De anniuersario, quod sibi procurauit in Ecclesia S. Pauli Lugduni.

Testa-

Testamentum quotidianum peregrini, id est, ipsius Ioannis Gersonis.
Testamentum eiusdē, versibus hexametris.
Epistola consolatoria super morte fratris ad fratrem.
De præparatione ad Missam, & pollutione nocturna.
De pollutione diurna, Dialogus.
De cęlibatu Ecclesiasticorum.
Carmen contra pulchritudinem corporis.
Contra impugnantes ordinem Cartusiensem, propter paucitatem oraculorum, & non confirmationem.
De non esu carnium apud Cartusianos.
De temperantia in cibo, & potu, & vestibus Pręlatorum.
Sermo de vita Clericorum.
Sermo in cęna Domini pro humilitate.
Carmen contra tumidum cor.
Sermo de Pœnitentia.
Sermo de Dominio Euangelico.
Carmen de voluntaria paupertate.
Sermo ad Ecclesiasticorum cautelam, & eruditionem.
Sermo de Resurrectione Christi.
Sermo in Concilio Rhemensi.
De bono pastore.
De visitatione Prælatorum, vel cura Curatorum.
Sermo de quattuor domibus.
Sermo de omnibus Sanctis. *Exultabunt Sancti in gloria.*
Alius de eisdem. *Beati qui lugent, &c.*
De eisdem, *Exultate quoniam merces vestra.*
De eisdem. *Videns Iesus turbas.*
Sermo in die Natiuitatis Domini.
Sermo in Dominica in Septuagesima.
Sermo in Conceptione Beatæ Virginis.
Sermo de Beato Bernardo.
Sermo in die Sancti Ludouici Francorum Regis.
Carmen optatiuum, vt lilia crescant.
Sermo de Spiritu sancto, de Verbis Domini. *Venite ad me omnes.*
Causæ propter quas voluit dimittere Cancellariam.
Commēdatio licentiandorum in Decretis.
Tractatus de nobilitate.
Epistola ad Papam Martinum nomine Regis Franciæ.
De considerationibus, quas debet habere Princeps.
Dialogus duorum militum Frāci, & Angli.
De puella olim in Francia equitante in armis. Eius editio Gersoni ascribitur, sed magis apparet stylus magistri H. de Gorckheim.
De mirabili Victoria cuiusdam puellæ de postfętantes receptę in Ducem belli exercitus Regis Francorum contra Anglos.

In Tertio Tomo.

Ad mysticam vitam, seu contemplationem accommodati Tractatus.
De consolatione Theologiæ, lib. 4.
Dialogus apologeticus, in quo Volucer & Monachus colloquuntur.
Carmina nonnulla.
Iosephina carmina, idest, historia Iosephi sponsi Beatiss. Virginis.
Sermo in Natiuitate Beatiss. Virginis.
Carmen de differenti immunitate à peccato, Christi & Matris suæ.
Centilogium de conceptibus animæ, sensuum, mentis, voluntatis, &c.
De vita spirituali animæ, siue de sex lectionibus.
Centilogiū de impulsibus bonis & prauis, quibus nunc potentes deponuntur, nūc exaltantur humiles.
De mystica Theologia speculatiua.
De mystica Theologia practica.
De elucidatione Scholastica mysticæ Theologiæ.
Carmina de purificatione sensuū interiorū.
De religionis perfectione, & moderamine.
De cōsilijs Euāgelicis & statu perfectionis.
De perfectione cordis.
De meditatione.
De simplificatione, stabilitione, seu mundificatione cordis.
Carmen de simplificatione cordis.
De directione cordis.
De illuminatione cordis, siue vna preciosa margarita.
De oculo.
De remedijs contra pusillanimitatem.
De tentationibus diaboli diuersis.
Contra professum inobedientem.
De zelo, & feruore nouitiatus.

De

De exercitijs discretis deuotorũ Simpliciũ.
Documentum notabile de Sacramento Altaris.
Epistolæ quędam de passionibus animæ.
Carmen de somnio huius vitæ.
De monte contemplationis.
Epistolæ quædã de mendicitate spirituali.
Appellatio cuiusdam peccatoris à diuina iustitia ad misericordiam.
De Oratione, & eius valore.
Decem considerationes in orando Deum.
Expositio super his verbis, *Dimitte nobis debita nostra.*
Oratio cum peccator de peccatis suis multum est anxius.
De Canticorum originali ratione.
De centicordo.
Centilogium de canticis & solatio.
Collectorium super *Magnificat*.
Carmina super *Magnificat*.
Centilogium de Meditatione Crucis.
Carminum suorum honesta defensio.
Anagogicum de hymno gloriæ.
Epithalamium Theologi, & Mysticum Theologiæ.
Super Canticum Canticorum.

Pars Quarta edita Argentinæ à Matthia Schattero, cuius hi sunt tituli.

Sermo de Angelis.
De Circuncisione.
Collatio in festo S. Ludouici.
De S. Nicolao.
Collatio pro licentiandis in facultate Decretorum.
Sermo de Cœna Domini.
Epistolæ aliquot.
Prologus in quo cupit antiquos Doctores legi, posthabitis suis lucubratiunculis.
De exterminatione schismatis.
Arbor de origine iuris, & legum.
Arbor de potestate Ecclesiastica.
Oratio de Ludouico Francorum Rege.
Iudicium de quibusdam visionibus.
Definitiones aliquot terminum ad Theologiam vtilium.
De schismate Petri de Luna.
Lectiones supra illud dictum, *Pœnitemini, & credite Euangelio.*
De obseruatione ex influxu syderum.
De Cœna Domini.
De S. Ludouico.
De coniugio Ioseph & Beatiss. Virginis.
De illuminatione cordis.
De non esu carnium.
Instructiones pro pędagogo regij filij, item Prędicatorum.
Sermo de reddendo debito.
Tractatus de signis bonis & malis.
Sermo de Natiuitate Beatiss. Virginis.
Responsio ad cuiusdam errores.
Sermo de Spiritu sancto.
Doctrina ad quendam Eremitam.
Conquestio de negligentia Prælatorum.
Centilogium de causa finali.
De modis significandi.
De concordia Metaphysicæ.
Contra Bullam Mendicantium.
Sermones eius ex Gallico in Latinum translati, à Dominica Aduentus, vsque ad festum Conceptionis Mariæ.
Oratio de pace Ecclesiæ, & de vnitate Grecorum.
Sermones de Natiuitate Domini, & Epiphania, & multi Sermones alij.
De consolatione mortis amicorum, & parentum.
Oratio ad Regem Franciæ, nomine Vniuersitatis Parisiensis.
Remedia contra adulatores.
Alia oratio ad Regem pro pace.
Alia pro iustitia.
Contra Romantium de Rosa.
De ludo stultorum.
Oratio ad Ducem Biturigum.
De Ascensione Domini Meditationes.
De anno Iubilæo.
De refrenanda lingua.
De Conceptione Iesu.
Oratio ad Regem pro hospitali Parisiensi.
De pacificanda conscientia.
Regulæ volenti Deo seruire, contra tentationem blasphemiæ.
Colloquium conscientiæ & quinque sensuum.

Atqui sciendum est, eiusdem Gersonis Doctrinam Curatorum, siue Parochorum, excusam fuisse Parisijs ann. 1557. apud Andream Rossetum. Orationem autem, quam habuit in Parisiensi Academia audiente Carolo VI. Galliæ Rege, ibidem impressam apud Durandum

randum Berlerium: Monotessaron item separatim prodijsse Coloniæ, ann. 1546. ac deinceps recusum ibidem ann. 1586. Summam verò Theologicam, & Philosophicam in sex libros digestam, Venetijs ann. 1587.

IOANNES Gerundensis (inquit Isidorus in Catalogo) Ecclesiæ Episcopus, natione Gothus Prouinciæ Lusitanę Scalabitanus. (*Scallabi natus legit Codex Sigebergensis.*) Hic cũ esset adolescens Constantinopolim perrexit, ibique Græca & Latina eruditione nutritus septimo demum anno in Hispanias reuersus est, eodem tempore, quo incitate Rege Leouigildo Ariana feruebat insania. Hunc supradictus Rex, cum ad nefandæ hęreseo crudelitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio trusus, Barcinona relegatus per decem annos multas insidias, & persecutiones ab Arianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium, quod nunc Biclaro dicitur, vbi congregata Monachorum societate, scripsit Regulam ipsi monasterio profuturam, sed & cunctis Deum timentibus satis necessariam. Addidit & in libro Chronicorum ab anno primo Iustini iunioris principatus vsque ad annum octauum Mauricij Principis Romanorum, & quartum Recaredi regis annum, historico compositoque Sermone valde vtilem historiam. Et multa alia scribere dicitur, quæ ad nostram notitiam minime peruenerunt. Viuebat ann. 600.

IOANNES Gibbonus Anglus Societatis Iesu, edidit Disputationem de Sacrosanctæ Eucharistiæ communione sub vna specie, habitam in Academia Treuirensi, respondente Petro Schlanço Emmelio. Augustę Treuirorum, ann. 1584.

IOANNES Gillotus, Campanus, Gallus, vertit è Latino in Gallicam linguam, & emisit Catechismum editum secundum Tridentini Concilij Decretum. Parisijs ann. 1584. apud Iacobum Keruerum.

IOANNES Giuuanus. Vide in verbo, Ioannes Vouugus.

IOANNES Gluel, Germanus, quem Eisingrenius inquit fuisse Aquisgranensem, Carmelita, Prior conuentus Coloniensis, scripsit Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis, lib. 1. Sermones per Quadragesimam, lib. 1. Volumen de origine, & profectu Ordinis sui, quod inscripsit Speculum Carmelitarum. Claruit in cœnobio Coloniensi, vbi & sepultus est. Tritem. De script. Carmel. & de Script. Ecclesiast. vbi additur Speculum Carmelitarum.

IOANNIS Glodston, alijs autem *Glodeston*, Carmelita, Anglus, Theologus, scripsit

Quodlibeta varia, lib. 2.
Determinationes Theologiæ, lib. 1.
Quæstiones ordinarias, lib. 1.
Disputationes Sententiarum, lib. 1.
In Euangelium Matthęi, & Ioannis Commentarios.
Moralitates in Matthęum.
Moralitates in Psalterium.
In Canonicam Ioannis.
Diuisiones Sermonum.
Sermones de Tempore.
Sermones de Sanctis.
Orationes ad Clerum.
In Mag. Sent. lib. 4. Viuebat ann. 1320.

IOANNES Godfridus de Odernheim, Oppenhaimensis Ecclesię pastor, Sermones scripsit, & D. Augustinum De Ciuitate Dei in Germanicam linguam transtulit. Viuebat anno 1495. Eisingren.

IOANNES Golarnus, Gallus, Theologus, Rationale Diuinorum Officiorum, siue Ceremoniarum Ecclesiæ Catholicę è Latino reddidit Gallicè, idque ab eo postulante Carolo V. Rege Galliæ idem pręstitit in Collationibus Patrum, quę antea è Græco in Latinum à Cassiodoro fuerant versæ. Parisijs apud Ant. Verardum. Viuebat ann. 1573.

IOANNES Golein, Normannus, Carmelita, Prior Rhotomagensis, scripsit in Magist. Sent. De sancto officio Missæ, lib. 1. Quæstiones quoque varias.

IOANNES Gonzales, Mendoza, Ordin. August. historiam Regni Sinarum Hispanicè edidit Romę ann. 1585. apud Bartholomęum Grassum.

IOANNES Gooduuyck, Anglus, Ordin. Augustiniani, Theologus doctus, & grauis. Is (vt narrat Thomas Colbius) in Nordouolgię comitatu natus, primis adolescentię suę annis cęnobiticæ vitę pręcepta in Limnensi Augustinianorum loco singularitate quadam obseruauit. Iactis vero eius Instituti fundamentis, Cantabrigiam primo, Oxonium postea,

ftea, discendi ardore flagrans, petijt. vbi intra paucujos annos doctrinæ insignibus donatus, honorem summum meruit. Vnde post concertationes aliquot, atque prælectiones illic publicas celebratas, ac Prouincialis demum Angliæ, Hyberniæque pręses effectus, coram rege, atque alijs regni proceribus, non sine magna sui nominis fama, solemnes edidit Conciones. Scripsit autem

Lecturas in Genesim, lib. 1.	Lecturas in Psalmos, lib. 1.
Commentarios in Danielem, lib. 1.	De hebdomadibus Danielis, lib. 1.
In quædam D. Pauli dicta, lib. 1.	Quæstiones disputatas, lib. 1.
Sermones per annum, lib. 1.	Limnę tandē obijt. Iof. Pamph. Viuebat an. 1360.

IOANNES Gothus, Hispanus, Monachus & Abbas Vallis claræ, Episcopus sanctitate celebris, & miraculis clarus, obijt ann. 635. die sexto mensis Maij. Ambrosius Moral. lib. 12. c. 18. & 21. Tritemius lib. 4. cap. 159. Scripsit autem Exhortatorium ad Monachos. Paralipomenon Hispanię, lib. 10. Qui excusi sunt cum alijs rerum Hispanicarum Scriptoribus, Francofurti ann. 1579.

IOANNES Grammaticus, Alexandrinus, cognomento Philoponus, plurima scripsit, Grammatica, Philosophica, Arithmetica, Rhetorica, sacras quoque literas tractauit. Scripsit & contra decem, & octo Procli argumenta, & contra Seuerum: sed tamen ab Ecclesiæ Doctoribus, vt Tritheites, vt qui tres Deos asserat, reijcitur, & in Orthodoxorum Catalogum non admittitur.

Sic quidem Suidas. Sed & nos cum non adnumeramus Ecclesiasticis Scriptoribus, quamuis hoc in loco ponatur: Verum vt noscantur, qui eius errores aut planius aperuerunt, aut confutarunt. Porrò Philoponus, etsi insignem sibi gloriam comparauerat, qui aduersus Proclum Lycium pro Christiana religione, egregiè scripserat, corruit tamen in barathrum impietatis suo nimis ingenio fidens, scribens aduersus quartā Oecumenicam Synodum, vt inquit Photius in sua Bibliotheca; & negans, vt habet Nicephorus, ita resurrectionem mortuorum, vt assereret corpora nostra corrumpi secundum formam, atque materiam; & futurum interitum visibilis huius Mundi, ac rursus noui Mundi creationem alteram, atque alia. Quin & Photius cum dixisset eundem Philoponum in Hexaemeron scripsisse contra Theodorum Mopsuestenum, qui fuerat in eodem argumento versatus, ait, extare Acta Disputationis Seuerianorum aduersus Tritheitas, habitæ coram Ioanne Episcopo Constantinopolitano sub Iustino Imp. Conone, & Euagrio altera ex parte contra Tritheitas, ex altera verò Paulo, ac Stephano Tritheitis Philoponi defensoribus, impijsæque omnibus. Quæ monstra fouebat Theodora Augusta, tamquam oua aspidum. Sed non solum Conon, Euagrius, Themistius, & Theodosius Monachus hęretici non assentientes Concilio Chalcedonensi scripsere aduersus Philoponum, verum etiam Leontius Monachus omnium maximè egregium librum triginta capitum, quo simul hęresim eam euertit, & piam sententiam nostram valde confirmat. Deinde & Georgius Pisides, quem appellat Nicephorus *admirabilem Virum*. Sed & Ephręm Episcopus Antiochenus, de quo vide in verbo, Ephręm Episc. At ij qui contra nouissimos Tritheitas, qui in Polonia, Transyluania, & reliqua Pannonia hoc ęuo exorti sunt, scripserunt, eosdem Philoponi errores, vnde Monophysitæ, & Eutychius à Gregorio Magno conuersus, venena sua suxerunt, euerterunt. Vide Bellarminum Card. quosque nos Hæreticorum Atheismos conscripsimus. Vixit circa ann. 604. tempore Phocæ Imp.

Niceph. lib. 18. c. 47.

Photius. Niceph. lib. 18 c. 48. Theodor. lib. 1. c 18 hęreticarū fab. vbi de hæresi Peratarum.

Porrò *lego* (ait Maldonatus noster in 10. cap. Io. vers. 18. ad finem) *in Græcorum Catena, Io. Grammatici in hunc locum explicationem (vt videtur) non satis Catholicum, Christum potestatem hanc animam suam ponendi, atque resumendi etiam vt Deum à Patre accepisse.* Quæ huc volui adtexere, vt etiam Catena illa Græca circumspectè versetur.

IOANNES Grandisonus, siue Granison, Anglus, Episcopus, hoc est, Excestriensis, scripsit De vitis Sanctorum. Obijt ann. 1369.

IOANNES Grauenduneck, Teutonicus, Ordinis Minorum, Postillam ex aliorum libris collegit. Vixit Moguntię, successitque Ioanni Fero, de cuius Operibus scripsimus, in verbo, Io. Ferus.

IOANNES Grauuer Carmelita, qui putatur fuisse Germanus, aut Belga, scripsit Commentarios ad Mag. Sent. In Exodum autem lib. 1. De Concordia Euangelistarũ, Sermones de Tempore, & de Sanctis. Viuebat ann. 1440.

IOANNES Graye, Anglus, Episcopus Nordouicensis, scripsit Opus Historiarum, quod *Schalecronicon*, inscripsit.

IOANNES Grillus, non I. C. ille, qui Glossam edidit ad Constitutiones Regni Sicilię, sed qui Salernitanum olim Principem secutus in Galliam, inciderat incautus in hęreticorum laqueos, abiuratis Auenione hæresibus publicè, ac spontè, caussas sui ad Catholicam Ecclesiam reditus, & abiurationem Caluinianorum Dogmatum edidit in eadem Ciuitate. Quæ item Venetijs recusa sunt ann. 1568.

IOANNES Gritsch, Basileensis, Ordin. Minorum, Theologus, scripsit Sermones de Tempore, lib. 1. Sermones de Sanctis, lib. 1. De Passione Domini, lib. 1. Quadragesimale, quod impressum est ann. 1477. apud Io. Vienner. Viuebat ipse ann. 1430.

IOANNES Grodecius, Vratislauiensis, Canonicus autem Varmiẽsis Cyrilli Archiep. Hierosolymorum Cathecheses illuminatorum xviij. & quinque mystagogicas latinitate donauit. Parisijs apud Gulielmum Desbois ann. 1564.

IOANNES Gropperus, Germanus I. C. ad S. Gereonem Coloniæ Scholasticus, Collegij Bonnensis Præpositus, qui Cardinalatum à Pont. Max. oblatum recusauit, Enchiridion Christianæ Institutionis nomine Concilij Constantiensis edidit. Scripsit autem Isagogen ad pleniorem cognitionem vniuersæ Catholicę Religionis, Coloniæ excusam, ann. 1554. & Antuerpię ann. 1556. De veritate item Corporis, & Sanguinis Christi. Colonię ann. 1560. Viuebat eo tempore.

IOANNES Grossus, patria Tolosanus, Generalis autem Prior Ordinis sui Carmelitani nonusdecimus, scripsit libros tres De Ordinis sui Institutione, ac progressu. Quos inscripsit *Viridarium*. Sermones quoque. Moritur Martino V. Pont. Max.

IOANNES Gualensis, Anglus, Ordin. Minorum, qui ann. 1300. viuebat, scripsit

In Apocalypsim D. Ioannis.	Lecturam Sentent. lib. 4.
De Regimine vitę humanę.	Sermones de Tempore, ac de Sanctis.
Ordinarium vitę Religiosę.	De ordinatione vniuersali.
De virtutibus antiquorum.	Manipulum florum.
Dicta Philosophorum.	Historiarum memorabilium collectanea.

Lecturas scripturarum, sed quorumnam, tacet, qui de eo scribit.

IOANNES Gualensis, Anglus, cognomento Iunior, scripsit Lecturam Sent. lib. 4. Librum item alterum Disputationum. Viuebat ann. 1346.

IOANNES Gualla, Iureconsultus, scripsit librum, quem prenotauit, Sanctuarium Papię, nimirum in quo historias conscripsit omnium Sanctorum Ticinensium. Ibidem editum ann. 1505.

IOANNES Guent, Cambricę Regionis Alumnus, scripsit Commentarios in Magist. Sent. & Quęstiones disputatas. Obijt ann. 1348.

IOANNES Guidottus, Bononiensis, Gregorij XIII. Pont. Max. Sacellanus, edidit Directorium Chori ad vsum Basilicę Vaticanę, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium, & collegiatorum. Romę apud Robertum Grauium Parisiensem, ann. 1582.

IOANNES Guldener, Germanus, Theologus Parisiensis, Colonię Carmelita, scripsit Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Sermones per Aduentum. Quadragesimale. Collationes feriales. Viuebat ann. 1340. qui denique Bruxellis obijt.

IOANNES Guntherus, Postillas scripsit, quas Latinè redditas emisit Lugduni Iacobus Boyerius, ann. 1557.

IOANNIS Guideti, Directorium Chori. Romæ per Franciscum Coatinum, anno 1589.

IOANNES Hagen, dictus *de Indagine*, Teutonicus, Ord. Cartusiani, Domus Montis S. Saluatoris prope Erfordiam, Prior in Ysennach, & in Stetyn, qui vixit ann. 1460. non est ille, cui haretici in suis Catalogis ascripserunt libros de Chiromantia, de Physiognomia,

mia, Canones Astrologiæ, & de alijs ad proscriptam Iudiciariam Astronomiam spectantibus. Nam auctor istorum nomen, quod præfert (fictitium ne, an verum,) & ipse nominatus Io. de Indagine, prohibitus est, vt reliqui eiusmodi scriptores, in Romano Indice.

Sed quod ad Ioannem Hagen spectat, plura ille, quæ pietatem spirant, & doctrinam, scripsit. Quorum primò huc adtexemus, quæ Tritemius se vidisse narrat. Deinde ea, quæ alij scribunt m. s. asseruari in Germania.

De laude paupertatis, lib. 1.	*Beati pauperes spiritu quoniam.*
De vita Religiosorum, lib. 1.	*Simile est regnum cælorum.*
De casu Religionis, lib. 1.	*Quomodo sedet sola Ciuitas.*
De vita adolescentulorum, lib. 1.	*Adolescentulus sum ego.*
De humilitate & superbia, lib. 1.	*Ego sum via, veritas.*
De ornatu interiori, lib. 1.	*Omnis gloria filia regis.*
De accessu ad nouum hominem, lib. 1.	*Ecce ego noua facio.*
De gratia & libero arbitrio, lib. 1.	*Non ego solus, sed gratia.*
De correptione & gratia Dei, lib. 1.	*Corripiet me iustus in.*
De natura & gratia, lib. 1.	*Vidit Deus cuncta, quæ fecit.*
De perseuerantia, lib. 1.	*Qui perseuerauerit.*
De spiritu, corpore, & anima, lib. 1.	*Apostolus Paulus vas electionis.*
De mandatis Prælatorum, lib. 1.	*Sic nos existimet homo.*
De charitate, lib. 1.	*Fortis est vt mors dilectio.*
De dilectione Dei, lib. 1.	*In lege Moysi post mul.*
De Meditatione, lib. 1.	*Felix anima quæ humili.*
De Inquisitione Summi boni, lib. 1.	*Magnus es Domine & lau.*
Contra errores Bohemorum, lib. 1.	*In Christo Iesu Orationes.*
Ad Episc. Ratispon. contra eosdem; lib. 4.	*Reuerendiss. in Christo.*
Ad Marchionem Brandenburgensem, li. 1.	*Illustri Principi, & Domino.*
Ad Vniuersitatem Erfordensem, lib. 1.	*Synceram in Domino charita.*
In regulam S. Benedicti, lib. 1.	*Probate spiritus, si ex Deo.*
De cauendis doctrinis peregrinis, lib. 1.	*Varijs & peregrinis.*
De cognitione futurorum, lib. 1.	*Annunciate quæ futura sunt.*
De visione Tundali, lib. 1.	*Circa visionem Tundali;*
De visione Danielis, cap. 7. lib. 1.	*Quæsitum est de exposit.*
De apparitione cuiusdam defunctæ, lib. 1.	*Quædam mulier perducta.*
De futuris prodigijs, lib. 1.	*Omnia in mensura, numero.*
De planctu solitarij, lib. 1.	*Quis dabit capiti meo.*
De cruciata contra hæreticos, lib. 1.	*Circa cruciatam, quæ.*
De auferibilitate sponsi ab Ecclesia, lib. 1.	*In nomine Domini nostri Iesu.*
De tempore schismatis, lib. 1.	*Et quia entia nolunt.*
De auctoritate Papæ in Concilio, lib. 1.	*Dubitatum est, & quæsitum.*
De potestate Ecclesiastica, lib. 1.	*In Christi Euangelio le.*
De correctione fraterna, lib. 1.	*Item quæritur in fraterna.*
De paruulis non Baptizatis, lib. 1.	*Dubitatum est, & quæsitum.*
De Iudice cōtra conscientiā iudicante, lib. 1.	*Dubitatum est, si liceat.*
Contra flagellatores, lib. 1.	*In nomine Christi. Incipit.*
An sine professione Religiosus, lib. 1.	*In nomine Christi. Incipit.*
De ieiunio quintæ feriæ, lib. 1.	*Dubitatur an licitum sit.*
De iusto & iniusto bello, lib. 1.	*Nota ad iustum bellum.*
De doctrina Ecclesiæ, lib. 1.	*Tu es Petrus, & super.*
De auditione Missarum, lib. 1.	*Sapiens dicit, Fili omnia fac.*
Contra Ioannem Kanneman, lib. 2.	*In nomine Iesu Christi. In.*
De vita spirituali, lib. 1.	*Si spiritu viuimus, spiritu &.*
De discretione cogitationum, lib. 1.	*Vt quid cogitatis ma.*

De vera & falsa pœnitentia, lib. 1. *Pœnitentiam agite ap.*
De modo confitendi, lib. 1. *Propheta regius Psal.*
De audiendis confessionibus, lib. 1. *Confitemini alterutrum.*
De spiritali arte memoratiua, lib. 1. *Memorare nouissima.*
De quattuor sensibus scripturæ, lib. 1. *In nomine Christi, & eius in.*
De contemplatione, lib. 1. *Hac est vita aeterna.*
De interdicto, lib. 1. *In salicibus in medio.*
In dedicatione Sermones quinque, lib. 1. *Salomon ædificauit.*
Ad Rodulphum Episc. Lauantinum, lib. 1.
De falsis prophetis, lib. 1.
De communione sub vtraque specie, lib. 1. *De communione sub vtraque.*
Epistolarum ad diuersos, lib. 1. In Regum, quadruplici sensu, lib. 1.
Sermones quoque varios, lib. 1.

In multos denique libros Bibliorum Commentarios elegantes composuit, aliosque Tractatus, & Quæstionum solutiones penè innumeras & insignes. Hæc Tritemius.

Quæ autem m. s. extabant in varijs Germaniæ locis, & inprimis apud Cartusianos, vbi hæretici Bibliothecas non combusserunt, aut Monasteria non sunt demoliti, hæc sunt.

Prologus super Biblia.
De commendatione Sacræ Scripturę.
De multiplici sensu, & de regulis exponendi eam.
Super 5. lib. Moysis, expositio quadruplex.
Quæstiones cum breui promissione sententię & intentionis cuiuslibet Catalogi, quas si profundius scrutatus quis fuerit, inueniet quãdam medullam expositionis Hebręæ, & Catholicorum, in sensu literali, & mystico.
Super Iosue quadruplex sensus, diuisio singulorum Catholicorum eiusdem libri, & quæstiones.
Super Iudith quadruplex expositio. Prima expositio eius de Beata Virgine. Deinde talis quadruplex expositio cum quęstionibus.
Super Iudicum, Ruth, Regum, & Paralipomenon, super singulos libros quadruplex expositio, item diuisiones, & quæstiones eorundem.
Super Esdra, super populum eius cum quęstionibus.
Super Neemia, & Esdræ 2. quadruplex explanatio.
Super 3. & 4. Esdræ expositio, non tamen per singula capita.
Item explanatio literalis, & excerptum textus per omnia capitula, cum speciali sensu in margine.
Thobiæ quadruplex expositio.
Esther quadruplex expositio cum quæstionibus.
Item alia quadruplex expositio cum quæstionibus.
Expositio huius libri de Beata Virgine.
Iob literalis expositio plena cum quæstionibus.
Breuis expositio literæ ex scripturis latior, præcipue Tropologica. Allegorica plena, & altera Anagogica eiusdem libri.
Psalterium cum annexis Canticis quadruplici sensu expositum.
Quæstiones super Psalterium.
Prouerbiorum expositio, mixtim positiones quadruplicis sensus, non scorsim, vt in alijs.
Eorundem expositio Tropologica & Anagogica.
Ecclesiastici quadruplex expositio cum quęstionibus.
Cantica Canticorum quadruplici sensu primum exposita.
Eorundem expositio de B. Virgine triplex, & præterea octaua expositio moralis.
Sapientiæ liber quadruplex sensus, & quæstiones.
Item multiplex explanatio & quæstiones & diuisiones.
Esaiæ mixtim expositiones Hebræorum, & Catholicorum.
Ieremiæ quadruplex expositio cum quæstionibus.

Thre-

Threnorum quadruplex expositio, & quinta de Passione Christi.
Quæstiones super sensum literalem.
Baruch quadruplex expositio cumquæstionibus.
Ezechielis quadruplex expositio cum quæstionibus.
Mystica expositio illius visionum.
Anagogia plenius posita.
Literalis expositio huius visionis & figuræ.
Danielis quadruplex expositio cum quæstionibus.
Duodecim Prophetarum mysticorum quadruplex expositio.
Eorundem diuisiones & quæstiones.
Expositiones omnium Prologorum & Prophetarum totius Bibliæ.
Breuis expositio omnium Prophetarum, & maiorum, & minorum.
Expositio super Ionam, & Abdiam spiritualis.
Expositio quadruplex figurarum veteris, & noui testamenti.
Machab. expositiones cum quæstionibus.
Eorundem librorum breuis expositio.
Alia breuissima expositio tantum spiritualis.
Matthæi quadruplex expositio.
Lucæ quadruplex spiritualis expositio.
Quæstiones super eundem.
Euangelij Ioannis quadruplex expositio, & alia literalis cum quæstionibus.
Epistolarũ Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Timotheum, Titum, Philemonem, Hebræos quadruplex expositio cũ quæstionibus.
Actorum Apostolicorum quadruplex expositio, & præterea alia mystica.
Apocalypsis Ioannis duplici sensu exposita.
Canonicarum, siue Catholicarum Epistolarum quadruplex expositio.
Declaratio super quadruplici expositione sua totius Bibliæ, quare exposita sint multa mysticè, quæ fidem ædificant, & quomodo hoc fieri possit, & quomodo multa intelligenda sint sanè in expositionibus suis. Excusat etiam se de hoc, quod aliquando in scribendo posuit non suum nomen, sed in plurali, Nos.
Tractatus circa Passionem Domini in Pascha.
Summarium totius Theologiæ.
Expositio Officij defunctorum.
Item Canticorum, quę cantantur apud Cartusianos.
Item Hymnorum consuetorum apud eosdem Cartusianos.
Donatus spiritualis, sensus mysticus secundum ordinem Donati Grammatici. Vbi deuota omnia docentur.
De ascensu in spiritualem perfectionem.
De Prophetis & differentia eorum.
De laude Diuina.
Vocabularium duplex terminorum Sacræ Theologiæ.
Tractatus de contemplatione.
De celebratione festorum.
De expositione Sacræ Scripturæ.
Instructio Prædicatoris.
De modo studendi, & quadruplici sensu scripturæ.
Tractatus de Indulgentijs in Ordine Cartusianorum.
Expositio Psalmorum pęnitentialium.
Imago vitæ.
Compassio Mariæ.
Alloquium de nouem gladijs.
De veritate dicenda.
De via professionis.
De statu Religiosorum, & maximè quo ad eorum proprietatem, & de expositione professionis.
Tractatus de visionibus.
Tractatus de festo.
De ortu & origine sententiarum, & de modo studendi.
De arte numerandi, non physicali quidem, sed spirituali, quomodo quis se ęxerceat in operibus Dei ad acquirendam deuotionem & timorem Dei.
Multa excerpta eius, quæ fecit ex diuisione librorum Doctorum.
Tractatus duo de mystica Theologia.
De modo absoluendi.
De sepultura.
De casibus renascentis.
De modo renascendi.
De Oratione & Psalmodia.
De transitu de vna Religione ad aliam.
De diuersis statibus in Ordine Cartusiano.
De redditis à Donatis.
Colloquiũ hominis suos defectus deflentis.
Colloquium de Sanctissima Trinitate.

De eleemosyna quomodo quis eam primò sibi ipsam dare debeat.
De peccati periculo.
De venditione frumentorum.
De agricultura corporali & spirituali.
De potestate Vicariorum in Ordine Cartusianorum.
De Indulgentijs.
Tractatus de creatore, & creaturis, & quomodo per eiusmodi homo venire debeat ad regenerationem sui, ac mysticarum doctrinarum.
De spirituali profectu.
De fide catholica, & armatura eius, & varijs pugnis Hæreticorum, Paganorum, Iudæorum.
De fraudibus hominum, & remedijs contra eas.
De mendicatione Religiosorum.
De via securiore ad salutem.
De excommunicatis pro violenta manu in clericos.
De esu carnium in ordine S. Benedicti.
Regimen præcipuum de inquisitione veræ vitæ, & salutis.
Consolatio Religiosorum.
Intellectus Religiosorum.
Informatio Religiosorum per bonum Prælatum.
Plures breues quæstiones pro religiosis.
De libero arbitrio & prædestinatione.
Tractatus de gaudio Sanctorum in cęlo, ibi referuntur rara, pulchra, vtilia, & probabilia.
De receptaculis eorum.
De mortuis, & de pœnis eorum.
De suffragijs.
De Aduentu Domini ad iudicium.
De loco innocentium, qui decedunt in solo originali peccato, & de statu eorum.
De vita Episcoporum.
An quis possit esse perfectus sine professione Religionis.
De spiritualibus ascensionibus, & descensionibus.
De bona voluntate.
Expositio Symboli Apostolorum.
Ascensus mentis in Deum per vestigium creaturarum.
Peculiaria Officia Missæ.
De diuersis.
De Trinitate.
De Spiritu sancto.
Tractatus de laudibus Beatę Virginis.
Tractatus vtilis de charitate Dei & proximi quomodo acquiritur & augetur; & de diuersis causis mortis, & impedimentis.
Breue soliloquium animæ deuotę ad Deū.
Forma gratiarum actionis, qualiter homo semper debeat gratias agere Deo.
De gradibus humilitatis & mititatis.
De perfectione & modo offerendi filios ad Monasterium, & de ingressu Religionis.
Expositio officij Missæ.
De negligentijs in Missis contingentibus, & de remedijs earum, & de pœna pro eis.
Expositio super octo versus Psalterij, qui debent æquipollere Psalterio.
Expositio super Angelica Salutatione.
Expositio super Dominicam Orationem cum quæstionibus.
De tentationibus, & consolationibus, & remedijs contra easdem.
De meditatione cordis.
De simplicitate, & stabilitate, ac mundificatione cordis.
De directione cordis.
De illuminatione cordis.
De arca spirituali.
De origine, differentia, discussione, vtilitate, & periculo cogitationum.
De ędificatione spiritualis Domus, breuiter in corde Sancto, & primum quomodo fiat.
De ignorantia sapienti, & appetitionibus, de docta ignorantia.
De spirituali ascensu in Deum.
De Beatiss. Trinitate & vnitate in Deo.
De appropriatis personarum.
De imagine, & similitudine Dei.
De disciplina morum.
De persecutione toleranda.
De mortalitate non timenda.
De causis persecutionum, & malorum.
De bono patientiæ.
De cœlo.
De inuidia.
De pręparatione ad martyrium.
De fide spirituali, & charitate in tota Theologia bonus tractatus.
De solatio medicorum, & aliorum operariorum, quomodo licitè accipiantur.
Quādo peccata sint venialia, aut mortalia.
De visione Dei.

De

Decla-

Declaratio super cruciatas, quæ fiunt contra Turcas.
De priuilegio Friderici Imperatoris dato Scholaribus.
De audiendis Confessionibus, & de forma absoluendi.
De multis periculis Prælatorum, ex peccatis subditorum, & aliunde.
Quibus modis aliorum peccata, & defectus possint vitari licitè.
De vitando scandalo.
De emendatione.
De periculis Religiosorum in tẽporalibus.
De cupiditate emendi temporalia.
De resignatione curæ pastoralis ad quendã Prælatum; & est Dialogus, defensorium ipsius, vbi ponuntur quattuor modi iudicandi, & quædam Apologia.
De modo reformandi moniales.
De restitutionibus, censuris, & iurisdictione Ecclesię.
Auisamentum Prælatorum quoad regimen subditorum, præsertim in Canonibus perplexis, & confusis.
Scripta aliqua circa electionem Regis Bohemiæ.
De iurisdictione Ecclesiastica, de participantibus excommunicatis.
Item de excommunicatis vitandis vel non vitandis.
De potestate Ecclesiastica.
De anima, ac viribus, operationibusqué eius.
De multiplici vita animæ.
De officio Missæ.
De honestate tenenda, & inhonestate vitanda.
De affectionibus.
De vita Episcoporum.
Speculum Episcoporum.
Tractatus rectè viuendi.
De ornatu mulierum cõtra prophetias prophanas huius temporis.
De spirituali Sacerdote, & de spirituali celebratione.
De absolutione plenaria.
Breuis expositio regulæ S. Benedicti.
De anno Iubilæo.
Speculum Monialium.
Regulæ intelligendi sanctam Scripturam.
De primarijs precibus, an licitę sint.
De Tyranno, & Rectore bono.
De mysticatione & significatione susceptionis habitus, conuersationis, & ceremonialium Religiosorum precipuè Cartusianorum.
De forma susceptionis & professionis.
Tractatus de visionibus.
Quomodo Plebani vel Ecclesiæ Rectores alicuius communitatis se habeant ad publicos peccatores, quomodo ad censuras Ecclesiasticas.
De peregrinationibus.
De irregularitate, quam Clericus aliquando pugnando non incurrit.
Doctrinæ pro conscientijs oneratis.
An ignis purgatorius purget etiam habitus vitiosos, & scorias, & reliquias peccatorũ.
Tractatus de visitationibus faciendis.
Quomodo quilibet habens ordinariam potestatem absoluẽdi, potest eam alijs communicare.
De Spiritu sancto.
Quid sentiendum sit de remissione confitentium mortalia, &c.
Defensoriũ paruulum pro S. Thoma, cõtra eos, qui eius scripta minus vera reputãt.
Excerpta multorum librorum D. Gregorij, Bernardi, Hieronymi. Item meliorum & notabiliorum librorũ Augustini, Ambrosij, B. Thomę, Hugonis, & Richardi. Item totius corporis Iuris Canonici & Ciuilis. Item ex varijs historijs & Chronicis & libris Philosophorum, Platonis, Aristotelis.
De officio Abbatis.
De officio Cancellarij.
De officio & modo viuendi Suffraganei.
De officio Prioris in Ordine Cartusiano.
De regimine Comitis.
De regimine Principis.
De regimine boni Aduocati.
De officio Magistri piscium.
De ligatore librorum.
De officio Vicarij, Procuratoris, Sacristæ, Emendatoris, Cantoris, Infirmarij, Sacerdotis.
De officio prędicandi.
De spirituali Sacerdote.
Sermones de dedicatione.
Sermones breues spirituales de Sanctis per totum annum.
Sermo optimus pro bona conscientia.
Sermones de inuocatione Diuini auxilij.

Colla-

Collationes vtiles & breues ex Epistolis & Euangelijs ad Religiosos.
Passio Christi.
Postilla Dominicalium Euangeliorum per totum annum, cũ breuibus sermonibus.
De Corpore Christi.
Sermo de Animabus.
Sermo de nouo Sacerdote.
Sermones breues ad monachos.
Sermo de varijs nuptijs.
Sermones duo de S. Martino.
Septem Sermones de Synodo.
Octo sermones de Visionibus.
Duo breues sermones ad religiosos.
De electione Prioris, tres Sermones.
Septẽ Sermones de sanctissimo Dionysio.
Collatio in die omnium Sanctorum.
Sermo pro Reformatoris commẽdatione.
Sermo salutatorius in receptione, vel acceptione Regiminis.
Nouem Sermones quorum thema est, *Qui intrat per ostium pastor est*.
Collatio pro Capitulo Abbatum Ordinis S. Benedicti.
De vnione.
Commune Sanctorum.
De regimine Magistri cameræ.
De regimine negociatoris.
De regimine ciuitatis & Conciliorum.
De Concilio generali, & qualiter errare possit, & qualiter non, & quomodo se habendum sit circa schismata.
De gratiarum actione, & sporta fragmentorum.
De arte audiendi Confessiones.
Soliloquium secũdum quattuor libros Sententiarum.
Tractatus quomodo præscribitur cõtra statutum religionis.
De nouo anno, quod cuilibet dandum sit.
De regimine medicorum, & spirituali medicina.
De regimine exactoris, & spirituali militia.
De potestate absoluendi in Canonibus reseruatis, & quomodo de iure communi peccata nõ sint reseruanda in Sacramentali absolutione.
De potestate absoluẽdi excommunicatos, quorũ absolutio Papæ reseruatur, & potest Episcopus in aliquibus canonibus.
Tractatus quomodo corrigant adolescentes viam suam.
Tractatus ad B. Virginem. *O pulcherrimam*.
De discretione spirituum.
De statutis Ciuitatum, & Vniuersitatum.
Sermones de Deo, de Spiritu sancto, de Beata Virgine.
De Visitatione Mariæ in montana.
De Annunciatione.
De Præsentatione Mariæ.
De Purificatione.
De Conceptione.
De Natiuitate.
De Assumptione.
De omnibus festis Mariæ.
De Corpore Christi.
De Natiuitate Domini.
Item quæstiones & dubia, vtrum religiosi possint emere domos in Ciuitatibus.
Vtrum Prælatus possit dare licentiam intrandi ad Moniales.
An quis non putans se idoneum ad prælaturam, teneatur, si electus fuerit, consentire.
An religiosus possit sua peccata occultare.
An exempti possint ab alijs iudicari, & an eis subiaceant.
An quis possit laudare seipsum.
An Monachi possint recipere precarias, quę dantur vltra debitum censum.
Quid sentiendum sit de pauperibus censualibus, qui non sunt soluendo sine sua culpa, an debeant grauari.
An liceat religiosis habere dominia temporalia.
An aliquis infra ætatem legitimam, & coactus in aliquam religionem, professionẽ faciens, obligetur ad eandem.
An corpore vitiati possint fieri Sacerdotes.
Quare religiosi de obseruandis, præcipuè campestres, communiter nõ vtuntur organis, & de esu carnium, quomodo fiat in ea dispensatio.
An possit dari absolutio ab Ecclesiastica cẽsura per plenarias Indulgentias.
An delegatus subdelegato possit vltra subdelegare.
An Cartusiani exempti gratia exemptionis pro ordinibus suscipiendis possint suos ordinandos cuique Episcopo subdere.
An Visitator Cartusianus gratia Papalis auctoritatis sibi concessæ dispensare possit, eum ordinando, qui nondum habet debitam ætatem.

Quæ-

Quæstio de religioso, qui iurauit intrare aliam religionem.
Quæstio circa stationem, quę fuit tempore Iosue & Ezechiæ.
An viris religiosis expediat recipere eleemosynas, & pro eis conferre bona sua spiritualia.
De varijs dubijs contingentibus in Ordine Cartusiano.
De dubijs, quę contingunt ex pacto interdicti.
De varijs dubijs ortis ex Statutis Cartusian.
De varijs casibus contingentibus in certis locis ratione miraculorum.
Tractatus responsiuus ad quæstiones Doctoris Ioannis de Vvesalia.
An liceat propter paupertatem releuãdam recipere diuites in monasteria.
An Maria Magdalena fuerit corpore corrupta.
Vtrum clerici debeant vigilare.
De domibus suis in ciuitatibus.

Scripsit etiam Tractatum contra pestilentiam. Item Chronicon triplex, primum ab initio mundi ad annum 1471. alterum breue, tertium breuissimum.

IOANNIS Haij, Scoti, Societatis Iesu in Academia Turnonia Theologiæ professoris, atque artium Decani Disputationum libri duo, in quibus calumniæ, & captiones ministri anonymi Nemausensis contra assertiones Theologicas, & Philosophicas in eadem Academia, ann. 1581. propositas, discutiuntur, Lugduni apud Io. Pillehotte ann. 1584. Recognitio item quędam Bibliothecæ Sanctę Sixti Senensis, ad quartũ præsertim librum.

IOANNES Halgrinus, Monachus & Abbas Abbeuillæ in Gallia, ac deinceps Cardinalis à Gregorio Nono creatus, in Opere, quod scripsit in Canticum Canticorum, quod vocatur *Expositio sexta de Christo & Maria*, fuit excusus Parisijs ann. 1521. quasi fuisset Laicus, & non Monachus, emendandus vero est numerus anni, excusus in aliquibus Codicibus Sixti Senẽsis, quasi vixisset ann. 1450. cum vixerit circa annum 1230. De eius autem Expositione in Cantica, sic idem Sixtus. Ioannes Halgrinus ab Abbatis villa, Decanus Ambianensis, & Cardinalis Sabinensis, professione, stylo, & methodo Scholasticus, nouo explanationis genere, quod *Sextum* appellatur, Canticum Canticorum illustrauit. Si quidem ante ipsum quinque tantum expositionum modi in hunc librum prodierant, Primus eorum, qui totum Canticum secundum Occidentem literam de Amoribus Salomonis, & filiæ Pharaonis, siue Abisag Sunamitidis interpretantur. Secundus eorum, qui id ipsum, ceu colloquium inter Salomonem & Rempublicam Iudęorum exponunt. Tertius eorum, qui alludentes ad librum Martiani Capellæ, *De nuptijs Philologia & Mercurij* inscriptum, hoc ipsum Canticum esse dicunt Epithalamion Sapientis & Sapientię inuicem colloquentium. Quartus eorum, qui librum hunc affirmant esse Epithalamium Christi, & Ecclesiæ. Quintus eorum, qui eundem exponunt de amore animę ad Deum, & amore Dei ad animam. His igitur quinque expositionibus Ioannes Sextam superaddidit, Marię matris Christi, & Christi filij eius mutua colloquia enarrantem, cuius enarrationis argumentum ipse in Pręfatione Commentariorum suorum his verbis breuiter cõplexus est.

Continet hoc Canticum Matris & Filij, beatæ scilicet Virginis & Domini Iesu Christi, applausum iocundum & mutuum. Hic enim applaudit Mater Filio: hic, Filius iocundatur in Matre: hic Matris priuilegia describit Filius: hic excellentiam Filij describit Mater. loquuntur autem in hoc Cantico quattuor personę, videlicet Mater, & Filius, & Angeli, qui Filio assistunt, vt domino, & Adolescentulæ Virgines, quę tamquam suę dominę assistunt Virgini, sicut sequens scripturę series declarabit. Opus incipit, *Ad honorem Matris & Filij Cantica Canticorum expositurus*. Ascensius Parisijs excudit ann. 1521.

IOANNES Harding, siue *Hardinge*, Anglus, scripsit Chronicon vsque ad tẽpus Henrici Quarti, De submissione Scoticorum Regum sub Angliam: & Scotię descriptionem breuem. Viuebat ann. 1461.

IOANNES Harley, Anglus, Ordinis Prędicatorum, scripsit duo Commentaria ad quattuor libros Magist. Sentent. Tractatum de prędestinatione Dei. Pleraque Quodlibeta. Viuebat ann. 1514.

IOANNES Hassclensis, siue *Hasselius*. Vide in verbo, Ioannes Leonardus Hasselius.

IOANNES Hassembergius, Boemus, Regiorum Liberorum Ferdinandi Imp. Preceptor, multa copiosè, & doctè contra Lutherum scripsit. Viuebat ann. 1543.

IOANNES Hayton, Anglus, scripsit in Matthęum. In Lucam. In Ioannem Euangelistas. In Pauli Epistolas ad Corinthios, & ad Hebręos. In Canonicam Ioannis. Adnotationes ad eandem. In Apocalypsim 46. Lectiones. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Quæstiones Theologię. Summam de virtutibus. Viuebat Lyncolnię, ann. 1428. Sixtus autem Senensis scribit eum in quattuor Euangelistas scripsisse.

IOANNES Henlin, expositionem Antiphonę, siue Cantici, *Salue Regina*, auctoritatibus Diuinæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum historijs exposuit. Viuebat ann. 1498. Eisingrenius.

IOANNIS Henrici, Behem, Doct. Canonici Preces, ac Meditationes deuotissimę, de vita, & beneficijs Saluatoris nostri Iesu Christi ab Amando de Bellouisu olim conscriptę, nunc verò auctę. Moguntię ex Officina Henrici Behem, ann. 1593.

IOANNES Henricus, Syluius, Disputationem Theologicam bipartitam, de prodigiosis viuorum hominum apparitionibus: & priori quidem explicantur illæ, in quibus se viui sub propria forma nunc vigilantibus, nunc dormientibus exhibent. Posteriori verò in quibus ijdem sub brutorum animantium varijs formis conspiciuntur. Vvirzburgi anno 1591.

IOANNES Hentenius Mechlinienfis, Ord. D. Hieronymi: breuem Commentarium in Apocalypsim, quem prænotauit, *Iudicium de Apocalypsi, & Antichristo*, in quo bestiam illam cap. 13. descriptam designare ait Mahumetem falsum Turcarum prophetam. Ante hos in Apocalypsim Commentarios, interpretatus est Commentaria in quattuor Euangelia ex S. Ioanne Chrysostomo, & alijs veterum Scriptis collecta per Euthymium Zigabenum. Liber prodijt Louanij ex Officina Rutgeri Reschij ann. 1544.

Idem vertit Aretam, & Oecumenium: & ex Hispanico reddidit Latinum libellum inscriptum, *Ars seruiendi Deo*, cui accessit Speculum illustrium personarum. Louanij apud Petrum Zangrium, ann. 1577.

IOANNES Herbertius, Lotaringus, De Cęna Domini edidit Orationē, in qua demōstratur veritas Corporis Christi in Eucharistia. Parisijs apud Dionysium du Val. an. 1578.

IOANNES Herduch, Ord. Prædicatorum, scripsisse in Apocalypsim, atque alios plures libros Bibliorum dicitur ab Antonio Senensi in Catal. Scriptorum eiusdem Ordinis.

IOANNES Herold, Germanus, Ord. Prædicatorum, non ille Acropolita, qui in Romano Indice prohibitus est, sed quem alio nomine *Discipulum* nominant. Sermones de Tempore, ac De Sanctis, & Quadragesimales edidit, quos ann. 1514. Ioannes Koburger edidit Norimbergæ, deinde Venetijs ann. 1598. apud hæredes Melchioris Sessæ, vnà cum Promptuario exemplorum.

IOANNES Hessels à Louanio, insignis Theologiæ publicus Professor, emisit librum prænotatum, *Probatio corporalis præsentiæ Christi in Sacramento Eucharistiæ*. Louanij anno 1564. deinde Parisijs apud Sebast. Niuellium, ann. 1583.

Eiusdem sententia super facto Nectarij Episcopi Constantinopol. circa sublationem Confessionis, anno 1564.

Confutatio nouitiæ fidei, quam specialem vocant, ann. 1564.

Explicatio in Symbolum Apostolicum. Accessit Precationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ explicatio. Antuerpiæ ann. 1566. auctior facta.

Confutatio cuiusdam hæreticæ Confessionis Teutonicæ, in qua ostenditur Eucharistiam esse Sacrificium propitiatorium. Louanij ann. 1567.

Commentarius in priorem Epistolam Pauli ad Timotheum: item priorem B. Petri Canonicam, Louanij ann. 1568.

Catechismus Latinus. Louanij ann. 1571.

Eiusdem declaratio, quòd sumptio Eucharistiæ sub vnica panis specie, neque Christi institutioni aduersetur, nec minus fructuosa sit, quàm Communio sub vtraque panis, & vini specie, cum dissolutione eorum, quæ contra adferuntur. Louanij ann. 1573.

Breuis,

Breuis, & Catholica Decalogi explicatio, in tres partes, seu libros distincta. Parisijs anno 1583. apud Sebast. Niuellium.
Idem in Euangelium secundum Matthæum. Louanij ann. 1572.
De officio pij, & verè pacis amantis viri. Antuerpiæ apud Plantinum.
Commentarius in priorem B. Pauli Epistolam ad Timotheum.
Item in priorem B. Petri Canonicam. Louanij ann. 1568.

De illo autem ita Myreus in Centuria Scriptorum Belgicorum, *Ioannes Hesselius primis annis Atrebatensis in patria Academia Gymnasij alumnus Philosophicis, ac Theologicis rebus sedulam operam impendit: Inde ad Parcensem Pramonstratensium ad muros Louanienses Abbatiam euocatus, annos ipsos octo Religiosos eius loci Theologicis imbuit. Doctor renuntiatus nouo Theologorum Collegio recens tum excitato primus Præses datur. Ad Tridentinam Synodum, quò quidquid floris Christiana habuit Resp. conflas conuenisse, & ipse Hasselio extincto, à Rege missus præclaram Ecclesia operam nauauit, finemque spectauit. Dimisso Concilio domum reuersus, non voce tantum, sed scriptis aduersus Hæreses, & Zelo pugnauit, vt neglecta valetudinis ratione, nullam vigilijs requiem daret. Quo factum, vt grauibus sæpe calculi doloribus, & apoplectico demum correptus malo, ann. 1566. sexto Id. Nouemb. anno ætatis quarto, & quadragesimo extinctus sit.*

IOANNES Hickeley, Anglus, Augustinian. Theologus, Ioanni Vuiclefo hæretico acer aduersarius, & apud suos Insulares clarus, scripsit grande volumen De Ecclesię potestate tribus partibus distinctum. Incipit, *Ecclesia Magna valde ab introitu Emath. 2. Paralip. 7.* Viuebat ann. 1400. Ioseph Pamphilus.

IOANNES Hierosolymitanus Episcopus, quem Gennadius in Catalogo inquit scripsisse aduersus obtrectatores studij sui, librum, in quo ostendit Origenis se ingenium non fidem secutum, reprobatur à Card. Baronio Annal. Tô. 6. sub ann. Dom. 444. Leonis autem, Quinto sui Pontificatus, monstrante eum haud fuisse Carmelitam, id quod Petrus Lucius asseruit faciens eum 44. Patriarcham Hierosolymitanum ab Adriano Pont. Max. huius nominis primo è Monasterio Montis Carmeli eam ad dignitatem, ob vitæ sanctitatem, atque doctrinam cuectum, & claruisse anno septuagesimo supra septingentesimum, scripsisse vero ad fratres quasdam Hortatorias Epistolas. Atqui æquiuocasse Petrum Lucium conijcitur, eum de Ioanne illo, de quo Gennadius scribit, aliunde constet eum vixisse ann. 400. & quod excurrit: ac scripsisse quidem Hortatorias Epistolas, sed & librum ad uersus obtrectatores nominis sui: Quo in Opere purgare se voluit Hieronymo, atque Epiphanio de crimine Origenismi. Quin & ad Caprasium composuit librum De Institutione primorum Monachorum: quem Aymericus Antiochenus Patriarcha è Gręco Latinum reddidit; quique Venetijs ita in lucem prodijt. Veruntamen de altero, qui ann. 770. vixerit, & Patriarcha fuerit Hierosolymitanus, habemus, hunc Arabicè scripsisse vitam Sancti Ioannis Damasceni, quam postea cũ Oecolampadius hæreticus in Latinum vertisset, erit suo loco dicendum, in verbo Oecolampadius, qualem nam se gesserit in eiusmodi versionibus. Extat in Bibl. SS. PP. To. 9.

IOANNES Hildeshemensis, Saxo, Germanus, quem alij *de Hildenheim* scribunt, Carmelita, reliquit Librum ad Florentium Episcopum Monasteriensem, quæ ciuitas est in Vestphalia, De translatione trium Regum Magorum, Coloniam, qui ibidem fuit excusus. Chronicon, libro vno. Defensorium Ordinis sui, libro altero. De Fonte vitæ, librum. De Antichristo, librum. Contra Iudæos, librum. Contra pingentem turpia, librum. Opus Metricum De Monstris in Ecclesia. Epistolarum octoginta, librum. Sermones varios de Tempore, ac de Sanctis, libris duobus. Carmina alia. Quem Tritemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis scribit fuisse *obsequiosissimum* (vtor eius verbis) famulum Petri Thomasij totius Ord. Generalis, viri sanctitate vitæ eximij, cum quo Auenione simul vixit.

IOANNES Hilton, siue *Hyton*, Anglus Ordinis Minorum, scripsit De paupertate Fratrum, lib. 1. De Statu Minorum, lib. 1. Ordinarias quæstiones, lib. 1. Obijt anno Dom. 1376.

IOANNES de Hisdinio. Vide infra in verbo, Ioannes de Isdinio.

IOANNES Hispanus, qui lecturam scripserit ad Decretales, citatur à Ioanne Andreę in Proęmio Speculi.

IOANNES Hochstratus, etsi & vixisse ann. 1515. & Apologiam pro Sacerdotibus, & Cabalæ destructionem edidisse scribitur in Catalogis, mihi tamen & Patriæ illius, & loci, atque Typographi, ac librorum eius qualitas ignota est. cuius Auctoris tamen hic meminimus, vt quod in eo alij resciuerint esse cum Catholica religione pium, id huc ad gloriam Dei adijciant.

IOANNES Hofmanus, siue *Hofmannus*, Germanus, qui antea Theologiæ Professor, deinceps quartus Misnensis fuit Episcopus, & Constantiensi Concilio interfuit, Quæstiones quidem Theologicas cum solutionibus scripsit, at (quod sciam) non edidit: libros autem sex eiusdem De Officio Missæ, & omnium, quæ in ea peraguntur, habemus, quos Misnensibus Marchionibus scripsit. sed & Tractatum reliquit De communione sub vtraque specie, qui Venetijs editus est ann. 1571. apud Dominicum Nicolinum. Viuebat ann. 1418.

IOANNES Hofmeisterus, Sueuus, Ord. D. Augustini, qui & insignis concionator, & in Sueuia sui Ordinis Prouincialis, ac deinceps in vtraque Germania Vicarius Generalis fuit, cum Carolo V. Cæsari, & eius fratri Ferdinando Regi, atque Germanis omnibus Catholicis esset acceptus, scripsit

In Thobiam breuem, & cultam Expositionem.

In Euangelium secundum Marcum, & secundum Lucam Commentarios, qui incipiunt, *Nos sumus, sicut plurimi*. Coloniæ ann. 1572. apud heredes Arnoldi Birkmanni, qui hac editione aucti fuerunt Indice, cum antea Louanij sine illo prodijssent ann. 1562.

In Euangelium autem secundum Matthęum se Commentaria parasse inquit c. 11. in Marcum. At mihi non constat, num ediderit, licet Sixtus Senensis eorum meminerit.

In Epistolas D. Pauli ad Corinthios ad Alexandrum Farnesium S. R. E. Cardin.

In duodecim Priora capita Actuum Apostolorum. Incipit, *Corrupta humana natura*. Coloniæ ann. 1567. & Parisijs apud Michaelem Sonnium, ann. 1568.

Homilias, & Euangelia Dominicalia per totum annum, ac Sermones de Sanctis. Ingolstadij ann. 1549. & ann. 1551. & Parisijs apud Claudium Fremy, ann. 1555. & ann. 1568. & Antuerpiæ ann. 1579. Quibus adtextę sunt malę artes hęreticorũ à SS. Patribus quidem scitissimè conscriptæ, & ab eodem Hofmeistero collectæ.

Canones, siue claues ad Scripturam sacram interpretandam. Moguntię apud Franciscum Behem ann. 1545.

Aduersus Confessionem Luteranorum Augustanam.

De fraudibus hæreticorum, de quibus suprà, vbi de malis eorum artibus diximus.

Locos communes rerum Theologicarum, quę ab hereticis in controuersiam vertuntur, ad regulam, & consensum Ecclesię Catholicę, ac Patrum sententijs confectos. editos autem Ingolstadij apud Alexandrum Vveissenhorn ann. 1549. & 1551. Venetijs verò anno 1554. ad signum Spei. Parisijs item ann. 1564. & 1568. apud Michaelem Sonnium ann. 1568. At & Ingolstadij ann. 1582.

Assertionem, *Verbum Dei carnem factum, Ecclesiæ suæ Vnicum, Propitiatorium, ac perpetuum esse Sacrificium, in Sanctissimo Missæ Sacrificio*.

Iudicium de Articulis Fidei, quod ann. 1530. Carolo V. Cęsari obtulit Augustæ.

Expositionem Precum, & Ceremoniarum, quarum vsus in quotidiano sacro. Antuerpiæ apud Io. Stelsium ann. 1552. & Parisijs apud Sebastianum Niuellium, ann. 1573.

Libros duos Dialogorum, quibus aliquot Ecclesię Catholicæ dogmata esse verissima etiã ex ipsis Luteranorum (velint, nolint) apertè monstratur. Ingolstadij.

Videat porrò lector, quid de peccato originis obseruatum sit in Hofmeistero, & Alphonso Viruesio à Card. Bellarmino, lib. 5. de Amissione gratiæ, & statu peccati, c. 4. To. 3.

IOANNES Holthusius, Kempensis, Augustæ Vindelicorum Ludirector. Modum examinandi sacrorum Ordinum candidatos iuxta Augustanę Ecclesiæ morem conscripsit &

instar Catechismi per quæstiones & pias Catholicasque responsiones succincta breuitate digessit. Venetijs anno 1570. & Dilingæ anno 1571. Viuebat ann. 1565. Huic accessit Opusculum aureum De dignitate, vita, & moribus Clericorum, per Nicolaum Aurificum.

IOANNES Horneby, Anglus, Carmelita, Theologus, scripsit Defensorium antiquitatis Ordinis sui, lib. 1. Sermones quoque varios; ac pro parto triumpho, librum. Ordinarias item Quæstiones. Claruit in Gymnasio Cantabrigiensi, ann. 1374. Tritem. & Iacobus de Plebe in Indice, qui addit duos libros postremo loco memoratos. Hæc Petrus Lucius Carmelita.

IOANNES Houuden, Anglus, ex vtroque Testamento collegit flores, ac scripsit De lyra dulcissima, librum. Alterum autem De passione Dominica. Viuebat anno 1327. Eisingrenius.

IOANNES Houghton, Cartusianorum Londini in Anglia Prior, reliquit librum Epistolarum. Obijt ann. 1535.

IOANNES Hudalricus, Basileensis, Ord. Præd. adolescens (vt verbis vtar Sixti Senensis) ingenij Diuini potius quàm humani, quem ipsam eruditionem, ac fidei synceritatem dixeris tantam adhuc iuuenem Græcæ phrasis nactum esse notitiam, quantam vix vnus, aut alter eius ætatis, scripsit in Epistolam Pauli ad Hebræos, Græco, & eleganti Sermone laudatissima Commentaria. Obijt Coloniæ ann. 1536. adhuc adolescens. Hæc Sixtus in Biblioth. Sancta.

IOANNES Hugonis, Sletstadinus, qui existimatur idem esse, qui I. C. eiusdem nominis, cognominis, & argumenti Auctor, scripsit Tractatum de officijs quattuor Prælatorum, vbi & de Canonica portione, edidit lib. quinque. Primum, De auctoritate Summi Pont. Secundum, De auctoritate Episcoporum. Tertium, De Curatorum potestate. Quartum, De Imperatoris Maiestate. Quintum, De laicis. Eiusdem item Quadriuium Ecclesiæ.

IOANNES Hulsout, Mechliniensis, Theologus, & Sacræ Scripturæ interpres, scripsisse Lecturam sollemnem in Psalterium refertur ab Arnoldo Bostio.

IOANNES de Hyda, Anglus, Monachus Vuintoniensis, scripsit Vitam patientis Iobi, libro vno. Homiliarum altero.

IOANNES Hylton. Vide supra in verbo, Ioannes Hilton.

IOANNES Iacobus Bilia, Laudensis, de Natali Christiano Syluam cum aliquibus epigrammatibus edidit.

IOANNES Iacobus Gabianus, Romanus, scripsit, atque edidit Officium B. Columbani Abbatis, & laudes eiusdem carmine. Mediolani ann. 1548. Tetrasticha Sanctorum. Disticha de moribus. Orationem Christianam. Elegiam ad Theotocon, hoc est Deiparam. Victoriam item heroico versu descripsit, quæ ann. 1550. excusa est.

IOANNES Iacobus Melillus, Vigiliensis I. V. D. Tractatum edidit De Vicarij præcedentia, & de Synodo Diœcesana. Venetijs apud Ant. Ferrarium, ann. 1582.

IOANNES Iacobus Rhabus, qui diu versatus eum hæreticis, fuerat ijsdem hæresum sordibus inquinatus, obseruatis eorum dolis, & improbis moribus ad Catholicam Ecclesiam Deo aspirante accessit, quod ægerrimè ferentes hæretici, & varia, vt solent, garrientes, fecerunt, vt ille pleraque digna constante viro scripserit, hoc est,

Apologeticam Epistolam ad Ludouicum Patrem pro Fide Catholica, ac pro suo ad eam accessu, quam Maternus Cholinus excudit Coloniæ ann. 1570.

Admonitionem ad Conterraneos suos Catholicos Vlmenses, ne se à Romana Ecclesia abduci patiantur. Germanicè.

Responsionem ad Quæstionem, quomodo Catholicus salua conscientia sæpius communicare possit. Coloniæ ann. 1568.

De miraculis Sanctorum in Papatu contra Io. Marpachium, ann. 1572.

Confutationem Concionis vigesimasexta die Ianuarij, ann. 1579. habitæ Argentinæ. Vbi de officio, & instructio, quonammodo Catholicus Episcopus se gerere debeat his temporibus. Germanicè.

Aduersus Theses, quas hæretici Argentinæ contra Sanctarum Reliquiarum miracula publicè disputauerant. Impressum Monachij ann. 1575.
Ad Ioannis Sturmij Antipappos amica συζήτησις. Ingolstadij ann. 1580.
Aletheticum pro veritatis, & Anatomiæ Lutericæ defensione aduersus Porcos recentes Albimontios. Coloniæ apud Adolphum Rostium, ann. 1569.
Decreta Sanctæ Tridentinæ Synodi Germanicè reddita, additis quibusdam argumentis.

IOANNES de Ianua. Vide supra in verbo, Ioannes Genuensis.

IOANNES Iesu Maria, Calaguritanus, Carmelita Discalceatus, scripsit Interpretationem Cantici Canticorum, qua cœlestis Sponsi, & Sponsæ electæ incomprehensibilis amoris vis sensu penitus Diuino conscribitur. Moguntiæ apud Balthasarum Lippium, sumptibus Nicolai Steinij, ann. 1603.

IOANNES de Imenhusem, Germanus, quattuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Commentarios aliquot in Noui & Veteris Testamenti libros, edidit Sermones prætere a non minus doctè, quàm eleganter ad populum habitos scripsit. Viuebat ann. 1360. Eisingrenius.

IOANNES de Imola, patria Bononiensis, Iureconsultus, scripsit super tribus lib. Decretalium, lib. 3. Super sexto Decretalium, lib. 1. Super Clementinis, lib. 1. Super ff. Infortiati, lib. 14. Super ff. nouo, & quædam alia. Eius extant in tres libros Decretalium Commentaria annotationibus illustrata, & ab erroribus vindicata. Accesserunt etiam Commentaria eiusdem Auctoris in 14. cap. sub tit. De renunciatione &c. ex Bibliotheca Ioannis de Anania. Venetijs. In quattuor postmeridianos Ciuilis iuris Tractatus, nempe in primam & secundam Infortiati, Digestique noui partes, vtilissima & facundissima Commentaria, Bononiæ. Eiusdem Consilia, in quibus habentur multorum Canonici Iuris Titulorum materiæ, fusius, & clarius enodatæ. Venetijs ann. 1581.

IOANNES de Indagine. Vide supra in verbo, Ioannes Hagen.

IOANNES Ioannis, Theologus, librum emisit De Schismate, siue De Ecclesiasticæ vnitatis diuisione, in duodecim capita sectum, in quibus multa nostris temporibus accōmodata, continentur. Duaci apud Viduam, & hæredes Belleri, ann. 1603.

IOANNES à S. Ioseph. Vide in verbo, Hieronymus Roman.

IOANNES Ioliahan, Norduuallus, Anglus, Carmelita, scripsit Quæstiones Theologicas, Moralitates rerum. De arte prædicandi. De matrimonio. Isagogen ad Metaphysicen. Flores ex Chrysostomo. Collationes per annum. Indices in Anselmum. Viuebat ann. 1348.

IOANNES Ionuillij, siue de Ionuilla, Gallus, Eques, & eiusdem loci Dominus, Dionysij Regis familiaris, ann. 1270. Scripsit de Gestis sui Regis Historiam, Gallicè, quæ & prodijt in lucem. At Ludouicus Lassereus Collegij Nauarræ Parisijs Rector, eandem etiam historiam scripsit, testatus ingenuè, se usum esse Chronico Ioannis Iouuillij. Quo item vsus est Iosephus Clitouus, dictus, *Iodocus Clitoueus*.

IOANNES de Isdinio, quem nonnulli in suis Catalogis scribentes cum aspiratione, hoc est, *Hisdinio*, vixisse aiunt ann. 1347. siue 1350. & scripsisse tantum in Epistolas Pauli, ac librum de Annunciatione Domini, non cohærent cum Sixto Senensi, qui diligentior indagator sic de eo scriptum reliquit. *Ioannes de Isdinio Ord. fratrum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Theologus non ignobilis, De Scripturis Diuinis bene meritus, & in Parisiensi Academia publicus Lector elaborauit Scholastica phrasi explanationis in Iob, librum vnum,* cuius initium est, *Vsque in tempus sustinebis*. Item in Marcum, librum vnum, cuius initium est, *Similis factus est Leoni*. In omnes Epistolas Pauli ad Philippum Rothomagi Episcopum, lib. 14. Vixit ann. 1390.

IOANNES Italus, Abbas Congregationis Cluniacensis, qui vixit ann. 950. scripsit, De vita Sancti Odonis secundi Abbatis Cluniacensis, magistri sui, lib. 3. Qui extant in Surij Tomo 6. ad diem 28. Nouembris.
De sententijs moralium D. Gregorij Papæ in Iob, lib. 1. qui item extat m.s. in Bibliothecæ Cassinensis pluteo secundo ad læuam.

IOANNES Iustus, Lanspergius, Bauarus, Cartusianus, scripsit enarrationes in Euangelia & Epistolas. Eæ impressę sunt Coloniæ ann. 1541.

Diuini amoris Pharetram, varijs Orationibus, ignitisque aspirationibus refertam.

Item Iesu Christi ad animam fidelem Alloquium. Louanij ann. 1572.

Accessit autem huic editioni, Iesu Christi Crucifixi, & peccatoris colloquium Guytrodij Cartusiani, cum aliquot aliorum precibus. Coloniæ ann. 1590.

Eiusdem Opera minora impressa Coloniæ apud Nouesianum, ann. 1554. Sunt autē hæc. Homiliæ 56. De Passione Domini. Theoremata & Conciones 27. De beneficijs Christi, & malefactis, quæ pro his à nobis recepit. Elucidatio in Passionis textum. Demonstratio veræ religionis. Dialogi inter militem Lutheranum, & Ioannem Monachum. Speculum Christianę perfectionis. Conciones Pareneticę 91. Eiusdem Sermones in pręcipuis anni festiuitatibus impressi Colonię ann. 1536.

In omnes Dominicales Epistolas, & Euangelia Paraphrases, & Exegeses. Antuerpiæ anno 1570. apud hæredes Io. Stelsij.

Eiusdem exercitia spiritualia deuotissimis Rosariis, & alijs precationibus distincta. Venetijs ann. 1575.

Item Euchiridion militiæ Christianæ. Antuerpiæ apud Bellerum, ann. 1576.

Alterum Enchiridion vitæ spiritualis ad perfectionem. Parisijs apud Michaelem Roinium, ann. 1573.

Ceterum Ioannes Iustus (nescio an *Lanspergius*) curasse fertur imprimendum Librum inscriptum, *Candela Euangelica*, quem non ipse Ioannes Iustus, sed alius anonymus, qui cognosci nolebat, scripsit. Excudit autem Eucharius Ceruicornus ann. 1527. Coloniæ. Sed cū ille ad me non peruenerit, viderint ij ad quos inquisitio in libros pertinet.

IOANNES Kelner è Vuanchel, I.C. Summaria, & Conclusiones tam Glossarum, quā Doctorum ad Sextum Decretalium collegit in Coloniensi Academia, ann. 1463. Summaria item, ac Conclusiones in Clementinas: quæ excusę Colonię apud Ioannem Kelhof Lubecensem ann. 1484.

IOANNES Kekkius, Decretorum Doctor, Monachus Tegernseensis, Selectiorum Sermonum sacrorum Syluulam edidit in Monasterio Tegernsee, ann. 1574. in Germania.

IOANNES Kenyngale, Anglus, Carmelita, scripsit duodecim Conciones Paschales, præter illa, quę scripsit in Aristotelem De animalibus, ac de suo itinere, & legatione. Obijt anno 1451.

IOANNES Kesselerus, Gislingensis, Sacerdos, Sueuus, scripsit De laudibus D. Nicolai Episcopi. De S. Andrea Apostolo, carmine Sapphico. Viuebat ann. 1495. Eisingr.

IOANNES Knisphonius, qui viuebat ann. 1547. scripsit De Iustificatione hominis Christiani, insanam Andreę Osiandri hęresim euertens.

IOANNES Kreselius, Vilseuensis, Philosophus, & Bibliothecarius Academię Ingolstadiensis, vberem & eruditam Orationem, quam publicè habuit, emisit De Incarnati Verbi mysterio. Ingolstadij ann. 1503.

IOANNES Kraneman, alias *Kanneman* Teutonicus, Ord. Minorum, scripsit Apologiam (vt habet Titulus) Defensorium pro se. De Passione Domini. Sermones varios. Quæstiones varias. Viuebat Pio II. Pont. Max. ann. 1460.

IOANNES Kynyngham, Anglus, scripsit Lecturam Sententiarum, lib. 4. In Threnos Hieremiæ, lib. 1. In Ezechielem Prophetam. In Canonicam Iacobi. Scripturæ prę conia. De natura Angelica. Contra propositiones Vuiclefi. Aduersus ideas eiusdem. De Temporis ampliatione. De esse intelligibili. De Natiuitate Christi. De Passione eiusdem. De Spiritu sancto. Sermones de Tempore, & de Sanctis. Commentarios in duodecim libros Metaphysices. Obijt apud Anglos in Eboracensi cęnobio, ann. 1399.

IOANNES Kysen, scripsit, atque edidit lecturam in 1. 2. 3. & 4. Decretalium.

IOANNES Lagienus, Ordinis Minorum illustrasse fertur Sermones Sancti Augustini. At puto intelligendum esse operam ab eo positam fuisse aliquam, vt prodirent emendatiores.

IOANNES Lamptenus, Rhemanus, librum Georgij Vicelij De Sanctissima Eucharistia è Germanico in Latinum transtulit. Liber recognitus, & locupletatus ab auctore, excusus est Coloniæ à Io. Quentelio, ann. 1549.

IOANNES Lana, Bononiensis, Ordin. D. Augustini, vitæ admodum synceræ, scripsit vir doctus Commentaria ad quattuor libros Magist. Sententiarum. Quodlibeta duo. Quæstiones ad libros Physicorum. Et alia quædam, quæ in Bibliotheca D. Iacobi apud Augustinianos asseruabantur Bononiæ, vbi nonagenarius decedens apud sui Ordinis Patres sepultus est. De huius viri sanctitate, & alijs dotibus Iordanus scripsit, quæ item attigit Ioseph Pamphilus.

IOANNES Landspergius, Cartusianus. Vide in verbo, Io. Iustus Lanspergius.

IOANNES Langdene, Monachus, & tandem Episcopus Roffensis, collegit è diuersis historijs Anglorum Chronicon. Scripsit item Sermones aliquot. Vixit ann. 1420.

IOANNES Langer, Bolkenham, presbyter Vratislauiensis, edidit Opus ad Georgium De lapide, dominum Steynauiæ. De censibus & redemptionibus. Epistolarum ad diuersos, lib. 1. Carmina multa. Vixit ann. 1494.

IOANNES Langham, Anglus, Ord. D. Augustini, ex humili Nordouolgiæ Pago non procul à Nigeria natus, Nordouici professus scripsit, præter Philosophica quædam, Disputationes Scholasticas, quæ ibidem in Bibliotheca eius Cœnobij asseruabantur. Ioseph Pamphilus.

IOANNES Langhecrucius, Iluarenbecanus, Collegij S. Petri Casletensis Præpositus, Speculum Canonicorum, & aliorum Ecclesiasticorum. De malorum item horum temporum causis, & remedijs, deque Diuinis officijs debitè peragendis, Duaci edidit apud Io. Bogardum, ann. 1587. & 1589.

IOANNES Langtonus, Anglus, Carmelita, scripsit Actus suos Ordinarios. Examen Doctoris Crumpe, lib. 1. Contra errores eiusdem, lib. altero. Viuebat ann. 1400.

IOANNES de Lanshen (alijs *Lamshem*) Vormaciensis, Ordin. D. Augustini, scripsit De Institutione, & vtilitate fraternitatis Rosarij Beatissimę Virginis. Speculum Missæ. Speculum Nouissimorum. Arrham æternę salutis. Vixit ann. 1486. Eisingr.

IOANNES Lanspergius. Vide in verbo, Ioannes Iustus Lanspergius.

IOANNES de Lapide, Germanus, Ordin. Cartusiani, domus Basileensis, scripsit Librum, qui olim prænotabatur, *Resolutorium dubiorum circa Missarum celebrationem occurrentium.* editus est Venetijs ann. 1516. apud Gregorium Rusconium. Anno autem 1596. Constantiæ apud Nicolaum Kalt, hac inscriptione, *Casuum, qui Sacerdotibus in Missarum celebratione contingere solent.* Patauij verò apud Franciscum Bolzetam hoc Titulo. *Decisiones Aureæ casuum circa Missarum celebrationem occurrentium è Sacris Canonibus, Auctore Ioanne de Lapide Theologo Parisiensi*, ann. 1599.

De his, quæ ad dignum Sacerdotem exiguntur, librum.
Summarium Passionis Domini.
De Ascensione Domini inter Sermones Meffret.
De Conceptione Immaculatæ & Beatissimæ Virginis.
Sermones ad Clerum, & ad populum plures.

Quin & variorum Auctorum libros per Tractatus, atque Capitula distinguens singulis argumenta de vniuscuiusque scopo præfixit, libris Ioannis Chrysostomi De compunctione Cordis. Effrem Diaconi. Augustini de Cordis Contritione, & Epistolis. Ambrosij Operibus.

Pręterea in Physicen, Metaphysicen, Gilbertum Porretanum de sex principijs, in Logicen, & alia etiam spectantia ad studia humaniora. Viuebat ann. 1494.

IOANNES Lathbery, Anglus, Ordinis Minorum, Rheadigensis Cœnobij, scripsit

Commentarios in Hieremiam.
In eiusdem Lamentationes.
In Acta Apostolorum.
Explicationem Psalmorum.
Lectiones Scripturarum.
Distinctiones Theologiæ.
Conciones varias.
Alphabetum morale. Viuebat an. 1460.

IOANNES Lauardinus, Gallus, è nobili familia, *de Rannay*, Abbas Stellę, Gręcos, & Latinos quosdam celebres Scriptores in Gallicam linguam vertit.

Gregorium Nazianzenum De Amore erga pauperes. Et de Officio eorum, qui Pręsunt, siue Pręlatorum.
Saluianum De Iudicio, & Prouidentia Dei.
Appendicem belli Iudaici.
Confessionem fidei à Stanislao Hosio Cardin. Varmiensi Polono conscriptam.
Libros item eiusdem aduersus Brentium.
Dialogum de Sanctissimo Sacrificio Missę.
Librum De Maiestate Dei.
Libros decem Claudij Sanctes, qui postea fuit Episc. Ebroicensis, De Eucharistia.
Lectiones de Sacramentis à Io. Maldonato Theologo Societatis Iesu, Parisijs publicè dictatas.
At bona istorum pars nescio an adhuc in lucem prodierit, quæ tamen erant in promptu.
Epistolas D. Hieronymi. Parisijs ann. 1584. apud Chaudiere.
Conuersionem item cuiusdam nobilis ad fidem Catholicam edidit Parisijs ex Officina Roberti Fezelerij, ann. 1582.
Viuebat ann. 1584.

IOANNES è Sancto Laurentio, Ordinis Minorum è Postillis Diui Thomæ Aquinatis, Nicolai Lyrani, & Bertrandi pleraque collegit. Extabant m. s. in Bibliotheca Franciscanorum Louaniensium.

IOANNES Leisentritius, administrator, & Decanus Budissinensis, edidit Preces, quibus Catholicus Sacerdos ad Missæ, & Passionis Domini nostri commemorationem dignè peragendam, se pręparare potest: quibus insertæ sunt Admonitiones pro iunioribus Ecclesię Budissinensis presbyteris, ann. 1564. & 1574. & 1584.

Eiusdem libellus precationum: Accessit libellus De celebratione Missæ, qui ann. 1568. editus fuerat.

Eiusdem protestatio Catholica cum pia precatione contra hæreses hoc tempore recitanda, ann. 1574.

Forma copulandi ritè desponsatos, & legitimè proclamatos secundum Catholicę Ecclesię ritum, adiuncto Tractatu causarum matrimonialium, edita Colonię apud Henricum Falckenburg. ann. 1590. & antea Budissinę ann. 1568.

Informatio, qua ratione Catholici Sacerdotes S. Missę Sacrificium ritè celebrare, horas Canonicas absoluere, & absolutionem confitentibus prębere debeant, vnà cum Appendice, De vera Christi Ecclesia, ann. 1570.

Cursus piarum precum, quibus pręfixum est cum Horoscopo nouum Calendarium perpetuum Ecclesiasticum. Budissinæ ann. 1571.

Epistola Missiua Ecclesiastica ad animarum Pastores vtriusque Lusatię. Colonię ann. 1584.

Forma Germanico idiomate baptizandi infantes, secundum Catholicæ Ecclesię ritum, cum explicatione ceremoniarum, quæ circa baptismum fiunt, pro vtriusque Lusatiæ, Misnensis diœceseos Parochis, & Sacellanis. Coloniæ anno 1585. & antea Budissinæ, anno 1568.

Catholicum Pastorale, siue De Officio Pastorum pro visitandis ęgrotis, Germanicè. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1578.

IOANNES Lensæus, Belliolanus, Theologiæ Professor Louanij, scripsit

De vnica Religione, & studio Catholicorum Principum in Republica conseruanda, lib. 1. Coloniæ anno 1579.

De varijs generibus, causis, atque exitu persecutionum, quas pij hoc in Mundo peregrinantes patiuntur. Louanij ann. 1579.

De officio Christiani hominis in persecutione constituti. Louanij ann. 1579.

Oratio contra ψευδοπατριώτας, hoc est, Ecclesiæ Romanæ desertores, qui se solos patrię veros amatores esse iactitant. Coloniæ ann. 1580.

De sui ac Reipub. Christianæ contra impium inuasorem defensione oratio, qua Ecclesiastici hominis officium in eo periculi genere declaratur. Louanij ann. 1582.

Tractatus de Ecclesiastica satisfactione pœnitentis, contra Benedictū Aretium ministrum hæreticum Bernensem. Louanij ann. 1585.

De

De vna Christi in terris Ecclesia, libri sex, quibus variæ huius ętatis hęreses, atque errores refutantur. Louanij apud Andream Sassenum, ann.1589.
De libertate Christiana, libri 15. Antuerpię ann.1590.
De Verbo Dei non scripto, siue traditionibus Ecclesiasticis, contra scholasticam Antonij Sadeelis hæretici De verbo Dei scripto disputationem. Antuerpiæ apud Viduam, & Ioannem Moretum, ann.1591.
De Christiana libertate. De Ecclesia. De Purgatorio.

Obiit Regius Theologię Professor postrid. Kal. Iulij ann.1593. annos vix natus duos, & quinquaginta. Moriens Ioanni Clario Collegæ lucubrationes suas nondum editas cō mendauit, qui tres eius De Fide, Spe, & Charitate libros posthumos euulgauit.

IOANNES Leo, edidit Disputationem De Confessione fidei, ac religionis Christianæ apud Gasparem Behem, ann.1590.

IOANNES Leonardus, Hasselius, Hasseleti, Leodiensis ditionis Oppidi natus, qui Hebraicè, Gręcè, Latinè noscens, & Theologus, Theologorum Collegio, pręfectus, atque Sacrarum litterarum Professor, à Philippo II. Hispaniæ Rege Catholico ad Concilium Tridentinum missus scripsit,
Tractatum de Nectarii Patriarchę Constantinopolitani super Confessione: quod ipsum argumentum & Romæ Latinus Latinius, & alij, Bellarminus potissimum, & Baronius Cardinales tractarunt.
Commentarios item accuratos in Isaiam Prophetam, & in aliquas Pauli Epistolas, qui sub nomine Adami Sasbout prodierunt. Vide in verbo, *Adamus Sasbout*, siue *Sasboldus*. Obijt, & sepultus est Tridenti ann.1551.

IOANNES è Leouardia Frisius nostra ętate Doctor Theologus, Ord. Minorū, scripsit De Prouidentia Diuina. In Hexaemeron. In Decalogum. De Synagoga Iudæorum. De Ecclesia Christi. Deinde missus ad excolendas Indias ibi manipulos in horreū Christi deportandos collegit. Suffridus Petrus libro de Frisię Scriptoribus.

IOANNES Leslęus, Scotus, Episcopus in eodem Scotię Regno, scripsit De origine, moribus, & rebus Gestis Scotorum, vbi pleraque spectantia ad Ecclesię administrationē libris decem, qui primò Romę sunt cusi: cum etiam Parisiis ann.1574. duos edidisset, quorum vno Pię animi afflicti consolationes, Diuinaque remedia; altero animi tranquilli Monumentum continentur.

IOANNES Leuita, Romanus, scripsit Vitam Gregorij Magni Summi Pontificis.

IOANNES Licianensis, Abbas, Librum scripsit Exercitiorum Spiritualium. Viuebat ann.1504. Eisingr.

IOANNES è Lignano, Mediolanensis, scripsit super Clementinas, librum. Eiusdem autem nomine citantur super secundo Decret. De amicitia. De bello, & duello. De pluralitate beneficiorum. De censura Ecclesiastica. De horis Canonicis. De interdicto Ecclesiastico. De repręsalijs. Disputationem de secreto, aliam De permutatione. Item Lecturam super primo, secundo, & tertio Decretalium. Extant autem plerique horum Tractatuum inter Tractatus Iuris Venetijs editos. Tom.4. fol.335. To.12. fol.227. & 281. To.14. fol.307. To.15. p.2. fol.558. & p.2. 281.

IOANNES Liuineius, Gandensis, è Gręco Latinum fecit Io. Chrysostomum De Virginitate, quē item addito Gręco contextu emisit ex Officina Plantini Antuerpię an.1579. At videnda est expensio huius versionis à Iacobo Billio Prunæo, quæ extat in duobus eius libris Obseruationum sacrarum.

IOANNES Lombariensis Episcopus, sed natione Basileensis, Germanus, scripsit Commentarios in Mag. Sent. lib.4. Sermones ad Populum. Orationes ad Summum Pont. & Cętum Cardinalium. Collationes habitas cum Clero. Viuebat Eising. ann.1467.

IOANNES Lopez (quem & *Lupium* scribit Ant. Senensis) Ord. Prædic. scripsit Vitam B. Vincentij Valentini, cuius fermè tempore vixit.

IOANNES Lopez, Hispanus, Episcopus autem Monopolitanus, siue Cotronensis, è sacra Ord. Prædicatorum familia assumptus, Epitomen edidit Concionum ex Origene,

Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio, Bernardo, & alijs, quę quattuor Tomis comprehensa est. At postrema editio primi Tomi prodijt Brixiæ ann. 1600. & 1601. cum Romæ fuisset edita ann. 1596. apud Gulielmum Faciottum.

IOANNES Lopez, de Palatios Ruuios. (sic enim scribunt) Vide in verbo, Io. Lupus è Palatijs Rubeis.

IOANNES Lopis, Speculum Formalitatū, Neapoli ap. d Sigismundū Mayer, an. 1505

IOANNES à Louanio, scripsit Librum De Eucharistia. Censuram de Passionibus Sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani.

IOANNES Louey, siue Loueye, Anglus, Carmelita, scripsit De Missione Spiritus sancti, Lecturas item sollemnes. Viuebat ann. 1390.

IOANNES Louue, Anglus, Ordin. D. Augustini, Theologus, & deinceps Episcopus Roffensis, apud Anglię Regem Henricum Sextum, cui erat à consilijs, celebris, in Vvigornensi comitatu natus, & Augustinianæ professionis in Vvichiensi cęnobio cęnobita à teneris annis, scripsit Sermones habitos coram Rege, lib. 1. Conciones per annum, lib. 1. Lecturas Ordinarias, lib. 1. Temporum historias, lib. 1. Disputationes Theologicas, lib. 1. Ruffæ tandem obijt, & in sua Ecclesia sepultus creditur. Hęc Ioseph Pamph.

IOANNES Lucas è Pontremulo, scripsit Lecturas ad Decretales.

IOANNES Lucerna, Summulam scripsit in quartum Decretalium.

IOANNES Lucidus, librum edidit De emendationibus Temporum ab orbe condito vsque ad hanc nostram ætatem. Quo & Canones, & de vero die Passionis Domini, & Epitome Romani kalendarij continentur. Venetijs, apud Lucam Ant. Iuntam.

IOANNES Ludouicus Viualdus è Monte Regali, Ord. Prędicatorum, Theologus, varia edidit, quæ in Opere, quod *Regale Opus* inscripsit, extant. Nimirum:

Epistolam de repellendis tristitię causis.
De officio Pietatis erga defunctos.
Tractatum de pugna partis sensitiuæ cum intellectiua.
Epistolam ad Vladislaum Bohemię, atque Vngariæ Regem.
Tractatum de tribus Lilijs, quæ sunt Gallię Regum insignia.
Alterum De cognitione electorum, & reproborum.
De duodecim persecutionibus Ecclesiæ Dei.
De Magnificentia gloriæ Salomonis: num ne saluus, an damnatus sit.
De caussa contritionis, Lugduni apud Stephanum Gueynardum, ann. 1512.
Sed & alterum Librum scripsit De veritate contritionis, qui perutilis est, ac prodijt Parisijs ann. 1519.

IOANNES Ludouicus Viues, Valentinus, Hispanus, scripsit

In septem Psalmos Pœnitentiales, cuius libri initium est, *Paucos admodum esse arbitror*.
De concordia humani generis, lib. 4. ad Carolum V. Cęs. cū institutum esset in Italia Concilium Generale. Deinde librum De pacificatione.
Quam misera esset vita Christianorum sub Turca, librum.
De subuentione pauperum, siue de humanis necessitatibus.
Sacrum diurnum De sudore Domini Iesu Christi.
Meditationem de Passione Saluatoris in Psalmum 37.
Excitationes animi in Deum.
Pręparationes animi ad orandum.
Preces, & Meditationes quotidianas.
Preces, & Meditationes generales.
Expositionem in Orationem Dominicam.
De veritate fidei Christianę, lib. 5. in quibus agitur aduersus Ethnicos, Iudęos, Agarenos, siue Mahometanos, & peruersos Christianos. Qui libri fuere postremus eius fętus, & in quos plus diligentię, atque laboris impendit.
Tempus Natale Christi, siue Genethliacon.
Clypei Christi descriptionem.
Triumphum Christi.
Orationem Deiparæ.
Libellum de charitate Dei, & proximi.
De institutione fęminæ Christianę tres libros ad Catharinam Hispanam Angliæ Reginam.
De officio Mariti, librum.
De communione rerum.

Intro-

Introductionem ad veram Sapientiam.
De Pacificatione, lib. vnum.
De virtute fucata, alterum.
Declamationes sex de pręsenti Statu Europæ, & Bello Turcico.
De prosperis, & aduersis.
Satellitium animi, siue Symbola ad omnem totius vitæ, præsertim Principum institutionem.
Epistolas duas de ratione studij puerilis, quę dignę sunt lectu.
Libellum de conscribendis Epistolis.
Exercitationem linguæ Latinæ.
Aliquid in Bucolica Virgilij.
Prefationem in Georgica.
Progymnasmata.
In Ciceronem de legibus.
Aedes legum.
Pompeium fugientem.
De recte dicendi ratione, libros tres.
Descriptionem temporum, & rerum Romanorum sub Ioannis Vasęnij nomine; Louanij paucis mutatis editam, ann. 1534.
De consultatione, librum.
Epistolam ad Henricum VIII. Angliæ Regem de Fracisco Galliæ Rege capto à Carolo V. Cęsare.
Alteram De pace inter eosdem, deque optimo Regni Statu.
Epistolas autem eius selectiores Simon Verrepæus curauit Antuerpiæ cudi ann. Domini 1577.

De corruptis Artibus, & ratione tradendarum Disciplinarum libros 20. quos excuderunt Typographi, Antuerpiæ Michael Hellenius ann. 1531. Brugis eodem anno, Gymnicus Coloniæ ann. 1532. & alibi alij, de quibus ipsemet in Præfatione ad Lectorem *Multa* (inquit) *fuerunt mihi contra priscos Auctores disputanda, non omnes quidem, nam id infinitum, atque inutile fuisset. Sed receptos solum, & diutino consensu approbatos*, &c. *Equidem nolim quemquam se mihi addicere: nec dubito, quin ipse sim in his, quæ attuli, sæpenumero falsus; videlicet, qui lapsos esse illos contendo, cum quibus ego nec ingenio, neque vsu, & cognitione rerum vlla ex parte sum comparandus.*

Contra Pseudodialecticos. Initia Sectarum, & Laudes Philosophiæ. Argumenta in plerosque libros Philosophiæ Aristotelis cum huius Operibus Basileæ edidit. Fabulam de Homine. Animam Senis. De anima, & vita, libros tres. Versionem è Gręco duarum Orationum Isocratis, Areopagiticæ, & ad Nicoclem.

Omnia verò eius Opera pręter Commentarios in Augustinum de Ciuitate Dei, duobus Tomis edita fuerunt Basileæ ann. 1555. Quæ nimirum illum edi voluisse fertur. Nam de iisdem in Augustinum Commentarijs, quibusnam scatebant erroribus, & cur in Romano Indice prohibiti essent, nisi expurgentur, Vide in verbo, Aurelius Augustinus, vbi egimus De ipsius libris de Ciuitate Dei, ac de Expurgatione eorundem Ludouici Commentariorum. Obijt Brugis in Belgio, ann. 1536. siue circiter.

IOANNES Lupus, è Palatijs Rubeis, Segobiensis, Hispanus, I. C. scripsit De bello, & Duello. De libertate Ecclesiastica. Consilium post suam temp. & *De donatione inter virum, & vxorem*, Vbi defendit inculpatum de hęresi. Super loco quarti Decretalium. *Qui filij sint legit. e. per venerabilem.* & super Rubrica eiusdem, *De donatione inter virum, & vxorem, cap. per vestras.* Tractatum de confœderatione Principum, impressum Argentinę apud Schotum, ann. 1511. Repetitio autem eius super Rubricam de donat. &c. impressa est Francofurti, ann. 1573. vnà cum Additionibus & Indice. Scripsit item De Matrimonio, & Legitimatione, qui est Tract. 9. inter Tract. pag. 39. Allegationem vero in materia hęreseos, ann. 1581. Romę excuderunt.

IOANNES è Lutria, Germanus, Professor Gymnasij Erfordiensis, quattuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures. Moguntiæ in Aede S. Martini habitos reliquit. Quin & Philosophica quędam. Viuebat ann. 1471. Eisingren. alijs autem, etiam ann. 1479.

IOANNES Lutterellus, scripsit aduersus disputata Ockami. Determinationes item quasdam, lib. 1. Ad quendam disputantem, lib. 1. De Vesperis Magistrorum, lib. vnum. Prelectiones Oxonienses, lib. 1. Vixit ann. 1340.

IOANNES Lyllesbull, qui præfuit monachis cęnobij eiusdem nominis, scripsit Enchiridion, quo eosdem ad perfectionem instituit.

IOAN-

IOANNES Machabæus, Summus Pont. apud Iudæos ante natum Christum Dominum, scripsit Commentarium, siue librum dierum Sacerdotij Ioannis. Ex quo Auctor primi libri Machabæorum gesta aliquot Ioãnis Mathathiæ filij excerpsit. de quo vide 1. Machab. cap. vlt. Extabat hoc opus Græcum Lugduni in Bibliotheca, quæ fuerat Sanctis pagnini. Quam tamen ab hæreticis Caluinianis passam fuisse naufragium siue potius incendium & dilacerationem ipsi vidimus, cum & reliquias omnes, & Sacraria diripuerunt, ann. 1561. quo in ea ciuitate. Catholicis concionabamur.

IOANNES Magdalena, Vlyssiponensis, Ordin. D. Augustini, Theologus, qui denique fuit Alphonsi Principis, filij Ioannis secundi Lusitaniç Regis Prçceptor, sexque & viginti annos in eadem Ciuitate Vlyssippone Theologiam publicè è primaria cathedra docuit, rogatus ab Ambrosio Corano Priore Generali Ord. sui, scripsit Tractatum de Sanguine miraculoso, qui non semel fluxit ex hostia Sanctissimæ Eucharistiç. In quo plura dubia expendit, & soluit. Caussa scriptionis huius fuit Sanguis, qui ex consecrata hostia manauerat, qui Cassiæ, quod est Vmbriæ, in Italia, Oppidum, asseruatur in Monasterio Dominicanorum.

IOANNES cognomento (quatenus conijcio) *Magister*, qui & Ordinis sui Prouincialis fuit, scripsit Librum de Diuina operatione: deque fermentato, & infermentato pane: quodque Christus Dominus panem Discipulis tradiderit sine fermento: quodque Spiritus sanctus procedat ex Patre, & Filio. Epistolam vberem ad Oecumenicam Octauam Synodum, in primis ad Eugenium Quartum Pontificem Maximum, atque ad Ioannem Imp. Constantinopolitanum.

IOANNES Mabuenus. Vide in verbo, Ioannes Maubenus.

IOANNES Magnus, Gothus, Sedis Apostolicç Legatus, Suetiæ, Gothiæ, Finlandiæ, siue, vt ipsi vocant, Vandaliæ Primas, Archiepiscopus Vpsaliæ, quem, dum essem adolescens vidi Romæ anno 1550. Scripsit Librum de Episcopis Suetiç, qui Romæ prodijt anno 1554. Quin & ibidem eodem anno alterum edidit. De omnibus Regibus Gothorum, & Suecorum, qui vmquam ab initio eius gentis extitere, in quo intexuit res per Orbem ab ijs gestas. At & eiusdem extat apud me m. s. Apologia contra Luteranas, & impias Constitutiones in Arosia Ciuitate Regni Suetiæ factas ann. 1527. quam ipse ipso in Regno Suetiç consecutus, quoniam digna est, quæ aliquando prodeat, spero fore vt cum alijs eiusdem argumenti & Regni rebus, quç nomine Gregorij XIII. Pont. Max. cum Ioanne Suetiæ Rege acta sunt, emittatur in lucem. Vide in verbo Olaus Magnus, & in verbo, Suetica, in hoc Apparatu.

IOANNES Maierius, Ghelç in Brabantia natus, Carmelita, Conuentus Thenensis, Theologiç Doctor, ex Priore Conuentus Bruxellensis Prouincialis inferioris Germaniç, conscripsit Opera, ex quibus duntaxat Thenis vidimus Commentaria super plerasq; Epistolas D. Pauli. Sermones tam de Sanctis, quam de Tempore. Quadragesimale. Super decem Decalogi prçcepta. Orationes tam Latinè, quàm Grçcè conscriptas, & ab eodem in Louaniensium Academia habitas. Adeo enim disertus & eloquens erat in lingua Grçca, vt hominem Athenis, non Thenis enutritum dixisses. Hçc Petrus Lucius in Cathalogo Carmelitarum Scriptorum.

IOANNES Maibrosius cognomine, ac natione Scotus, Alcuini Socius, scripsit

Super Canones Arzachelis, lib. 1.
Ad Carolum Regem, lib. 1.
Versus diuersi generis, lib. 1.
In Euangelio Matth. lib. 1.
De officijs humanis, lib. 8.
De officijs Diuinis, lib. 1.
Dialogum de natura, lib. 1.
De naturæ diuisione, lib. 1.
De primo rerum principio, lib. 1.
De Eucharistia, lib. 1.
Commentaria Scripturarum, lib. 1.
Homilias eruditas, lib. 1.
De German. iuxta Irenicum, lib. 1.
Idem libros Dionysij Areopagitæ in Latinam linguam transtulit.
Carmen eius ad Carolum Magnum de Laudibus Iesu Christi, manuscriptum extabat alicubi, vt audio in Germania.
Viuebat anno 792.

IOAN-

IOANNES Maior, in primum, secundum, tertium librum Sententiarum. Parisijs excusus est apud Iodocum Badium, anno 1519. cum in quartum, idem prodijsset, ibidem ann. 1501. apud Iacobum Missierum.

IOANNES Maioris, Glagornensis, citatur in Chrysopasso Io. Eckij.

IOANNES Maior, Hadyngtonensis, Scotus, scripsit Decisiones Sententiarum libris quattuor, & in Magistrum Sentent. Commentarios Parisijs excusos. Placita Theologica. Commentaria in Euangelium Matthæi. Historiarum maioris Britanniæ, hoc est tam Angliæ, quàm Scotiç, libros sex è veterum monumentis concinnatos, qui item Parisijs prodierunt ex officina Ascensij. Caxtonum autem Anglum, cuius extabant septem libri, Latinè reddidit.

IOANNES Maire, Belga, edidit Promptuarium Conciliorum Ecclesiæ Catholicæ cũ schismatibus, atque dissidijs, quæ in ea euenerunt, quod adtexuit alteri libro, quo egit de Galliæ illustratione, deque rebus Troiæ excellentibus: ac de Principe Syach Ysmail, nominato *Sophy*. Opus impressum est primò Lugduni ann. 1528. apud Antonium Ry; deinde Parisijs apud Gulielmum Bretum, ann. 1543.

IOANNES Maldonatus, Bæticus, Hispanus, nobilis, Societatis nostræ Theologus, cum antequam se se Diuinæ Scripturæ interpretandæ addixisset, ex omnibus Patribus, quos attentè perlegerat, vnanimem priorum sęculorum doctrinam excerpsisset, Theologiam verò scholasticam, controuersiasque nostri temporis Lutetiæ plures & ipse annos exposuisset, in Veteris, & Noui Testamenti non exiguam partem Commentaria scripsisset, ingentem hæreticis cladem, catholicis autem, & nobis, quibus ferè omnia contulit, maximum ad hoc, ad quod collineabamus, attulit commodum.

Eius studia, & quibus Salmanticæ Doctoribus profecerit, vitæ probitatem, ac tradendæ Theologiæ rationem, summatim, & verè, attigerunt Societatis nostræ Theologi in Mussipontana Academia initio editionis Commentariorum ipsius in quattuor Euangelistas, quæ primò Mussiponti ann. 1596. apud Stephanum Mercatorem, deinde Lugduni apud Horatium Cardonem, ac Venetijs apud Societatem Venetam, Brixiæ, atque Coloniæ ann. 1602. apud Arnoldum Mylium prodijt. Sensum certè literalem, si quis alius, exposuisse nemo, qui eos legit, non videt.

Prodijt item eius Disputatio de Fide, ex Officina Albini Moguntiæ ann. 1601.

Extant verò in multorum manibus eius scripta, inprimis de Theologia, quam cum vniuersam quadriennij spatio, quasi per Compendium tradidisset, iterum eandem vberius tradere erat aggressus, longè item progressus egit de Deo, ac Dei attributis, De Trinitate, Prouidentia, Prædestinatione, Angelis, Homine, Hominisque creatione, Peccato originali, Libero arbitrio, Iustificatione, Meritis operum. Quæstiones denique ac Disputationes plerasque.

Extabant item eius Commentaria in Ezechielem, in Esaiam, in aliquem alium Prophetarum, & in Epistolam ad Romanos, quæ auidè expectantur: Nam Mussiponti sub prelo sudabant.

Expositionem autem in Psalmum centesimum nonum, quam Parisijs inter postremos suos labores habuit, legi ipse, quç & est apud nostros, eo ingenio dignam.

Excessit è vita anno ætatis suæ vixdum quinquagesimo, ineunte autem ann. 1583. Romæ, quò fuerat è Gallia à Gregorio XIII. Pontifice Max. euocatus ad Bibliorum editionem Græcam Septuaginta Interpretum, quæ post eius Pontificis obitum, denique absoluta, & emissa est.

IOANNES de Malinis, quem Palendorpius Carmelitanus ait scripsisse Speculum Historiale Ordinis Carmelitani distinctum libris decem, idem ipse putatur esse, qui infra suo loco dicitur *Ioannes Paschasius Mechliniensis*, cuius erant ibidem reliqua scripta.

IOANNES Mapellus, Mediolanensis, Ord. Minorum, Indicem ad conformitates Bartholomæi Pisani edidit ann. 1513.

IOANNES Marcheley, Anglus, Ord. Minorum, scripsit Librum de Conceptione Beatissimæ Virginis. Alterum Quæstionum Theologicarum. Obijt ann. 1376.

IOAN-

IOANNES Marchinellus, Leodienſis, Carmelita, ſcripſit De pugna Spirituali. Sermones ad Populum. Quæſtiones Theologicas. Libros tres ad omnes hominum Status. Viuebat ann. 1410.

IOANNES, qui & Marcus, ex miniſtro Sacerdotis Iouis, Miniſter Pauli Apoſtoli, ſcripſit paſſionem Barnabæ Apoſtoli. Sigebert. in Catal.

IOANNES Mare, Epiſcopus Condomicēſis, ſcripſit Enchiridion Sacerdotale, in quo agitur, quæ ſint credenda, agenda, vitanda, timenda, & ſperanda. Explicationem Orationis Dominicę. Tractatum de Pœnitentia. Expoſitionem Symboli Athanaſij. Pariſijs apud Aſcenſium.

IOANNES Maria Capalla, Saluſtienſis, Ord. Præd. ſcripſit non mediocri volumine Commentarios in Sermonem Domini habitum in vltima cœna, quod lectu dignum cuditur à Baretio Baretio Venetijs hoc anno, quo hæc ſcribimus 1604.

IOANNES Maria Cardanus, Genuenſis, Monachus Congregationis Caſſinenſis, aliàs S. Iuſtinæ de Padua, ſcripſit Opuſculum ſenarijs conſtans in laudem S. Catharinæ Virginis & mart. Quod excuſum eſt in tertio poematum volumine Proſperi Martinengij. Romæ anno 1589.

IOANNES Maria, Florentinus, Ord. Prædicatorum, ſcripſit Dilucidarium de rebus antiquis ſacris, & alijs. Eiuſdem extat Diſputatio de Maria Magdalena ad Opuſculum Iacobi Fabri, cum alijs Diſputationibus in Bibliotheca Sancti Marci Florentiæ. Expoſitiones item difficilium Scripturæ locorum. De computatione annorum Domini ad Antonium Dulciatum Eremitanum. De corruptione Kalendarij ad fratrem Zenobium Acciaiolum pro vera celebratione Paſchæ. Viuebat ann. 1518.

IOANNES Maria Polutianus, Italus, Carmelita, Theologus Bononienſis, ſcripſit Sermones Quadrageſimales. Librum prænotatum, *Vexillum Carmelitarum*. Alterum inſcriptum, *Mare magnum eiuſdem Ordinis*. Vitam Beati Alberti Drepanenſis. Miracula eiuſdem. Orationum, & Epiſtolarum, librum. Quæ Venetijs prodierunt. Atqui ipſe viuebat anno 1498.

IOANNES Maria, Riminaldus, vnà cum Iacobo Riminaldo Ferrarienſi, emiſit Quattuor volumina Conſiliorum, quibus acceſſerunt Hippolyti Riminaldi Adnotationes, excuſæ Venetijs ann. 1579. Ceterum eiuſdem Ioannis Mariæ lucubratio extat ſuper 1. & 2. Digeſti veteris, & ſuper 1. & 2. Codicis. Obijt ann. 1496.

IOANNES Maria Sypuntinus, Archiepiſcopus, vtilem De pace ad Principes Chriſtianos Orationem edidit apud Ludouicum Vicentinum. Romæ ann. 1526.

IOANNES Maria Taliaferrus, qui miſit ad me Catalogum ſuorum Scriptorum ſequenti ordine, quem Catalogum hic inſero, vt quę hactenus non prodierunt, haud pereāt: ſed ab ijs ad quos pertinet, proferantur in lucem, ſcripſit

Duodecim libris Eccleſiaſticam Politicam, à Deo, & Domino Noſtro Ieſu Chriſto inſtitutam, & à Spiritu ſancto per Eccleſiæ Paſtores, ad bene, beatęque viuendum ordinatam, cum obiectionibus ad controuerſias.

Primo libro habet De Eccleſia, de eius capite Chriſto, & de clauibus Eccleſiæ. Per Capita.

Secundo, De miniſtris Eccleſiæ, vbi de ſingulis perſonarum generibus à Pont. Max. Chriſti Vicario, ad inferiores vſque gradus, & ordines, ac ſingillatim de eorum inſtitutione, auctoritate, poteſtate, ac muneribus. Per Cap.

Tertio, De Religionibus, vbi de vtriuſque generis regularibus, ad regulę cuiuſque præſcriptum, de voto, de oblatione, de Eremitis, de clericis coniugatis. Per Cap.

Quarto, De diſciplina Eccleſiaſtica, vbi de moribus Prælatorum, ac inferiorum Clericorum, ac de cęlibatu. Per Cap.

Quinto, De Iuriſdictione Eccleſiaſtica, vbi de foro, de legibus, de cenſuris, ac pœnis, de indulgentijs, & de redditibus Eccleſiaſticis. Per Cap.

Sexto, De cura Paſtorali, vbi de Parochia, de Dięceſi, de Prouincia, de Concilio Generali, Prouinciali, ac Dięceſano, & de Viſitatione. Per Cap.

Septimo, De Sacramentis Ecclesiæ, vbi de eorum institutione, virtute, vsu, cultu, & ministratione. Per Cap.

Octauo, De celebratione diuinorum officiorum, vbi de ritibus, & ceremonijs Ecclesiasticis. Per Cap.

Nono, De fabrica, & supellectili Ecclesiastica pro cuiusque Ecclesię ratione. Per Cap.

Decimo, De locis Pijs, vbi de Xenodochijs, de Confratrijs, de Montibus, & Elemosinis. Per Cap.

Vndecimo, De laicis, vbi de Imperatore, & quomodo Imperium dependeat à Sede Apostolica, de Regibus, atque Principibus, & reliquis inferioribus laicis, quæ ad eorum cuiusque munus singillatim cum institutione Christianè viuendi, atque etiam de reiectis à consortio fidelium, & ordinibus Ecclesiasticis. Per Cap.

Duodecimo, De visitatione Ecclesiastica, & rerum institutione ad præscripta.

De visitatione autem Ecclesiastica Decem libris collecta sunt, quæ sancta sollicitudine, præstantique pietatis studio pastorali, siue Canonum, Conciliorum Decretis, Patrum dictis, ac politico vsu in Hierarchia Ecclesiastica expressa sunt, & in ordine ad visitationem eius congerenda spectant.

Primo autem libro habetur de munere visitationis, cum instructionibus ad eam.

Secundo, De visitatione, seu recognitione sui ipsius Episcopi, & domus eius, vbi quę ad partes spectant Ethicam, & Oeconomicam Episcopalem habentur: mores (scilicet) Episcopi, & familiæ eius complectens.

Tertio, & vltra pars Politica tractatur, & hic de Sacramentis Ecclesiæ, vbi quæ ad eorum cultum, ritum, ac ministrationem, & de Sanctorum reliquijs. Per Cap.

Quarto, de ritibus Ecclesiasticis, & celebratione Diuinorum officiorum. Per Cap.

Quinto, De fabrica, & supellectili Ecclesiastica, pro cuiusque Ecclesię ratione. Per Cap.

Sexto, De reditibus Ecclesiasticis, vbi de Ecclesiarum fundatione, ac dotatione. De beneficio Ecclesiastico, de decimis, de Canone, de censu, de legatis pijs, de oblationibus, de pensione, & de redituum distributione. Per Cap.

Septimo, De personis Ecclesiasticis, & vtriusque cleri ordinibus, vbique ad singulorum sacros ordines, dignitates, gradus, officia, onera, & mores. Per Cap.

Octauo, De laicis, vbique ad eorum mores, vitamque Christianam. Per Cap.

Nono, De foro Ecclesiastico, vbi de rebus iudiciarijs, ad illud pertinentibus. Per Cap.

Decimo, Varia ad visitationis munus requisita colligantur. Per Cap.

Omnium autem librorum Capitum Index subsequitur. Præterea,

Lexicon Canonicum, munus totum Ecclesiasticum, eiusque veterem disciplinam complectens, cum ex Decretorum libris, tum Concilijs, Orthodoxorumque Patrum dictis congestum, tribus partibus distinctum.

Thesaurus ex approbatis vitis Sanctorum, & rebus gestis in Historia Ecclesiastica, expressis virtutum ac vitiorum exemplis pro quolibet hominum genere, & clericorum, & laicorum compilatis, quattuor partibus distinctus.

Vita B. Caroli Borromæi Cardinalis S. Praxedis, Archiepiscopi Mediolani, virtutum ordine descripta, vbi Cardinalis, & Episcopi forma exprimitur.

Varia Opuscula spiritualia, Latino, & vulgari idiomate conscripta.

Syntagmata Mathematica.

Tractatus de Cælo, & Mundo in Aristotele.

Theorica Planetarum, & influxus syderum.

Tractatus duo Italicè, de humano corpore, ac de anima rationali.

Tractatus De Statu Italiæ. Italicè.

Discursus, siue Commentatio militaris. Italicè.

Tractatus varij de Statu Politico. Italicè.

IOANNES Maria Tarsia, Florentinus, Sacerdos, scripsit Sermone Patrio de natura Angelorum. Florentiæ apud Bartholomęum Sermartellum, ann. 1576.

IOANNES Maria, cognomento *Tolosanus*, Ord. Prǽd. Additiones edidit ad Ioannis

Lucidi

Lucidi Samothei emendationes temporum. Breuem item Kalendarij Romani emendationem de Paschate rite celebrando ad Concilium Tridentinum. Quæ cum eodem Ioanne Lucido emissa est in lucem Venetijs ann. 1546. Quin & eiusdem Io. Mariæ libellus extat de maxima Solis declinatione.

IOANNES Maria Verratus, Ferrariensis, Carmelita, scripsit plura, quorum maxima pars Venetijs excusa non semel, ac denique ann. 1571. in sex Tomos distributa prodijt. Quorum Primus continet Disputationes aduersus Lutheranos. De Fide, & operibus, & meritis. De libero arbitrio. De prędestinatione. De cultu Dei & Sanctorum. De orando Deum, & Sanctos. De auriculari, & Sacramentali Confessione. De pœnitentiæ Sacramento. De Ecclesia, & eius auctoritate. De primatu Petri, & Sedis Apostolicæ. De Eucharistiæ Sacramento. De Purgatorio. De Communione sub vtraque specie. De Matrimonij Sacramento. De Indulgentijs. De mendicantibus, & concionatoribus.

Tomus autem Secundus, habet Tractationem De Incarnatione Verbi Domini, & Consonantiam quattuor Euangelistarum, cum his, quæ acta sunt erga puerum Iesum, ipsiusq; gesta vsque ad Sermonem Domini in monte.

Tomus Tertius complectitur, quæ De Sermone Domini in monte: Enarrationes item in quindecim libros digestas, quæ totam Euangelicā legem, miraculis, signis, & prodigijs approbatam, amplectuntur, à quinto cap. Matthęi vsque ad decimum inclusiuè, aduersus falsa Lutheranorum dogmata.

Tomus Quartus. De Euangelijs ab Aduentu Domini vsque ad Dominicam Resurrectionis ampla Commentaria.

Tomus Quintus. In quo Commentarii ad omnia Euangelia à Dominica Resurrectionis vsque ad primam Dominicam Aduentus.

Tomus Sextus. Opuscula varia, nimirum: De magna vniuersalis Ecclesiæ Christi auctoritate. De modo viuendi secundum spiritum, & non secundum carnem. Et de Christiana militia aduersus Carnem, Diabolum, & Mundum. De Iustificatione. De dignitate, & excellentia intellectus, & voluntatis. De gratia, & libero arbitrio. De duplici Purgatorio in hoc seculo & in futuro. De suffragijs annuis pro Legatis defunctorum. Commentarios ad documenta Catonis. Contra responsiones & protestationes eorum, qui ad generale Concilium venire contemnunt. Obiit ann. 1563. Sepultus Ferrariæ, vitam eius scripsit Bernardinus Insularis, Vrbinas.

IOANNES Mariana, Hispanus, Theologus Societatis nostræ, cuius in Apparatu ad historias fusius meminimus, scripsit disertè (ac tamen presse) libros viginti Rerum Hispanicarum, qui Toleti prodierunt typis Petri Roderici. nouissimè autem librum De Regimine Principum, ad Philippum tertium Regem Catholicum.

IOANNES Marius. Vide in verbo, Ioannes Maire.

IOANNES Maro, vt vocat Tritemius, siue Maronis, vt alij, vt autem Petrus Lucius, Ioannes Maire, Anglus, Doctor Oxoniensis, scripsit Determinationes contra hæreticos. Vvicleffistas. Lecturam Sententiarum, libris quattuor. Tabulam Originalium. Obiit Dancastriæ ann. 1407. Trit.

IOANNES Martialis, Anglus, aduersus Ioannem Calfillum hęreticum, qui blasphemum libellum emiserat contra Christi Domini Crucem, probauit ex antiquissimis Patribus eiusdem Crucis venerationem, & eiusdem signi Crucis salutarem vsum atque honorem, anno 1564.

IOANNES Matthęus Gilbertus, Genuensis, Veronæ Episc. qui magnis dotibus, ac zelo prędìtus Episcopatum illum ante Concilium Tridentinum absolutum optimè rexit, vt forma fuerit etiam aliorum Episcoporum, Constitutiones reliquit, quę ann. 1589. prodierunt Veronę apud Hieronymum Discipulum.

IOANNES Maubenus, quem alii *Mabuenum*, alij *Mauburnum*, alij *Mauburnum*, scribunt, Bruxellensis, Canonicus regularis Ord. D. Augustini, ac deinceps in Cęnobio Liuriacensi Abbas, vbi & denique sepultus est, scripsit Rosetum Spiritualium Exercitiorum,

& Sacrarum Meditationum materiæ prædicabili admixtum; quod cum Basileę perperam excusum correxisset, ac suppresso nomine proprio recudi cuperet, eo mortuo Iodocus Badius Ascensius Parisijs prelo iterum subiecit, minus adhuc emendatum ob Auctoris characteres subobscuros, & scabros, vt idem Ascensius testatus est. Demum autem tertio in lucem prodijt castigatum, & Scholijs auctum à Busilio Serenio Canonico Regulari Mediolani ann. 1603. apud Hieronymum Bordonum, & Petrum martyrem Locarnum.
Chronicon Ordinis Canonicorum Regularium.
Ad quosdam Eremitas. Chronicon Canonici Ordinis.

Ad Rosetum quod attinet, caussam illius inscriptionis exposuit Auctor ipse Alphabeto sexto, vbi legentes inuitat ad hanc quasi spiritualem areolam aromatum, vt de virtute in virtutem tam meditando, quàm agendo crescant. Qui locus, vt quædam alia, quæ sequuntur, est prælegendus. Ceterum, vt quod & ipse, & alij, qui sapiunt, dicam, quid de hoc Opere sentiam, sciendum est aliquando pijs quibusdam visum fuisse, non ab omnibus Religiosis esse versandum, quasi omnium Instituto non quadraret. At non vereor, quin fuissent mutaturi sententiam, si reipsa Rosetum hoc ad meditandum, ad exhortandum, ad concionandum adhibuissent. Neque enim librum ego de spiritualibus legi, in quo vberior materia, & quasi opulentior thesaurus inueniatur. Scriptione quidem ac stylo, qualem ea ferebant tempora, simplici, (quippe ineunte seculo millesimo quingentesimo vixit) at synceríssimo spiritu, ordine, breuitate volumen tantum absoluit: in quo cum variæ sint Tractationes ad eandem Meditationum, & Exercitationum spiritualium materiam pertinentes, tum de officijs Ecclesiasticis agit, ac de Præparatorio ad Missam pag. 104. In Dietario Exercitiorum Tit. 4. Alphabeto 14. De directorio autem soluendarum horarum, eodem Tit. 4. Alphabeto 15.

IOANNES Mauginus, Gallus, vulgo appellatus in Gallia *L'Angeuin*, hoc est, *Andegauensis*, edidit Gallicè librum inscriptum *Le Parangon de vertù*, hoc est, *Index virtutis*, quo Principum omnium traditur Institutio. Lugduni apud Gulielmum Rouillium.

IOANNES Maxentius, Gallus, Monachus, & Abbas Pictauiensis, Congregationis Gallicanæ Floriacensis Catholicam scripsit fidei Cõfessionem, siue Professionem de Christo Domino, cuius in eam præfatio incipit, *Quoniam nonnulli videntes*. Extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum.

Additæ sunt autem eiusdem Maxentij, ratio adunationis Verbi Dei ad propriam carnem. Deinde Hormisdæ Papę ad Possessorem Epistola, & ad eam Maxentij responsio. Pręterea eiusdem contra Acephalos libellus.

Accedunt eiusdem contra Nestorianos Dialogi ad Theophilum, qui duobus libris continentur. Obijt anno 550.

IOANNES Mechliniensis, Carmelita, dictus *Oudenwater*, scripsit Historiam sui Ordinis, quam inscripsit, *Fasciculus Tripartitus*. Alter autem eiusdem nominis, & Patriæ, (ni idem ipse fuerit) Professor Coloniæ Agrippinæ, scripsit in lib. 4. Mag. Sentent. In Psalterium Dauidis. Quæstiones varias. Sermones, atque Collationes.

IOANNES Meder, Germanus, Ordin. Minorum, Parabolam filij Prodigi, De perfecta Peccatoris ad Deum conuersione per veram pœnitentiam edidit integro de eadem Parabola libro. Sermonum confecto, quos totius anni, præsertim autem Quadragesimæ concionibus, quas ille Basileæ habuit, aptauit. Basileæ apud Michaelem Furter, ann. 1510.

IOANNES Medina, Hispanus, Professor in Academia Complutensi, Librum de Casibus Conscientiæ, edidit, qui primum in Hispania, deinde in Germania apud Dauidem Sartorium Ingolstadij ann. 1581. denique in Italia apud Petrum Bozzolam ann. 1596. excusus est.

IOANNES Menesius. Vide in verbo, Amadeus Ord. Minorum.

IOANNES Mensingus, Theologus, De Ecclesiæ Christi Sacerdotio, deque Sanctissimo Missæ Sacrificio, scripsit aduersus Lutherum, & reliquos hæreticos. Colonię an. 1532. Viuebat ann. 1547. Eisingr.

IOANNES Merdigius, Teutonicus, Ordin. Minorum, quem Franciscus Gonzaga in sua Historia Seraphica egregium dicit fuisse concionatorem, scripsit Sermones Quadragesimæ. De Tempore, ac De Sanctis.

IOANNES Metropolita Græcè m.s. extat in Vaticana Bibliotheca, qui scripsit in tres magnos Hierarchas.

IOANNES Michael, Constantiensis, Prior Cartusię maioris, & Minister generalis totius Ordinis, conscripsit librum Exercitiorum Spiritualium triplicis viæ: Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ, primò excusus Lugduni apud Ioan. Baptistam Buysson ann. 1598. deinde Coloniæ Agrippinę apud Ioannem Gymnicum ann. 1599. Iam verò, quod de hoc libro iudicium tulit Ioannes Comes Parisiensis Theologus, & Prior Augustiniani monasterij Lugdunensis, cui ille traditus est perlegendus, & examinandus, hoc fuit: *eum elaboratum, methodoq́ optima, & admirabili dispositum, & luce dignissimum, ac plurimum valere ad id, quod ipsius titulus præfert.*

IOANNES Michael, Parisiensis, Theologus scripsit, atque emisit librum inscriptum, *Canis Pecuarius, siue de instituendo, admonendoque Pastore et officij sui.* Parisijs ann. 1565.

IOANNES Minturnus, De Ecclesiæ officio. Viuebat ann. 1550. Eisingr.

IOANNES Miramanda, Tolosanus, Ordin. D. Augustini, scripsit duos libros in Primum Sent. Magistri. Librum item in D. Matthęi Euangelium. Alterum De virtutibus. Viuebat ann. 1340. Nicolaus Bertrandus.

IOANNIS Misnensis Episcopi, fertur extare in Germania Opus m.s. Quadripartitũ, in cuius Prima Parte agitur De Oratione in se; in Secunda, De Oratione Dominica; in Tertia, De horis Canonicis, vbi respondetur 140. dubijs, siue Quæsitis; in Quarta, De Adorationibus.

IOANNES Mohedanus, olim Romanę Rotæ Auditor, & Episcopus Rauellensis, scripsit Decisiones Sacræ Romanę Rotæ, quæ editæ sunt nouissimè Marpurgi Cattorum in Germania ann. 1603.

IOANNES Molanus Belga, Louaniensis, Regius Theologus, ac Pontificius Librorum censor, varios emisit libros, qui sunt

Martyrologium Vsuardi auctum, & Adnotationibus illustratum. Louanij ann. 1568. & ann. 1573.

Liber de Picturis, & Imaginibus sacris. Louanij apud Io. Bogardum, ann. 1590.

Eiusdem Responsio quodlibetica ad tres quæstiones, &c. Louanij apud Hieronymum Vvellæum, anno 1570.

Eiusdem Liber de Pijs testamentis, & quacunque alia vltima voluntatis dispositione. Coloniæ anno 1584.

Eiusdem Theologiæ practicæ Compendium, per conclusiones in quinque Tractatus digestum. Ibidem ann. 1585.

Eiusdem libri quinque. De fide hæreticis seruãda, tres. De fide rebellibus seruanda, liber vnus, qui est quartus. De fide, & iuramento, quę à Tyranno exiguntur, qui est quintus. Colonię ann. 1584. apud Godefridum Kempensem.

De Canonicis, libri tres. Ibidem apud Birkmanum, ann. 1587.

Theologiæ practicæ compendium per conclusiones in 5. Tractatus digestum ibid. apud Birkmanum, ann. 1590.

Obijt Louanij ann. 1585. die 18. hæredibus mandans, vt Romanum Martyrologium auctioribus Notis, & Annales Vrbis Louaniensis, atque Bibliothecam Theologicam abs se confectam ad gloriam Dei, & Ecclesiæ commodum proferrent in lucem.

IOANNES Monachus, Græcè Disputationem reliquit inter corpus, & animum quæ m. s. extat in Augustana Bibl. hac inscriptione *βίβλος στοιχικὴ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου μοναχοῦ, καὶ πνευματορήτορος* cuius eiusdem argumenti Opusculum est Lutetiæ editum nomine Gregorij Palamæ.

Quin & in eadem Bibliotheca extat Ioannis Monachi *τοῦ νηστευτοῦ* Canon de diuersis perturbationibus, quæ possunt accidere.

IOANNES alter Monachus, scripsit ad Sextum Decretalium Notas, quæ cum ipso contextu editæ sunt ad manus. Quin & Ioannes Monachus Cardinalis citatur in Summa Angelica.

IOANNES Monachus, S. Albani propè Moguntiam, scripsit Chronicon. Tritem. in Compendio.

IOANNES Monachus, Ordinis Cisterciensis, scripsit Defensorium Iuris. Id Coloniæ fuit excusum. In eo de Exceptionibus rei conuenti agitur.

IOANNES Monachus, & Abbas Monasterij Niuicellensis, Congregationis Cluniacensis, qui vixit ann. 1470. Scripsit

Concordantiam Bibliæ, & Canonum, lib. 1. *In principio creauit Deus.*
Sermones de Tempore, lib. 1. *Respicite & leuate.*
Sermones de Sanctis, lib. 1. *Relictis retibus S. Petrus.*
Epistolas & quæstiones varias.

IOANNES Monsenus, Amsterdamensis, cuius librum Coloniæ anno 1540. protulit in lucem Ioannes Ruremundanus, scripsit Interpretationem obscuriorum aliquot D. Scripturæ locorum per alias eiusdem Scripturæ sententias clariores. Quem quidem Auctorem ipse non vidi, sed hic ex alijs insero, vt si Catholicæ Ecclesiæ vsui futurus sit, docti, & Catholici viri dispiciant.

IOANNES Montanus (non ille quidem, qui sequitur) Disputationem vberem edidit De sanctiss. Eucharistia. Græcij apud Georgium Vidmanstadium, ann. 1592.

IOANNES Montanus, Gallus, ideo cognomento *Montaigne*, scripsit De Digamia, qui est inter Tractatus Iuris postremæ Venetæ editionis To. 9. f. 121. Quin etiam egit De Parlamentis, & eorum auctoritate, ac præcedentia, cum Additionibus Nicolai Boerij, atque item De auctoritate magni Consilij.

IOANNES de Monte edidit Poema, quod *Iesuidem* prænotauit. Hanc Parisijs excudebat Nicolaus de la Barre.

IOANNES de Monte Murlo, scripsit in Canones.

IOANNES Montiniensis, cum alia scripsisse dicatur, vellicat in Præfatione Operum D. Prosperi Auctorem Libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui olim D. Augustino ascriptus, sed agnitus postea non esse ipsius, magnam tamen habet in Ecclesia auctoritatem. Propugnat autem Franciscus Soarez, cap. 9. lib. 3. De auxilijs, nu. 6. quandam eius sententiam, quam Pelagianismi affinem ille dixerat, catholicam esse affirmans.

IOANNES Montolonius (quem alij *Montdonium* scribunt) Heduus composuit Promptuarium Diuini Iuris, & vtriusque Pontificij, atque Cæsarei, Diuini autē iuris celebriores sententias, & historias è fontibus quoque Legum humanarum exposuit. Id opus per seriem Alphabeti dispositum prodijt Parisijs.

IOANNES Morisotus, licet Medicus, Dolanus, quod Præsidium est apud Heduos, scripsit tamen præter, quæ ad Medicinam, & litteras humaniores pertinent, Poema quattuor libris De vita D. Antonij Aegyptij, quod idcirco prēnotauit, *Antoniada.*

IOANNES Morlandinus Lemouicensis, Gallus, Ord. Prædic. primò Inquisitor Tolosanus, deinde vigesimus Ordinis sui Generalis Magister, denique Cardinalis, scripsit De reparatione Lapsi.

IOANNES Moschi (siue Moschus) scripsit Græcè Librum trigintaquattuor capitibus, siue Tractatibus distinctum, quod λειμῶνα, hoc est Viridarium inscripsit. Continet autem Vitas Sanctorum, qui sub Heraclio, & antea fuerunt. Eius in varijs Eremis commorationem, & cōsuetudinem cum probis, & pijs, Operisque sui scriptionem ad Sophronium domesticum discipulum Photius attigit in sua Bibliotheca Græca: aliquid addens de dictione illius humiliore, quòdque non iam omnia illa capita extabant, ceterum ait εἰξ ἀπάντιον τὸν χρήσιμον ὁ σιωπτὸς, καὶ θεοφιλὴς ἀνὴρ δρεπτόμενος, οὐκ ἂν τῶν συντεταγμένων χόρον καταγνοίη.

IOANNES Mulhusinus, Germanus, Theologus, Societatis Iesu, Dispositionem De libero arbitrio contra hæreticos scripsit, quæ Moguntiæ prodijt ann. 1601.

IOAN-

IOANNES Multon, Anglus, Carmelita, scripsit Latinè Sermones nonaginta per annum. Viuebat ann. 1400.

IOANNES Murmellius, Ruremundensis, scripsit Commentarios duos in S. Hieronymi Epistolam ad Niciam Aquileiensis Ecclesiæ Hypodiaconum. Ex Epistolis autem ipsius D. Hieronymi librum edidit Selectarum Epistolarum. Coloniæ ann. 1505. & ex eodem Patre collectas sententias edidit. Commentarios in libros quinque Boetij Seuerini De consolatione Philosophiæ, qui Commentarij partim ab ipso Murmellio, partim à Rodolpho Agricola profecti sunt, & Coloniç ann. 1535. apud Ceruicornum excusi. Commentarios quoque in Prudentium, vti & Scholia in carmen D. Cypriani De ligno salutiferæ Crucis. Carmen in Salutationes Angelicas, & Pçana triplicem in Florea D. Mariæ Virginis serta. Libellum de Hymnis Ecclesiasticis. Quattuor libros Elegiarum Moralium. Duos libros Didascalicos, in quorum altero agitur de Artibus, in altero extat Parçnesis ad studia ingenuarum artium, prçter alia pleraque humaniorum litterarum. Obijt Dauentriæ ann. 1517. 2. Octobris.

IOANNES de Murro, Picenus, Quartusdecimus Generalis Minister Ordinis Minorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Sermones habitos diebus sollemnibus reliquit. Eisingren.

IOANNES Mylbach, Germanus, scripsit in Epistolas D. Pauli, lib. tredecim. De laudibus S. Hieronymi, librum. Quæstiones diuersas.

IOANNES Mylis I. V. D. scripsit Repertorium Canonici Iuris.

IOANNES Myluerton, Anglus, Theologus, & Carmelita Cçnobij Bristollensis, scripsit De paupertate Christi Domini. Sermones per annum. Symbolum suæ fidei. Contra Reginaldum Pecok. Librum 64. Epistolarum ad diuersos. Viuebat anno 1486. Obijt Londini.

IOANNES Nass, siue Nasus è Ciuitate Helman, Herbipolensis Diçceseos in Franconia, Germanus, Suffraganeus Brixiensis, edidit Centurias mendaciorum insignium, quæ ab hçreticis, qui se vocant Euangelicos, scriptç sunt. Ingolstadij ann. 1569.

Eiusdem sex Conciones. Prima, De Matrimonio. Secunda, De vita Monastica. Tertia, De vitijs vtriusque vitæ. Quarta, Explicatio Orationis Dominicæ. Quinta, De discrimine veteris & nouæ fidei. Sexta, Summa præcipuorum capitum fidei Christianç. Ingolstadij.

Eiusdem Conciones duç De fructibus & proprietatibus veteris, & nouç fidei, & de prçcipuis capitibus veteris Christianismi. Concio initio noui anni habita, in qua verus vsus Orationis Dominicç exponitur. Item alia in 8. cap. Matth. de tempestate à Christo excitato sedata. Conciones 12. de Sacramento Altaris. Item S. de Temperantia & çterna morte. Antigratulatio contra Iacobi Andreç gratulationem, qui mentitus erat Concionatores Ducatus Bauariei Lutheranos factos fuisse. Centuria quarta Euangelicarum Veritatum contra Friderici Cçlestini Pantheon. Centuria quinta Euangelicarum Veritatum in qua Lutheri vita describitur, contra Cyriacum Spangenbergium, & Ioannem Matthçsium. Singula hçc Ingolstadij Germanicè edita, & Catechismus Catholicus, ibidem anno 1568.

Item De vestimento nuptiali Conciones 3. Conciones Catholicç 65. De Nasiasino, eiusque vero titulo contra Nigrinum Responsio ann. 1571.

Postilla minor à Paschate vsque ad Aduentum, ann. 1567. Ingolstadij, Germanicè.

Sex Conciones familiares, seu Domesticç secundo editç ann. 1571.

Concio ex Matth. 8. De victoria maritima contra Turcam ann. 1572.

Postilla minor ab Aduentu vsque ad Pascha, ann. 1572.

Eiusdem breuis de Cçna Dominica Tractatus, vnico sermone solidas quinquaginta aduersariarum obiectionum confutationes comprehendens, ac perspicuè declarans verba Christi hoc Eucharistiç Sacramentum sub vtraque specie instituentis: Primum ab eodem auctore collectus & Germanicè editus, iam verò Latinitate donatus à Francisco Io. Dominico Hessio. Ingolstadij ann. 1577.

IOAN-

IOANNES Nauclerus, Præpositus Tubingensis, Germanus,& Academiæ Tubingensis Cancellarius, Chronographiam scripsit ab exordio mundi breuiter comprehendentem res memorabiles sęculorum omnium,ac gentium vsque ad ann.1500.Primum autem volumen continet 63.Generationes Christi secundum carnem, quas ipse appellabat Generationes Veteris Testamenti. Secundum 50. Generationes Christi Spirituales, quas appellabat Noui Testamenti generationes. His Chronicis adnexum est additamentum Nicolai Basilij ab ann.1501.ad an.vsque 1514.huic verò Tempori adiecta est Appendix vsque ad annum Dom.1544.cuius historia à Laurentio Surio Cartusiano continuata est. Viuebat ann. 1500.

IOANNES Neapolitanus, dictus *De Neapoli*, natione tamen Siculus, Theologiæ Professor,& (vti vocant) Regens in Cęnobio Ordinis sui Neapolitano ,scripsit in Quattuor libros Magist. Sententiarum. Quæstiones item complures Theologicas cum suis determinationibus. Sermones de Tempore, ac de Sanctis per totum annum. Serm.de mortuis. Quodlibeta tredecim vno volumine satis grandi contenta, quod m. s. vetustis characteribus vna cum altero non paruo Sermonum eiusdem asseruabatur in eodem Cęnobio Neapoli in communi Bibliotheca in folio. Viuebat anno 1317. PP. Mon. Ordin. & Anton. Senensis.

IOANNES Neouillæus Genuillanus, Gallus, scripsit ad Carolum Cardinalem Lotaringum Commentarium ad septem Psalmos Pœnitentiales,ann.1550.Incipit, *Opifex hominum.* Parisijs ann.1556. apud Galeotum à Prato.

Eiusdem De pulchritudine animi,libri 5. aduersus Epicureos, & Atheos homines huius seculi. ibidem apud eundem ann.1557.

IOANNES Neuizanus, Astensis, I. C. scripsit Indicem Scriptorum in vtroque iure, quem postea ediderunt auctiorem Ludouicus Gomesius, Ioannes Fichardus, Io. Baptista Zilettus. Io. Vuolfgangus Freymonius. Vide lib.2. secundi Tomi nostræ Bibl. Selectæ, vbi de Iurisprudentiæ Scriptoribus.

Additiones quoque edidit ad Rolandinam, & consilia,quæ cum aliquoties prodijssent, Venetijs denique castigatiora exierunt ann.1573.

Et quidem Librum alium, seu Volumen in sex distinctum libros euulgauit, quod *Syluam Nuptialem* inscripsit, quæ Lugduni aliquot ante annos,deinde Venetijs excusa, Lugduni denique iterum nouissimè recusa est. At quoniam in Romano Indice donec emendata iuxta Regulam Indicis prodeat, est prohibita; idcirco sciendum est, Neapoli primò (quòd sciam)fuisse operam datam à Ioanne Francisco Lombardo Theologo, & Canonico maioris Ecclesiæ eius Vrbis, adnotandis locis, qui in ipsa Sylua Nuptiali edita Lugduni, & Venetijs, erant expurgandi, Ea vero locorum indicatio extat in Ecclesiastico Enchiridio Venetijs impresso ann.1588.à Hieronymo Polo, sed collecto à Gregorio Capucino vno ex ijs, quem censuræ, siue(vt vocant)Reuisioni librorum Neapolitanus Archiepiscopus attribuerat.

Atqui sancto Inquisitionis Officio Mantuę similem, quę ibi non innotuerat, emendationem vrgente, Petrus Maturus Societatis nostrę Theologus accuratè, ac quidem pleniorem operam huic negocio pręstitit. Qui cum mihi laborem suum reliquisset, ac vero idem de me Venetijs requisitus sit, vtrumque simul à me collatum, & sanctę Inquisitionis iudicio subiectum, hic adteximus, ne Operis illius, quod extra Italiam plerique pergunt non expurgatum cudere, ac retinere, lectio incautos inficiat.

Porrò obseruata sunt in Indice, & in contextu, sequentia.

Litt.A. Apostoli dictum dicentis, *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem, qualiter sit intelligendum.* Dele. Nam non bene, & fideliter illud exponit, nisi corrigatur,vt ibi diximus.

Litt.C. *Corpora coitu crescere impediuntur.* Obscęna vox mutetur & dicatur, *copula* vel *coniunctione.*

Clericus rarò de frigiditate conqueritur. Dele.

Coeundi impotentia, dicatur. Ad copulam ineptus matrimonium non potest contrahere, & si contraxerit non valet.

Sequens

Sequens sententia Deleatur.

Litt. D. *Dictum Matth. 19. de non nubendo intelligendum est de valentibus continere*. Dele, vel dicatur, *de volentibus continere*.

Diuitiæ ad plura vtiles sunt in Matrimonio, nec timendum est nubere diuiti. Dele. hæc postrema verba.

Dolus ille bonus dicitur, quo hostis decipitur. Dele.

Litt. E. *Ecclesia est hodie ambitionis veneno infecta*. Dele.

Episcopus Papiensis fecit se portari à Diabolo Romam vsque. Dele.

Episcopus, seu eius Vicarius. corrige, *sed non eius Vicarius*.

Litt. F. *Fornicationis peccatum antiquitus minimum habebatur*. Dele.

Litt. H. *Henribaldus Cotta à Sacerdotibus occisus, quòd eis nuptias prohibere vellet*. Dele.

Hominem nequam occidere interdum grauius est, quàm hominem innocentem. Dele. cum enim hoc probat, malè probat, solum autem ideo melius esse dicit, quia innocenti in cœlum paratur via per hanc mortem; nocenti verò ad inferos.

Litt. I. *Imaginatio in coitu* dic, *copula*.

Impossibilia, aut quæ sunt maximè difficilia ea non sunt in potestate hominis. Dele. *aut quæ sunt maximè difficilia*.

Impossibile, & difficile æquiparari. Dele.

Incontinentia mulierum quandoque excusabilis est. Dele.

Iudices, & Aduocati maiori præmio digni sint, quam Prædicatores. Dele.

Litt. L. *Laici si boni sunt, dicuntur Ecclesiastici*. Dele.

Litt. M. *Matrimonij bona tria sunt videlicet fides, proles, & Sacramentum, & vno deficiente non tenet matrimonium*. Dele postrema verba. *Vno deficiente, &c.*

Litt. N. *Nuptias Sacerdotibus magna ratione sublatas, maiore ratione esse restituendas ex sententia Papæ Pij*. Dele.

Litt. P. *Pontifices multi hodie sunt in multis reprehensibiles, & paucos Sanctos audiuimus, in cælis, licet sanctissimi vocentur in terris*. Dele.

Pretio aliquam corrumpens dicitur vim intulisse. Dele, quoniam hoc est falsum.

Litt. R. *Regula, Quos Deus coniunxit, &c. an patiatur limitationem*. Dele.

Litt. S. *Sperma retentum efficitur venenum*. Dele.

Litt. V. *Vidua grauius peccat se prostituendo, quàm virgo*. Dele.

In Textu.

Pag. 18. nu. 107. *Vxorem adulteram dimittens an possit aliam ducere*. Dele. quia tenet partem affirmatiuam.

16. nu. 120. *Impossibile & difficile æquiparari impossibile*. Dele.

11. p. 19. 125. *Sperma retentum efficitur venenum*. Dele. quia spurcum & falsum.

Ibid. 130. *Clericos vero de frigiditate conqueri, atque inibi, &c.* Dele.

Ibid. 134. *Nuptias Sacerdotibus magna ratione sublatas*. Dele. quæ ibi dicuntur.

Ibid. 136. *Hemibaldus Cotta à Sacerdotibus occisus*. Dele.

Ibid. 139. *Laici si boni sunt dicuntur Ecclesiastici*. Dele.

20. nu. 159. *Regula, Quos Deus coniunxit homo non separet patitur limitationem*. Dele.

22. lin. 6. *à fine in cuius scriptis reperitur fermè totum Euangelium Ioannis, scilicet, In principio erat Verbum*. Dele. quia falsum, cum Plato nihil scripserit fere quod proximè accedat ad illud sacrum Euangelium, & quamuis D. Aug. in confessionibus dicat, legisse Platonicorum libros, in quibus quædam sententiæ illius Euangelij continebantur, quidnam hæc sunt ad totum Euangelium illud tam Diuinum, & admirandum?

24. 2. *Saluator replicauit. Rectè quidem sentitis*. Christi verba non fideliter recitat, quare tollantur hæc, & legatur. *Non omnes capiunt verbum hoc, vt dixit Christus Dominus.*

26. 9. *Attenta lege Euangelica*. Putarem dicendum, *attenta lege naturali & Euangelica*. Nam repudiare vxorem, & alteram ducere legi naturali repugnare, Christus docere videtur, cum scripsit, *quod ab initio non fuit sic*;

Ibid.

Ibid. 21. *Deus non fecit statim mulierem cum homine*. hoc verum est: sed subiungit postea, quod falsum est, *quia voluit reseruare, vt eam faceret cum alijs bestijs*. Dele. non enim sic est S. Scripturis abutendum.

Similiter dele margini additum: *Alij dicunt, quod in mulieribus Deus bene fecit mamillas, &c.* quia est blasphema.

Ibid. 10. a f. *Erasmus in Moria*. Erasmum & alios auctores prohibitos sępe adducit, quorum nomina delenda, pręcipuè in libris, qui prohibiti sunt.

28. 18. *Erasmus in Moria*. Dele.

32. 9. *Et de rustica, qua excusabat se, &c.* Dele. de boue repetto obscęna, & fęda.

Ibid. 17. *Dicentem dum vir est absens, &c.* Vsque ad verbum inferius. *similiter & quod in marg.* Mulier &c. dele quia fęda.

33. 2. *Vt clerici, quibus vita Laicorum est passio, &c.* vsque ad verba *nec offerre*. Dele. Scandalosa enim sunt, & piarum aurium offensiua.

40. 18. *Vt faciunt Clerici*. Dele.

45. 1. *Secundum Lutherum in declaratione*. Dele. *Pracepto Dei* ver. 5. adulterium dele hæc, quia huius memoria omni est execratione digna.

54. 6. *Quinimo dicitur aliquando maius peccatum occidere hominē malum, quam bonum*. Dele. Vel in marg. addendum, *falsum, & glossam male citat*, nam glossa hoc nō habet, sed quęrit tantum, & concludit, hoc verum esse in illato, non in commisso. idest vir bonus cui mors est illata, minus mali ex sua morte consequitur quam nocens. sed qui committit homicidium magis peccat occidendo hominem bonum, quam malum.

69. 7. à fine. *Non nomino vos vsque ad pag. 83*. Dele. Nam hæc opinio apertè pro hæretica damnata est in Conc. Trid. sess. 24. can. 7. Præterea continet multa, quę delenda sunt, tota hæc longa disputatio. Nam pag. 70. Christi verba Matth. 19. male citat, & peius interpretatur. Nam Christus dixit: *Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ipse vero sic. *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur*. Deinde vult hanc particulam *nisi ob fornicationem* referendam esse ad præcedentia verba, *& aliam duxerit*. quasi Christus velit, quod liceat propter fornicationem vxoris aliam vxorem ducere, quod est falsissimum. solum enim vult, & permittit vxorem relinquere, & non aliam ducere.

Eadem citat Ambros. pro ea parte cap. vxor. 32. q. 7. sed contrarium verus Ambrosius tenet in c. nemo, ead. q. 4. & in c. an quid, 33. q. 2.

Eadem citat Aug. pro sua sententia 32. q. 2. c. Apostolus. sed is plane contrarius est. & verba Aug. *Quia permisit, non iussit*, sunt de diuortio intelligenda.

Eadem citat Canones, qui vetant marito se vxori adulteræ coniungere, sed hi non faciunt pro illo; nam Canones, etiamsi adulteræ coniungi vetent, non concedunt aliam ducere, neque hoc est ad peccandum compellere, quia debet se continere, quod & possunt cum Dei auxilio. Vide Nauar. c. 16. Man. nu. 28.

71. Multa delenda habet vt hęc obscęna, *per vn cattino, &c.* & quare de incorrigibilitate mulierum adulterantium, & de vehementia passionis amoris, vbi etiam illud quæsitum an philosophus possit condere testamentum, non puto esse dubium, nec eum furioso cō pararem; propterea quod passio amoris non tollit libertatem, sicut furor.

72. Persequitur eadem, & habet multa delenda, qualia sunt exempla Teutonicæ, & alterius, prorsus nefanda, & quæ dicit de mulieribus, quæ Eremitas appetunt, & de Reginis, & de Fratribus.

P. 73. Eadem rursus inculcat, ostendens etiam mulierum incontinentiam, quasi ipsæ planè omnes huic vitio subiaceant. Citat Lutherum in Sermone de Matrimonio, & tādem rediens ad argumentum, qui vxorem adulteram cognoscere non potest, & nō vult continere, concludit eum posse aliam vxorem ducere.

74. Minus habet mali, quam superiores, solum enim difficilem esse continentiam, & sine gratia Dei impossibilem, sed & hæc, quoniam connexa est cum superiore, & ideo difficultas continentiæ demonstratur, vt colligatur, marito habenti vxorem adulteram tran

sire licere ad secundas nuptias, ideo deleatur. Cum autem in fine dicit, Apostolum pro pter hanc caussam dispensasse in secundis nuptijs, male Apostolum citat, non enim Apo stolus ita dispensat in secundis nuptijs, quasi sint peccatũ, sed quasi minus bonis, si cum viduitate conferantur.

P.75. Est eiusdem farinę cum superioribus, & habet multa delenda. Nam quòd ęquat impossibilia, & maximè difficilia, est falsissimum. & cum postea subiungit, quod Deus iubet leuia, & anathemati eos subijcit post Hieronymum, qui dicunt Deum impossibilia pręcepisse, hoc est verissimum. sed conclusio est falsissima, quam vult inferre, nempe, licere marito, cuius vxor adultera est, aliam ducere.

Testimonium Auerrois verum est ex parte legis Iudęorum & Turcarum, ex parte autem legis Christi falsissimum, & execrandum. Christi enim lex non est impossibilium, sed suauissima omnia sunt eius præcepta, & consilia omnia dulciora super mel & fauum.

76.1. Citat Lutherum de modo confitendi, & reprobat Syluestrum contra eundem. Dele.

77. Panormitanum bene citat, sed ex eo infert, quod est falsum.

17. *Sperma retentum generat venenum.* Dele.

7.a f. *Maritus cognoscens scienter vxorem adulteram, fit irregularis.* Verum est, sed ad rem nõ facit: nam etiam iudex, dum damnat reum ad mortem, fit irregularis.

77.6. *Non obstat Paulus, &c.* Pessimè, quasi Paulus contrarium Christo doceat. damnat etiam interpretationem Lyrani, & nescio quem Annium Philonis commentatoris ei opponit. Quæ omnia delenda sunt.

12.a f. Illa verba, *Qui potest capere capiat* pessimè interpretatur. Dele. similiter reprobat auctoritates Canonistarum, propterea quod ipsi non habent vxores. Dele.

78. Tota delenda est, propterea quòd de Clericorum incontinentia agit.

79. Eadem est cum superiore, & delenda.

80. Enumerat auctores, qui contra clericos scripserunt. Delenda.

81. Vult Sacerdotibus posse permitti nuptias. Quod delendum est.

82. Si quid de Ecclesia veri dicit, eò tendit, vt cęlibatum Sacerdotum destruat.

83. Sic ergo ad hunc vsque locum rectè ita esset emendandum his verbis *Imo sunt, qui dicunt licitum esse tali casu vxorem in totum dimittere, & aliam ducere contra expressam Christi doctrinam Matth. 19. Mar. 10. & Luc. 16. & D.Pauli 1. Cor. 7. & doctores qui habentur dist. 32. per totam. Tu vero conclude contrarium.*

84. Vult posse maritum aliam vxorem ducere, si Episcopus concesserit tori separationem, quod quidem est falsum: sed quia præposuit *salua semper determinatione sacræ Matris Ecclesiæ.* emendandus videtur his verbis, *Obstat autem determinatio sacræ matris Ecclesiæ, quam Spiritus sanctus edocuit, quæ omnino sequenda est.*

86.17. *Qui cognoscunt eas cum membro.* Dele.

Ibid.19. *Posset forte aliam capere ex dispensatione Summi Pontificis.* Dele.

87.15. a f. *Papa ex caussa dispensat super matrimonio carnali copula consummato.* At hoc est falsum, quare totum delendum est. Hoc autem ille probat, sed malè, quare quicquid Auctor dicat, tenenda est opinio contraria. Papam in matrimonio carnali copula consummato non posse dispensare, nec rationes Astensis quicquam valent.

88.14.a f. *Est Deus in terris, aliàs est diabolus.* Dele.

89.8. *Matrimonium est religio.* dicendum: *Matrimonium est Sacramentum.*

90.9. *Et ita vidimus*, dele vsque, ad *seu consil. de pot. leg.*

92.4. *Nec desunt, qui dicant*, vsque ad *viros crucient.* Dele.

137.18. *Et non est qualitas sine subiecto*, addendum putarem, *saltem naturaliter, propter venerabile Sacramentum.*

Ibid.12.a f. *non potest qualitas separari à subiecto*, addendum, *nisi Diuina virtute.*

149.nu.9. *Matrimonij bona tria, videlicet, Fides, Proles, & Sacramentum.* Verum est, sed falsum & delendum quod sequitur, *& vno deficiente, non teneri matrimonium.*

Ibid.

Ibid.nu.15. *Dispensatio sine spe prolis, non dicitur matrimonium, sed connubium,* non videtur verum, sed relinquatur, quia est quæstio de nomine.

150.42. *Vidua grauius peccat se prostituendo, quàm Virgo.* Dele.

151.57. *Coitus cum Vetula.* Dele.

156.6. *Facit Erasmus in Moria ch.6. & 14.* Dele.

Ibid.3.a f. *Matrimonium non valet cum eo qui generare non potest.* delendum, aut in margine adnotandum, vt falsum.

157.12. *Deficiente vno, & sic bono prolis, non valet matrimonium.* Dele.

Ibid.15. *Senem non posse nubere.* Dele.

Ibid.18. *Licet in matrimonio sit duplex finis, si tamen pars in vnum tantum finem consentiat, sci licet carnalis copulæ, non dicitur matrimonium.* Dele, & declarandum est, quod non contrahitur sine peccato, Nauar. in Man. 22. cap. num.79. Eodem modo quod sequitur, falsum est. *Si quis ducat vxorem caussa libidinis explendæ non est matrimonium.* Quare delendum est.

158.9. *Quod sicut Papa non potest dispensare super matrimonio carnali copula consummato, pari modo non poterit dispensare, si copula præcesserit matrimonium, licet non postea fuerit secuta.* Dele, nam est falsum, præsertim post Concilium publicatum: Quoniam sponsalia etiam per copulam non transeunt in matrimonium.

Ibid.4.a f. *Non enim sufficit.* Dele. sunt enim obscęna vsque *ad l.1.col.3.ff.sol. matr.*

160.4. *Frater Martinus Lutherus in sermone de Matrimonio.* vsque ad illa verba, *circa spem fructus.* Dele.

166.11. *Quod suspirium nihil valet sine &c. hac obscæna vsque* ad Apost.1.ad Tim.5. Dele. & quod sint piarum aurium offensiua.

168.6. *Gallicum prouerb. Torche, &c.* Dele. est enim spurcum, & fędum.

169.14. *Frater Mart. Lutherus in declar. de 6 præcept.* & pag.239. Dele.

16.29. *Item capiens viduam dicitur fornicari licet sit honesta fornicatio cap. hac ratione. 31. quæst.1.* Dele. quia falsa sunt, & sunt Auctores Operis imperfecti. Qui non est Chrysostomus, sed alius, hoc est, verus Chrys. aliter sentit, vt notatur in Annot. noui decreti.

170.1.vlt. *Ideo felix sibi illa &c.* vsque ad *in Tragicomadia Celestina latissimè.* dele sunt enim obscęna, & de confessione obloquuntur.

171.3.a. *Caueat etiam ipsa vidua, quia plus peccat, quam Virgo, ex quo maturior, & magis experta.* Falsum. Quoniam Virgo stuprum committit, non vidua. Dele.

157.16. *Ioan. Lup. in rep.* vsque ad. *sedimo.* Dele. obscęna enim sunt.

186.6.a f. *Et vide si sint fatui.* vsque ad *& vermes quandoque generat.* Dele. quia sunt obscęna, & piarum aurium offensiua.

191.12.a f. *Merito ergo.* Damnat Ecclesiarum ornatum, sed magis piè est declarandum.

192.9. *In Ecclesijs damnantur cantus figurati.* Et hoc cautè est declarandum.

206.4.a f. *Vt ex turgido,* vsque ad *nec si me decepisti.* Dele obscęna enim sunt.

210.7. a f. *Nigri oculi.* Dele hanc lineam propter vocem obscęnam, & duas etiam eiusdem pag. vers. vltimo.

212.8.a f. Vbi dicit *hoc procedere ex conformitate planetarum.* Delendum, quamquam qua dantenus ille corrigit dicens *sapiens dominabitur astris.*

Ibid. Vlt. a f. *Tertiò aliqui accusant,* vsque ad *caudam paruam.* Dele. obscęna enim sunt. Immo vero tota hæc pag. non placet, quoniam agit aduersus caussas, cur mariti ad alias potius, quàm ad suas vxores accedant: sed quoniam in fine subiungit, has rationes nullas esse, ideo videtur aliquatenus excusari.

223.14.a f. Sed caue à Cantilena Fulg. in li. fin. vlt. fi. ff. de pig. ait. Dele.

224.7.a f. *Nam si postea non inueniatur Virgo.* in marg. saltem addendum. *Per inspectionem scilicet honestarum matronarum.* alioqui falsum est, ut docet Nauar. in Manual. cap. 22. nume.56.

227.14. *Sed*

227.14. *Sed errant, vt habetur leuit.* Addendum saltem in margine. *Incestus diuino est iure prohibitus, non ita tamen, vt cum legitima dispensatione Pont. Max. non liceat inter affines, & cognatos matrimonium contrahere. Nam qui in Leuitico cognationis, & affinitatis gradus prohibentur, iam Christianum populum non obligant. Itaque inter ascēdentes & descendentes Diuino iure naturali solum est prohibitum matrimonium Nau. in Man. c. 22. nu. 84.*

232. nu. 20. *Iudices & Aduocati maiore præmio digni sunt, quàm Prædicatores.* Dele.

233. nu. 28. *Episcopus, sed non eius Vicarius.* post Concilium, vt notauimus, Vicarius Episcopi non potest cōcedere has monitorias litteras. Itaque corrigatur sicut correximus, *sed non eius Vicarius.*

234. Tertius hic liber, si probat vtile esse nubere, ad damnandum cælibatum, & anteponendum matrimoniū virginitati vel cælibatui omnino hæreticus esset, cōtra Christi & Apostolorum doctrinam, & damnatur nouissimè in Concilio Trid. c. 9. & 10. sess. 24. sed quoniam hoc non habet expressè, videant, quibus à S. Sede Apostolica hoc munus incumbit, num quæ sequuntur, essent initio adijcienda.

Cum in hoc libro auctor probet vtile esse nubere, non de his agit, qui castitatem Deo promiserunt, quibus non vtile est non solum nubere, sed etiam velle nubere damnosum est. cap. voventibus dist. & n. 17. q. 1. & alia sexcenta, & nouissimè Conc. Trid. sess. 24. Can. 9. & 10. Sed de his agit, qui ab omni voto liberi sui iuris sunt, & in sæculo manent, viuuntque communi vita, & carni potius, quàm spiritui seruiunt. Denique hunc Tractatum politicum potius hominem spectare, non autem Christianum informare certum est.

235.3. a f. *Et bene pondera,* Dele. quia fauet Luthero, & hæreticis dicentibus ex hoc loco matrimonium omnibus esse præceptum.

248.20. *Vt vidimus in personis Ecclesiasticis.* Dele. Vsque ad verba *ad plures menses.* quoniam statum Ecclesiasticum infamant.

249.9. a f. *Vndecima ratio.* hæc ratio habet multa delenda. Nam quid est hoc? *Secundum vitam politicam necesse est vel nubere, vel religionem ingredi, & aliter faciens dicitur bestialiter viuere.*

250.5. *Postquam tanta est honestas in matrimonio, sicut in ingressu religionis.* Dele.

Ibid. 17. & sequentibus dicit, *quòd vita actiua melior est.* Dele. falsum est enim, & contra S. Tho. in 2. 2. q. 182. & Theologos omnes.

Ibid. 22. *Et quòd propterea recti Iudices, & Aduocati.* Dele vsque ad *de præscriptis,* & *quod est in margine.*

251.8. *Quia communiter Prælati malè viuunt,* deleri posset, sed quoniam subdit, *sed non curandum, quia propter pisces malos, &c.* videtur posse quadantenus excusari.

Ibid. 12. *Quia vouit se numquam religionem aliquam intraturum vel approbatam, vel reprobatam.* Dele.

256.7. *Regula est quòd Episcopus, seu eius Vicarius.* Post Conc. Triden. solus Episcopus potest has litteras monitorias concedere. sess. 25. cap. 3. de refor. Quare delenda sunt ea verba. *seu eius Vicarius.*

263.12. *Quòd si iudex Ecclesiasticus,* hoc est contra Conc. Trident. sess. 25. c. 3. de reform. quare aut delendum, aut aliter scribendum.

267.2. a f. *Vbi apostilla contra Alexandrum Papam VI.* Dele.

268.19. *Quia licitum est redimere, &c.* Dele vsque ad *potius quàm mori.*

269.5. *Quòd si aliquis indebitè detinetur.* Dele. Vide autem Nauar. in Man. 12. n. 18.

271.15. *Nisi in caussa matrimoniali, quia in ea sacerdos cogi poterit propalare, quæ habuit in confessione.* Dele.

276. a f. *Martinus Luther. in Serm. de excom. ver. 8.* Dele.

289. nu. 1. Dictū Matt. 19. de nō nubendo intelligitur de volentibus cū Dei gratia cōtinere.

Ibid. 4. *Abstinens à matrimonio, &c.* Dele.

290. nu. 36. *Impudicitia reddit mulieres.* Dele.

294. nu. 136. *Beda orans pro pace Italiæ fal. & iam Italia per Dei gratiam pace gaudet, quæ vtinam perpetua sit.* Dele.

V Ibid.

Ibid.nu.143. *Episcopus Papiensis*. Dele.
Ibid.145. *Ecclesia est hodie*. Dele.
Ibid.150. *Pontifices multi hodie sunt*. Dele.
296. Hic liber plura, credo, habet, quæ reprehendantur quàm præcedens: ne tamen propter hęc totum damnemus, sic videtur emendandus.
2. *Quia fateor illud procedere in valentibus continere*. sic emendandum *in volentibus cum Dei gratia continere, quod nequaquam est supra vires humanas Dei ope fultas, maxime cum Deus continentiam rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari, de quibus nostra conclusio non loquitur, qua vtile esse nubere disputat.*
Ibid.3. *Sed quis est & laudabimus eum?* Dele. *C. de bon.*
Ibid.11. *Fortius Deus Pater, &c.* in marg. addatur, *lene & prorsus frigidum hoc est argumentũ.*
Ibid.19. *Christus erat Sacerdos templi*. Dele.
299. Hi versus de Christo habent errores sic emendandos.

3 Ille pedes clauis fixit & hasce manus.
4 De me solus amor potuit perferre triumphum,
Solus amor fecit me tolerare Crucem
Ergo si quid aues animi mihi pendere grati
- Dilige.

299. *Damnum autem abstinendi à matrimonio respicit & corpus*. Hæc vt veritati congruant sic emendanda sunt. *Damnum autem abstinendi à matrimonio respectu eorum, qui se cũ meretricibus, & alienis vxoribus miscent, respicit & corpus.*
302.6. *Facit quod dicebat Papa Iulius*, dele, vsque ad illa verba. *Iulius intulit.*
305.14. *Vt est prouerbium*. vsque ad *in suis facetijs*. obloquitur de Sacerdotibus, proinde dele illud, *amicitia di Preti*.
Ibid.4.a f. *Vide Tractatum de fide concubinarum*, vsque ad *char.4.&.7.* Dele.
306.20. *Nam Apostolus ibi, vt ipse protestatur*. Malè interpretatur D. Paulum. Nam Apostolus ibi, vt ipse protestatus est, non loquitur tamquam præceptum Domini habens, sed tanquam dans consilium, & ad quod melius est exhortans, & sic non ligat.
308.8. *Lutherus in declaratione 4. Præcepti honora patrem*. Dele.
De illo qui ex animo, & verè continet. Nam de alijs qui non continent si vlla voti obligatione tenentur.
314.3. *Vnde quando mos non erat, crimen non erat. & licet sit minus peccatum, quàm mendacium*. falsum, & delendum, siue omnino corrigendum ita. *Vnde quando mos erat, impunè fieri putabatur cap. obijciuntur. 32.q.4. hodie autem licet non sit minus peccatum, imo maius quàm mendacium, quia est contra naturã aque ac plusquam mendacium secundum S. Tho. 2.2.q.107.ar.4. & alios omnes in 3. dist.37. quicquid dicat Fel. in c. cum dilectus. hoc tamen in mendacio maius esse videtur, quod illud inter exteras.*
Ibid. dele in marg. *Fornicatio minus peccatum est, quam mendacium*.
Ibid.17. *Sed fornicatio est minimum*, vsque ad *Instit. de hared. instit.* Dele.
316.4. *Per quem textum patet, quia non fuit excusatus ille Papa*, Dele vsque ad hęc verba *per hac & punietur*.
319.25. *Et illa quæ se fecit Ioannem Papam VII.* Dele quia Ioannes hęc fœmina chimera est, & impostura calumniatorum.
321.14. *Vbi in fine refert*, vsque ad *Veniat ad me*. Dele.
322.l.f. *Non solum Laici*, vsque ad *erga Sacerdotes*. Dele.
323.9.a f. *Et Beato Petro*. Dele. Diuus enim Petrus fuit castissimus, nec cum Dauide in ea re coniungendus.
324.4. *Item in coitu vtuntur arte*, vsque ad *ò mondo cieco*, dele obscœna enim sunt, & piarum aurium offensiua.
325.2. *De coitus ratione*, Dele. quia non necessarium, sæpe etiam hanc vocem vsurpat, quam mutare præstaret.
326.6.a f. *Nam humiliores reddit mulieres*. Dele. *quia nullam incontinentia laudem fero. & mulier*

lier casta de castitate superbire non debet, qui enim stat, videat ne cadat, & quod in marg. vsque ad *alteros Fregosij* ch. 24. Dele.

331.17. *Imo, proh dolor, vtentur ministerio sacerdotum*. hoc delendum vsque ad *in scripturis. 96. dist.* quia hæc omnia ita connexa sunt, vt subsistere non possint separata.

332.2. *Vel vt ille Episcopus*, vsque ad *incipit ascendite*. Dele.

339.22. *Et sic cognoscunt se impotentes*. vsque *dum agit de virga*. Dele.

340.3. *Etenim si mulieri non satisfit*. hæc quæ obscœnitatem continent, sic mutanda. *Etenim si mulieri non satisfit in vestibus, agrè admodum fert. cupiunt enim habere duas eiusdem coloris, & panni vestes. Barbat. in c. prudentiam.*

348.10. *Quia Lutherus in declaratione de 8. precepto Dei probat*. Dele. & sic coniungatur, *quia est de precepto.*

349.14. *Mart. Lutherus in declam.* vsque ad *dicta Apostoli*. Dele.

373. *In marg. Bonus vir, idest cornutus*. Dele.

Ibid. 12. *Etsi vident aliquem*, vsque ad *Pater noster*. Dele. Quia obscœnitatem continent, aliquam, & vsurpat Diuina verba temerè.

378. *Item illa rustica*. vsque ad *copulam*. Dele.

Ibid. 10. *Et non solum trāseunt sub dissimulatione*, vsque ad *ch. 4. & seq.* itē quod est in marg. *licet honestatem violare pro vtilitate*, Dele.

Ibid. 11. a f. *Et postquam mortalia*, vsque ad *ch. 14. & 18*. Dele. Quia sunt verba Erasmi in Moria, & impia.

381.4. *Qui Pontifici asserenti*, vsque ad *non meretrix*. Dele. & quod est ad marg. Dele.

388.12. *Et exemplo quod ponis, admisit ibidem*. Dele quia obscœna.

Ibid. 10. à fi. *Et dato quod isti*, & omnia illa carmina Macaronica de cornibus. Dele. sic ergo coniungantur. *& dato quòd iuuenes tum irrideant, poterit, & vos.*

402.7. a f. *Quia habens duo ora, & plures linguas*. Dele.

404.10. a f. *Licet Fr. Mart. Lutherus in declarat. de 4. prac. Dei*. Dele.

405.2. a f. *Licet coitus*, vsque *Vini est*. Dele.

409.17. *Quas faciunt pro Indulgentijs*. Dele.

416.3. a f. dicit *Quod est grauius peccatum*. in marg. addatur. *cautè.*

432.17. *Vt Lutherus dicit, nunc tandem sapit Germania*. Dele.

442.2. a f. *Quapropter Episcopus Papiensis*, vsque ad §. *quis debet col. 2*. Dele.

443.16. *Et tamen sunt aliqui*, vsque ad *Quod est falsum*. Dele.

444.10. a f. *Verbum Gallicum vltimum obscanum*. Dele.

449.7. *Non igitur mirum*, vsque ad *451. 14. Vbi vita fruitur Beatorum*. Dele.

478.4. a f. *Dicit tamen Hostiensis*. Hæc de Paphnutio historia tamquam falsa reprobatur à doctis, propterea delenda.

479.1. *Vade cum taxillis*, in marg. *Consilium improbum.*

Sequentes duo libri minus, quàm alij erroribus abundant.

490.15. a f. *Patet in credo condito ab antiquis*. & falsum & impium. Nam antiqui Patres tam Græci quàm Latini crediderunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, vt Doctores ostendunt. Quin & iura ipsa, quę citat, sunt contra ipsum. Nam Didymus Gręcus fuit Antiquus, & Conc. Ephesinum est antiquum & Grecum, ex quibus in Decreto hæc veritas probatur. Delendum igitur quod facit iniuriam Sanctissimæ Trinitati.

516.11. a f. Vbi dicit, quod Machabęi studio contradicendi perdiderunt sanum intellectū. Falsum, si de Machabęis loquitur, quos Scriptura commendat, nam alios non noui Machabęos. Dele ergo. vel dicatur ad marg. cautè.

523.7. a f. *Quoniam peccarent in Spiritum S.* Dele. Neque enim decet Spiritus Sancti nomen in his nęnijs vsurpari.

528.10. a f. *Nisi longo tempore asinus seruisset Ecclesia, quia deberet praferri inhabilibus nominatis ex reuelatione carnis*. hoc dictum mordax, non est dignum impressione, sed potius sic emendandum. *Sed remoto ioco, si quis esset literarum non planè rudis, & qui diu multumq;*

Ecclesia inseruisset, praeferendus esset aliquibus iuuenibus imperitis, qui ob cognationem potius sanguinis, quam ob vllam virtutis commendationem ad Ecclesiasticas dignitates nominaretur.

531.10.a f. *Martinus Lutherus,* vsque ad *ex multis. ch.2.* Dele.

537.4.& *Gomicium Mediolanensem,* vsque ad *vxor ascendit.* Dele.

Ibid.7.a f. *Et propter necessitatem possumus vti arte magica,* vsque ad *ch.52.co.3.* Dele.

551.3. *Et Pontificis (supl. insignia irridet) Hut. in dial. Tria Rom.* Dele.

562.8. *Et tamen si rectè, & iustè procedant* (aduocati scilicet) *plus merentur, quam fratres Praedicatores,* vsque ad verba *seu fundamento partis affirmatiua.* Dele.

571.11. *Ergo male dicit Fr. Mart. Luther.* dicatur *ergo pessimè dicit pessimus Mart. Lutherus.* Nam eum satis frigidè auctor coarguit.

Ibid.24.in Marg. haec possunt addi *S. Augustinus ex his auctoribus nihil ad Christianam religionem transtulit, sed tantum contra Paganos in lib. de Ciuitate Dei, vel haereticos in alijs suis Operibus disputans ex Platone & Cicerone (nam Hortensius nihil vmquam scripsit) aliqua ad eorum errores redarguendos protulit: Christiana autem religio perfecta omni ex parte & absoluta est: neque eget vllis ad sui tuitionem, & confirmationem adminiculis, nisi cum ei est contra aduersarios, vel haereticos dimicandum, qui aliquando cum credant potius externis Scriptoribus, quàm Christo, eiusque affeclis, suis quasi gladijs, quemadmodum & Goliath, iugulantur, cap. si quid veri. dist. 37. ex Aug. lib. 13. contra Faustum, cap. 15. & cap. Qui de mensa. ea ex Hier. in 1. c. Daniel.*

572.2. Dele, quod est in Marg. *Canonistae differunt à Theologis.* Ac potius addatur. *fieri potest vt in materia vsurarum aliquando Canonistae aliqui, praesertim qui sunt Theologiae cognitione praediti, vt D. Nauarrus, melius sentiant, quam aliqui Theologi iuris prudentia prorsus destituti. Absolutè tamen Theologis potius standum est in materia peccati mortalis, qualis est vsura, quam Canonistis.*

157.18. *Quare etiam leges per ora principum sunt Diuinitus promulgatae.* hoc non semper verũ est, quamuis non negem de quibusdam hoc posse dici, qualis est illa celebris Gratiani, Valentiniani, & Theodosij Auggg. quę incipit, *Cunctos populos, C. de Summa Trin. & fide Cath.* quare addatur ad marg. *cautè,* vel dele.

580.9. *Vt dixi in constitutione,* vsque ad *ob adulterium coniugis.* Dele.

585. *Egit quoque Fr. Syluester contra Lutherum cart. 16. & 21. Vbi clarè probat leges esse de iure Diuino.* corrigendum puto: & Syluestrum contra Lutherum non vidi. In summa autem non hoc docet. Vult autem (credo) Syluester solum contra Lutherum leges Ciuiles iustas à legitimo magistratu latas, & promulgatas habere vim obligandi in conscientia, & emanare à lege aeterna, per illud Prou. 8. *Per me reges regnant, & sapientes decernunt iustitiam,* & per illud promulgatum, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Vide eundem in summa. Verbo lex. certe cap. leges Imperatorum 10. dist. clare ostendit leges non esse de iure Diuino, sed iuri Diuino subiectas.

592.15.a f. *Dixi in quaestione, quod ob adulteriũ relicta prima liceat aliam vxorem capere.* Del.

615.4. *Et ille dicebat,* vsque ad *faire creance.* Dele, obscęna sunt enim.

617.4. *Quod quidam iudices faciunt, vt Ecclesiastici in Eleemosyna meretricum, qui parua spernunt, sed non magna.* Dele, & dicatur, *vt milites in expugnationibus Vrbium.*

678.4.a f. *Barb. dicit, quòd si Papa peccat, est sine reparatione ad instar Diaboli.* Vt ipse notat in c. at si clerici, col. pe. de iudicijs, not. 151. Dele. quia falsum est, atque impium.

679.9. *Adeo quod Cepol. caut. 2. in fi. 2. col. inuehit contra miseros Praelatos, qui in tantum litteras D. Papae timent, quòd contradicere non audent.* Dele.

684.12.a f. *Imo & haereticorum* (auctoritates sunt citandae) *in his in quibus errarunt typog.* omisit negationem, & propterea legendum est *non errarunt.* haec autem sententia non est prorsus tenenda.

691. *Satisfaciendo promissis, &c.* Hi versus non sunt admodum venusti, & plurimos errores typographorum credo incuria in syllabarum quantitate continent, & ad instar Satyrę plurimos mordent, quare puto non imprimendos.

696. *Quisquis amas mundi.* hi versus sunt optimi, & digni qui imprimantur.

IOAN-

IOANNES è Nibach, Sermones olim edidiſſe ſcribitur habitos diebus feſtis Sanctorum.

IOANNES Nicænus, librum ſcripſiſſe fertur cõtra Armenios De rebus Fidei, qui Grȩcè m.s. aſſeruetur in Bibl. Vaticana.

IOANNES Nicolaus, Arelatenſis, Librum de hæreticis, & eorum pȩnis: & alterum ad 1. Codicis de ſecundis Nuptijs emiſit Lugduni ann. 1536. ſcripſit item Adnotationes ad Librum Alciati de Præſumptionibus.

IOANNES Nicolaus Gimonteus I.C. ſcripſit De beneficijs Eccleſiaſticis, & horum Collatione, Pluralitate, Diſpenſatione, Permutatione, ac de Gratijs, & Expectatiuis.

IOANNES Nider, Sueuus, Ordinis Prædicatorum, Theologus ſcripſit,

In vigeſimum caput Exodi De decem prȩceptis volumen ſatgrande, ac quidem dictione perſpicua, licet (vt ea ferebant tempora) non eleganti. Incipit, *Decalogi legem ſacratiſſimam.*

In decimum tertium caput Leuitici. De lepra morali.

In Euangelia totius anni Tomos duos Sermonum; cum Sermonibus Quadrageſimalibus.

De contractibus mercatorum.

De ſecularium Religionibus.

De abſtinentia ab eſu carnium.

De reformatione Status cȩnobialis.

Conſolatorium timoratæ conſcientiæ.

De vigore conſuetudinis, & Diſpenſatione Canonica.

De perfecta paupertate.

De vera, & falſa Nobilitate.

De moralitate ſumpta à formicis.

Dialogum ſtudioſi, & pigri.

Speculum perfectionis.

Diſpoſitorium moriendi.

Viuebat ann. 1530.

IOANNES Niuicellenſis Monaſterij Abbas & Doctor Decretorum, ſcripſit Concordantias Auctoritatum Sacræ Scripturæ iuxta ordinem Librorum in Biblijs, in quibus locis Iuris Canonici reperiantur. Sermones de Tempore. Sermones de Sanctis. Epiſtolas, & Quæſtiones varias.

IOANNES Nobilis, Ord. D. Benedicti, Abbas S. Vdalrici, eques de Viſchbach, ſcripſit De immunitate Eccleſiæ. Viuebat ann. 1555. Eiſingr.

IOANNES Noblet, Gallus, Carmelita, Profeſſor Gymnaſij Pariſienſis, cuius præter Tritemium, & Iacobum de Plebe, ac Petrum Lucium meminit etiam in Chronologia Genebrardus, ſcripſiſſe fertur in vniuerſa ferè Biblia, vt Eiſingrenius teſtatur. In Epiſtolas Canonicas libros ſeptem. Sermones varios, vno libro. In libros 4. Mag. Sent. Centiloquium ænigmatum. Viuebat Eiſingrenio, ann. 1444.

IOANNES Nopelius, Collegij D. Suniberti in Cæſaris inſula Decanus, Confeſſionem Ambroſianam edidit in quattuor Libros recta methodo diſtributam, quibus continetur, quid de ijs fidei Chriſtianæ dogmatibus, quæ hodie in controuerſiam vocantur ab hȩreticis, ante annos mille, & ducentos B. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis totius Occidentalis clariſſimum lumen ſenſerit.

IOANNES de Noto, (alijs *Notho*) Siculus, Ord. Minorum Theologus citatur in Summa Angelica.

IOANNES Nouarienſis, Ord. D. Auguſtini Supplementum Chronicorum reliquit. Viuebat ann. 1443.

IOANNES Nouiomagus, ſiue *Neomagus* Germanus, qui Scholia in Bedam edidit tũ ad librum De emendatione temporum, tum ad librum De natura rerum, putauit locum de Paradiſo terreſtri intelligendum eſſe enigmaticè, atque allegoricè, ſenſu tamen diuerſo ab Origene. Quam ſententiam verè reprobandam reprobat item Sixtus Senenſis Annot. 35. libri 5. Bibliothecȩ ſanctæ.

IOANNES Nuſcenſis, Monachus Montis Virginis, qui vixit ann. 1200. ſcripſit vitam S. Gulielmi Inſtitutoris Ordinis ſui: quam Thomas Coſta in vita S. Donati monachi teſtatur extare. Arnold. Vion.

IOANNES Octauus, Pont. Max. non eſt, quem blaterant conuicti impoſtores hæretici, fuiſſe fȩminam; id enim mendacium vaniſſimum fuit. Vide infra in verbo, Ioanna

 Papiſſa.

Papissa. Ceterum extant aliquot ipsius Epistolæ in Regesto Vaticanæ Bibliothecæ, quod ibidem asseruatur.

IOANNES Olaus Magnus, Gothus, Archiepiscopus Vpsalensis Historiam Gothorum, & Suecorum viginti quattuor libris, & librum De Episcopis Suetiæ scripsit. Ac Historiam quidem illam Iulio III. Pont. Max. dicauit, quæ Romæ fuit excusa Latinè, Venetijs autem Italicè apud Franciscum Bindonum, ann. 1558. Viuebat eodem tempore. Vide supra in verbo, Ioannes Magnus. Est enim idem ipse.

IOANNES Olney, Anglus, Ord. Cartusianorum, scripsit quinque libros De miraculis B. Virginis. Alium item Meditationum solitariarum. Viuebat ann. 1345. Eisingr. alijs autem claruit adhuc ann. 1350.

IOANNES Opicus, qui scripsisse dicitur De Selectis Scripturarum quæstionibus ambiguis, visus non est à me, ac proinde qualis sit, non scribo.

IOANNES Opsopæus, Brettanus, etsi Græcolatina Oracula Sibyllina Parisijs edi curauit ann. 1599. & quidem additis ab se ad illa Scholijs, pleraque tamen in ea editione desiderantur à Catholicis, ac doctis viris. Id primum, vt quoniam Onufrij Panuuinij Libellus de Sibyllis, & carminibus Sibyllinis eidem libro præfixus est, eius Sacerdotis nulla sit facta mentio, quòd Ordinis Augustiniani fuerit. Nam cum recentes hæretici oderint hoc nomen religiosorum, ac tamen videant in ijs eruditionem viguisse, demunt eam nominationem, ne qua Ecclesiæ Catholicæ laus accrescat. Addita item est mentio Carminum illorum facta à Sebastiano Castalione, cuius tamen scripta omnia prohibita sunt in Romano Indice. Quòd si in eodem Indice permittuntur versiones, in quibus nihil sit noxium, aut detortum ad hæreses, id ex auctoritate Sorbonæ erat procurandum, vt in fronte appareret. Quin cum illo Opere inserta sint falsorum Deorum oracula, quæve ex somnijs vaticinia conijciuntur, ea præstabat omittere; ne videlicet procliuibus ad errores ingenijs ansa præberetur, vt quasi rediuiua audirent impia oracula, quæ iamdudum Deus iussit obmutescere.

IOANNES Oranus, ex Hispanico Latinum fecit Principem Christianum Petri Ribadeneyræ aduersus Nicolaum Macchiauellum. Versio autem hæc edita est Moguntiæ, anno 1604.

IOANNES Orthius, Suffraganeus Bambergensis edidit Germanicè, duas Epitomes Postillæ Feuchtianæ, alteram De Tempore, alteram, de Sanctis. Ingolstadij ann. 1583.

IOANNES Osorius, Societatis Iesu, Theologus, edidit Latinas totius ann. Conciones quinque Tomis comprehensas, quæ in Hispania, & in Belgio Antuerpiæ, ac Venetijs non semel prodierunt, ann. 1594. 1595. 1596. 1597. Ac denique Venetijs etiam an. 1604. apud Societatem Venetam.

IOANNES Ouinhelus, Oxoniensis, Theologus, dum staret Anglia in fide Catholica, scripsit Exempla scripturarum, lib. 1. Sermones per annum, libro altero. Distinctiones rerum variarum, lib. 6. Obijt ann. 1438.

IOANNES Palæologus, Epistolam Græcè scripsit ad Alexandrum Patriarcham.

IOANNES Paleonydorus, siue de *Aqua Veteri*, Hollandus, Carmelita, scripsit

De puritate Conceptionis Beatissimæ Virginis, librum.
Alium Sermonum de Tempore.
Alium De Sanctis.
Item Quadragesimale.
Fasciculum tripertitum sui Ordinis, lib. 3.
Manuale eiusdem. hæcque duo Opera Moguntiæ prodierunt.
Lib. quinque in Boetium de Consolatione.
Dialogum inter Carmelitã, & Cartusianum
Propugnaculum Carmelitarum.
Vitas Sanctorum sui Ordinis.
Contra Vuigandum pro Tritemio.
Collationes feriales.
Epistolas familiares. Obijt ann. 1507. annos natus 74. Tritem.

IOANNES Paliz, Ordinis Prædicatorum, Libros duos Sermonum edidit. Alterum Latinè Hermanno Coloniensi Archiepiscopo: Alterum Germanicè Ioanni, & Friderico Saxoniæ Electoribus inscriptos, quos anno 1516. Lipsiæ Martinus Lansberg excudit. Eos autem libros prænotauit *Cæli Fodinam*, cum aliquandiu demoratus in Oppido Sne-

bergo,

bergo, quod *Montem niuis* appellant, vbi sunt fodinæ, inde eius scriptionis, & inscriptionis occasionem accepit.

IOANNES Palmer, Anglus I.V.C. scripsit contra Boemorum articulos, hoc est aduersus hæreticos Hussitas. Viuebat anno 1433. neque vero hunc esse puto Ioannem illum Palmerium, qui in Romano Indice inter Auctores primæ classis prohibitus est.

IOANNES è Palomar, Hispanus, & Barchinonensis Ecclesiæ Archidiaconus, scripsit De abstinentia carnium ad Ioannem Abbatem Monasterij Scotorum Ord. D. Benedicti. Sermones item, ac Quæstiones. Viuebat ann. 1420.

IOANNES Papa. Vide in verbo, Ioannes Pontifex Maximus, & in verbo, Ioannes octauus.

IOANNA Papissa, siue quæ, vt commenti sunt Ecclesiæ Catholicæ hostes, astu vixerit (licet fœmina) in Pontificatu, nihil fuit. Imposturam hanc hæreticorum plures doctissimi viri confutarunt, vt iam hæreticos pigeat non tam inuecti huius mendacij, quàm quòd pudidè sint conuicti. Vide Cardinales Baronium, & Bellarminũ vbi de Ioanne Octauo Pont. Maximo egerunt, illum in Annalibus, hunc in Controuersijs. Papyrium Massonem De Vrbis Episcopis. Hieronymum Scherer nostrum Theologum, qui Germanicè id præstitit egregiè. Onufrium Panuuinium. Gilbertum Genebrardum. Postremò autem Gallicè Florimundum Remundum Regium in Burdigalensi Senatu Consiliarium pereleganter, atque syncerè.

IOANNES Parisiensis, Ord. Prædic. Theologus, & Professor in eadem vrbe, scripsit
In quattuor lib. Mag. Sentent.
Librum item De Vnitate Esse, & Essentiæ Diuinæ.
Alterum De transubstantiatione Panis, & Vini in Sanctiss. Eucharistia.
De Aduentu Antichristi.
Quodlibeta varia.
Contra Henricum de Gandauo.
Contra Corruptorium D. Thomæ Aquinatis.
Commentaria in lib. Meteororum Aristot.
Tractatum de Iride.
Viuebat anno 1280. Eisingren. Antonio autem Senensi anno circiter 1300. Quorum vtrumque cohærere potest.

IOANNES Parmensis dictus *de Parma*, in Bononiensi tractu natus, Ordin. Minorum, Professor olim Theologiæ Parisijs, euocatus ex Gallia ab Innocentio Quarto Pont. Max. allegatus ad Ioannem Imperatorem Græcorum, & Manuelem Patriarcham Constantinopolitanum: ab ijsdem *Angelus pacis* vocatus; inde autem reuersus Generalis Ordinis sui Minister Assisij, anno 1248. delectus, scripsit
In libros Magist. Sentent.
De conuersione Religiosorum, lib. 2.
Officium Passionis Christi, cuius initiũ est, *Regem Christum Crucifixum*, &c.
Tractatum, quem inscripsit, *Sacrum commercium Beati Francisci cum Domina paupertate.*
De beneficijs Creatoris.
Obijt Camerini, vbi in Aede Sancti Francisci, in arca marmorea conditus. Visebatur autem adhuc ante paucos annos integrum eius corpus. Vide in verbo, Io. Paulinus.

IOANNES Paschalè Sudouolcarum familia, Anglus, Carmelita, scripsit Librum De Passione Domini nostri Iesu Christi. Homilias varias sexaginta septem. De Tempore octoginta. De Sanctis alias. Lectiones Scripturarum. Disputationes Theologicas. Obijt apud Landauenses ann. 1361.

IOANNES Paschasius, Mechliniensis, Carmelita, Theologus, scripsit in Magist. Sententiarum. In Euangelia Dominicalia, & Festos dies totius anni. Descriptionem Terræ Sanctæ. Viuebat Louanij post ann. 1500. Christianus Adrichomius, & Ludouicus Guicciardinus in descriptione Ciuitatis Mechliniensis.

IOANNES à Pastura, Monasterij Gemblacensis, Prior edidit in Psalterium Paraphrasim è Patribus collectam ann. 1510.

IOANNES Paulinus, siue *Onaya*, alijs *Genesius*, Parmensis, Ord. Minorum, scripsit Rosarium in Genesim, quod vidimus m.s. apud Eremitanos, qui sunt Patauij. Librum item de Ciuitate Christi, cuius initium, *Fundamenta eius in montibus altis*. Quin & eidem tribuitur

buitur ab Henrico Vuillot, liber alius inscriptus, *Consortium Christi cum Doctrina Paupertatis,* vt credam eundem hunc esse, qui paullò supra, *Ioannes Parmensis.*

IOANNES Paulus Berlendus, Bergomas, Ordin. D. Augustini, Professor Theologiæ, ac Concionator, Librum edidit prænotatum *Scalam Iacobi* aptatum Beatitudinibus Euangelicis. Italicè Bergomi apud Cominum Venturam ann. 1601. Quo viuebat.

IOANNES Paulus Germanus, Ord. Min. Professor conuentus Thamensis Prouinciæ Argentinæ, scripsit librum prænotatum, *Seria, & Ioci.* Alterum item Sermonum ad populum. Viuebat ann. 1530. Henricus Villot.

IOANNES Paulus Lancellotus, Perusinus, I.C. Institutionum Iuris Canonici libros quattuor emisit in lucem primò Venetijs ann. 1570. vnà cum Glossis, siue Interpretationibus. Qui deinde Lugduni apud Rouillium ann. 1571. prætereà Romæ, ann. 1584. recogniti sunt, & recusi apud Georgium Ferrarium, deinde item Antuerpiæ apud Plantinum, Notis Hieronymi Elani I. C. illustrati.

Posteriori autem isti Romanæ Editioni Lancelotus adiecit Commentarium in tres libellos partitum, quo tuetur caussam, cur suas Institutiones conscripserit, ne videlicet Canonico Iuri suæ deessent, quæ Ciuili Iuri necessario fuerant à Iustiniano præscriptæ, imitatus etiam Cosmographos, qui singillatim acturi de varijs Mundi Partibus Orbem ipsum Vniuersum paruulo schemate subijciunt oculis.

Sanè verò Pauli Quarti Pont. Max. nomine à Cardinali Reumano iussi, vt eas Institutiones accuratè recognoscerent viri tres peritissimi Iure consulti Fabius Acorambonus Rotæ Romanæ Decanus, Iulius Oradinus Rotæ Auditor, & Antonius Massa è Gallesio, quod & Adami de Iniuidia Notarij formula, siue (vt aiunt) instrumento exceptum est, testimonium de eo opere reddidere grauissimum. Successit Paulo Quarto, Pius Quartus Pontif. Max. cui item Theologi fidem similem fecerunt. Legat ipsum Commentarium, & ipsas Institutiones Candidatus Iuris Canonici studiosus, nec ipsum pœnitebit.

IOANNES Paulus Palanterius, è Castro Bononiensi Ord. Minorum Conuentualium Parmę, Theologus edidit duos abs se conscriptos Tomos in totum Psalterium, quorum primus apud Cominum Præsenium, secundus apud Franciscum Thebaldinum prodijt Brixię ann. 1600. cùm ann. 1594. emisisset idem Palanterius Lecturam in quattuor libros Magist. Sentent. & antea ann. 1580. Prælectiones in librum primum Posteriorum, & Tractatum de Anima. Venetijs.

IOANNES Paulus Vuindeck, Germanus, Theologus, & Ecclesiæ collegiatæ in Oppido Marchdorff Canonicus, scripsit

I. Theologiam Iurisconsultorum, libris duobus. Quorum priore, quadraginta amplius S. Romanæ Ecclesiæ dogmata, quæ à Sectarijs oppugnantur, non solum ex Canonibus, & Veteris Ecclesiæ traditione, verum etiam ex Iustiniani Imp. Legibus comprobat, quas & à Lutheranorum Iureconsultorum deprauationibus vindicat. Posteriore autem præcipuos casus recenset, in quibus Canones Pontificij, & Iura Ciuilia conueniunt: vbi & plura de Ecclesiæ iurisdictione tractat. Coloniæ apud Arnoldum Quentelium, anno 1604.

II. Prognosticon futuri Status Ecclesiæ oppositum insulsi cuiusdam Lutherologi libro demonstrans quadraginta Rationibus Apodicticis hæreses, quæ hoc tempore grassantur, esse perituras, sanctam verò Ecclesiam Catholicam Romanam esse perpetuò mansuram.

III. Deliberationem Christianam De Optimo Regionis Statu continendo, siue quibusnam remedijs à Prouincijs Catholicorum Sectę omnes arceri, aut, vbi nidificarunt, funditus queant euelli. Ibidem apud eundem, ann. 1603.

IIII. Librum De Mortis Christi Domini efficacia contra Caluinistarum blasphemias. Ibidem apud eundem, eodem anno.

V. Confessionem S. Bernardi De omnibus Fidei dogmatibus à Io. Pistorio inchoatam, sed à Io. Paulo Vuindeck absolutam, ibidem.

IOANNES Peckam, qui & alijs *Pechanus,* Anglus, Ord. Minorum, ac demum à Nicolao

lao Tertio Pont.Max. Cantuariensis Archiepiscopus creatus est. Is pietate, atque doctrina B. Bonauenturam, sub quo Magistro didicit, imitatus, ita expressit, vt in plerisque eundem diceres. Scripturam Sacram cum Parisijs, atque Oxonij publicè esset interpretatus, inde quoque, atque Londino, profanas vocum nouationes à nonnullis fidei male sanę irrepentes coercuit. Quo ex facto colluctatus cum bestijs fuisse dicebatur, scripsit autem Bibliorum Collectorium, quod Coloniæ prodijt, quod ann. 1513. apud Franciscum Birckmannum, quinque in libros partitum. Commentarium in Canticum Canticorum. In Quattuor libros Magistri Sententiarum. Librum, siue officium Sanctiss. Trinitatis. Alterum De perfectione Euangelica. Alium De Corpore Christi. Alium aduersus, insipientem. Apologiam pro statutis Synodalibus. Perspectiuam communem.

Sunt autem, qui Ioannem Peckam, à Ioanne Peccano distinguunt, sed omnino falli videntur. Addunt autem Collectaneum Bibliorum, quem alij *Collectorium*, vti scripsimus, vocant à Melchiore Nouesiano fuisse excusum Coloniæ ann. 1541. at Collectarium Sententiarum Bibliorum Parisijs à Ioanne Frellonio ann. 1514. sed vnum, & idem esse haud dubito, quod in certos communes locos redactum suppeditat facile quicquid vsui potest esse Concionatorum. Obijsse fertur virum hunc ann. 1290. & habet G. Seruatius Myricanus Inferioris Germaniæ eiusdem Ord. Prouincialis, in Enchiridio Fratrum Minorum. Eisingrenius certè asserit vixisse ann. 1283. vt qui Rodulphus è Tussiniano in Historia Seraphica scripsisse videatur cum obijsse anno 1209. intelligendus sit mutatis notis, 1290. & ipsum scripsisse, quas Amanuenses inuerterint. Miraculis autem post mortem claruisse, ijdem, ac post eos Henricus Vuillot in libro suo, quem inscripsit Athenas, asseruit.

IOANNES Pelecyus, Societatis Iesu, Theologiæ Professor Dilingæ in Germania, edidit Disputationem de originali hominis Iustitia, & iniustitia, in Academia Dilingana propositam, respondente Vdalrico Schallero Parocho Guntzburgensi. Dilingę ann. 1586.
Alteram De Sacramentis nouæ legis. ibidem apud Ioannem Mayer. ann. 1588.
Aliam De augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & Sacrificio, ann. 1588.
Aliam De Fidei virtute, ann. 1589.
De B. Virg. Deique genitricis vita ad publicam disputationem proposita, ann. 1590.
De Ecclesia Christi militante in terris, ann. 1590.
De Deo, qua is ex creaturis à nobis cognoscatur, ann. 1590.
De Iustificatione hominis iniusti coram Deo, ann. 1591.
De Charitatis virtute, anno 1591.
De Spei virtute, ann. 1591. ibidem apud eundem Mayer omnia.

IOANNES Pelletarius, Parisiensis, Theologus, Rector collegij Nauarrę, plura Latinè scripsisse (de Theologia potissimum Scholastica) fertur à Domino à Cruce du Maine in eius Latina Bibliotheca. Quę quoniam nescimus an prodierit (Gallica enim extat, quam legimus) idcirco haud adnotamus quænam illa sint. Viuebat Pelletarius quidem Parisijs anno 1550. qui & ab Henrico Secondo, Rege Galliæ ad Synodum Tridentinam fuit allegatus.

IOANNES Pellicanus, Ordin. Minorum cum ab Henrico Vuillot Belga eiusdem Ordinis scribatur Diuinam Scripturam exposuisse, nec verò exprimat, quos ad libros sua studia impenderit, ne nos quidem, ad quos nihil eius Auctoris peruenit, aliquid certi possumus asserere. Studiosi sui Ordin. alicunde fortassis eruent. Nam & hæc propterea hic indicauimus.

IOANNES Perellius, Xiueriensis, Germanus, Dialogum edidit De Catholica Doctrina, deque rebus Societatis Iesu, aduersus contumelias à quodam Rodingo Hasso Sacramentario, eidem Societati, petulanter impositas. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium, anno 1576.

Eiusdem Thesaurus Piarum, & Christianarum institutionum. Ibidem anno 1580. Veronæ autem ex Typographia Hieronymi Stringarij & fratrum ann. 1583. Hic vero non est Ioannes ille Perellus Gallus, qui librum Theodori Gazæ de Mensibus Atticis è Græco Latinum fecit.

IOANNES Petrinus, Ordin. Minorum, Doctor Parisiensis, cuius in Historia Seraphica meminit Franciscus Gonzaga, Mantuanus Episcopus, scripsit De dispensatione Ord. Minorum: sed quem Perrinum carpit acerrimè (sic enim scribit Henricus Villot eiusdem Ordinis) Bernardinus Taruisinus cognomento Philosophus hæreticæ prauitatis Inquisitor in Prouincia S. Antonij.

IOANNES Perusinus, Monachus, descriptionem Terræ sanctæ reliquit, vnà cum Indice omnium eiusdem locorum, quæ m.s. extabat in Bibl. Grataroli.

IOANNES Petrus Chizzola, Riparoli Oppidi inter Cremonam, & Mantuam, natus, Carmelita, vitam B. Ludouici Morbioli Bononiensis Italicè emisit, quam item Baptista Mantuanus Carmelita conscripserat. Viuebat nostra ætate Mantuæ.

IOANNIS Petri Crassi, Viterbiensis Episcopi extant Epistolæ in volumine Epistolarum clarorum virorum.

IOANNES Petrus Ferrarius, Ticinensis Iuris vtriusque Practicam composuit, quæ Lugduni ann. 1515. apud Stephanum Gueynard, aucta vero à Francisco Curtio, & rerum Summis à Ioãne Ricio Veneto cum ann. 1570. Francofurti fuisset euulgata, denique apud Geruinum Calenium Coloniæ prodijt Io. Antonij Mansueti additionibus locupletata. Accessere notati loci ex receptarum sententiarum forensium Quæstionum, & Decisionum Centurijs cum Indice duplici.

IOANNES Petrus Gutierez, Hispanus, Ordinis equitum Alcantaræ, Sacrista maior, & Capellanus Philippi Secundi Hispaniæ Regis, scripsit De origine Ordinis Militum Alcantaræ, librum, Hispanicè, qui prodijt Madriti apud Alphonsum Gomes, ann. 1576.

IOANNES Petrus Iussanus, Mediolanensis Sacerdos, vir nobilis & doctus, quique Beatæ mem. Caroli Card. Borromæi fuit alumnus, atque Historiam Euangelicam è quattuor Euangelistis, Italicè iuxta litteralem sensum exposuit, atque edidit Venetijs an. 1601. apud Minimam Societatem. Qua secutus Cornelij Iansenij Concordiam Euangelicam Italis hunc laborem, ex pietate elucubrauit, subdens se in omnibus S.R.E. iudicio.

IOANNES Petrus Maffæus, Bergomas, Societatis Iesu Sacerdos, Epistolas Patrum eiusdem Societatis Selectas, & eleganter in Latinum conuersas, ex India autem Orientali ab ijs scriptas, Romę edidit. Vitam B. Patris nostri Ignatij Loiolæ scripsit, quæ postremò ab eodem recognita exijt Duaci apud Io. Bogardum ann. 1587. Florentiæ verò apud Philippum Iunctam ann. 1588.

Historiam Indiæ Orientalis, libris 16. in quibus præclara Lusitanorum Gesta, & Francisci Xauerij vnius ex ijs decem, qui primi fundandæ nostræ Societati affuerunt B. nostro P. Ignatio. Florentiæ apud eundem.

Vitas decem & septem illustriũ Confessorum antiquorum selectas è varijs Auctoribus, lingua Italica, Brixiæ apud Vincentium Sabium, ann. 1595. Vide autem secundo To. Bibliothecæ nostræ Selectæ in Apparatu ad Historiam omnium gentium, lib. 16. Iudicium de ipsius Historia. Obijt ann. 1603. Tyburi.

IOANNES de Persico, Cremonensis, Ord. D. Augustini, scripsit Postillam ad totius anni Euangelia. Varias Expositiones in Biblia, contra Iudęos, atque Rebelles Ecclesię. Historiam Ecclesiasticam. In librum S. Thomæ De fallacijs, atque in Dialecticam Petri Hispani. Extant hæc m.ss. in Bibl. S. Augustini, Cremonæ.

IOANNES Perciuallius, Gallus, Cartusiani ad Lutetiæ mœnia, Cœnobij Prior, scripsit Compendium Diuini amoris. Viuebat nostra ætate.

IOANNES Pezibram, Boemus, scripsit Tractatum de septem Sacramentis, qui excusus fuit cum Historia Boemica Ioannis Cochlæi: qui quidem Cochlæus meminit alterius libri, quo idem Pezibramus egit de impijs Vuiclefi dogmatibus, deque Professione Fidei, & alijs eiusmodi.

IOANNES Pfefferkorn, qui primò Iudęus, deinde baptismate sacro suscepto Christianus edidit Speculum, quo Iudæos adhortatur ad Christum. Id verò Colonię prodijt.

IOANNES Pfeffer, siue (vt Sixtus Senensis scribit) Phefor, quem item facit Vittembergensem, cum alij faciant è *Vuidenberg.* Franconem, nimirum Orientalem, Gymnasij verò

Fribur-

Friburgensis primus illustrator, Commentaria, quattuordecim libris, distincta ad Epistolas omnes D. Pauli dedit in lucem, cum antea eas publicè exposuisset. Itaque & *Directorium Sacerdotale* prænotauit. Incipit, *Circa lecturam Epistolarum*. Viuebat ann. 1490.

IOANNES Phernandus, Germanus, scripsit librum de S. Ioanne Baptista. Orationes multas, & varias. Horas Sanctæ Crucis, & Compassiones B. Virginis carmine eleganti Parisijs excusas. Librum Epistolarum ad diuersos. Viuebat ann. 1494. Galliç tunc Regi charus, quem & perpetuo stipendio donauit. Eisingr.

IOANNES Philippus Lilius, Bononiensis, è Congregatione Sancti Saluatoris Canonicus Regularis Orationes ad Carolum Quintum; & Epistolas ad varios Principes reliquit.

IOANNES Philippus, Ord. Minorum, Generalis Vicarius Cismontanus, edidit Tractatum de concursu ad amicos spirituales, ad Regulæ explicationem. Eius mentio fit cum reliquis Expositoribus in antiqua editione libri Conformitatum.

IOANNES Philoponus, qui & Grammaticus cum in Aristotelis aliquot libros scripserit, scripsit item, quæ ad Christianam religionem pertinuissent, nisi ipse, qui Christo nomẽ dederat, in varios errores impegisset, præsertim Corporum Resurrectionem negãs, & pleraque alia (vt notauit etiam Photius) ἀπεριστέπτως hoc est inconsideratè, quartamque Synodum Chalcedonensem iniquè conuellens. Quamobrem quæ scripsit De Resurrectione, quæ item in Hexaemeron ad Sergium Constantinopolitanum Archiepiscopum aduersus Sanctissimam Trinitatem, ita explodenda, & confutanda sunt (pręsertim ne philosophiæ studiosis noceat) vt nequis cogitaret, quoniam Christianus fuit, eum veritatem asseruisse. Scripsit item contra Iamblicum Platonicum de Simulachris. Vide Photium in Gręca Bibl. pag. 12. 21. 97. 285. Augustanę editionis.

IOANNES Picardus, Ordinis Minorum Opus emisit inscriptum, *Thesaurus Theologorum*. Nimirum è quattuor Ordinum Mendicantium, qui tum extabant Theologis, atque item è nonnullis haud Regularibus numero triginta eundem Thesaurum collegit. Qui omnium suorum Patrum vnanimi consensu dignus est habitus, qui in lucem proferretur, cum in cęnobio S. Francisci ad Margines Sabis Prouincię Flandrię fuisset examinatus. Viuebat ann. 1503.

IOANNES Picus, Gallus, Cartusianus propè Lutetiam, Commentarium scripsit in Canticum Canticorum. Incipit, *Rex Pacificus*. Viuebat nostra ætate.

IOANNES Picus Mirandulę, atque Concordię tunc Comes (cum qui nunc regit, Princeps vocetur) mirabili vir ingenio, & ad omnes sciẽtias, & linguas natus, nobilissimis item moribus pręditus (vt Phęnix diceretur) qui tamen ex hoc Mundo sublatus est ann. 1594. agens ipse trigesimum annum, scripsit hęc, quę quidem extant.

In Orationem Dominicam expositio.

Heptaplus, idest, de Dei creationis sex dierum opere Geneseos, libri 7.

Conclusiones nongentę, Romę publicè propositę, pręcipuos Theologię locos, & pleraque in quibus Philosophorum omnis labor & studium cernitur continentes.

Apologia aduersus eos, qui aliquot propositiones Theologicas carpebant.

De ente & vno, Opus, in quo plurimi loci in Moyse, in Platone, & Aristotele explicantur.

De hominis dignitate.

Ad Christianę vitę institutionem regulę, siue pręcepta, quibus adiutus homo possit vincere Mundum, & tentationem.

In Psalmum *Conserua me Domine*, qui est xv. Commentarius.

De Christi Regno, & vanitate huius Mundi.

Epistolarum liber. De Astrologia disputationum, lib. 12.

Elegię aliquot. In Platonis conuiuium, lib. 3.

Atqui cęperat Commentarios in Psalmos Dauidis iuxta Septuaginta editionem, alias item lucubrationes in litteras sacras, at mors pręcidit exitum horum laborum.

Porrò cum pleraque in Operibus, quę reliquit, admirationem doctissimis quibusque excitent, pręsertim septem nouę Heptapli expositiones, quas nemo vmquam non solum

non

non tentauerat, sed ne fortassis cogitauerat quidem; contra Syderalem vero disciplinam, quæ Astrologia iudiciaria dicitur, accuratissimè scripserit, expedit, vt imprimis vita eius perlegatur, quam istorum Operum initio à Io. Francisco eius fratris filio conscriptam habemus in primo Tomo. Nam secundus Tomus continet, quæ idem fratris filius scripsit, de quibus vide in verbo, *Ioannes Franciscus Picus.*

Heptaplum verò Latinè à Ioanne scriptum Antonius Bonagratia Canonicus Piscienfis in Hetruscam linguam ante quadraginta annos conuertit.

Ac cum hęc ita sint, præstat tamen de ipso Heptaplo Iudicium Aloysij Lippomani Veronensis Episcopi hucadtexere. Qui cum à Sixto Senensi Auctore Sanctæ Biblioth. quęreretur, cur inter tot nobiles Auctores à se Catenę suæ in Genesim insertos nullam Pici mentionem fecisset, respondit. *Cum catenam Explanationum in Genesim contexerem, eos elegi Scriptores, qui mihi viderentur Moysis verba, & cogitationes expositionibus suis explicare, proinde cum animaduertissem Picum in hoc vnum tantum incumbere, vt Platonicas cogitationes, vel suas potius phantasias verbis, ac dictis Mosaicis exprimeret, nihil me eius opera egere existimaui.*

Ceterum quæ Io. Picus selectiora, & obscuriora dogmata ex eorum Commentationibus dicitur excerpsisse, ea Archangelus Burgonouensis Commentarijs vberibus interpretata, Venetijs edidit ann. 1569.

IOANNES Picus alter, qui Gallus, & in Senatu Parisiensi Præses Classium Inquisitoriarum, Homilias quinquaginta Macarij Aegypti à se è Gręco Latinè redditas emisit Parisijs anno 1559. cum ann. 1557. ibidem edidisset Hippolyti Episcopi, & mart. Orationem de consummatione Mundi, ac de Antichristo, & De secundo Aduentu Domini nostri Iesu Christi. Librum item Theodoreti Episcopi Cyrensis De Quæstionibus Selectis ambiguis Sacræ Scripturæ. Sed & ann. 1563. Opuscula Marci Eremitæ à se conuersa in Latinum è Græco euulgauerat, ibidem.

IOANNIS autem Pici Cartusiensis Paraphrases, & Annotationes in Psalmos prohibitæ sunt in Romano Indice.

IOANNES de Pineda, Societatis Iesu, scripsit primò Tomo, Commentariorum in Iob, libros tredecim adiūcta singulis căpitibus sua Paraphrasi, quę & longioris commentarij Summam continet. Colonię Agrippinę apud Ant. Hierat. anno 1600. Deinde Secundum Tomum vsque ad finem Operis. Qui excusus est ann. 1603. Sed & vterque Venetijs vti & Colonię recusus est. At Didacus Villa in censura Operis impressi in Hispania Madriti ann. 1597. inter alia de hoc libro, inquit: *Opus quod fidei nihil habet aduersum, & Ecclesia Catholicæ est vtilissimum, in quo elucet magnum, & felix Auctoris ingenium; stupenda eruditio: triū linguarum peritia mirabilis. Varia veterum Patrum lectio; & electio rara in eruendis, explicandisq́; genuinis, & hucusque non auditis Iobi sensibus, inaudita fæcunditas, miraque dexteritas, vnà cum modestia, pietate etiam singulari.*

IOANNES alter de Pineda, Ord. Minorum, scripsisse Monarchiam Ecclesiasticam dicitur ab Henrico Villot in eo libro, quem inscripsit, Athenę.

IOANNES Pinus, Tolosanus Riuorum Episcopus, vitam S. Catharinę Senensis scripsit, quę Bononiæ prodijt ann. 1505. De vita vero Aulica libellum Tolosę à Iacobo Colomerio excusum.

IOANNES Pistorius, Niddanus, non ille Hollandus à Vuorden, qui & ob hęresim exustus, & inter primæ Classis Scriptores prohibitus est, sed alius, qui Catholicus Theologus egregiam nauauit operam in conuersione ad fidem Catholicam Marchionis Badensis, & deinde plures annos in Ecclesia Constantiensi, cuius & Canonicus, vtiliter laborauit, vir optimus, & de Catholica religione in Heluetia & Germania superiori optimè meritus, edidit Theorema de fidei Christianę definita mensura: & an hęc sit sola scriptura Canonica, cum episagmate de Sacramentis: disputatum ante biennium Basileę à nihil demonstrante demonstratore Grynæo: iam verò ex iisdem principijs, & penè iisdem verbis explicatum contra Grynæum. Coloniæ apud Geruinum Calenium, & hæredes Quentelios, anno 1590.

Eiusdem

Eiusdem Theses Iacobi Heerbrãdi de visibili Christi in terris Ecclesia, resolutę in quinque principia, ex quibus natæ erant, idest, in malitias, falsitates, errores, antilogias, & blasphemias, & remissæ ad Auctorem. Additæ sunt quinquaginta ex libris S. Augustini sumptæ de Sanctorum reliquijs Theses, vnà cum diuersis Epistolis de Ecclesia ad amicos scriptis eodem Auctore. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium, ann. 1589.

Eiusdem Epistolæ duæ ad Ioan. Pappum, excitatoria, & refutatoria. Friburgi Heluetiorum anno 1592. in quibus ostenditur Lutheranos ne in vna quidem specie cum Hussio consentire.

Confessio S. Bern. de omnibus dogmatibus fidei hodie controuersis ex ipsius scriptis collecta cum cõfutatione sophismatum, quæ à Luthero, Melanchthone, & alijs, præsertim vero à Nicolao Pithæo contra Romanam religionem obijciuntur. Inchoata à Io. Pistorio Niddano, deinde absoluta à Ioan. Paulo Vvindeccio excusa Coloniæ apud Geruinum Calenium & heredes Quentelios. Viuebat ann. 1590.

IOANNES de Pizzano, sic enim scribit Henricus Villot, est Ioannes Peckam, de quo supra suo loco.

IOANNES Placentinus, cognomento Crestonus, Carmelita, Psalterium Dauidis è Gręco in Latinum transtulit, idque Gręcè, & Latinè Mediolani excusum ann. 1481. Asseruabatur autem Florentiæ in Bibliotheca eiusdem Ordinis, dicatum Ludouico Donato Bergomensi Episcopo. Lexicon item duplex reliquit, alterum Gręcum, alterum Latino Græcum. & Epistolas complures haud inelegantes. Viuebat Innocentio Octauo Pontifice Maximo. Extat Epigramma Baptistæ Mantuani de illo ante penultimum libri tertij Syluarum.

IOANNES Plaetch, Germanus, olim Professor Academiæ Heidelbergensis, dum illa staret in Catholica fide, scripsit librum ad Primum Decretalium. Alterum autem contra Boemos. Alium pręnotatum *Quæstiones Sententiarum*. Alium Quæstionum variarum. Sermones item. Viuebat ann. 1430. siue circiter.

IOANNES Plantigenes, Angliæ Rex, Henrici Secundi iunior filius, cum de varijs rebus ad Pontificem Max. ad Episcopos Angliæ, ad Monachos Burienses, Cistercienses, D. Albani, ad Clerum Vuigorniensem, ad Philippum Regem Francorum, ad Matrem Eleonoram, atque ad alios scripsisset Epistolas, scripsit item leges Reipubl. Anglicanæ. Leges Hibernorum. Statuta Regalia. Chartam libertatum Angliæ. Obijsse veneno sublatus ann. 1217. dicitur.

IOANNES de Podio, Gallus, Tolosanus autem Inquisitor, scripsit Chronicon. Nicolaus Bertrandus.

IOANNES Polancus, Hispanus, & natus Burgis (quæ Burgos vulgo dicitur) insigni prope Cantabriam Ciuitate, Theologus Societatis Iesu, qui primus Societatis Iesu generalis Secretarius operam fundandæ Societati, vnà cum primis Prępositis Generalibus pręstitit indefessam, scripsit Directorium ad confessarij, & confitentis munus rectè obeundũ. Qui libellus mole exiguus, vsu autem magnus est, atque perutilis.

Edidit quoque Methodum ad eos adiuuandos, qui moriuntur, qui duo libri Romę, Venetijs, Antuerpiæ, Dilingæ, in Germania, & alibi sępe recusi sunt.

Ceterum De modo orandi, & psallendi cum fructu, libellum edidit, qui est inter Opuscula pro sodalitate Beatiss. Virginis.

Et Historiam Societatis nostræ sui tẽporis accuratè, quæ non prodijt. Obijt ann. 1574. cum omnibus Sacramentis expiatus ipsam sibi methodum de iuuandis moribundis, legi iussisset, & sanctè animam efflasset, cuius morti interfui Romæ. Iam vero litteras, & plurima alia, quæ sub tribus Prępositis Generalibus annis plus viginti tum vniuersæ Societati, tum alijs scripsit penè innumeras seruant Regesta Domus nostrę Professę Romanę.

IOANNES Pole, Anglus, Vitam, & Miracula S. Vvalpurgę Virginis scripsit. Viuebat ann. 1425. Eisingr. Alijs autem, etiam ann. 1430.

IOANNES Polestede, Anglus, Sudouolcas, Carmelita, Theologus, scripsit Commentaria in Magistrum Sententiarum. Conciones per annum. Indicem veterem in D. Au-

gustini Opera. In Aristotelis Physica. Obijt Eboraci, ann. 1541. Iacobus de Plebe, & Petrus Lucius.

IOANNES Politus, Leodius, scripsit Panegyricum ad Christiani orbis Principes, nec non & Vbiorum ac Eburorum aulæ Primores ac familiares. His præter varia epigrammata accesserunt versus chronographici, cum notabilium quarundam rerum, tum verò præcipuorum Coloniensis belli euentuum ad certissimam temporis rationem, indices. Coloniæ apud Godefr. Kempensem ann. 1589.

IOANNES Polomar, Orationem in Concilio Basileensi habuit contra tertium articulum Boemorum, quæ in Tomo Quarto antiquæ lectionis ab Henrico Canisio inserta prodijt primum Ingolstadij ann. 1603.

IOANNES Pontifex Romanus, scripsit ad Auienum Senatorem, Liberium, &c. De duabus naturis in Christo, aduersus Eutychianos. Incipit autem hoc Opusculum, *Olim quidem*, &c. Extat in Bibl. SS.PP. Margarini Bignæi. To.4.

IOANNIS Pont. Max. qui ann. Do. 523. creatus est, Epistola, qua tertio sui anno Pontificatus, scripsit ad Episcopos Italiæ, quibus è locis, errorem Arianæ perfidiæ repellere debebant. Vide Baron. Card. 7. Tomo Annal. sub eundem annum. Ibi enim pars eius extat Epistolæ.

IOANNIS Pont. Max. nomine, sub quo mendaci inscriptione notatur libellus de 3. capitibus, sub Vigilio est restituendus. Vide Baron. Card. sub ann. Dom. 546. Vigilij autem Papæ septimum.

IOANNIS Pont. Max. nomine, qui ann. Dom. 572. tertium decimum sui Pontificatus gerebat annū, extat Epistola ad vniuersos Episcopos Germaniæ, & Galliæ, aduersus Chorepiscopos, qui sibi, quæ essent Episcoporum, vsurparent, quæ habetur spuria, & adeo, vt inquit Baronius Card. 7. Tom. Annal. ex suppositis mercibus Mercatoris. Vide Baron. ibid. pag. 539. D. in prima Rom. editione.

IOANNES Porthesius, Gallus, Ord. Minorum, Gallicè, ann. 1565. Demonstrationes catholicas edidit Parisijs, anno autem 1567. apud Emanuelem Philippum Tornesium. De Verbis Domini HOC FACITE pro Concilio Tridentino aduersus Illyrici nebulas. Antuerpiæ, vbi etiam recusus est anno 1586. Viuebat ann. 1584. eiusque vitam conscripsit Ioannes Masculus (*le Masle*) Andegauensis.

IOANNES Potken, Præpositus Ecclesiæ S. Georgij Coloniensis, qui Psalterium Chaldaicum Aethiopicis characteribus imprimendum curauit, adiecto Alphabeto, nec non legendi modo. Vixit circa ann. 1575.

IOANNES Pouuel, Britannus, scripsit Propugnaculum aduersus Lutheri Babylonicam captiuitatem. Viuebat ann. 1530.

IOANNES quidam, cuius cognomen haud legitur ascriptum, Ord. Præd. scripsit Summam Confessariorum, quæ citatur in Summa Angelica.

IOANNES cognomento Pungensasinum, Ord. Prædic. scripsit in quattuor lib. Mag. Sentent. Librum de vnitate formæ. Alterum De principio indiuiduationis. Vixit circa annum 1295. Ant. Senensis.

IOANNES Pysiensis, Ord. Præd. scripsisse quidem dicitur Lecturam in omnes libros Mag. Sent. Librum contra Corruptorium D. Thomæ. Alterum De Transubstantiatione Panis & Vini in Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento. Alium De aduentu Antichristi. De Vnitate esse, & essentiæ. Et hæc quidem m. ss. alicubi extare in Germania: veruntamen nescio an prodierint.

IOANNES Quinquarboreus Targum, siue Paraphrasim Chaldaicam in Lamētationes Ieremiæ Prophetæ latinitate donauit, quæ cū eiusdem Interpretis annotationibus Parisijs apud Martinum Iuuenem, an. 1549. prodijt. At quid sit sentiēdum de ipso Targum, vide in verbo, Targum. Quin & idem Quinquarboreus alia, quæ huc nō spectant, ex Hebræo in Latinum vertit, nimirum Auicennæ libri tertij Fen secundam, quæ est de ægritudinibus neruorum. Ibidem apud eundem ann. 1579. & libri tertij Fen primæ Tractatum quartum De ægritudinibus capitis. ibid. ann. 1572. Quin & edidit Grammaticam Hebræam.

IOAN-

IOANNES Quintinus, Heduus I.C. & Professor Lutetiæ publicus, Auctoritatem Iuris Canonici, & Canonum Ecclesiasticorum defendit duobus Sermonibus, qui Parisijs prodierunt apud Iacobum du Puys, ann. 1540. vnà cum Theorica, & Praxi ad Ecclesiasticæ Oeconomiæ, ordinisque Tabernaculi conseruationem. Orationem autem pro clero, & quidem huius nomine habuit coram Carolo IX. Galliæ Rege. Aristocratiam Christianæ Ciuitatis, qua descriptio Pontificij, & Regij Imperij continetur in cap. Nouit, de Iudicijs, vbi obiter item notatum aliquid in Responsum Vlpiani De mero & mixto Imperio. Parisijs apud Vechelum.

Eiusdem Exegesis Concilij cuiusdam Generalis in vno beneficiorum multitudinem vetantis 3. lib. Decret. Gregorianarum, cap. 8. Tit. 5. ibidem excusa.

Eiusdem item Commentarij in Canones Apostolorum à Ioanne Zonara collectos, de quibus vide in verbo, Ioan. Zonaras. & in Gangrensem Synodum. Scholia in Tertullianum De præscriptionibus hæreticorum. Ibidem anno 1565. Melitæ Insulæ descriptio. Lugduni apud Gryphium, ann. 1536. & Parisijs apud Vechelum. Tractatus de ventis, & nautica pyxide ibidem apud Vechelum.

An verò hic sit Ioannes ille Quintinus, quem scribunt fuisse Theologum, ac Sermones (vt vocant) Theologales è Doctore Aqueuilla excerptos edidisse emendatos à Ludouico Vnsario, mihi incertum.

IOANNES Rada, Aragonensis, Hispanus, Ord. Minorum, & in Salmanticensi Cœnobio Professor, Controuersias Theologicas inter S. Thomam, & Scotum scripsit, quæ Venetijs apud Ioannem Guerilium excusę fuerunt, ann. 1599. apud quem secunda item Pars earundem Controuersiarum prodijt.

IOANNES Ragusæus, Ord. Præd. ad Basileense Concilium allegatus, Hussitarum hæresim doctis scriptis oppugnault, simulque vitam, & Mores Auctorum eius hæreseos descripsit: ostendens item vtriusque speciei porrectionem nulla ratione expedire. Viuebat anno 1438.

IOANNES Raimundus, Gallus, & Comes Cōuennarum, ac S.R.E. Card. scripsit De Passione Domini. Sermonesque alios festis sollemnibus habitos. Viuebat an. 1327.

IOANNES Raitu, siue *Raitensis Abbas*, scripsit in commendationem S. Io. Climachi, quod huius Operi est adiunctum. Epistola item ad eundem, Extant in Biblioth. Sanctorum Patrum. Tom. 5.

IOANNES Rasch, Ciuis Viennensis, Austrię, edidit Cantica Ecclesiastica De Natiuitate Saluatoris; & in Monte Oliuarum, dum esset Cantiones Paschales. Hymnum *Salue Regina*. Cantum choralem Missæ Paschalis quattuor, & plurium vocum, ann. 1572.

Quin & de Cometis in genere, ac præsertim De noua Stella, quę ann. 1573. ac de nouis Cometis, quę ann. 1577. & ann. 1581. apparuerunt. Monachij ann. 1582. Item Tractatum de terręmotibus, eorumque significatione, & effectis. Germanicè ibid. eodem anno.

IOANNES Rastallus, Anglus, hac nostra ætate, scripsit Confutationem Concionis Iuelli hæretici. Duos itē Tractatus, quibus plures imposturas, & malignas in libris Iuelli corruptiones indicauit, propter quæ omnia cauenda ab Iuello monet.

IOANNES Raulinus, Gallus, Ord. Cluniacensis, vberes eruditione Sermones tū Quadragesimales, tum De Aduentu. Doctrinale item de triplici morte Naturali, Culpæ, & Gehennæ. Et Itinerarium Paradisi reliquit: quæ omnia prodierunt Venetiis ann. 1575. & 1585. apud Altobellum Salicatum.

IOANNES Rebellus, Lusitanus, è Prato (quod dicitur De Lamego) Societatis nostrę, Rosarium B. Virginis Idiomatè Hispanico conscriptum edidit Eborę in Lusitania ex Typographia Emmanuelis Lyrani, ann. 1600.

IOANNES Redaldus, Kalendarium ad annos centum vsui vniuersæ familiæ Franciscanorum iuxta Romani Breuiarij ritum edidit Venetijs ann. 1580.

IOANNES Redmannus, Anglus, Theologus, scripsit De Iustificatione, atque Hymnum eiusdem argumenti. Antuerpiæ Ioannes Vuithagius ann. 1555. excudit.

IOANNES Regius, Gallus, Sacerdos, scripsit carmine Parthenandriam D. Ioannis

Baptistæ libris quinque ad Quintinum Benedictum Abbatem S.Guilleui. Vitam D.Hieronymi. Viuebat ann. 1510.

IOANNES de Regno, Gallus, & Carmelita, Cõuentus Tolosani, scripsit In Sent. lib. 4. In Euang. Matthæi. Sermones de Tempore, & de Sanctis. Quadragesimale. Trit.

IOANNES Rennamara, Teutonicus, scripsit De Passione Domini. Sermones item alios. Defensorium sui. Franc. Gonzaga.

IOANNES Repingale, Anglus, in Lincobriensi Comitatu, Carmelita, scripsit Sermones Dominicales 83. De Sanctis Sermones 43. Librum Concionum Synodalium. In Episcopi visitationibus, alterum. Viuebat ann. 1350.

IOANNES Reuchlinus, etsi alia scripsit: eius tamen libri, qui prænotantur *Speculum Oculare*, De verbo mirifico, & De arte Cabalistica prohibiti sunt in Romano Indice.

IOANNES Reynardus, Ord. Prædic. Conuentus Diensis, (quæ Ciuitas est in Delphinatu in Gallia) edidit Sermones Quadragesimales. De Peregrinatione generis humani. Lugduni apud Simonem Vincentium, ann. 1515.

IOANNES de Ribas, Hispanus, Ord. Minorum, Sextus è duodecim eiusdem Ordinis Patribus, qui ad Indos transmittentes, primi illos sacro lauacro regenerarunt, Prouinciæ S.Gabrielis, Mexicanis monimenta reliquit,

Catechismum ad rudes catechizandos. Sermones Dominicales totius anni. Dialogũ, quo perfecti Christiani mores exprimuntur. Vitas Patrum, qui præcessere, ac quorum studio Mexicanis fidei lux illuxit è Latino Mexicanas reddidit. Obijt ann. 1562. die 25. Iunij flexis propè lectulum genibus Tetzucani in Cœnobio Ordinis. Franc. Gonzaga in Historia Seraphica.

IOANNES Richardi, Ordin. Minorum, Episcopus Draconensis (non autem ille Osonæus, qui prohibitus est in Romano Indice) edidit Compendium Theologiæ. Franciscus Gonzaga.

IOANNES Ricutius Vellinus, Ord. Min. Vide in verbo, Ioannes Camers.

IOANNES Rideuall, Anglus, quem Henricus Villot, & alij Ordin. Minorum, alij vero Augustinianum faciunt, scripsit In Psalterium. In Canticum Canticorum. In Epistolas Pauli. In Augustinum De Ciuitate Dei. Lecturas Scripturarum. Sermones per annũ. Librum de Cælibatu, siue de non ducenda vxore. In Mythologias Fulgentij, quæ tamen non Afri Ruspensis Episcopi, sed alterius Fulgentij esse videntur. Vide in verbo, Fulgentius Ruspæ Episcopus. In Valerium Maximum. Sed & Commentarios in Metamorphosin Ouidij. Qui tamen non probantur, quòd sub illarum fabularum tegumento latere Christiana præcepta ostendit, quemadmodum item in Mythologijs Fulgentij facit, agens de virtutibus, & vitijs sub imaginibus Deorum, & Dearum, quos olim vana Gentilium superstitio coluit.

IOANNES Rigandus, Gallus, Ordin. Minorum, Pœnitentiarius Clementis V. scripsit Summam Confessariorum.

IOANNES Rioche, Britannus, Ordinis Minorum, illius Prouinciæ Minister, scripsit Compendium temporum, & historiarum ab Ascensione Domini ad Cœlum usque ad annum 1576.

IOANNES è Ripa Transonum, Picens, Ord. Minorum, *Doctor difficilis* dictus, qui inter alia Græcos ad S. Sedis obedientiam adducere curauit, scripsit

Sermones de Tempore.
Sermones de Sanctis.
In quattuor libros Sententiarum, cuius initium est: *Amice ascende superius.*
In multos libros Aristotelis, maximè de Anima.
Quæstiones de formalitatibus.
De vitijs. De virtutibus.

IOANNES Rochus Portius, Ticinensis, Ordinis Diui Augustini, Theologus, scripsit Homilias in Euangelia, quæ diebus Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ recitantur. In libros quoque Sententiarum, & in omnes Diui Pauli Epistolas. Mantuæ Ordinis sui Generalis anno 1471. ætatis vero suæ 74. obijt in Aede S. Agnetis sepultus. Iacobus Bergomas.

IOAN-

IOANNES Rode,(non *Rhodius*, nam hic in Romano Indice prohibitus eſt) Germanus, Theologiæ Baccalaureus, deinde Metenſis Canonicus,poſt Cartuſianus, poſtremò Abbas S.Matthiæ Treuirenſis,Congregationis Bursfeldenſis, cuius fuit vnus è præcipuis Reformator,ſcripſit pro reformatione Monachorum Conſtitutiones vtiles,ac De qualitate Abbatis. Et alia nonnulla. Obijt ann.1439. Abbatię ſuę vigeſimo, prima die Decembris,& in Aede D.Matthię ibidem ſepultus eſt. Arn.Vuion.

IOANNES Rodyton, Anglus,monachus Benedictinus, qui vixit ann.1370. Scripſit in libros Sententiarum quattuor Replicationes Scholaſticas. Item Determinationes Theologiæ.

IOANNES Roffenſis,Anglus,& martyr pro tuenda fide Catholica ſub Henrico Octauo eius Inſulæ Rege, qui ab Eccleſia defecerat, librum ſcripſit inſignem De Romano Pontifice. Defenſionem item Sacri Sacerdotij aduerſus Lutherum. Confutationem quoque Aſſertionum Lutheranorum,quæ Venetijs apud Gregorium de Gregorijs ann.1526.Antuerpię vero apud Io.Stelſium,ann.1537. prodijt.

IOANNES Romanę Sanctę Eccleſię Diaconus, ad Ioannem VII. Pontif. Max. ſcripſit Vitam Sancti Gregorij Magni Papę, primi huius nominis. At vide in verbo, Ioannes Diaconus.

IOANNES Romberch Kraſpenſis,Germanus,edidit Panegyricum De dignitate,& officio Sacerdotij Euangelici. Colonię ann.1532.

IOANNES Roſoynus, Gallus, ſcripſit Gallicè, atque edidit librum inſcriptum, *Reliquiæ animæ peccatricis. Les Reliefs de l'alme pechereſſe*. Pariſijs apud Io. Andream an.1542.

IOANNES Royardus,Belga,Ordin.Minorum, quem alii Antuerpiæ, alii è veteribus Heruiis *Oldenardi*, ſiue *Aldenardi* natum exiſtimant, ſcripſit Homiliarum in omnes Dominicales Epiſtolas iuxta literam, & in Euangelia Quadrageſimalia. Quę primò Antuerpię apud Ioannem Stelſium, ann.1538. Pariſiis autem ann.1548. apud Audoenum paruum. Deinde Lugduni ann.1573. fuerunt duobus Tomis excuſa. Viuebat ann.1540. & vltra.

IOANNES à Royas, Hiſpanus I.V. Licentiatus, Inquiſitor hęreticę prauitatis Valentinus, ſcripſit Tractatum de Hęreticis cum quinquaginta Analyticis aſſertionibus, & Priuilegijs Inquiſitorum. Quem pręnotauit, *Singularia Iuris in fauorem fidei, hæreſisq́ deteſtationem*, cum Annotationibus Franciſci Pegnę Theologi, & I.V. C. adiectis 25. Quæſtionibus controuerti ſolitis coram Iudicibus fiſci ſanctę Inquiſitionis, quas Quęſtiones ſcripſit Gabriel à Quæmada, vt habes in eius verbo. Venetijs apud Franciſcum Zilettum, anno 1583.

IOANNES Rubus, Hannonius,Belga,Concordantiam Euangelicam, ſiue Quattuor Euangeliſtarum in vnum Hiſtorię Corpus conſenſum edidit Duaci apud Io. Bogardum, ann.1575. quæ antea Coloniæ prodierat ann.1572.poſtea vero Leodij ann.1593.excuſa eſt. Obijt apud Duacenos Prępoſitus ann.1595.

IOANNES Rufus, Ordin. Prædicatorum,ſcripſit De Romanis Pontificibus, librum. De Cæſaribus, ſiue Impp. Alterum. Annales ſuæ Patriæ. Viuebat prope ann.1290.

IOANNES de Rupe ſciſſa, Ord. Minorum, quem ait Henricus Villot fuiſſe Pariſienſem Epiſcopum, ſcripſit in lib.Quattuor Mag.Sent. Ei item aſcribunt librum Reuelationum quarundam,& Oraculum Cyrilli. Viuebat ann.1340.Trit. alijs verò 1240.

IOANNES Rupellenſis, Aquitanus, Ord. Minorum,Theologus Pariſienſis, Alexandri Alenſis olim Pariſijs auditor, ſcripſit in Apocalypſim, In Matthæum, In omnes Pauli Epiſtolas. Summam virtutum, & vitiorum. In Mag. Sententiarum. Sermones Dominicales. Obijt ann. 1271.

IOANNES Rusbrochius, primus Valuerdenſis, ſiue Vallis viridis Monaſterij propè Bruxellas Brabantiæ Prior, ſcripſit Opera, propter quæ Dionyſius Cartuſianus Tractatu 2. de Spiritu Sancto Artic.13. alterum Dionyſium Areopagitam eum appellat. De eius autem Operibus, cum altiora contemplans altius loqueretur, viſus eſt aliquibus, atque adeo Ioanni Gerſoni Cancellario Pariſienſi ſapere nonnihil erroris, ne dicam & hæ-

Cap. 1. de Sūma Trin. & fide Cath. in fi. vbi Ostiens. Gerson, p. 3. in ep. Respons. ad Ioan. Schonou. versicu. Qui adheret. & p. 8. de Mystica Theolo. Specul. cōsid. d. 41.

resfeos, quam Ecclesia condemnauit in Almarico Hęretico: veruntamen & Ioānes Schonhauiensis, (quem Tritemius nominat Schonoen) Canonicus Regularis D. Augustini, Valuerdæ, de quo Monasterio supra locuti sumus, & Surius Cartusianus Rusbrochium tuentur. Vide Surium in præfatione ad Rusbrochium, & Gerardum Hamon, & eundem Schonouiensem in sua Apologia. Atqui alia Rusbrochij Opera nondum viderat Ioan. Gerson, quemadmodum ipsemet testatur. Et verò error, qui in Rusbrochio esse dubitabātur, inde ortum habere visus est, quasi dixisset creaturam propter vnionem cum Deo desinere esse, quem ille errorem disertè haud semel detestatur, quippe qui dicat Animam semper remanere animam. Sed & legendæ sunt Gasparis Placentini Canonici Regularis præmonitiones ad Opera Baptistæ Vernaciæ Virginis. De quo vide in verbo, Baptista Vernacia. Extant autem Rusbrochij scripta è Germanica in Latinam linguam conuersa Laurentio Surlo interprete, Coloniæ edita ann. 1552. Ea verò sunt.

Summa totius vitæ spiritualis.
Speculum salutis æternæ.
In Tabernaculum Moysis, & ad id pertinentia Commentaria, vbi multa etiam Exodi, Leuitici, Numerorum mysteria Diuino spiritu explicantur.
Tractatus de pręcipuis quibusdā virtutib.
De fide, & iudicio libellus.
De quattuor tentationibus.
De septem custodijs Opusculum longè pulcherrimum.
De septem gradibus amoris.
De nuptijs spiritualibus, libri tres, siue de ornatu spiritualium nuptiarum.

Et hic liber ille est, de quo cum iudicium tulisset Ioānes Gerson in prima parte suorum Operum, eiusque libri duas primas partes non improbasset, laboremque illum ostendisset non esse cuiusdam idiotæ, quemadmodum nonnulli existimabant, tertiam tamen eiusdem libri partem prorsus repudiandam, & rescindendam (vt ille ait) asseruit, tum quòd à doctrina sana de beatitudine discrepet, quasi Deus non sit visio, & claritas nostra essentialis, sed tantum obiectalis: tum quod de anima Deum contemplante plura (inquit) affert absurda. Atqui cū Io. de Schonauiēsis (vt dixi) conatus esset satis lōga Epistola, quæ extat apud Gersonem, tueri Io. Rusbrochium aduersus ipsum Gersonem, Gerson illi respondit breuiore Epistola, sed graui, & matura; qua simul indicauit, quàm circumspectè ipsis quoque vocibus uti debeant, qui dogmata tractant Ecclesiastica.

Porrò legenda est vita Rusbrochij, quæ præfixa est eius Operibus. Vita item Thomæ de Kempis, vbi de eodem Rusbrochio agitur. Quin & Dionysius Cartusianus, lib. 3. De Contemplatione c. vlt. qui illum defendit. Vide item quæ in Dionysium Areopagitam breuiter attingit, vbi de Mystica Theologia c. 5. art. 10. ad fin.

Vixit Rusbrochius ann. 1390. Malè autem (vt plurima alia) duo ponuntur à Iacobo Frisio Tigurino in sua collectione Gesnerianę, & Simlerianę Bibliothecarum Io. Rusbachius, & Io. Rusbrochius, quasi duo fuerint, cum vnus tantum sit.

IOANNES Sabinensis, Episcopus, scripsit in Psalmos, & Sermones de Sanctis.

IOANNES Sacranius, scripsit De erroribus Rutenorum.

IOANNES Salhausen. Vide in verbo, Misnensis Episcopatus Synodalia statuta.

IOANNES Salon, Valentinus, Ordin. Minorum, edidit De emendatione Romani Kalendarij, & De Paschalis sollemnitatis ad propriam diem reductione, quæ denique à Gregorio XIII. Pont. Max. summa prudentia, & diligentia restituta est.

IOANNES de Sancta fide, Anglus, Carmelita, scripsit Glossemata in Euāgelium Ioannis, encomium item Ioannis, primamque huius Apostoli Epistolam exposuit. Collectiones item Scripturarum. In Matthæi Euangelium. Cōcordantias D. Thomæ. Locos contrarietatum, quæ videntur esse. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Tabulam iuris. Obijt Burnehaniæ ann. 1359.

IOANNES Sapiens, cognomento Cyparissiotus, quem constat non uixisse ante annos quingentos, cum Messanæ in Sicilia extaret in Bibliotheca Ioannis Lascaris, literarum Græcarum peritia nobilissimi, è Gręco versus in Latinum est editus, ac Scholijs, & Annotationibus illustratus à Francisco Turriano Societatis Iesu, ann. 1581. Romæ ex Typographia Dominici Basæ.

Libri

Libri inscriptio est: *Expositio materiaria; siue elementaris eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur:* Græcè autem ἔκθεσις στοιχειώδης ῥητῶν θεολογικῶν. Et D.quidem Dionysius capite quarto de Diuinis nominibus,quam ἀρχὴν στοιχειώδη dixerat, vertit Interpres vetus, *Principium Elementarium*, quod S. Thomas interpretatus est, *materiale*.

Partitus autem est hoc Opus in decem Decades, vt agat.

I. Decas de Theologia Symbolica.	VI. De apparitionibus Diuini luminis.
II. De Theologia demonstratiua.	VII. De Diuina participatione.
III. De Diuinis emanationibus.	VIII. De infinitate Dei in creaturis.
IV. De informatione Diuini nominis.	IX. De infinitate in Deo.
V. De proprietatibus Diuinorũ nominũ.	X. De Diuina simplicitate.

Ergo cum Auctor has Decades in generalia distribuisset, vnamquamque verò Decadem composuisset ex partibus suo ordine, quæ sunt στοιχεῖα, idest *elementa*, & *materia* ipsius Decadis, sicut literę, syllabę, idcirco hanc methodum vocauit expositionẽ στοιχειώδη, idest *elementariam*; vel meliore, & antiquiore verbo, *materiariam*. Rationem hanc istius inscriptionis,& alia huc spectantia exposuit susius Franciscus Turrianus ea Epistola, qua Antonio Augustino librum inscripsit.

Iam vsus huius libri multiplex est; Primò quidem ad eam omnem partem intelligendam, quæ à Theologis de Deo, & Dei nominibus, De simplicitate, & infinitate, De existentia in rebus, De cognitione Dei, & de alijs disputantur: quare & D. Dionysij tractationi de Diuinis nominibus percipiendę apprimè conducit, prę sertim coniuncta cum ijs, quę Turrianus ex Scholijs S.Maximi, Georgij Pachimeri, & S.Thomę adiecit. Accum Auctor inseruerit auctoritates Patrum eorum,qui cum doctrina D. Dionysij conspirarũt, Iustini Martyris, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Basilij, Gregorij Nysseni, Epiphanij, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini,& alterius Cyrilli Hierosolymitani,Germani Constantinopolitani, Sophronij Hierosolymitani, & aliorum, intelligi potest, quantus ex hoc libro vsus constabit ad Apostolicam ipsam reuelatarum à Deo rerum traditionem cognoscendam,quam Dionysius in argumento Diuinorum nominum sibi proposuit. Accedit vtilitas illa sciendi,quomodo tunc antiqui Theologi,& Patres Ecclesiæ de istis, quæ deinceps ab Theologis Scholasticis subtilius disputata sunt, sentiebant; & quibus verbis, ac verborum formis in eis vtebantur: cui toti rei (quod ad præsentem Auctorem pertinet) magnam attulit lucem Turrianus, suis ad eum Adnotationibus.

Eiusdem autem Ioannis Sapientis feruntur esse, tum Philosophiæ Synopsis, tum Tractatio de Meteoris, quæ Græcè extant in Vaticana Bibliotheca.

IOANNES Saracenus è Græco Latinos fecit libros D.Dionysij Areopagitæ excusos iam olim Coloniæ ann.1536. sed postea alibi non semel recusos.

IOANNES Saresberiensis, Anglus, Episcopus Carnotensis, scripsit Opus Pœnitentiale. Vitam D.Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, cognomento *Beckett*. Obiurgationem cleri. Polycraticum libris octo. De nugis Curialium, & vestigijs philosophorum, qui in Gallijs à Constantino Frandino ann. 1513. fuerunt excusi. Eucheticum carmine. De membris conspirantibus. De Tyrannorum exitu. Epistolas. Architrenium. Viuebat ann.1182.

IOANNES Saxo, qui & dictus *de Saxonia*, Teutonicus, & Ordin. Minorum, scripsit Summam de Casibus. Sermones de Tempore,ac de Sanctis. Quin & idem esse putatur, qui Summam Iuris, & super consuetudines Turonenses aliquid elucubrauit. Viuebat anno 1350. Clemente Sexto Pont. Max.

IOANNES Saxonius, vt habent Chronica Ord.Seruorũ, eiusdem Ordinis, scripsit in Esaiam Prophetam. Sermones aliquos in Psalmos,& Historiã Germanię. Vixit an.1412.

IOANNES Scalcus, Antuerpiensis, Orationem vberem edidit Lugubrem de Antiochena seditione, & statuarum deiectione ann.391.Theodosio Imp. apud Gulielmum Antuerpiensem ann.1572. Xenium item Euangelicum,quatenus ad normam sacrarum Scripturarum benè, beateq; cuilibet vita sit instituenda,& moderanda. Ibidem apud Antonium Tilenum Brechtanum ann.1579.

IOAN-

IOANNES Scandeberi. Vide in verbo, Ioannes Stamberij.

IOANNES Scandellandus, Teutonicus, Ord. Prædicatorum, Frater Ioannis Hudalrici, Commentaria Græca scripsit in Epistolam D. Pauli ad Hebræos. In Translatione autem Theophylacti ab hæretico Latinè redditi plerosque reperit errores. Obijt Colmariæ anno 1576.

IOANNES Schadlandt, Ord. Prædicatorum, Germanus, Coloniēsis, Augustanensis. & Vvormatiensis Ecclesiarum Episcopus De S. Trinitate volumen edidit. Sermones in honorem Sanctorum plures scripsit. Viuebat ann. 1365. Eisingr.

IOANNES Scholotanus, Goffensis, Ord. Prædic. scripsit De retinenda fide Catholica contra sectam Lutheranam. De Baptismo item, ac de Ieiunio. Sermones elegantes. Viuebat ann. 1553. Eisingr.

IOANNES Schonerus, Tabulas tam generales, quàm speciales, omnia quæ in tribus partibus Summæ Theologiæ D. Thomæ Aquinatis continentur, breuiter complectentes, edidit Bambergæ, apud Antonium Horitzium, ann. 1602.

IOANNES de Schonheuen, Germanus, Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini in Gronedalli, scripsit De cursu Monachi, libr. De profectu autem Monachi, alterum. Sermones item De Sanctis. Viuebat ann. 1421. Eisingr.

IOANNES Schoonhonius, alijs *Schodehouen* Germanus, Carmelita, & sui Conuentus Prior, scripsit Opus de vitijs, atque virtutibus, & omni materia (vt vocant) siue argumento prædicabili, quod prænotauit *Polypodium* non mediocri concionatorum commodo. Id per Alphabeti seriem contextum duobus Tomis continetur: Libros item duos Sermonum.

IOANNES Schuueigerus, Collegij ad Beatiss. Virginem Frācofurti Scholasticus, edidit Epitomen tredecim librorum Confessionum S. Augustini, Coloniæ ann. 1569. Versionem quoque Germanicam Latinæ Petri Canisij explicationis Epistolarum, & Euangeliorum, ibid. ann. 1574. cum D. Augustini Meditationes, Soliloquia, & Manuale absē Germanicè redditas Coloniæ ann. 1571. emisisset.

IOANNES Scotus. Vide in verbo, Ioannes Duns.

IOANNES alter Scotus, cognomento, *Erigena*, Monachus Londinensis, Ord. D. Benedicti, Congregationis Giribennæ, ac Bedæ venerabilis discipulus, qui Ticini primus iecit fundamenta eius Academiæ Caroli Magni iussu, scripsit in Euangelium D. Matthæi, libros quattuor. Vnum De officijs humanis. Alium, De diuisione naturæ. Vertit autem è Græco in Latinum S. Dionysij Areopagitæ Opera, quæ & Commentarijs primus illustrauit. Quę Commentaria cum Dionysij Cartusiani Operibus cernuntur excusa Coloniç ann. 1336. Esse autem hunc illummet, qui fuit Abbas Vercellensis, Arnoldus Vuion in suo Ligno Vitæ euincere conatur, quidquid secus scripserit Tritemius de Viris illustribus Ord. S. Benedicti, lib. 2. c. 27. & 46. Alij addunt, hunc dictū quoque fuisse *Mailrosium*. Isidorus etiam vocatum *Chrysostomum*. Sigebertus vero eius Operum meminit, versionis autem Dionysij Areopagitę non meminit. Sanè verò fuit Abbas Vercellensis, ac fine controuersia, Thomas, appellatus. Sic enim habet Vercellis ad S. Andreæ, cuius Cęnobij fuit Abbas, antiquum Epitaphium, eius tumulo, & imagini subiectum. Pręfert autem imago D. Benedicti cucullam.

IOANNES Scythopolita, Scholasticus, scripsit Gręcè contra Eutychem, atque Dioscorum hęreticos Diuinam, & Humanam naturā in Christo negantes. Eius meminit Photius in sua Gręca Bibliotheca, qui & perspicuum, & purum, & fortiter contra hęresim pugnantem asseruit.

IOANNES Segobiensis, Hispanus Coranum (quem vulgo Alcorannm nominãt) hoc est impiam Mahometis legem Turcicam solidis rationibus euertit, quod & alij pręstiterūt, De quibus vide, quę in primo Tomo Selectæ nostræ Bibliothecæ scripsimus, in lib. de iuuandis Turcis. Ceterum Alcoranus ipse Mahometis Basileæ impressus, ac similes cum Scholijs, & impijs Annotationibus, & Præfationibus, Item in vulgari lingua, non nisi ex concessione Inquisitorum, haberi possunt, quemadmodum in Romano Indice librorum prohi-

prohibitorum cautum est. Nimirum Sanctæ Spiritus Ecclesiæ eò semper collineat, vt ne quis eiusmodi erroribus inficiatur, si verò versandi sunt tales libri, id fiat, ut errores omnino euellantur. Meminit eius Ioannis Segobiensis Aeneas Syluius in sua Europa c.42.

Quin & idem Segobiensis collegit Concordantias Partium Orationis indeclinabilium in Biblijs, quæ vna cum maioribus Concordantijs coniunctæ prodierunt. Quòd autem scripserit, siue adeo ediderit duo volumina de Actis Concilij Basileensis (quod quidem à S. R. E. non est confirmatum) non omnino certum est mihi. Id certum est, nomine alterius Ioannis Segobiensis, Ord. Prædicatorum, lib. quattuor De prædicatione Euangelica (qui Compluti primò prodierũt) deinde Brixiæ fuisse excusos apud Petrum Mariam Marchettum anno 1586. in quibus De forma (vt habet inscriptio) studendi, atque docendi Scripturam Sacram, ac de Concionatoris officio vberrimè agitur. Quin & tria volumina Sermonum de Sanctis scripsisse ait Anton. Senensis, sed nescire se, num eulgata fuerint. Viuebat ann. 1576.

IOANNES Segura D'Aualos, Vbetensis I. C. emisit in lucem Directorium Iudicum Ecclesiastici fori. Venetijs ann. 1596. apud Matthęum Valentinum.

IOANNES Sharpe, Anglus, scripsit aduersus Viclefi hæretici sectatores.

De Orationibus item Sanctorum.
De viatorum suffragijs.
De Incarnatione Verbi.
De potestate Sacerdotij.
De Sacrarum Imaginum veneratione.
De peregrinationibus.
De pluralitate beneficiorum.
Quodlibeta diuersa.
In Quodlibeta quoque Scoti.
Ordinarias lectiones.
De vniuersalibus, librum.
Quæstiones eorundem, librò altero.
Quæstiones Physicorum, lib. 8.
Scriptum itẽ excerptũ è Burleo in Ethica.

IOANNES Sichardus, Germanus, Aurelij Prudentij Poemata Scholijs illustrauit, præter alios quosdam Auctores ab eodem recognitos, qui huc non pertinent.

IOANNES Simonis, Hollandus, Ordin. Carmelitarum, scripsit De potestate Summi Pontificis, Conciliorum, & Cæsaris. & librum Concionum. Viuebat anno 1475. Eisingrenius.

IOANNES Sloley, Anglus, Patria Nordouicensis, Ord. Augustiniani, qui & eiusdem Ordinis in Anglia gessit Prouincialatum, Quæstiones varias, & Sermones per annum reliquit. Deinde Nordouici obijt ann. 1479.

IOANNES Soarez, Conimbricensis Episcopus, & Comes Arganel, & ipse Lusitanus, Ord. Augustiniani, qui & Tridentino Concilio interfuit, scripsit Commentarios in Euangelia Matthæi, & Lucæ; qui excusi sunt, in Euangelium quidem Lucæ Conimbricæ apud Ant. à Maris, ann. 1574. In utraque verò Parisijs apud Sebastianum Niuellium, an. 1578. & ann. 1604. & Conimbricæ itidem ann. 1579. At locupletior editio secunda prodijt ibidem anno 1604. apud Viduam Niuellij.

IOANNES Somer, Ord. Minorum, cõposuit Kalendarij castigationes, lib. 1. Tertium Kalendarij librum. Astrorum Canones altero. De facultate metrica alium. De quantitate anni alium. Viuebat ann. 1300.

IOANNES Somerton, Anglus, Ord. Prędic. Nordouicensis Cęnobii, scripsit Sermones per annum. Qui m.s. extabant in Londinensi Bibliotheca.

IOANNES Sonnemani, hoc est, *Vir solis*, Germanus, & Cęnobii in Hassia Carmelita, scripsit De decem pręceptis. De superstitionibus. De contractibus. Casus contra reemptionem censuum. Sermones de Tempore, & de Sanctis. Viuebat ann. 1460.

IOANNES Soreth, Normanus, Gallus, Prior Generalis totius Ordinis sui, scripsit

In quattuor libros Mag. Sententiarum.
Librum Concionum.
Duplicem Regulæ sui Ordinis Expositionem.
Constitutiones eiusdem Ordinis redegit in meliorem ordinem.
Librum aduersus adulteros.
Epistolas ad Franciscanos.

Obijt Andegaui in Gallia Sixto IIII. Pont. Max. ann. 1471. Quẽ multis coruscasse miraculis nõ modo Tritemius, sed & Iacobus Philippi Bergomas in suo Supplemẽto testantur.

IOAN-

IOANNES Soteallus, edidit Summam Pontificalium, & Synodalium Constitutionum in communes locos redactam. Louanij apud Petrum Zangrium, ann.1570. Idem autem Soteallus, & Horatius Lucius I. C. Adnotationes ad marginem addidere ad Canones, & Decreta Tridentini Concilij.

IOANNES Souule, Londinensis, Anglus, Carmelita, scripsit Sermonũ è D. Paulo, lib. Diuisiones thematum altero libro. Conciones per annum. Obijt ann. 1508.

IOANNES Spanheimensis. Vide in verbo, Ioannes Tritemius.

IOANNES Sporre, Treuerensis, Germanus collegit è varijs Auctoribus Opus haud contemnendum De casibus Matrimonialibus. Arnold. Boscius.

IOANNES Spynę, Anglus, Carmelita, scripsit Disputationes, quas prę notauit sollemnes. & Conciones Aestiuales. Obijt ann. 1484.

IOANNES Stafford, Anglus, Ord. Min. congessit Latinè historiam Anglicam.

IOANNES Stamler, Germanus, & Presbyter Augustanus, librũ edidit Augustæ Vindelicorum, ann. 1508. De Tartarorum, Sarracenorum, Turcarum, Iudęorum, & Gentilium Sectis, & ritibus cum eorumdem confutatione, nostræ autem Sanctæ Christianæ fidei confirmatione.

IOANNES Stambery, quem Tritemius libro de Scriptoribus Carmelitarum, nominat *Scandeberi* & quem licet multa scripsisse ferebatur, nil tamen eorum ad suas peruenisse manus testatur, Anglum fuisse, & Carmelitam, & Episcopũ Heresfordensem in Anglia nõ negat, vixisse ab eodem Tritemio dicitur Sixto Quarto Pontifice Max. ann. 1480. Quæ res fecit, vt Petrus Lucius Carmelita, qui de Viris illustribus sui Ordinis accuratè scripsit, hæc quæ sequuntur de Io. Stambery planius attulerit. *Nihil* (inquit) *prorsus dubito, quin vnus & idem sit, quem eruditissimus vir Iacobus de Plebe, Ordin. Seru. in suo Indice Scriptorum Carmelitarum vocat Ioannem Stambery, eiusque plurima enumerat opera ab eodem conscripta. Lectori tamen integrum relinquo sentire & iudicare. Verba Indicis dicti R. P. Iac. sunt ista. Ioannes Stambery Carmelita, Magister Oxoniensis, Bangonensis Episcopus, ac Heresfordensis Præsul, scripsit Lecturam Sententiarum. De laboris vniuersi præmio. De Symbolo fidei. De dote Ecclesiæ. De vigore Decretorum. De sanctionibus Ecclesiasticis. De potestate Pontificia. De discrimine iurisdictionum. De prærogatiua Ecclesiastica. De vigore Scripturæ sacræ. De casu & fortuna. De vario Scripturæ sensu. De fato & fortuito. De regimine celebrantium. De quattuor minimis. De visitatione infirmorum. De cura pro mortuis agenda. De laude charitatis. De disciplina Christiana. In Augustini Confessionale. In eundem super Ioannem. In eundem De doctrina Christiana. In Enchiridion eiusdem. Sermones multos, & alia. hæc ibi. Oritur tamen noua dubitatio & scrupulus, quòd ibidem addatur mortem obijsse ann. 1464. cum tamen Trit. loco iam citato crediderit adhuc vixisse ann. 1492. Cum opus de Script. Carmel. conderet. Suspicor errorem esse in numero annorum, nisi quis ex vno faciat duos, ita vt dicamus, alterum eorum fuisse Episcopum Bangonensem, alterum vero Heresfordensem, & vt vni nomen fuerit Ioan. Stamberius, alteri Ioan. Scandeberius, quod tamen mihi non est verisimile.* Hæc Petrus Lucius Carmelita.

IOANNES Standitius, Anglus, Ordin. Minorum, scripsit aduersus Erasmi versiones Noui Testamenti. Viuebat ann. 1520.

IOANNES Staphileus, Dalmata, Episcopus Sebenicensis, qui fuit Auditor Rotę, scripsit Tractatum de Gratijs, Expectatiuis, & litteris Gratiæ, atque Iustitiæ. Venetijs excusum ann. 1540. Eiusdem extare feruntur manuscripta quædam De bello, & pace ad Vladislaum Pannoniæ, atque Boemiæ Regem.

IOANNES Stauratius, Orationem scripsit De B. Demetrio, quæ m.s. extat in Bibl. Imp. Viennæ Austriæ.

IOANNES Steindorff, Germanus, scripsit Lecturam ad Sextum Decretalium. Consilia item.

IOANNES Stella, Venetus, & Sacerdos, scripsit De Summis Pontificibus à D. Petro vsque ad Iulium Secundum, & ad annum Christi Domini 1503. ad Antonium Surianum Patriarcham Venetum. At cauendum ab editione, quæ è Ciuitate hęretica prodijt.

IOAN-

IOANNES Stephanus, Chizzola, natus Riparoli, quod est inter fines Mantuanos, ac Cremonenses insigne oppidum, Carmelita, Cœnobij Cremonensis, allegatus Commissarij nomine à Sixto V. Pont. Max. ad visitandas Ordin. Carmelitarum Prouincias Galliæ, & alias Septentrionales, scripsit in libros Mag. Sententiarum. Conciones Quadragesimales. Plerumque item in Philosophicis.

IOANNES Stephanus Durantus, Gallus, secretioris Regij Consistorij Consiliarius, Senatusque Tolosani primus Præses, libros tres de ritibus Ecclesiæ Catholicæ pereruditos, & antiquæ veritatis plenos edidit ann. 1591. Romæ in typographia Vaticana per Dominicum Basam, eum nō multo post in tumultibus Gallicis vir optimus nobis sublatus est. Hoc autem Opus, si quis eum libro de Diuinis officijs Ruperti Tuitiensis, & eum eo, qui à Gulielmo Durando inscriptus est. *Rationale Diuinorum officiorum*, legerit, habebit vnde & liquidiorem hauriat lucem, & quæ in alijs desunt, etiam ad hęreses subuertendas, sibi facile comparet. Porrò recusus est Coloniæ apud Io. Gymnicum, ann. 1592.

IOANNES de Sternagestem, Germanus, Ordin. Prædic. scripsit In Psalterium. In librum Sapientię. In quattuor libros Mag. Sententiarum. Sermones de Tempore, & de Sanctis. Quæstiones in totam philosophiam naturalem. Quæstiones in librum De bona fortuna. Leand. lib. 4.

IOANNES Stobęus, Græcus Scriptor, qui & Latinè versus iampridem circumfertur, collegit ex Ethnicis antiquis Scriptoribus, quæ ad res Naturales, Politicas, Morales pertinent, sententias, Apophtegmata, & alia: sed cum ea hue non spectent omnino, sciendum est, & à Photio in Bibliotheca sacra quattuor Stobęi libros summatim indicari, & à Ioāne Sambuco in Epistola, quam Hesychio Milesio illustrio pręfixit, promissum fuisse se Stobęi physica cum quingentis sacris Epistolis, & alia foras daturum.

IOANNES Stockes, Sudberiensis, Ord. Pręd. scripsit Apologiam sui Ordinis ad Rationes Hornebij. Viuebat ann. 1373.

IOANNES Stouue, Anglus, Monachus Ord. D. Benedicti, qui Synodo Basileensi interfuit, & pleraque de illa, quæ non fuit approbata, scripsit Disputationes, vt uocant, sollemnes, & Collectanea varia reliquit. Viuebat ann. 1440.

IOANNES Stringarius, Ord. D. Augustini, scripsit in quattuor lib. Mag. Sent. Viuebat ann. 1430. Ioseph Pamphilus.

IOANNES Subdiaconus (inquit in Catalogo Sigebertus) è Gręcis Latinas fecit Vitas, & Doctrinas Patrum, libro vno.

IOANNES Sulmonensis, Ord. Augustiniani, Theologus, scripsit in Cantica Salomonis, & in Apocalypsim D. Ioannis Commentaria, quæ Ferrarię extabant in Bibliotheca D. Andreæ eiusdem Ordinis.

IOANNES è Sumaraga, Hispanus, Ord. D. Augustini, cum Indis Occidentalibus uiginti annis eorum lingua prædicasset Euangelium, & Episcopatum Nicaraguensem recusasset, pleraque dicitur scripsisse, sed excusum dūtaxat se vidisse librum, quo agitur De Sacramento Matrimonij, scribit Ioseph Pamphilus, qui & illum Episcopum facit Mexiconensem, siue (opinor) Mexicanum.

IOANNES Suttonus, Anglus, Damastriensis Collegij Carmelita, scripsit Ordinarias Quæstiones in Theologicis, & Quodlibetorum librum. Obijt ann. 1471.

IOANNES Sunatham, Anglus, Carmelita, Episcopus Bangoriensis, scripsit contra Vicleficstas, & librum alterum suarum Concionum. Viuebat ann. 1392.

IOANNES Syluius Atrebas, Cathemerinon è Græcis congestum, & alterum heroico carmine scriptum edidit apud Christophorum Plantinum, ann. 1571.

IOANNES Tabiensis (& Tabia Oppidum est in ora Occidentalis Lyguriæ, in Diœcesi Albiganensi) Ord. Præd. præter reliquas disciplinas Iuris Canonici valde peritus, Thomæ de Vio Card. Caietano, quam Casuum Conscientiæ summam collegerat, dicauit, quę & *Tabiena* prænotatur. Quam item nonnulli non leuiter docti Summam Summarum nominant. Hęc eum olim è pręlis prodijsset, recusa est, recognita, & argumentis in singulos titulos aucta. Venetijs apud hæredes Melchioris Sessę, ann. 1569.

IOAN-

IOANNES Tacesfale, Anglus, Carmelita Conuentus Noruicensis, scripsit super Sent. lib. 4. In Apocalypsim item lecturam. Sermones varios ad populum. Missus tandem Romam, ibidem mortuus est. Hęc Tritemius in vtroque Opere. At in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis ait eum claruisse in Conuentu Noruicensi, & ibidem sepultum in pace quiescere. Vtrum autem hic is fuerit, cuius mentio fit in Epistola Martini Quinti Pont. Max. ad Thomam Valdensem, qui Romæ Valdensis libros Pontifici obtulit, alibi erit expendendum.

IOANNES Taliaferrus. Vide in verbo, Ioannes Maria Taliaferrus.

IOANNES Talpinus, Gallus, Theologus, & Canonicus, pleraque fermè omnia Gallicè scripsit piè, atque eruditè, qualia fuerunt.

Monitum ad eos, qui ab hęreticis decepti secesserunt à vera Christi Ecclesia, quæ est ipsa Catholica Romana.

De Sacris Ordinibus, atque Dignitatibus Ecclesiasticis, deque modo ordinandi Sacerdotes ab Episcopo. Vbi & de Ritibus, Officijsque omnibus Ecclesiasticis. Parisijs apud Nicolaum Chesneau ann. 1567.

Examen, & decisio Sanctæ Romanę Ecclesiæ. ibidem.

Consensus totius Ecclesiæ Christianæ de Missæ, siue Sanctiss. Altaris Sacrificio.

Monita Christianis, vt ab hæresi caueant.

dem consensus, siue Resolutiones De Missa, quę cum ann. 1565. Parisijs cusę fuissent, auctę postea, & recusę fuerunt ibidem ann. 1568.

Institutiones Parochorum, & Vicariorum, qui illis subsunt, ibid. apud eundem Chesneau.

Institutio Christiani Principis, ibidem ann. 1567.

Monita Christianis in sumenda Eucharistia. ibidem ann. 1568.

Liber de Ecclesię Sacrificijs, ac de nouo Testamento. ibid. eodem anno. Viuebat an. 1570.

IOANNES è Tambacho, (alijs è *Zambacho*) Argentinensis, Ordinis Pręedicatorum, Theologus, qui & primus Moderator, siue (vt vocant) Regens fuit Gymnasij Pragensis eiusdem Ordinis in Prouincia Boëmię, scripsit.

Volumen sat grãde partitum in quindecim libros, quod inscripsit *Cõsolatio Theologiæ*. Id olim Leridę impressum exijt in lucem.

Librum De culpa, & gratia. Alios item

De Beatitudine.

De amore virtutum.

De simonia Claustralium.

De ingratitudine.

De proprietate Mendicantium.

Directorium Confessorum.

De priuilegijs exeptorum circa Interdictũ.

De identitate Indulgentiarum.

De reemptionibus.

De sensibilibus delicijs Paradisi.

De pręconijs S. Io. Euangelistę.

Sermones varios.

Librum De Quarta, & eius moderatione.

Viuebat an. 1320. PP. Monast. Ord. & Trit.

IOANNES Tanetes, Anglus, Monachus Ord. D. Benedicti, Cantuariensis Ecclesię in Templo Saluatoris pręcentor, scripsit librum De officijs Cantuariensis Ecclesię. Alterum De Sanctorum quorundam vitis. Viuebat ann. 1330.

IOANNES Tauernerius, Tractatum edidit De Purgatorio animarum post hanc vitam expiandarum. Eiusdem de veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Sacramento Altaris. Parisijs ann. 1551.

IOANNES Taulerus, Dominicanus, Theologus, Colonię Agrippinensis olim celebris concionator, (quamquam hoc officium inter sui Ordinis Religiosos inprimis pręstitit) vixit circa annum Domini 1350. reliquit autem

Sermones de interioris vitę perfectione. Lugduni ann. 1557.

Tractatus aliquot, de Virtutibus, vbi & Flores de veris Virtutibus latinè redditi ab Antonio Hemertio Canonico Colonię ann. 1587. ibidem.

Epistolas varias valde pias.

Plagas, & hęreses aduersus dogmata, & Sacramenta Ecclesię orituras prædixit, quæ deinceps, hodieque Catholicos Christi fideles vexant.

Cantica Spiritualia.

Denouem Rupibus, siue gradibus Christianæ perfectionis.
Speculum & exemplar Domini nostri Iesu Christi.
Exercitia de Vita & Passione Christi Domini.

Sermones autem cum Germanicè Germanis habuisset, ij non semel eadem lingua editi non sine mendis fuerunt; sed & denique à Laurentio Surio recogniti prodierũt in lucē. Quos & Lugduni in Gallia, præfixa Io. Tauleri vitæ historia ann. 1558. Sebastianus Honoratus typographus excudit, interpositis alicubi Io. Eckardi, Henrici Susonis, Io. Rusbrochij, & Henrici Louaniensis, & aliorum eiusmodi lucubrationibus.

Quoniam verò tum à Io. Eckio Catholicæ fidei strenuo defensore, tum ab alijs præstantibus viris Io. Tauleri scripta fuere (vti supra innuimus) reprehẽsa, ideo pro veritate dicendum est, quid denique de tota re sit iudicandum.

Et quidem Eckius Taulerum vocauit Somniatorem, eumque hæreseos arguens, nil tamen affert, vnde hæreticus fuisse dubitari queat. At contra, Ludouicus Blosius Abbas Lætiensis vir ijs dotibus, & sanctitate præstans, quas diximus, vbi de illo egimus, hæc de illo, in eius Apologia, testatus est his ipsis verbis: *Taulerus* (inquit) *Catholica fidei cultor integerrimus est. Ea qua scripsit, sana, & planè Diuina sunt, vt cognoscere possunt, qui in illis sunt versati. Sed Eckius ardore Ecclesia succensus indignè tulit, quod Lutherus magnificè laudaret Taulerum, & sententijs suis praua dogmata confirmare niteretur. Quid verò mirum, si miser, & infelix ille, suos errores dictis Lutheri à se perperam allegatis tueri tentauerit, eum non solam Sanctorum Patrum, verum ipsius quoque Sacra, & Diuina Scriptura verbis impudentissimè ad suam haresim stabiliendam abutatur? Si doctrina Tauleri adharere voluisset, profectò hareticus numquam fuisset. Nam ex vnius Tauleri scriptis hareses, qua hisce tẽporibus emerserunt, plenissimè confutati possunt.* Hæc quidem Blosius, qui & postea, cum Taulerum ab iniuria vindicasset, adiecit quæ sequuntur. *Eckius non putans se falli, dicit: Vtinam Taulerus prorsus lateret, & non inuolaret in monasteria. Ego verò in nomine Domini dico, Vtinam Taulerus vbique gentium cognitus esset, atque à quamplurimus diligentissimè legeretur. Verum Eckius licet minus circumspectè damnauerit Taulerum, nondum à se satis studiosè lectum, nequaquam tamen hoc malignè fecisse credendus est: sed feruens ille zelus, quo inuehebatur in Lutherum haresiarcham, facilè illi persuasit, vt praproperè iniquam de sanctissimo viro Taulero sententiam ferret.*

Scio autem Taulerum alijs in suspicionem venisse, quòd bona Opera, vel externa exercitia condemnare interdum videatur: At non ita res habet: commendat ille non semel, nõ autem condemnat ea opera. Sed cum vrgeat homines ad veram cum Deo vnionem, atque charitatem, solis externis exercitijs inhærentes, ac vitiorum postposita mortificatione, videtur ad ista minus hortari.

Atqui quoniam cœlestium rerum meditationi valde erat assuetus, aliquando Diuino amore æstuans, quædam pronunciat, quæ nec passim, nec ab omnibus essent dicenda. Quale illud, *A Patre Filium suum in anima generari.* Item *de intermittendis precibus horarijs, dum adest Diuina Visitatio, & Mentis excessus.* Quæ quidem ijs dicta sunt, qui pro meditandi cõsuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. Quod si cui mirum videatur, indulgere illum aliquando aliquibus ne ieiunent, aut plus æquo se macerent, sciat id dictum viris Religiosis, qui viribus exhausti poterant succumbere, cum valentioribus id non sit vllo modo trahendum in exemplum.

Cæterum si quis attentè legat Tauleri exercitia de Vita, & Passione Saluatoris nostri Iesu Christi, à Laurentio Surio è Germanico in Latinum feliciter versa, habebit nõ solum vnde suspicionem omnem de viro illo deponat, verum etiam in animo accendat amoris erga Dominum flammam ingentem.

Porrò Surianæ huic versioni, quæ primò prodijt Antuerpiæ apud Philippum Nutium, ann. 1565. accessere quattuordecim Exercitia Nicolai Eschij, De via Purgatiua, & Appendix è Dominico Cartusiano, & hymnus è Io. Lanspergio.

Itali autem Homilias Tauleri Venetijs ad signum Spei ann. 1556. Sed & Florentiæ in Etruscam linguam translatas apud Iuntas, Vitam illius, & Institutiones ann. 1568. Meditationes

tationes autem ipsius De Vita, & Passione Christi Domini, cũ Nicolai spiritualibus exercitijs, ibidem apud eosdem ann. 1568. emiserunt.

IOANNES de Teneramunda, Cartusianus, magnæ vir sanctitatis, scripsit De Notitia Dei. De Amore Dei. De Honore Dei. De Fide Christiana. De Sanctiss. Altaris Sacramento. De Conceptione Beatiss. Virginis. De natura, & lapsu Hominis. De reparatione lapsi. Viuebat ann. 1439.

IOANNES Tetzelius, Saxo, Germanus, Ord. Prędic. & hęreticæ prauitatis in Saxonia Inquisitor, primus omnium centum ac sex articulos aduersus damnata Lutheri dogmata edidit. Viuebat ann. 1520.

IOANNES cognomento Teutonicus, Friburgi autem natus, Episcopus propè Hungariam Bessinensis, scripsit Summam Confessorum. Tabulam item vtilem iuxta seriem Alphabeti ad Summam, & ad Apparatũ Raymundi. Libellum item specialem De Quæstionibus casualibus. Confessionale de modo audiendi Confratres, ac De modo interrogandi secundum diuersos status, & vitia. Sed pars horum Scriptorum nondum (quod sciam) prodijt, cum tamen manuscripta extare in Germania dicantur. Sanè & ipsi ascribitur Glossa in Decretum, præterquam quòd habent Chronica Ord. Seruorum (siue huius, siue alterius eiusdem nominis, atque cognominis) extitisse in Bibliotheca Florentina exemplaria quędam; quæ vocant Originalia Commentariorum m. s. quæ subtilissimè elucubrauerit in quattuor libros Mag. Sentent.

IOANNES Teutonicus, Canonicus Regularis, in Brabantia, Cameracensis Monasterij, scripsit Nepoti suo eiusdem Regularis familię Exhortatorium Spirituale. Librum item De cursu Religiosi. Alterum De profectu Religiosi. Defensorium cuiusdam Ioannis Rusburg. Sermones, & Epistolas plures. Chron. Ordin. Canonicorum Regul.

IOANNES Thanetes. Vide supra in verbo, Ioannes Tanetes.

IOANNES Thierry Lingonensis, Gallus, iurium Interpres, Notas, & Additiones, scripsit ad Tractatus singulares Guidonis Papæ, qui denique recogniti, recusi fuere Francofurti ann. 1580. Sed & scripsit De fuga. De feudis. De ferijs. De spurijs. & Repertorium Bertachini auxit. Quod Venetijs editum est ann. 1570.

IOANNES Thorpe, Anglus, Carmelita, scripsit in Apocalypsim. Obijt Nordouici, anno 1440.

IOANNES Tilius, Engolismensis, Gallus, Apostolorum Canones, atque Concilia tredecim edidit Parisijs ann. 1540. apud Neobarium. Promittebat autem editionem alterius Tomi, in quo Sanctorum Epistolæ Græcè continentur. Idem scripsit Chronicon de Regibus Francorum à Pharamundo vsque ad Henricum secundum. Quod ibidem excusum est apud Vascosanum, vnà cum Pauli Aemylij Historia. Atqui cum nouum testamentum paucos ante annos Gręcè edi curasset, non probatur Bellarmino Cardin. *Multa enim in eo desunt, multa superuacanea sunt, non pauca etiam immutata cernuntur. Et Deus scit* (ait idem Bellarminus) *vtrum id factum non sit ad detrahendam fidem, Græcæ, & Latinæ editioni, astutia videlicet Iudæorum, ex quorum promptuarijs Euangelium illud prodijt.* Vide Bellarm. Card. lib. 2. De verbo Dei, c. 7.

IOANNES Tisarandus, vt habet Henricus Villot, vt autem habet Franciscus Gonzaga in Historia Seraphica, scripsit Officium quinque Martyrum eiusdem Ordinis, B. Berardi nimirum, & sociorum.

IOANNES Tomson (alijs *Tompson*) Anglus, Carmelita, scripsit Lecturam Sententiarum, lib. 4. Moralitates Scripturæ. In Ecclesiasticum. Postillas in Ioannem. Sermones de Tempore, & Sanctis. Quadragesimale. Conciones ad Clerum. De mirabilibus mundi. Abbreuiationes Doctorum. Claruit apud Vvigernienses ann. 1380. vt testatur Index Iacobi Seruitæ.

IOANNES Tonneys, Anglus, Ord. Augustiniani, patria Nordouicensis, pręfectus in ea Insula Prouincialis, Philosophus ac Theologus, scripsit Orationes ad Clerum. Sermones ad populum, libris duobus. Certamina Scholastica. Lecturas Magistrales Cantabrigiæ

tabrigiæ habitas. Collectanea quędam, lib. 1. præter quædam minutiora ad litteras humaniores spectantia.

IOANNES Tonsus, Francisci Panicarolæ Episcopi Astensis Disputationes, siue Sermones aduersus errores, & hæreses Caluinianorum Italicè conscriptos, Latinè reddidit, atque edidit Mediolani apud Pacificum Pontium, ann. 1594.

IOANNES è Treuio, quod est insigne Oppidum Mediolanensis Ducatus. Procurator Ord. Minorum, Compendium Theologię scripsit, quod manu eius scriptum extat Treuij. Viuebat ann. 1478. Obijt Sucssæ.

IOANNES Tritemius in Vico Tritenheim Diœceseos Treuerensis, ad Ripas Mosellæ fluminis, natus ann. Domini 1462. deinde vigesimo ętatis anno in Monasterio D. Martini Spanheimensis Moguntinæ Diœceseos ad Ordinem D. Benedicti Congregationis Bursfeldensis adscitus, quę non ita multo antea instituta, tamquam instaurata pietate, vigebat, anno sequenti 1483. communibus fratrum suffragijs Abbas eius cœnobij renunciatus tres & viginti plus minus annos cum eidem præfuisset, insurgente, siue ęmulorum tempestate, siue Deo melius prouidente, ad Abbatiam S. Iacobi Herbipolensem sibi oblatam secedens, atque continenter lectioni, & scriptioni vnà cum pietate dans operam piè ibidem obdormiuit in Domino, ann. 1519. quidquid alij secus haud rectè senserint, præsertim Andreas Teuetus, qui id accidisse ann. 1499. putauit, cum secus constet ex Tritemij tum Epitaphio, tum Epistola, in qua dies erat adscripta 15. Aprilis ann. 1515. cũ Paulum Langium Cygnæum mitteret ad Germaniæ Monasteria libros cõquisiturum: cui tempori quadriennium superuixit.

Iam vero cum, pro eius æui ratione, magnę eruditionis plurima scripserit, quibus vel quasi rediuiua Germanorum Gesta, vel Illustrium virorum scripta ab obliuione reuocauit in lucem, condendarum autem Bibliothecarum post antiquiores alios, quorum initio Apparatus nostri Sacri meminimus, Auctor fuit, iure illi debetur hic locus, in quo quæcumque reliquerit (licet non extent omnia) indicemus; si tamẽ pauca primo attigerimus, necius Operum Lector alicubi impingat.

Et quidem in libello de Intelligentijs cęlestibus orbes post Deum gubernantibus cum ad Maximilianum Imp. scripsisset, varios Angelos nominauit, qui Mundum administrauerint, vocatq; primum Angelum, siue Spiritum, Saturni. Secundum Anaelem Spiritum Veneris. Tertium Zacharielem. Quartum Raphaelem Spiritum Mercurij. Quintum Samuelem Angelum Martis. Sextum Gabrielem Angelum Lunæ. Septimum Michaelem Angelum Solis. Ac deinceps alios iterum priores suis temporibus vsque ad an. 1525. Sed quidquid sit de hoc libello meminerint Lectores antea perlegere, quæ scripsimus in verbo Angelus.

Deinde sciant ipsum Tritemium cum ingenij seu feruore, seu vigore ageretur, ita tamẽ ista tradidisse, vt ad finem eiusdem libelli hęc addiderit. *Non hæc assertiuè scripsi, sacratissime Cæsar, quibus cum iniuria Orthodoxæ fidei nulla est ratione credendum, sunt vero qui menses in his supputauere Lunares, quibus consentiendum si duxeris, mutanda sunt ea, quæ alter scripsi. Manu quoque mea propria protestor, & ore confiteor, quòd in his omnibus nihil credo, nihil admitto, nisi quod Ecclesia credit Catholica: cetera vt vana, conficta, & superstitiosa refuto, & contemno.*

Sanè quod ad Chronicon, & Historias attinet, multa tum in annorum Mundi supputatione, tum in alijs (si cũ Chronographis melioribus nostri ęui, atque cũ Annalibus Cęsaris Baronij Card. à se ipso recognitis cõferantur) cernentur, quæ claudicant; quale illud inter alia in Catalogo De Scriptoribus Ecclesiasticis, dum sub annum 346. Ioan. Climachum, sub annum vero 380. Euagrium ponit; cum tamẽ Climachus meminerit Euagrij tãquam sibi anterioris, qui & damnatus est, quòd apathiæ errorem inueheret.

In reliquis autem cum in hoc sacro Apparatu nostro non pauca in illo obseruauerimus quę non cohærent cum ijs, quæ Tritemius affert, nemo, qui paullo attentius eum perleget, non deprehendet aliquando licẽtius eum scribere aduersus Romanę curię mores, vt in verbo, *Arnor.* Interdum itẽ obliquè Scholasticã Theologiam carpere, vt in verbo, *Abailardus.*

Labi interim in Historia, vt in verbo, *Laurentius Iustinianus*, quem Ordin. Cælestinorum fuisse ait. Et in verbo, *Hugo Barchinonensis*, dum non meminit cuiusnam Barchinonis fuerit. Neque enim Barchinone quæ est in Hispania, est natus, sed Barchinone (quæ vulgò dicitur Barceloneta) Diœceseos Ebredunensis, & Duci Sabaudię subdita inter Subalpina, quà in Delphinatum transitur. Quin plus aliquid alicui tribuit, quàm veritas requirat. Vt in verbo, *Ioachim Abbas*, quem inquit in Concilio Generali fuisse damnatum, cum Cõcilium hominem haud condemnauerit, sed doctrinam, quæ Magistro Sententiarum aduersabatur, vti nos suo loco monstrauimus. Fere tamen circumspectè, ac reuerenter de Sancta Apostolica Sede, loquitur, vbi agit de dogmatibus, queadmodum cuiuis liquebit, qui in verbo, *Laurentius Valla*, & in verbo, *Gilbertus Porretanus* eum legerit.

Quòd autem idem Tritemius scribat, se nullum antiquius vidisse scriptum Germanicũ, quàm monachi cuiusdam *Ontfridi Theotisci* nomine, circa annum Domini 820. idque rithmis (vt vocant) conditum, id ad characteres (inquit Suffridus Petrus) tãtum pertinet, quibus in lingua Germanica exprimenda tunc Germani vtebantur. Hi enim primum suis antiquis, deinde Græcis, postea Latinis, ad extremum suis iterum, sed nouis characteribus sunt vsi.

De sex libris eius Polygraphiæ, qua plures scribendi modos innuit, quod Itali *Cifras*, Agellius *scripta furtiua* nominat, cum in ijs mentionem fecerit alterius Operis, quod *Steganographiam*, quam nominat *occultam scriptionem*, falsi sunt, qui eam suspexerunt, & tanquam opus admirandum, clauimque Polygraphię celebrarunt. Superstitionis enim, & periculi plenissimum est, Magiamque sapit non naturalem illam, quo tamen nomine plerique suas sordes tegunt, verum etiam ipsam, quę, cum à S.R.E. prohibita sit, vnà cũ eiusmodi libris in Romano Indice, haud dubium, quin & istud sit ablegandum.

At quænam Opera scripserit, quęve eorum fuerint inscriptiones, atque adeo plurium editiones, (quando non extant omnia, aut, sicubi delitescunt, ea duntaxat manuscripta habentur) siue ad Diuinarum literarum Expositionem, siue ad statum Religiosorum, siue ad Historias, atque ad omnes in Repub. litteraria versantes attineant, ea è tribus sequentibus Catalogis incurrent in oculos, vno Ioannis Duraclusij, qui fuit eiusdem Tritemij discipulus, quique hac de re scripsit Nicolao Emerio Emclano. Altero, Arnoldi Vionis, quẽ paucis siue demptis, siue additis subiecimus. Tertio, è duabus Partibus Historicorum Tritemij librorum, quas ann. 1600. Francofurtenses ediderunt.

Catalogus Operum Tritemij ex ipso Ioanne Duraclusio, qui testatur sequentibus verbis, eum scripsisse.

In primis Constitutiones ordinis sui, quę factę fuerunt in Capitulis Prouincialibus iussione pręsidentium, lib. 1.
De visitatione Monachorum, librum vnum.
De modo celebrandi capitulum Prouinciale, librum vnum.
In Regulam Sancti Benedicti, libros duos.
Homilias, & Sermones exhortatorios ad Monachos suos, libros duos, quos antecessori suo dicauit.
De tentationibus claustralium, & remedijs earundem, libros duos.
Ad Nicolaum presbyterum Mennicensem de vita Sacerdotali, librum vnum.
Contra peculium Monachorum, lib. 1. De vanitate, & miseria huius vita, lib. 1.
Opus Penthicum, idest, lugubre de ruina Ordinis sui, lib. vnum.
De illustribus viris sui ordinis, lib. 4. Laudes Ordinis Fratrum Carmelitarum, lib. 2.
Ad Gerlacum Abbatem Tuitiensem laudes Scriptorum Manualium, lib. 1.
Ad Io. Dolburgium Vvormatiensem Episcopum de Scriptoribus Ecclesiasticis, lib. 1.
De laudibus Sanctę Annæ Auiæ Domini, librum vnum.
Ad quæstiones Autgeri Sicambri Canonici Dumetis, librum vnum.
Chronicon Monasterij sui Spanheimensis, non paruum volumen, libro vno.

Chroni-

Chronicorum siue Annales monasterij Hirsaugiensis, duobus voluminibus magnis.
Chronicon successionis Ducum Bauariæ, & Comitum Palatinorum, ad Philippum Palatinum Comitem, Principem Electorem, libro vno.
Vita sanctæ Hirminæ monialis, & primæ Abbatissæ in horreo Treuirensi, lib. 1.
De miseria Prælatorum Claustralium, libros duos.
Laudes Sancti Andreæ Apostoli, libro vno.
Laudes S. Ioseph Nutritij Domini, lib. 1. Laudes Sancti Benedicti Abbatis, lib. 1.
Laudes vitæ Monasticæ, lib. 1. Laudes veræ pœnitentiæ, lib. 1.
Laudes studij diuinarum scripturarum, libro vno.
Monologion hominis Deo deuoti ad seipsum, libro vno.
De miraculis Sanctę Matris Annæ, libro vno.
Ad Vdalricum Canonicum Coloniensem super quæstionibus in Euang. Ioannis, lib. 1.
Ad eundem super Quæstionibus Psalmorum, liber vnus.
Ad Præsidentes Capituli annalis. De obseruantia Bursfeldensi, qua abbreuiauit statuta eiusdem vnionis, lib. 1. Spirituale Monachorum exercitium, lib. 1.
Epitome, seu breuiarium eiusdem, lib. 1. De computo Ecclesiastico, lib. 1.
De illustribus Germanię Scriptoribus ad Iacobum Vvimphelingum Rhedapolitanum, Sletstatinum, liber vnus.
Epistolarum Spanheimensium ad diuersos, libri quatuor.
Orationes in capitulis, & alibi habitæ; Sunt vero quatuor & viginti, quę faciunt, lib. 1.
Sermones ad fratres suos Spanheimensis cęnobij scripsit quadraginta numero, pulcherrimos, lib. 1. Sermones in diebus festis ad populum, lib. 1.
Orationes ad Deum, & Sanctos supplicatorias plures, lib. 1.
E Gręco Sermone traduxit in Latinum S. Maximum Abbatem de Incarnatione Domini.
Anathemata quoque S. Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini, contra hæreticos in tertia Synodo Ephesina promulgata: & eiusdem Synodi, quasdam epistolas.
Scripsit etiam pro ædificatione Monachorum notabile Opus, quod prænotauit, *De triplici regione Claustralium,* libris tribus.
Ad Maximilianum Cęsarem Opus mirandū edidit, quod Polygraphiam prænotauit, lib. 6.
Ad eundem eiusdem Polygraphiæ clauim, libro vno.
Responsiones ad octo Quæstiones eiusdem Cæsaris, libro vno.
Ad eundem de septem intelligentijs mouentibus orbem, librum vnum.
Ad Ioachimum Marchionem Brandeburgensem Principem Electorem, variarum Quæstionum, Orationum, & Propositionum, libros viginti.
Ad eundem de prænotionibus licitis Christiano, & non licitis, lib. 2.
Ad eundem Principem Epistolarum, librum vnum.
Ad eundem cōtra maleficos, & omnes artes, & superstitiones ab Ecclesia prohibitas, lib. 5.
Ad eundem de causis, & cura morbi caduci, ac maleficiorum, lib. tres.
Ad Iacobum Tritemium fratrem suum Itinerarium vitæ suæ, libros duos.
Ad Burghardum de Horneck medicum de peculio monialium, lib. vnum.
Historiam siue Annales de origine, Regibus, & gestis populi Francorum, & Germanorum scripsit tribus magnis voluminibus, narrationem incipiens à Marcomiro rege, qui populum anno ante Incarnationem Domini 433. à Scythiæ finibus in Germaniā eduxit ad ostia Rheni vsque in 29. annum Maximiliani Cæsaris.
Ad Laurentium de Bibia Vvirceburgensem Episcopum, Orientalisque Franciæ Ducem, Epitomen, siue breuiarium scripsit eorundem trium voluminum historiarum, lib. 3.
Ad eundem de Ducibus, & Episcopis Francorum Vviceburgensium, lib. 1.
De miraculis ad memoriam Dominæ nostrę S. Mariæ apud Dittelbach ostensis, lib. 2.
De miraculis eiusdem in Vrticeto apud Helprumam ostensis, lib. 6.
Apologeticum in Carolum Bouillum, ea, quæ non intellexit, calumniantem, lib. 1.
De origine, & Regibus Francorum, lib. 1.
Chronicon Monasterij sui, cui nunc præsidet, D. Iacobi apud Vvirceburg, lib. 1.

Ad Albertum ex Marchionibus Brandeburgi Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum, & Magdeburgensem, vitam D. Rabani archipræsulis, lib. 3.

De eiusdem è Moguntiaco translatione in Saxoniam, lib. 1.

Ad eundem vitam Sancti Maximi Episcopi, lib. 1.

Ad Ioannem Comitem Palatinum, Bauariæque Ducem, & Comitem in Spanheim, apud Symerenem residentem, de origine, Regibus, ac Ducibus Bauarorum simul, & Comitum Palatinorum, & Spanheimensium, lib. 4.

De Dæmonibus, & artibus profanis, maleficis, & superstitiosis laboriosum opus versat in manibus quod libros habebit duodecim, in quibus omnia diabolicarum artium vaframenta explodit, confundit, & euertit.

Epistolarum Herbipolensium, quas in ea scripsit Abbatia, lib. 4.

Scripsit etiam alia minora complura, suę, & amicorum deuotioni congrua, vt sunt Cursus, Rosarium, Missale officium, & variæ orationes, simul & prosæ, siue sequentiæ de Sancta Anna Saluatoris nostri auia.

Scripsit & de Sancta Maria Magdalena laudes, precationes, atque Rosarium.

De Sancto Ioseph nutritio Domini Rosarium.

De Sancto Petro Apostolo Rosarium.

De Sancto Ioanne Euangelista Rosarium.

Ad instantiam Ioannis Archiepiscopi Treuerorum sequentiam de Anna, quæ incipit, *Iesu Cælorum Regis*, sub melodia, *Aue praclara*.

Alteram in eius festo canendam, quæ incipit, *Exultent in hac die*.

Tertiam, ad Prouincialem Carmelitarum Augustę, & incipit, *Iubilemus in honore*.

Quartam, de S. Hildegarde virgine, quę sic incipit, *Laus sit tibi Domine Rex aterna gloria*.

Quintam, de S. Ruperto Bingiorum Duce, quę incipit, *Exultent in hac die*.

Sextam, de S. Ioseph nutritio Domini, quæ incipit, *Cantemus inclyti*.

Septimam, de Sancto Rabano Archiepiscopo.

Octauam, de vulneribus Christi, quæ sic incipit, *Iesum Christum adoremus, Crucifixo comploremus*.

Nonam, de compassione B. Marię semper Virginis, & sic incipit, *Eia ploremus mente pia B. Virgini Maria compatientes:* sub melodia scilicet, *Aue praclara*.

Decimam de S. Ioachim Genitore nostræ Dominæ, quæ sic incipit, *Trinitatem adoremus, vnitatem collaudemus, Patris, Nati, Spiritus*.

Vndecimam, de bono cuiusque hominis Angelo proprio.

Duodecimam, in propria Missa cuiusque Sacerdotis.

Tertiamdecimam, de S. Maximo Episcopo Moguntino.

Quartamdecimam, de Sancta Martha virgine Christi hospita.

Quintamdecimam, de Sancta Maria Magdalena.

Sextamdecimam, de Sancta Maria Aegyptiaca.

Septimamdecimam, de Sancto Iacobo maiore Apostolo.

Decimamoctauam, de Sancto Benedicto Abbate.

Decimamnonam, de omnibus Sanctis. Et de singulis nominatis memorijs, & Sanctis, Officia Missæ singula composuit noua Diuinis scripturis conformia.

Scripsit præterea Meditationum, & Orationum Dominicæ Incarnationis, Natiuitatis, Vitę, Passionis, & Mortis, Opusculum, deuotioni conueniens, lib. 2.

Speculum cœlestis doctrinæ, compunctioni mentis non parum deseruiens, librum vnum, qui incipit, *Salutis humana principium*.

Multas quoque deuotissimas Meditationes, & Orationes de Domino nostro Iesu Christo, de Sanctissima eius Genitrice Virgine Maria, atque de varijs Sanctis pulchra varietate composuit: cum ingẽtibus alijs, quę videbit, & mirabitur deuota posteritas omnis.

Hactenus Duraclusius. Ex quo tamen & alijs sequentem vberiorem Catalogum quem hic damus, confecit Arnoldus Vion.

Catalogus

Catalogus alter Operum Tritemij ex Arnoldo Vione.

De certis dubijs, & quæstionibus in Euangelio secundum Ioannem, lib. 1. *Ad preces.*
De quibusdam in Psalterio dubijs, lib. 1. *Cum nuper ad Coloniam.*
Octo Quæstionum, lib. 1. Scriptum ann. 1508. ad Maximilianum Cæsarem, videlicet,
De fide, & intellectu. De reprobis, atque maleficis.
De fide necessaria ad salutem. De potestate maleficarũ, vbi de varijs Dæmonũ
De miraculis infidelium. De permissione Diuina. [generibus.
De Scriptura Sacra. De prouidentia Dei.
Qui liber excusus fuit in Oppenheim, ann. 1513. & Francofurti ann. 1569.
De laudibus studij Diuinarum Scripturarum, lib. 1.
De computo Ecclesiastico, lib. 1. *Ioannes Tritemius Abbas.*
Variarum Quæstionum, Orationum, & Propositionum, lib. 20.
De prænotionibus licitis Christiano, & non licitis, lib. 2.
Contra maleficos, & omnes artes, & superstitiones ab Ecclesia prohibitas, lib. 5. Ingolstadij, anno 1555.
De Dæmonibus, & artibus profanis, maleficijs, & superstitiosis, in quibus Diabolicarum artium vafricies conatur euertere, lib. 12.
Quæ verò de Gloria Sanctorum scripsisse fertur, hæc sunt.
De miraculis ad memoriam S. Virginis Mariæ apud Dittelbach Ostensis, lib. 2.
De miraculis eiusdem in Vrticeto apud Helprunnam ostensis, lib. 6.
De Sanctissima matre Anna Rosarium quinquaginta distinctum articulis, simul & Horariæ preces, & Missæ officium, lib. 1.
Rosaria quoque de Sanctis Petro & Paulo, Maria Magdalena, Collectæ, prosæ, citationes piæ, & huiusmodi complura: Quorum aliqua in lucem sunt edita, alia extant in cœnobio Spanheimensi m. s.
De laude S. Ioseph nutricij Domini, simul cum Rosario 50. articulorum, Officio quoque Missæ, lib. 1. *Magno sæpè desiderio flatui.*
De laude S. Annæ Matris Beatiss. Virginis Mariæ, lib. 1. *Voti compellat necessitas.* Qui Moguntiæ ann. 1494. prodijt.
De laudibus S. Andreæ Apostoli, lib. 1. Sequentia de diuersis Sanctis, cum Officijs, & Missis de eisdem nu. 20. De laudibus S. Benedicti, lib. 1.
Orationes plures ad Deum, & Sanctos. Sermones in diebus festis ad populum, lib. 1.
De vita Diui Rabani Archiepiscopi, lib. 3.
De eiusdem è Moguntia in Saxoniam translatione, lib. 1.
De vita Sancti Maximi Episcopi Treuirensis, lib. 1. Qui extat apud Surium Tomo 6. ad diem 17. Nouembris.
De vita S. Herminæ Sanctimonialis, filiæ Dagoberti Regis, & primæ Abbatissæ in Horreo Treuirensi, lib. 1.
Ad requisitionem Ioachimi Principis Electoris, plurium Sanctorum Vitas in cõpendium redegit, lib. 1. *Magnum, & arduum Opus tui amore Princeps.*
Quæ item ad Monachismum, & pietatem scripsisse se meminit, sunt quę sequuntur.
In Regulam S. Benedicti, lib. 2. *Venite filij audite me.*
Summula virtutum, lib. 2. *Magna virtus animæ est.*
De tentationibus monachorum, lib. 2. *Humanum genus.*
De miseria vitæ præsentis, lib. 1. *Cũ nihil sit vita.* excusus autẽ fuit in Germania.
De vitio proprietatis, lib. 1. Qui Moguntiæ, & Parisijs vnà cum libro De cura pastorali, fuit euulgatus.
De modo, & forma Visitationis Claustralium, lib. 1. *Fratres tuos visitabis.*
De modo, & forma celebrandi Synodum Ordinis, lib. 1. *Quoniam in celebrando.*
Statuta Capitulorum Prouincialium Ordinis, lib. 1. *Quoniam volenti singula.* Hi vero tres libri simul impressi fuere Norimbergæ, ann. 1496.

Statuta

Statuta Annalis Capituli Patrum de obseruantia Bursfeldensi, lib. 1. *Reuerendis.* Extant m.s. Coloniæ in cœnobio S. Martini, & in Monasterio Span heimensi.
De modo & forma annale Capitulum celebrandi, lib. 1. *Reuer. Patri Domino.* Qui asseruatur m. s. in Monasterio S. Martini Spanheimensis.
Meditationes Vitæ Christi Domini, lib. 2.
Speculum cœlestis doctrinæ, lib. 1. *Salutis humanæ principium.*
De institutione vitæ Sacerdotalis, lib. 1. *Petis à me Nicolae.* Qui excusus est in Germania.
De triplici Statu Claustralium, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum, lib. 3. *Cum vita Monastica.*
Exercitium Spirituale Monachorum, lib. 1. *Quoniam Opusculum de triplici.*
Epitome item ipsius Exercitij spiritualis, lib. 1. *Etsi formula spiritualis.*
Hi tres excusi sunt simul Moguntiæ, ann. 1492.
Orationes in Capitulis Ordinis, & extra habitę 24. quarum nonnullæ impressæ fuerunt Moguntiæ, reliquæ verò latent.
De miseria Prælatorum Claustraliũ, lib. 2. *Vt de miseria Prælatorum.* Extãt m.s. Spanheimij.
Contra perniciosum Simoniæ, ac proprietatis Claustralium morbum, & vitium, maximè Monialium, lib. 1. *Est cœnobium quoddam Monialium.*
De laudibus vitæ Monasticę, lib. 1. De laudibus veræ pœnitentiæ, lib. 1.
Monologium hominis Deo deuoti ad seipsum, lib. 1.
Sermonum, siue exhortationum ad Monachos 40. lib. 2. primus Homiliarum: secundus Sermonum: qui excusi sunt cum Operibus Thomę de Kempis in Belgio. Louanij item apud Rutgerum Velpium, cum Regulis quattuor Sanctorum Patrum, anno 1575. At Florentiæ ann. 1577.
De ruina Ordinis Monastici Penthicon, idest lugubre, lib. 1. Qui prodijt vnà cum superioribus libris Florentiæ ann. 1577. & antea Moguntię in Germania.
Transtulit quoque è Græco in Latinum Sermonem, Maximi Abbatis De Incarnatione Domini.
Anathemata S. Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini contra hæreticos in tertia Synodo Ephesina promulgata, & eiusdem Synodi Epistolæ nonnullæ.
Iam & alia ad omnes spectantia composuit, Quæ sunt.
Chronicon Monasterij sui Spanheimensis à sua fundatione vsque ad annum 1502: Incipit, *Anno Domini.*
Chronicon Monasterij sui Sancti Iacobi apud Herbipolim.
Chronicon Monasterij Hirsaugiensis, quod excusum est in Germania.
Aliud eiusdem cœnobij Chronicon.
Chronicon successionis Ducum Bauariæ, & Comitum Palatinorum, lib. 1.
Historiæ, siue Annales, de origine, Regibus, & gestis populi Francorum, & Germanorum incipiens à Marcomiro Rege, anno ante Christum 433. vsque ad annum Christi Domini 1515. distincti in tres Tomos iustę magnitudinis, excusi in Germania.
Epitome eorumdem trium voluminum, lib. 3. impressi Parisijs.
De origine, Regibus, ac Ducibus Bauarorum, simul & Comitum Palatinorum, & Spanheimensium, lib. 4. editi Francofurti, ann. 1549.
Itinerarium vitæ suæ, lib. 2.
De varijs atque diuersis materijs & rebus antiquitatum, lib. 14. prænotati *Panalethia.* *Multa sunt Præceptor Magne.*
De causis, & cura morbi caduci, ac maleficorum, lib. 3.
De origine, & Regibus Francorum, lib. 1. diuersus ab alijs.
Hieraticum pro diuersis morbis propellendis, lib. 1. *Ea quæ tua Maiestati.*
Ad Quæstiones Rutgeri Sicambri, lib. 1.
De Ducibus, & Episcopis Francorum Herbipolensium, lib. 1.
De septem Secundis, idest Intelligentijs Orbem mouentibus, lib. 2. Qui excusi sunt Coloniæ, cum Epistols eius decem, ann. 1567.

De

De laude Scriptorum, lib. 1. Qui Moguntiæ prodijt.

De laude Ordinis Carmelitarum, libri duo. impressi primum Moguntiæ, deinde Florentiæ, apud Georgium Marescottum, ann. 1593. cum Notis Petri Lucij Belgæ Carmelitæ.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, lib. 1. Excusus Coloniȩ apud Petrum Quentelių̃ an. 1531. ac rursus ibid. ann. 1546. Sed in hac postrema editione multa inserta sunt à quodam, quæ non sunt Tritemij.

De Viris illustribus Ord. S. Benedicti, lib. 4. impressi Coloniæ cum expositionibus Turrecrematæ, & Smaragdi Abbatis super regulam Sancti Benedicti apud Geruinum Calenium, ann. 1575.

De luminaribus Germaniæ, lib. 1. impressus Moguntiæ.

Epistolarum ad diuersos familiarium, lib. 2. *Opportunè satis*.

Epistolarum item Spanheimensium, lib. 4.

Polygraphiæ ad Maximilianum Cæsarem, lib. 6. Qui excusi sunt Coloniȩ ann. 1564.

Catalogus Tertius Operum Tritemij Historicorum.

Postremò autem, hoc est ann. 1600. Francofurti prodierunt Opera historica Io. Tritemij diligentius excusa, & duabus Partibus comprehensa: in quarum prima hȩc sunt.

I. Chronologia mystica, de secundis siue intelligentijs Orbes post Deum mouentibus, liber ad Maximilianum Imp. Rom. scriptus.

II. Compendium, siue Breuiàrium primi voluminis Chronicorum siue Annalium, de origine gentis & Regum Francorum, per annos 1189. à Marcomiro vsque ad Pipinum Regem: ad Laurentium Episcopum Vvirtzpurgensem, & Orientalis Franciæ Ducem.

III. De origine gentis Francorum Compendium, ex Hunibaldo decerptum: in quo etiam Præsulum Vvirtzpurgensium enumeratio.

IIII. Chronicon successionis Ducum Bauariȩ & Comitū Palatinorum: ad Philippum Palatinum Comitem, Principem Electorem.

V. Catalogus illustrium virorum, Germaniā suis ingenijs, & lucubrationibus omnifariam exornantium, ad Iacobum Vvimphelingum Sletstadium Theologum: cum eiusdem Prothesi, siue Additamento.

VI. Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum, ad Ioannem Dalbergium Episcopum Vvormatiensem: cum additionibus nonnullorum.

In Secunda autem Parte sunt. Chronica insignia duo.

I. Cȩnobij Hirsaugiensis, Diȩceseos Spirensis: eius fundationem, & progressum ab anno Christi 830. vsque ad annum 1370.

II. Cænobij Spanheimensis, Diȩceseos Moguntinensis: eius fundationem, & progressum ab anno Christi 1124. vsque ad annum 1526. vel potius res ab octo illis sæculis in tota Ecclesia, & Imperio memorabiliter gestas, complectens.

Quorū prius Collatione Archetypi ipsius Auctoris manuscripti correctius, & plenius; posterius verò istud nunc primum è tenebris erutum, ob insignem vtilitatem optima fide, (vt titulus præfert) in lucem editum est.

Accedunt Epistolȩ eiusdem Familiares, ab excessu eius de cænobio Spanheimensi ad Principes, clarosque viros scriptæ, historijs eius refertȩ.

Sed & deinceps ann. 1601. Ioannis Tritemij Opusculum recusum est Moguntiȩ apud Ioannem Albinum. De fide, & intellectu. De fide necessaria ad salutem. De miraculis infidelium. De Scriptura Sacra. De reprobis atque maleficis. De potestate maleficarum. De permissione Diuina. De Prouidentia Dei. Cum antea Francofurti, vt dictum est supra, prodijsset ann. 1569.

Atqui anno 1604. Moguntiæ apud Albinum edita sunt Ioan. Tritemij Opera spiritualia, quotquot reperiri potuerunt à Ioan. Busȩo Theologo Societatis nostrȩ in vnum volumen redacta.

IOANNES Trullus, Aragonius, & Canonicus Regularis Lateranensis, qui Philosophiam, & Theologiam publicè magna cum laude docuit, postea Prior Sanctæ Christinæ in Hispania, emisit Cæsar-Augustæ ex officina Viduæ Bartholomæi à Nagera, anno 1571. Opus, quod inscriptum est. *Ordo Canonicorum Regularium quattuor libris elucidatus.* In quo de origine, regimine, & alijs non tam ad ipsum ordinem Canonicorum Regularium, quã ad vniuersum statum Religiosorum: perdoctè, & copiosè agitur. Et quidem alter Ordinis Canonicorum Regularium Liber, qui *Chronica Canonici Ordinis* inscriptus est, absque Auctoris nomine Cremonæ fuit impressus à Cæsare Richardo ann. 1535.

IOANNES de Turrecremata, Hispanus, Ord. Præd. ab Eugenio Quarto Sũmo Pont. creatus S.R.E. Card. Episc. Sabinensis, vir Theologus, & Canonũ Doctor insignis, scripsit In Psalterium Dauidis. Quod prodijt Venetijs ann. 1513. apud Lazarum Soardum.

In Euangelia Dominicalia. In Euangelia de Sanctis.

Sermones autem de Tempore. Ac de Sanctis. Lugduni prodierunt ann. 1509. ex Typographia Stephani Gueynardi.

Librum De Corpore Christi contra Boemos.

Meditationes de Vita Christi. Librum De salute animæ.

Alterum De aqua benedicta. Qui Romæ prodijt ann. 1559. apud Ant. Bladum.

Librum De Conceptione Beatissimę Virginis. Qui Romæ fuit excusus ann. 1547. apud Antonium Bladum.

Commentaria in Regulam D. Benedicti, quæ cum Smaragdo, & alijs edidere ann. 1575. Coloniæ Geruinus Calenius, & hæredes Quentelij.

Summã de Ecclesia, & eius auctoritate, quã Venetijs emisit Michael Tramezinus an. 1561.

In Decretum Gratiani egregios Commentarios, quos deinceps Ioannes Boerius Pręses Burdigalensis, Notis, & Summis reddidit locupletiores. Lugduni à Claudio Seruaniub, emissos.

Addit Antonius Senensis, Opus magnum ab eodem Ioanne de Turrecremata fuisse conscriptum contra Statuta nonnullarum Ecclesiarum, qui eos arcebant, qui ex Hebræis nati Christo nomina dederant. Quod m.s. Vallisoleti in cœnobio Ordinis Dominicanorum asseruabatur.

Fertur item scripsisse ad Decretum Florentini Concilij de Sacramentis, & de vnione Grçcorum: atque expositionem Regulæ D. Brigidæ; quæ extãt m.s. in eodem Monasterio.

IOANNES Tyburtinus, Monachus Monasterij Cassinensis, qui vixit ann. 1220. Scripsit Sermones de festis totius anni. Arnoldus Vion.

IOANNES Tylneij, Nordouicensis, Anglus, Carmelita, scripsit Postillam in Apocalypsim D. Ioannis. Compendium in libr. Sent. Vixit ann. 1430. Index Iacobi Ord. Seru. Hæc Petrus Lucius Carmelita.

IOANNES de Tynmouth, siue de *Thynmouth*, Anglus, Sacerdos, collegit Historiam Auream libris tribus. Sanctilogium, libro vno. Opus Seruorum Dei, libro altero. Appendices Martyrologij, alio. Scripsit item in Pentateuchum Moysis. In Iosue. In Iudicum. In Regum, lib. 4. In Apocalypsim. Lectionarium Ecclesiæ. Viuebat ann. 1366.

IOANNES Tyssyncton, Anglus, Ord. Minorum, scripsit contra Vicleſi Confessionẽ, De Sacramentis, lib. 1. De Confessione auriculari. Scutum pro defensione Eucharistię, lib. 1. Certamina Scholastica, lib. 1. Obijt ann. 1395.

IOANNES Tythleshale, Anglus, Nordouicensis, Ord. Minorum, scripsit In Apocalypsim D. Ioannis. Sermones de Tempore, & Sanctis. In lib. 4. Mag. Sent. Viuebat anno 1534. Vide Catalogum Iacobi de Plebe, Ord. Seruorum.

IOANNES Vacquerius, Roiensis, Sorbonę Theologus, Sermonem habuit, & edidit vberem De multiplici hæreticorum tentatione in baptismo duorum adolescentum Americæ. Parisijs apud Claudium Fremy, ann. 1571.

IOANNES Valeis, siue *Valensis*, aut *Galensis*, Anglus, Ord. Minorum, scripsit in Apocalypsim D. Ioannis. Sermones varios. Summam Collationum libris septem ad libros quattuor Mag. Sententiarum. Librum De vitæ ordinatione. Alterum pręnotatum *Ma-*

nipulus florum. Margaritam Doctorum, siue communes locos ad omnium generum argumenta, siue Summam de Regimine vitę humanę, ac de statibus omnium hominum. Quæ ann. 1511. edita est Lugduni. Ordinarium, siue Alphabetum vitę Religiosæ, cuius prima pars, Diætarium: secunda Locarium: tertia Itinerarium. Quod primò Venetijs, deinde Lugduni ann. 1511. prodijt. Breuiloquium de Philosophię dignitate, & de eius abusione, ac De Sapientia Sanctorum. Breuiloquium de Virtutibus quattuor Cardinalibus antiquorum Principum, & Philosophorum. Compendiloquium de vitis illustrium Philosophorum. Quę ibidem iisdem annis emissa sunt in lucem. Viuebat ann. 1270.

Ioannes Vallo, qui Francisco Gonzagę in Historia Seraphica *Vallonus*, è Iuuenatiæ Regni Neapolitani insigni Oppido, Appulus, Ord. Minorum, scripsit In Formalitates Scoti, quod Opus Florentię recusum fuit apud Georgium Marescottum, ann. 1580. à Constantio Sarnano Sanctę Romanæ Ecclesię Cardinali auctum, vnà cum Textu Antonij Sytecti, Parisijs prodijt anno 1585. Venetijs autem anno 1588. apud Franciscum Senensem.

Ioannes Vdalricus Zasius, quoniam omnino cum omnibus Operibus suis à S. Sede Apostolica in Romano Indice prohibitus est, donec iuxta Regulas expurgationis in eo dem propositas emendetur, nullum hic habere debet locum, nisi vt, quid in eo laboratum sit Opera Magistri Sacri Palatij, intelligatur. Quare vide in verbo, Vdalricus Zasius.

Ioannes Venetus, Cartusianus, libros tres perutiles, quos præuotauit *Nosce te*. Alterum De patientia, & humilitate. Tres, quorum inscriptio est, *Speculum morientium*. Vnum, cui Titulus est, *Corona Senum*. Alium Sermonum. Epistolas plures reliquit. Viuebat anno 1480.

Ioannes Verepæus, qui à quibusdam huic loco inseritur, quasi Germanicè Precum libellum ediderit, vereor quin sit Simon Verepæus, de quo viro probo, & docto. Vide omnino, quæ in verbo, Simon Verepęus.

Ioannes de Vernone, quod oppidum est inter fines Tractus Parisiensis, & Normaniæ, Gallus, Parisiensis Cęnobij Carmelita, & Doctor, scripsit in Apocalypsim D. Ioãnis. In Mag. Sentent. Quęstiones ordinarias. Publicas Lectiones. Obijt Parisijs ann. 1461. Arnoldus Bostius.

Ioannes Verhellayus, scripsit Postillas maiores, quę Venetijs prodierunt ad signum Spei, anno 1546.

Ioannes Verratus, Ferrariensis Carmelita, scripsit Homilias in Euangelia omnia, quæ à Tempore Aduentus, vsque ad Dominicam Resurrectionis solent in Ecclesia recitari. Eę iam tertio editæ fuerunt ann. 1571. apud Io. Mariam Bonellum.

Ioannis Vestfali hęreses post Ioannem Husș disseminatas Robertus Card. Bellar. diluit To. 1. controu. lib. 4. De Rom. Pont. c. 15. & 17. sed & extat adhuc libellus de damnatione articulorum eius facta Moguntię ann. 1479.

Ioannes è Veteri aqua, alijs de Gauda, Hollandus, Carmelita, scripsit De initio, & incremento Ord. sui, hac inscriptione: *Fasciculus temporum Ord. Carmelitarum, libris tribus.* De Conceptione Beatiss. Virginis. Plures itẽ Epistolas contra Vuigandum. Libros Sermonum duos. Viuebat in cęnobio Cassellensi, ann. 1495.

Ioannes Vetus, Gallus, Apologiam aduersus Theodorum Bezam hæreticum edidit Virduni ann. 1565.

Ioannes à Via, Germanus, scripsit Defensionem, & Assertionem iugis Sacrificij Ecclesiæ aduersus blasphemias Iacobi Andreæ Schmidelini. Colonię apud Maternum Colinum, anno 1570. Admonitionem item, atque Instructionem ad Bauariam, quanam ratione errores, qui hodie passim sparguntur, agnoscendi sint ex verbo Dei, atque fugiendi. Germanicè, Monachij. Quartam vero Partem Historiæ Sanctorum à Laurentio Surio latinè editam, in Germanicam transtulit linguam. Monachij ann. 1578.

Ioannes S. Victoris Parisiensis Canonicus Regularis, Gallus, Gallicè edidit Librum prænotatum, *Arbor vitæ, Sanctissimæ, ac Triumphantis Crucis Domini nostri Iesu Christi*, in quattuor Partes tributum; quarum Prima, De crucis oraculis. Secunda, De Triumpho

pho Crucis. Tertia, De adoratione Crucis. Quarta, De seruis Crucis agitur. Parisijs apud Ioannem Ludouicum, ann. 1544.

IOANNES Vigerius, Genuensis, non autem ille, qui *Viguerius*, de quo mox, scripsit Lecturam in primum Sent. Scoti.

IOANNES Vigesimussecundus, huius nominis Pont. Max. cuius illud præcipuè commendatur, quòd adolescentes, potissimum inopes, literarum studiosos Sacerdotijs Ecclesiasticis, & pecunia iuuerit, ipse vero doctissimus fuerit, scripsit Librum, quem *Thesauri Pauperum* inscripsit. Quin & quoniam Philosophiam, & Medicinam callucrat, canones quosdam medendi antequam fuisset Pontifex, & Problemata, imitatus Aristotelem, composuit. Quoniam verò illi tributum est à quibusdam, quòd Quæstionem illam definiuisset, *Num anima Sanctorum non fruantur Dei visione ante Iudicium extremum*: sciendum est, paullo ante mortem partim retractasse sententiam suam, partim etiam declarasse. Primò enim testatus est, numquam se cogitasse eam Quæstionem definire, sed dũtaxat veritatem indagare. Deinde ingenuè confessus est, sibi non probari priorem sententiam: sentire autem se, Animas Sanctorum videre Deum etiam ante diem Iudicij, nisi Ecclesia, & sui successores aliter definirent. Quorum definitioni se submittere aiebat omnes opiniones suas. Extat hæc retractatio ipsius verbis, quibus eam pronunciauit apud Ioannem Villanum, lib. 11. c. 19. Historiæ de rebus Florentinorum, quam accepit à fratre suo, qui apud Ioannem xxij. degebat.

IOANNES Viguerius, Bæticus, siue Granatensis, Hispanus, Ordin. Præd. Theologus eximius, & in Academia Tolosana Professor, scripsit Institutiones ad Scholasticam Theologiam, sectatus ita D. Thomam, vt eum & solidè in compendium perspicuum redegerit, & ex Concilijs, ac Pontificum Decretis doctrinam illam Angelicam opportunè cõfirmauerit. Eas Institutiones excuderunt Parisienses anno 1553. Venetijs Bartolus Rubinus ann. 1567. deinde iterũ ann. 1581. At Iacobus Vitalis, ibid. ann. 1575. Demum an. 1582. illustriore inscriptione Parisienses. Scripsit item Commentarium ad D. Pauli Epistolam ad Romanos, in quo hæreses nostri temporis expugnat. Venetijs ann. 1571. & Lugduni eodem anno apud Guliolmum Rouillium.

Opusculum De consolatione Agonizantium cum elucidatione Missæ. Ibid. apud eundem ann. 1569. cum Parisijs ann. 1553. prodijsset.

Sanè verò Gulielmus Eisingrenius inquit scripsisse Viguerium in omnes Epist. Pauli. Viuebat anno 1545.

IOANNES de Villa Abbatis, Postillam m.s. sed à se conscriptam reliquit in Euangelia Dominicalia, & Epistolas totius anni.

IOANNES Villalpandus, Theologus, Societatis Iesu, Hispanus. Vide in verbo, Hieronymus Pradus.

IOANNES Virdunensis, Monachus Monasterij D. Dionysij propè Parisios, is est, qui liminarem Epistolam Ioanni Docæo de Aeterna generatione Dei præfixit. Vide in verbo, Ioannes Docæus.

IOANNES de Vischis (puto scribendum è Vischa, quod est oppidum in Diœcesi Eporediç in Subalpinis) scripsit De immunitate Ecclesiarum. Extat inter Tractatus Iuris Tractã. 13. par. 1. fol. 11.

IOANNES de Vineta, Armoricus, Brito, Carmelitarum in Gallia Prouincialis, scripsit Adnotationes ad quartum Librum Regum. Vitas trium Mariarum. Librum de Officijs Diuinis. Conciones Synodales. Chronicon sui Ordinis. Librum Determinationum. Viuebat ann. 1348. Iacobus Trissun.

IOANNES Vitalis à Furno, Vasatensis, Vasco, siue Aquitanus, Gallus, Ordin. Minorum, Cardinalis Albanus à Clemente V. Pont. Max. creatus, scripsit

In Prouerbia Salomonis.
Cõmentaria in Apocalypsim, quæ apud Patres Dominicanos Bononiç asseruantur.
In quattuor Euangelia.
Quæstionem De Christi Domini, & Apostolorum Paupertie.
De tuenda sanitate, & remedijs morborum.
Eiusdem Digressio Moguntiæ fuit excusa.

Speculum

Speculum morale totius Sanctæ Scripturæ, quo vniuersa fermè loca veteris & noui Testamenti mysticè explanantur Lugduni apud Ioannem Moylin, anno 1513. Venetijs autem ann. 1594. apud Minimam Societatem, ann. 1600.

IOANNES Vitaldus. Vide in verbo, Io. Ludouicus Viualdus.

IOANNES Vitoduranus, Ord. Minorũ, scripsit Historiam ab ann. Do. 1215. vsque ad ann. 1348. ea extat m.s. in Bibl. Monasterij S. Galli in Heluetia, quæ antea nunquã prodijt.

IOANNIS de Vltricuria Propositiones primùm in Vrbe Roma condemnatæ; deinde publicè per eũ in Vniuersitate Parisiensi reuocatæ ann. 1348. extant in To. 4. Bibl. SS. PP. Aduersus septem peccata mortalia. Sermones duodecim. Liber de Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento. Lectura in Magist. Sententiarum, libris quattuor. Itinerarium Salutis. Determinationes Oxonienses. Conciones ad vtrumque Statum. Magno Regis Concilio Stransfordiæ cum alijs Theologis interfuit ann. 1392. Obijsse autem eum, & sepultum Eboraci Thomas Colbius existimat.

IOANNES Volricus Surgantus, collectionem Homiliarum ex Origene, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, Gregorio Magno, Beda inuentam in Basileēsi Bibl. dum eà Ciuitas staret in fide Catholica, edidit ann. 1493. apud Nicolaum Kester.

IOANNES Vpsonus, Anglus, Carmelita, scripsit Sermones, vt ferunt, eruditos. Obijt anno 1442.

IOANNES Vvaldeby, Eboracensis, Anglus, Ord. D. Augustini, Theologus Oxoniensis, & vniuersæ Insulæ Prouincialis, scripsit partim Latinè, partim Anglicè. In Symbolum Apostolorum. In Orationem Dominicam. In Salutationem Angelicam.

IOANNES Vuallendorpius, Germanus, Ord. Minorum, Concionator Andernacensis, edidit Germanicè Explicationẽ Passionis Iesu Christi Domini nostri. Coloniæ ann. 1582. Addit autem Henricus Villot eum in argumento Iustificationis strenuè desudasse.

IOANNES Vualsgram. Vide in verbo sequenti, Ioannes Vualsingam.

IOANNES Vualsingam, quem alia exemplaria habent *Vualgram*, alia *Vualsgram*, aliàs *Vualsergram*. Sed Antuerpiensis editio, quã sequimur, Vualsingam, Anglus, Nordouolcas, Carmelita, de quo Tritem. ait in Opere de Scriptoribus Ecclesiasticis, *In Gymnasio Parisiensi Magistrali infula decoratus, legendo, & disputando celeberrimus effulsit*. Prouincialis Angliæ, scripsit in Magist. Sentent. Quæstiones item varias, & Quodlibeta. Viuebat anno 1340. Tritem.

IOANNES Vuaynflete, Anglus, Carmelita, scripsit librum Determinationum Theologicarum. Alterum Sacrarum Concionum. Commentarios ad D. Scripturam, qui tamen haud referuntur, ad quosnam libros pertinerent. Viuebat ann. 1418.

IOANNES de Vuerdena, alijs *Vuerdenem*, Teutonicus, Ord. Minorum, scripsit Sermones de Tempore duplices, duplici libro. Sermones de Sanctis totidem, ac totidem libris. Quadragesimales autem vno libro.

IOANNES Vuellis, Anglus, Monachus, Ord. D. Benedicti, Congregationis Cluniacēsis, scripsit Librum pro Religione. Alterum De Cleri auctoritate. Alium De Sanctiss. Eucharistia. Alium contra Nicolaum Herforde. Viuebat ann. 1380.

IOANNES Vuichingam, Anglus, Ordin. Minorum, scripsit Librum Sermonum de Tempore. Alterum prænotatum, *Disputationes difficillimarum rerum*. Viuebat an. 1361.

IOANNES Vuilton, Anglus, Ord. D. Augustini, quē Ioannes Baconthorpius (quem Baconem Tritemius, & alij nominant) Carmelita, in primo, & secundo Sentent. valde collaudat, illius auctoritate ad pleraque vtens rationes, scripsit Parisijs, & in Anglia. Lecturam Sententiarum, lib. 4.

Sermones hyemales, lib. 1.	*Sicut in die honestè.*
Sermones per Quadragesimam, lib. 1.	*Memor esto, vnde excideris.*
Sermones æstiuales, lib. 1.	*Quæ sursum sunt quærite.*
Sermones de Sanctis, lib. 1.	*Simili pœna afflictus est.*
In Priora Aristot. lib. 2.	In Posteriora Aristot. lib. 2.
In Ethica Aristot. lib. 10.	Determinationes Theologicas, lib. 1.

Quæstiones, & Lecturas, lib. 1. dum esset Oxonij Lector publicus, vbi tandem decessit. Viuebat ann. 1319.

Ioannes Vuinchelsen, Ord. Min. scripsit Quodlibeta Theologica. Lecturas Scholasticas. Sermones (vt vocant) festiuales. In Aristotelis Logicam. Obijt ann. 1326.

Ioannes Vuitlich, Coloniensis, Germanus, scripsit Commentarios ad quattuor libros Magist. Sentent. & ad omnes D. Pauli Epistolas. Viuebat ann. 1490. & vltra.

Ioannes Vuolfgangus, Freymonius, scripsit Symphoniam iuris vtriusque Chronologicam, in qua omnium Pontificum, Imperatorum, Consulum Romanorum, Iurisperitorum nomina, successiones, ætates, mores, temporaque concurrentia in vnum corpus redacta, Historiarum Lectoribus velut in Tabula, spectanda proponuntur: quidque ab vnoquoque in vtroque iure constitutum sit, ostenditur. Francofurti ad Mœnum. Eiusdem Obseruationum Iuridicarum Crepundia ex octoginta plus minus humanioris litteraturæ Flosculis in Textibus, & Glossis Iuris passim occurrentibus congesta, & in lucem prolata, Monachij ann. 1576.

Ioannes Vonstein, Germanus, & in Parisiensi Academia Professor, scripsit De ijs, quæ ad dignum Sacerdotem exiguntur. Resolutiones item dubiorum in Sancti Missæ Sacrificij celebratione occurrentium. Librum De Passione Dominica. Sermones autem B. Ephrem de Ascensione Domini, ac De Conceptione Immaculatæ Virg. Mariæ Commentarijs illustrauit. Viuebat ann. 1415. Eisingr.

Ioannes Vurotham, quem Sixtus Senensis cognominat *Voretan*, Londinensis, Anglus, Carmelita, scripsit In Canticum Canticorum Salomonis. Sermones duodecim de Beatiss. Virgine. In quattuor libros Sentent. Lombardi. Sermones de Tempore. De Sanctis. Quadragesimales. Viuebat ann. 1406.

Ioannes Vyckam, Anglus, Sacerdos, Opus ingens Gulielmi Noringham in Euangelia redegit in Compendium. Extabat in Oxoniensi Biblioth. m.s.

Ioannes Vuyricus, è Nussia, Germanus, Carmelita Conuētus (vt vocant) Coloniensis. Prior Prouincialis Germaniæ inferioris, scripsit in libros quattuor Mag. Sentētiarum. Librum Ordinariarum Quæstionum. Alterum Concionum ad Populum. Alium Collationum Synodalium. Plura verò ab eodem conscripta Petrus Lucius Carmelita scribit asseruari in eiusdem Conuentus instructissima Bibliotheca ad dexteram ingredientis circa medium. Obijt ann. 1515. Trit.

Ioannes Xiphilinus, Patriarcha Constantinopolitanus sub Constantino Duca, vt auctores sunt Zonaras, & alii, Trapezunte Oriundus, & valde doctus, qui omnibus sponte relictis Olympi monasteria frequentauit, solitariam diu vitam egit, ac denique Patriarchali Sede fuit cohonestatus. Extat eius Epitome primæ Orationis in ieiuniorum hebdomadam, siue in Crucis adorationem tam Græcè, quàm Latinè. Quæ Epitome est secunda, quæ Philotheo adscribitur. Vtriusque autem compendium complectitur tertia incerti Auctoris. Omnes è Bauarica Bibliotheca, in quibus non pauca reperiuntur descripta ex Oratione S. Ioannis Chrysostomi in adorationem viuificæ Crucis. Vide secundum Tomum Iacobi Gretseri nostri, De Cruce.

Ioannes Yorke, Anglus, Carmelita, scripsit Præconia Sacræ Scripturæ. Lecturas in Genesim. Expositiones Ordinarias.

Ioannes Youngus, Anglus, hac nostra ætate edidit Latinè perutilem Librum De schismate. Quo libro docet non debere catholicos adire ad Synagogas hæreticorum, nec adeo vllis ipsorum precationibus, aut conuenticulis interesse, dum hæresim exercent. Hic autem vir probus, & doctus, atque auitam pietatem altè retinens, dum adhuc esset in vinculis, suum cognomen planè haud libro adscripsit, sed obscurius ita inscripsit, *auctore Ioanne Giuuano Doctore Theologo*.

Ioannes Zacharias, Erfordiensis, Germanus, Ord. Augustiniani, scripsit in Pentateuchum Moysis, & in omnes D. Pauli Epistolas, scholasticè. In Concilio autem Constantiensi aduersus Viclefitas, & Hussitas propugnator fuit egregius, quippe qui in bonis Artibus, atque in Theologia versatus admodum fuerat. Viuebat ann. 1430.

Ioan-

IOANNES Zonaras, Monachus, Cōstantinopolitanus, Ordinis, seu familię iam collapsæ S. Basilij, Græcè scripsit Historiam vniuersam à Mūdi primordio vsque ad obitum Alexij Comneni Imperatoris Constantinopolitani. Oecumenica item septem Concilia; prę terea Eparchica multa per Greciam vnà cū Carthaginiensibus collegit, quibus Epist. nonnullas antiquorū SS. P P. atque eorundem dogmata adiunxit. De octoginta verò quinque Canonibus Apostolorum, quos collegit vide quæ diximus in 2. To. Bibl. nostræ Selectæ, lib. 16. c. 19. Is certe in Historiam, (pręsertim ante Constantini Gesta) ineptè, atque oscitanter pleraque scripsit, & Sanctę Romanæ Ecclesię fuit iniquior: nam aduersus Processionem Spiritus S. à Patre, & Filio, & contra alia dogmata catholica falsas criminationes edidit; quippe schismaticus fuit.

Porrò qui eius Historiam Græcè, Latineq; emisit Hieronymus Vuolfius inter hæreticos primæ Classis prohibitus est in Romano Indice, quemadmodum itē eius versio. Quod quidē in Suidæ Historicis rebus ab eo in Latinū translatis obseruauimus, in verbo Suidas, vbi etiam ostendimus quę ad marginem, atque in tabulis, siue Indicibus adiecit, examinanda sint, quæve labes abstergēdę. Versus item Gallicè Zonaras aliquot anni sunt cū prodijt. Quin etiam cum aliquot libris Diodori Siculi Latinis coniuncta est Alexandri Magni vita, quam Ioanni Monacho, hoc est eidem Zonaræ ascribunt.

Chronica verò à Iulio Cæsare, vsque ad Alexium Comnenum, & expositio *τῶν ἀναστασίμων κανόνων*. Et Epitome veterum Historiarum ab initio Mundi m.s. extabant olim apud Didacum Hurtadum Mendozam, qui Caroli Quinti Imper. Orator fuit apud Venetos. Vocabularium quoque eiusdem erat in Bibliotheca apud S. Antonium, Venetijs. Commentarij etiam in Canones S. Ioannis Damasceni Theologi m.s. in Biblioth. Imp. Viennę Austriæ. Atqui quos Canones Apostolorum collegerat, ijdem à Ioanne Quintino Heduo in Latinum conuersi, Parisijs euulgati sunt ann. 1588. vti supra diximus.

Iob, qui ab Hebręis, *Iiob*, hoc est *vlulans, & dolens, atque adeo Patiens*, vocatus etiā *Iobab*, vt extat in extremo libro: Hieronymo autem in 99. in Paralipom. *Iasub* nominatus: Quo nomine apud Hebręos designatur, *conuersio, aut habitatio, aut Sessio*, natus in ciuitate Bosra in Idumea, vel Traconitide, non quidem in Bosra Moabitica, habitans autē in Terra Hus, siue vt habent Septuaginta, *in Terra Ausitide*: Filius Zara, Sacerdos, Propheta, Rex, Martyr, & acerbiora, quàm plerique martyres, passus, quem & Græci Patres *μυρίαθλον, καὶ πολύαθλον* hoc est millies, & multorum certaminum Athletam inuictum, & virtutis Athletam, Gemmeam statuam, Adamantem, Aureum simulachrum Basilius, Chrysostomus, reliqui vocarunt. De filijs Esau Quintus ab Abraham, Quartus ab Esau, scripsit ęrumnarum suarum historiam, & felicem exitum. Qui liber inter Protocanonicos numeratur, atque à Spiritu sancto ad Posteritatis omnis exemplum, verè dictatus, vt Gregorius Magnus habet. Sanè à nemine Prophetarum clarius de Resurrectione fuisse pronunciatum Oraculum S. Hieronymus Epistola ad Euagrium sensit.

Ac quidem scio sub iudicibus varijs litem fuisse, Librum hunc vel aliquem ex Hebræis sapientibus, vel Salomonem, vel Moysem conscripsisse. At probatior sententia est, in quā cum Sixtus Senensis propendeat, habuit antiquiores, qui ab ea steterint Gregorium Magnum in Præfat. cap. 1. Suidam in verbo, Iob. Albertum Magnum, qui vocat hanc sententiam verissimam, Dominicum Brixiensem pręfat. ad Gregorij Moralia, Ioannē Arboreum in Theosophia, lib. 9. c. 12. Quos denique secutus est noster Ioannes Pineda, nec Alphonsus Salmeron omnino abnuit.

Appendicem autem, quę in Codicibus Grecis extat in ipso fine post vltimam voluminis Periodum, quæ Appēdix incipit, *γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι*, & quę sequuntur. hoc est, *Scriptum est autem, eum rursus resurrecturum*, nec Hebręi, neque Latini Codices habent, *& Catena ipsa Græcorum Patrum in eundem, illam retinet*. Quin etiam eandem, quā Origeni falsò ascribuntur Commentarij in Iob; Additionem verò alteram ex 33. c. Geneseos ijsdem penè verbis desumptam: *Mortuus est autem Adad*, vsque ad illud, *& erat mater eius Zares ab ortu solis*, vbi adhuc agitur de Genealogia Iob, D. Hieronymus in Quæst. super Genesim, reijciunt tamquam incertam.

At Oratiuncula quædam vxoris Iob à cunctis ferè Græcis Interpretibus exposita negatur ab Origene in Epistola ad Iulium Africanum ad Hebraicæ scripturæ veritatem pertinere. Ea vero capite 2. libri Iob continetur χρόνου δὲ πολλοῦ vsque ad illud ἀλλὰ εἰπέ τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελεύτα. hoc est, *Tempore verò multo,* vsque ad illud, *Sed dic quoddam verbum ad Dominum, & morere.*

Sriptores in Librum Iob.

Post Græcos, & Latinos Patres, quorum Catalogus mox erit obuius: Quattuor inter alios hac nostra ætate strauerunt viam ad ea quæ vocantur Prolegomena huius viri Sancti Iob. Itaque non sine fructu erunt prælegendi.

Et primò Sixtus Senensis in primo libro Sanctæ Bibliothecæ in verbo Iob, & in eodem libro post viginti paginas, vbi agit de Appendicibus ad Iob, libro autem octauo hæresi decima oppugnat, & diluit hæreses eorum, qui Historiam libri Iob mentiti sunt fuisse confictam, Talmudici, Anabaptistæ, Lutherus, & aliæ eiusmodi quisquiliæ.

Deinde Io. Paulus Comitolus, qui Prolegomena præfixit Catenæ Patrum in Iob à se in Latinum conuersæ. Nimirum agit è quo genere, quave classe Sacrorum librorum sit Iobi liber. Qui locus sit ei tribuendus. Sit ne totus Canonicus. Deinde num Iob sit auctor huius libri, quove tempore, ac quibusnam de caussis scriptus. Quonam item Sermonis genere, quave specie Orationis solutæ an Poeticæ. Parabola ne sit, an Historia aduersus Iudæos. De Iobi nomine, Genere, Origine, ac Stirpe, De vitæ conditione, ac dignitate. Quot in partes Iobi liber tribuatur, & quæ sit cuiusque Partis propria Hypothesis. In omni concertatione, quæ inter Iobum, & amicos versata est, nihil esse ab Iobo, sed ab amicis multa peccata. Iobi quæ videntur execrationes esse sanctas. Cur Iobi virtutem Deus tot ærumnarum machinis tentari voluerit. Quanam ætate Iobus bonorū omnium naufragium subierit, quamdiu in eo vitam egerit.

Deinceps Alphonsus Salmeron, & ipse Theologus Societatis nostræ Canon. 24. Prolegomeno Decimo, De sensu litterali Scripturæ Sacræ. Qui postquam attigit caussas obscuritatis huius libri, De ijsdem, quæ Comitolus, licet non eodem ordine agit.

Denique Ioannes de Pineda copiosius, quàm reliqui in Præfatione suorum Commentariorum in Iob, capitibus decem.

Georgius autē Ederus in sua Oeconomia Partitionem huius Libri ponit ob oculos dilucidè, ac breuiter.

Atqui & Polychronij Argumentum in Iob, & obscuritatis, quæ in sacris litteris inest, decem caussę ex ijs, quæ in Iobum Polychronius est elucubratus, erutæ, & Fragmenta quędam Olympiodori de Argumento libri Iob à Comitolo ante Commentarium catenæ prępo nuntur, quę ad hæc, quę diximus, pertinent.

Scriptores Græci in Iob.

Dionysius Areopagita. Clemens. Origenes. Didymus. Euagrius. Basilius. Gregorius Nazianzenus. Athanasius. Cyrillus. Methodius. Apollinarius. Theophilus Alexādrinus. Isidorus. Eusebius Cęsariensis. Polychronius. Ephræm. Nilus. Alexander. Iulius. Iulianus. Seuerus. Seuerianus. Olympiodorus. Diaconus qui ex his omnibus Catenam confecit, quæ ab ipso, de quo diximus, Paulo Comitolo in Latinū conuersa edita est Venetijs apud Iolitos ann. 1587. Nam quę sub eiusdem nomine prodierat antea Lugduni in Gallia, hanc non agnouit pro sua; quippe ab alio non syncerè emissam.

At in alijs quibusdam Catenę huius Codicibus m. s. (licet superior sit vberior, quę & ab Antonio Cardin. Caraffa Comitolo suppeditata fuit) reperiuntur Gregorius Nyssenus. Io. Chrysostomus. Dionysius Alexandrinus. Nicetas. Anepigraphus quidam, & Theodorus Mopsuestiæ, & quidem alio cum reliquis ordine collocati, apparet varios fuisse coagmentatores eiusdem catenę. Cuius tamen inprimis Auctor esse existimatur Olympiodorus. Quo autem vniuscuiusque m. s. Codicis Catenę ordine positi sunt explicatores. Vide sequentia.

Docto-

Doctorum, è quorum explanationibus multiformes Catenæ in Sanctissimum Iobum constant, multiplex enumeratio.

Catenæ Antonij Caraffæ Cardinalis explanatores.

1 Dionysius Areopagita.
2 Clemens.
3 Origenes.
4 Didymus.
5 Euagrius.
6 Basilius.
7 Gregorius Nazianzenus.
8 Athanasius.
9 Chrysostomus.
10 Cyrillus.
11 Methodius.
12 Apollinarius.
13 Theophilus Alexandrinus.
14 Isidorus.
15 Eusebius Cæsariensis.
16 Polychronius.
17 Ephrem.
18 Nilus.
19 Alexander.
20 Iulius.
21 Iulianus.
22 Seuerus.
23 Seuerianus.
24 Olympiodorus Diaconus. Quem huius Catenæ auctorem certo credimus.

Catena Vaticana vetustioris, & cuiusdam alterius recentioris explicatores.

1 Olimpiodorus.
2 Ioannes Chrysostomus.
3 Euagrius.
4 Dionysius Areopagita.
5 Gregorius Theologus.
6 Basilius.
7 Gregorius Nyssenus.
8 Theodorus Mopsuestiæ.
9 Polychronius Apameæ Episcopus.
10 Didymus.
11 Origenes.
12 Iulianus.
13 Clemens.
14 Apollinarius.
15 Theophilus Alexandrinus.
16 Seuerus Episcopus Antiochenus.
17 Methodius.
18 Cyrillus Alexandrinus.

Petri Galesinij Protonotarij Apostolici alius Codex, in quo sequentes sequenti ordine.

1 Polychronius.
2 Olympiodorus.
3 Chrysostomus.
4 Basilius.
5 Iulianus.
6 Origenes.
7 Didymus.
8 Clemens.
9 Euagrius.
10 Seuerus.
11 Cyrillus.
12 Methodius.

Petri Triuisani Patricij Veneti, Abbatis Codex.

1 Olympiodorus.
2 Chrysostomus.
3 Niceta.
4 Polychronius.
5 Iulianus.
6 Dionysius.
7 Didymus.
8 Origenes.
9 Basilius.
10 Ephraem.
11 Euagrius.
12 Seuerus.
13 Nilus.
14 Athanasius.
15 Apollinarius.
16 Isidorus.
17 Methodius.
18 Gregorius Theologus.
19 N.
20 Cyrillus.
21 Gregorius Nyssenus.

Ioannis à Sancto Andrea, Canonici Parisiensis Codex.

1 Anepigraphus, seu carens nomine.
2 Apollinarius.
3 Athanasius.

4 Basilius.
5 Chrysostomus.
6 Clemens.
7 Cyrillus.
8 Didymus.
9 Dionysius Alexandrinus.
10 Ephræm.
11 Euagrius.
12 Gregorius Nyssenus.
13 Gregorius Theologus.
14 Isidorus.
15 Iulianus.
16 Methodius Sidensis.
17 Nicetas.
18 Olympiodorus.
19 Origenes.
20 Polychronius.
21 Seuerus.

Ioannis Vincentij Pinelli, Codex.

1 Apollinarius.
2 Basilius.
3 Gregorius Theologus.
4 Gregorius Nyssenus.
5 Didymus.
6 Dionysius Areopagita.
7 Eusebius Cæsariensis.
8 Euagrius.
9 Theodorus Mopsuestiæ.
10 Theophilus.
11 Ioannes Chrysostomus.
12 Iulianus.
13 Olympiodorus.
14 Cyrillus Alexandrinus.
15 Polychronius.
16 Origenes.
17 Seuerus Episcopus Antiochiæ.
18 Methodius Sidæ.

Marci Fagnani Patricij Mediolanensis, Catena, qua in eius domo ipsos quingentos annos asseruatur.

1 Chrysostomus.
2 Dionysius Areopagita.
3 Olympiodorus Diaconus.
4 Basilius.
5 Gregorius Nazianzenus.
6 Polychronius Episcopus Apameæ.
7 Didymus.
8 Origenes.
9 Apollinarius.

10 Iulianus Diaconus Antiochenus.
11 Clemens.
12 Euagrius.
13 Theophilus Episcopus Alexandrinus.
14 Seuerus Episcopus Antiochenus.
15 Theodoretus.
16 Methodius.
17 Cyrillus Alexandrinus.

Quæ in Saulia Bibliotheca extat Genuæ Catena.

1 Dionysius.
2 Didymus.
3 Methodius.
4 Basilius.
5 Athanasius.
6 Alexander Cappadociæ.
7 Apollinarius.
8 Chrysostomus.
9 Cyrillus.
10 Gregorius Theologus.
11 Euagrius.
12 Ephræm.
13 Iulius.
14 Iulianus.
15 Nilus.
16 Olympiodorus.
17 Polychronius.
18 Seuerus.

In Francisci Barroccij Catalogo, hi erant.

1 Chrysostomus.
2 Olympiodorus.
3 Didymus.
4 Basilius.
5 Athanasius.
6 Polychronius.
7 Dionysius.
8 Gregorius.
9 Apollinarius.
10 Olysiius.
11 Clemens.
12 Ephræm.
13 Iulianus.
14 Euagrius.
15 Seuerus.
16 Seuerianus.
17 Cyrillus.
18 Isidorus.
19 Nilus.

20 Origenes.
21 Gregorius.
22 Methodius.
23 Theophylactus.
24 Eusebius.

In Catena Alphonsi Salmeronis Theologi Societatis Iesu.

1 Chrysostomus.
2 Olympiodorus.
3 Polychronius.
4 Didymus.
5 Basilius.
6 Athanasius.
7 Gregorius Theologus.
8 Apollinarius.
9 Iulius.
10 Origenes.
11 Nilus.
12 Euagrius.
13 Dionysius.
14 Seuerus.
15 Isidorus.
16 Calius.
17 Methodius.
18 N.
19 Iulianus.
20 Gregorius Nyssenus.
21 Cyrillus.

Ex hoc vario Indice liquet Catena Cardinalis Caraffę nullam esse vberiorem: Nec non illud apparet, tam multiplicis coagmentationis non vnum fuisse opificem.

Porrò in Commentarijs in Iob, quæ Origeni tribuuntur emendauit aliqua loca Iacobus Billius cap. 8. primi libri Sacrarum Obseruationum, quæ ad calcem Epistolarum Isidori Pelusiotæ ab se versarum editæ sunt Parisijs ann. 1585. Multo autem plura loca repurgauit toto cap. primo, libri secundi earundem Obseruationum; quod caput est instar Notarum, siue Scholiorum.

Scriptores aliquot Latini in Iob.

Ambrosius Mediolanensis Episcopus, Gregorius Magnus. Ambrosius Alexander. Conradus Halberstatensis. Cyprianus Montemartyr. Didacus Stunica Salmaticensis Augustiniani Ord. cum eius editione vulgata, Latina, Hebræa, Græca septuaginta Interpretum, & Chaldæa. Franciscus Titelmannus. Franciscus Feuardentius in tria priora, & vltimum cap. Hieronymus Sauonarola; at non Concio xiiii. incipiens, *Beatus vir, qui corripitur à Domino*, quoniam in Romano Indice meritò prohibita est. Hilarius Pictauiensis. Ioannes Francfortius, Ioannes de Pineda, duobus vberrimis Tomis. Odo. Philippus Monachus. Richardus Ampolus. Simon Affligimensis. B. Thomas Aquinas. Nicolaus autem de Lyra, & Glossa interlinearis, & quicumque in vniuersam Scripturam elaborarunt, & ipse adeo noster Emanuel Sà, licet breuiter.

IOCELINVS Brachelone, Anglus, Monachus Ordinis D. Benedicti, vitam Beati Roberti martyris, Chronicon sui Cœnobij, De electione item Hugonis, scripsit. Viuebat anno 1214.

IODOCVS Badius Ascensius, Gandensis, præter valde multa, quæ edidit siue in Poetas ethnicos, siue spectantia ad Historicos, & ad alia studia litterarum humaniorum, scripsit in Psalterium Beatiss. Virginis Sapphicis carminibus. Annotationes in Euangelicam Ioannis Historiam, quæ olim excusa fuit Basileæ à Vuestemero, vnà cum Cęli Sedulij Poematibus. Commentarios in Opera Baptistæ Mantuani. In Philippi Beroaldi Narriam De Passione Domini. Vincentiū de Nouocastro. Syluas morales cum ex Baptista Mantuano, & Sulpitio de moribus, tum è Poetis ethnicis. Viuebat adhuc ann. 1495. quo de eo Tritemius scribebat.

IODOCVS, siue *Iudocus*, Beysselius, Aquisgrani in Germania natus, idemque patricius, & I. V. C. eruditissimus, vt eius amicus Tritemius in Catalogo illustrium virorum testatur, scripsit Librum, quem prænotauit, *Epitoma Stimuli Amoris*, quod alij inscriptum aiunt fuisse, *Stimulum Diuini Amoris*. Alterum, cui titulus, *Rosarium de Sanctissimo Altaris Sacramento*. Alium De Rosacea Beatissimæ Virginis Corona. Alium de Rosarij mysterijs. Alium, Rosarium metricum. Ad Tritemium (quod hic ipse fatetur) Rosarium carmine elegiaco De Sanctiss. Matre Anna. Dialogum (ait Tritemius) pulcherrimum. De

I optimo

optimo genere Musicorum. Librum De Christiano ambitu. Gesta quoque Flandrensium inceperat scribere, sed eatenus absoluere distentus alijs negocijs nequiuerat. Orationes etiam & varias, & elegantissimas (idem inquit Tritemius) scripsisse dicitur. Epigrammata quoque multa, & diuersi generis carmina complura. *Epistolas* (subdit Tritemius) *tam ad me, quàm ad alios ornatissimas penè innumerabiles dedit.* Viuebat adhuc Aquisgrani ann. quo hæc scribebat Tritemius 1495.

IODOCVS, siue Iudocus, Clichtoueus, Neoportuensis, Gallus, & Carnutensis Ecclesiæ in Gallia Canonicus, Theologus, scripsit In Ioannem Damascenum Commentaria.

Collegit verò ex Chrysostomo, & Augustino explanationis in Euangelium Ioannis libros quattuor, eosque inseruit commentarijs Cyrilli Alexãdrini Archiepiscopi, vt ex duodecim libris, quos B. ille Pater scripserat in Ioannem, quattuor intermedios, qui interierant, suppleret, hoc est, Quintum, Sextum, Septimum, Octauum; in quibus ex Euangelio Ioannis enarrat ab eo loco septimi capitis. *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis. Nonne hic est, quem quærunt interficere?* vsque ad ea verba duodecimi capitis: *Si quis audierit verba mea, & non custodierit.* Scripsit item

Homilias de Tempore, ac de Sanctis, per totum annum. Coloniæ apud Eucharium Ceruicornum anno 1541. & ibidem apud Quentelium, & apud Maternum Cholinum, anno 1572. emendatiores.

In Hymnos, & Prosas. Venetijs ad signum Spei, ann. 1555.

Propugnaculum Ecclesiæ contra Lutheranos.

Commentarium, quem inscripsit, Antilutherum.

De Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ contra Ioannes Oecolampadium. Qui liber Parisijs prodijt anno 1568.

Improbationem quorumdam articulorum Lutheri.

De puritate Conceptionis Beatissimæ Virginis: ac de eius dolore in Passione Filij sui, ac De Assumptione eiusdem, Parisijs ann. 1513. apud Henricum Stephanum, non quidem alterum illum, qui nostra ętate in hæresi est mortuus.

De veneratione Sanctorum.

De mystica numerorum significatione.

De vita, & moribus Sacerdotum, qui liber ann. quoque 1604. editus est Constantię in Germania.

De necessitate peccati Adæ.

De laude monasticæ Religionis.

De dignitate Annunciationis B. Virginis.

De ieiunio.

De Missæ Sacrificio.

De laudibus SS. Ludouici, & Cęciliæ.

De laudibus trium antiquorum Patrum.

Compendium Veritatis.

Decreta Concilij Senonensis.

De Bello, & Pace.

De Regis officio.

Quæ duo Opuscula olim Parisijs, hoc est ann. 1519. prodierunt vnà cum libello De vita, & moribus Episcoporum, & aliorum Prælatorum: ante quæ Opuscula omnia, præfixa est Epistola copiosa Nicolai Papæ primi. Hæc verò excusa fuerunt ab Henrico Stephano illo, qui Catholicus fuit, non autem ab altero, qui (vt diximus) extra Ecclesiæ castra hæreticus obijt.

De doctrina moriendi. Quæ Opera pleraque omnia Parisijs excusa sunt apud Ioannem Colinęum.

Atqui & laborauerat in humanioribus, ac philosophicis Studijs; vt neque dedignatus sit in Augustini Dathi elegantias Commentarium edere. Et verò scripsit quoque

Introductionē in Arithmeticā Seuer. Boetij.

Compendium de praxi numerandi.

Librum De vera Nobilitate.

Scholia in Paraphrasim Rhetorices.

In libros Metaphysices Aristotelis.

In Theorica Planetarum.

Artem supputandi tam per calculos, quàm per notas Arithmeticas.

Introductiones ĩ singulas Dialecticę partes.

Scholia in Paraphrases Fabri Stapulensis super Aristotelis totam fermè naturalem Philosophiam. Parisijs ann. 1533.

Obijt apud Celtas, Canonicus Carnutensis, Patrimonium penè vniuersum ciuibus alendis in studijs, testamenti tabulis legauit. Vixit circa annum 1524.

IODO-

IODOCVS Coccius(non ille Cok, siue Cocus, qui in Romano Indice prohibitus est) Bileueldianus, & Canonicus Iuliacēsis Antiquitatis Ecclesiæ solers indagator, linguarum trium peritus, cum ab ineunte ætate incidisset in præceptores Lutheranos, & adhuc iuuenis in eiusmodi hęreticorum Academijs versatus vidisset intersese digladiantes hęreticos, veniens Coloniam Agrippinam, vbi catholica publicè doctrina tradebatur, ad Patrum antiquorum dogmata scrutanda applicuit animum. Quamobrem in fide Catholica confirmatus, incensus est vniuersas de controuersis quæstionibus materias ex ipsis fontibus Patrum ab Apostolorum tempore vsque ad nostram ætatem colligere, nouatores autem refellendos, serie seruata temporum, quibus quisque vixisset, in lucem emittere. Magno itaque labore, volutatis Scriptoribus, spatio vingintiquattuor annorum Opus conscripsit, siue digessit, quod inscriptum est, Thesaurus Catholicus, qui ann. 1599. Coloniæ post eius mortem prodijt ex Typographia Arnoldi Quentelij.

Duorum autem Tomorum, in quos distributus est, Primus continet,

Lib. 1 De Deo, & Sanctiss. Trinitate.
2 De Christo Saluatore.
3 De Deipara Virgine Maria.
4 De Angelis.
5 De Sanctis Ecclesiæ.
6 De Sacris Scripturis Ecclesiæ.
7 De Hierarchia Ecclesiæ, & Summo Pōt.
8 De signis Ecclesiæ.

Tomus autem Secundus hæc habet,

Lib. 1 De Natura hominis.
2 De Peccato hominis.
3 De Iustificatione hominis.
4 De Vita Monastica.
5 De Sacramentis Baptismi, & Confirmatione.
6 De Eucharistia.
7 De Pœnitentia, & Extrema vnctione.
8 De Ordine.
9 De Matrimonio.
10 De Quattuor hominis nouissimis.

Atqui Opus hoc, quamuis initio, siue prima fronte videri possit agere, quod alij, inter quos inprimis Card. Bellarminus, & quidem accuratius, & doctius egit, vtilissimum tamē est cum ad lucrandam iacturam temporis, quæ fieret in versandis auctoribus ipsis, tum ad veritatem noscendam; cum quas affert auctoritates, eę vberius afferantur, quàm fiat ab alijs. At & vix cuiquam licet eam habere Bibliothecam, vnde tantam possit omnium seculorum assequi notitiam. Et in generalibus Synodis certe iuuaret maximè.

IODOCVS Damhouderius, Brugensis I. C. scripsit Parenæses Christianas, siue locos communes ex vtroque Testamento desumptas ad omnium hominū captum. Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum, ann. 1571. & Venetijs anno 1572. apud hæredes Sessæ. Pupillorum Patrocinium, item Subhastationum Epexegesim, Venetijs ann. 1572. Enchiridion rerum Criminalium, vulgò Practicam, Lugduni ann. 1555. Praxim rerum Ciuilium, Venetijs ann. 1568. Declamationem in laudem Hispanorum Negotiatorum, Louanij ann. 1558. apud Stephanum Valerium.

IODOCVS Gallus, Rubeaquensis, (Tritemio Rubiacensis) Sacræ Theologiæ Doctor, ac Spirensis Ecclesiæ Antistes, scripsit

De cognitione sui ipsius, lib. 2.
De tentatione carnis, mundi, & Satanæ, lib. 3.
Sermones de Tempore.
Sermones de Sanctis.
Sermones Quadragesimales.
Orationes de fide, confessione, ac martyrio S. Catharinæ.
De Natiuitate Christi.
De missione ac officio Spiritus Sancti.
De Baptismo Ioannis & Christi.
De annunciatione Dominica.
Orationes habitas in Academia Heidelbergensi.
Orationes ad Clerum Spirensem, ac Vvormaciensem 6.
Dialogum de Purificatione Beatiss. Mariæ Virginis Moguntiæ excusum.

De

De arte memoratiua librum, impressum, cum imaginibus, & epigrammata diuerso carminis genere multa, quę cum alijs eius lucubrationibus manuscriptis partim apud Rubeaquenses in Fratrum Minorum Bibliotheca, partim ab hæredibus eius seruantur. Eiusdem in sphæram Iacobi Vvimpfelingi præfatio impressa est Heidelbergę, ann. 1486. claruit apud Spirenses, ann. 1516. quo etiam in Domino obdormiuit.

IODOCVS Hessus, Germanus, Prior Cartusię Erfordiensis in Germania, Poema scripsit Carmine Heroico sat grande, De origine Ordinis Cartusiani, & plerasque de pijs rebus Orationes.

IODOCVS Lorichius Theologus, & Professor in Academia Friburgensi, Euangelium, hoc est, De vi, natura, & scopo Euãgelij Iesu Christi, scripsit Aduersus temerariam, stultamque instantiam eorum, qui se hodie nominant Euangelicos. Ingolstadij ann. 1580.

Extat vero Catenula præcipuorum Articulorum fidei Christianæ ac Religionis. Cui accessit methodus Iustificationis. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1576.

Defensio apologię, De adoratione, & eius speciebus, aduersus Hyperaspisten, & spõgiam Disputationis de precatione è Schola Tubingensi. Ingolstadij ann. 1577.

De vera & falsa libertate credendi demonstratio. Ibid. ann. 1577.

De traditionibus Ecclesiasticis, & voluntario Dei cultu, in genere, aduersus duo paradoxa Hæreticorum nostri temporis, scilicet: *Nihil esse & credendum, & obseruandum; quod non sit in Scripturis Sanctis expressè cum præscriptum, tum præceptum*. Ibidem apud Sartorium, ann. 1580.

Disputatio de vsu Imaginum in Ecclesia Dei. Coloniæ apud Maternum Cholinum, anno 1587.

Cura corporis humani pia atque salubris, pro clericis, alijsque pijs omnibus è Sacra primum Scriptura, eiusque interpretibus Sanctorum Patribus: deinde & ex Scripturis alijs Sacris: vnà cum vtriusque generis exemplis collecta. Ingolstadij apud Vvolfgangum Ederum ann. 1587.

De perfectione vitę Christianę Tractatus ab eodem Latinè redditus. Friburgi Brisgoię apud Martinum Boeckber, ann. 1599.

Loci communes, quibus Religiosi vtriusque sexus, & omnes ij, qui Christo nomina dederunt, ad vitam benè beatéque instituendam, commodè & maximo cum pietatis fructu, vti possunt. Monachij apud Adamum Berg, ann. 1589.

Speculi vitę humanæ Synopsis, ex Tractatu Roderici Zamorensis, & Calaguritani Episcopi de eodem argumento perscripto, collecta. Monachij apud Adamum Berg, ann. 1589.

Disputatio de ceremonijs Ecclesiasticis in genere. Ingolstadij ann. 1590.

Confessio articulorum Christianæ fidei ex libris D. Augustini. Germanicè. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1582.

Catholica Institutio De intercessione, & peregrinationibus ad Sanctos, Germanicè. Coloniæ ann. 1582.

Libellus Precationum ex officio Beatissimę Virginis Reformato, anno 1598. Friburgi Brisgoiæ.

IODOCVS, à Meggen, patricius Lucernas scripsit suam Peregrinationem in Syriam, & ad Vrbem Hierosolymam quę Dilingę prodijt ann. 1579.

IODOCVS Rauestenius Tolceto Oppido, quod eius Prouincię vmbilicum penè obtinet, oriundus, Sacra studia in maiore Theologorum Collegio Louanij prosequens, ibidem diu Oeconomiam administrauit, Doctoris autẽ Theologi titulum adeptus, Collegij Hauterlęi Pręses, & Academię Curator, seu Priuilegiorum conseruator constitutus, honestis Sacerdotijs Pręposititura Vvalcurensi in agro Gallo Brabantię, Canonica dignitate Louanij ornatus, scripsit

Defensionis Decretorum Cõcilij Tridẽtini aduersus examen Martini Chemnicij, partem primam. Louanij apud Petrum Zangrium, ann. 1568.

Confutationem Cõfessionis, quę edita fuit à Ministris, qui in Ecclesiam Antuerpiensem irrepserunt, & Augustanę Confessioni adhęrent. Ibidem ann. 1568.

Apolo-

Apologiam confutationis profanæ Confessionis, quã Antuerpiensem vocant, contra Matthiæ Flacci Illyrici cauillationes. Ibidem apud eundem ann. 1568.

Apologiam Decretorum Concilij Tridentini, de Sacramentis aduersus Censuras, & Examen Martini Chemnitij, partem alteram. ibid. apud eundem ann. 1570.

IOEL, hoc est *incipiens*, aut *Domini descensus*, filius *Phatuel*, quæ vox designat *latitudinem*, siue *ostium Dei*, è tribu Ruben prophetauit in diebus Osee, Ionathan, & Achab, & Ezechię Regum Iuda, alijs verò tempore Ioram Regis, filio Achab Regis, ad tribum ipsam Iuda, inprimis, atque ad Hierusalem. Ea Prophetia tribus contenta capitibus Diuinam Comminationem, atque futuram famẽ; postea verò promissionem Regni Christi Domini, & effusionem Spiritus Sancti in seruos, & seruas Dei; denique futurum iudicium, quare & hortatur ad pœnitentiam. Is demum in agro Bethoron (qui alijs est *Bether*, siue *Bethor*) vnde fuerat oriundus, obdormiuit in Domino, sepultúsque est honorificè, circa annũ iuxta putationem Sixti Senensis ter millesimum quinquagesimum ab Orbe condito; ante Christum verò natum, nongentesimum octauum.

Scripserunt autem in Ioelem Prophetam.

Omnes ij, quos alibi ostendimus Diuinam Scripturam Commentarijs, siue Glossis, siue Notationibus exposuisse.

Cyrillus. Hugo. Victorinus. Ruffinus. Paraphrasis Chaldaica, & emendata Francisci Vatabli. Tabula item Georgij Ederi in eius Oeconomia. Paulus à Palatio. Franciscus Ribera.

Vide verò Epiphanium in Prologo de Prophetis. Hesychium presbyterum Hierosolymitanum in Seriem duodecim Prophetarum, & Esaiæ, ac Danielis, vbi quàmbreuissimè loca etiam quædam illorum difficiliora explanat. Synopticam historiam De vita, & obitu Prophetarum, ab incerto Auctore conscriptam. hæc verò prodijt ex Augustano codice vnà cum Adriani Isagoge Sacrarum litterarum.

IONAS Abbas, scripsit vitam S. Vulframi Episcopi. Viuebat ann. 729.

IONAS, Aurelianensis Episcopus, libros tres scripsit De cultu Imaginum ad Carolum Caluum, aduersus hæresim Claudij Taurinensis Episcopi, ante annos septingentos, Imperatore Ludouico Pio, Caroli Magni F. quorum Præfatio sic incipit, *Dilecto Carolo inclyto Regi, &c.* Opusculum autem hoc Iconomachorum impetus omnes frangit. Extat in Bibl. SS. PP. To. 4. Margarini Bignæi. prĩterquãquòd separatim prodijt Coloniæ ann. 1554. & Antuerpiæ apud Plantinum.

IONAS Scotus, Monachus, & Abbas Monasterij, & Congreg. Luxouiensis, S. Columbani discipulus, scripsit vitas SS. Columbani; Attalæ, Eustathij (alijs *Eustasij*) & Bertulphi Abbatum, & D. Columbani successorum, quæ excusæ sunt in vitis Sanctorum Surij, manifesto eorum errore, qui eas Bedæ To. 3. tamquam huius ipsius fętum ascripserunt. Vixit ann. 630. Trit. Sigeb. in Catal. c. 61. Baron. Card. Annal. To. 8.

IONAS Propheta, cuius nomen (vt habet Theophylacti Fragmentum in eundem ex Augustana Bibliotheca vnà cum Adriani Isagoge Gręcè excusum) designat ὑψίστου πονοῦντος τὴν περιστεράν, hoc est *Altissimi laborantis Columbam*, fuit filius Anathot Prophetæ ex regione Opher, ex Viculo Geth, qui temporibus Hieronymi Diocæsarea vocabatur, secũdo à Sephorim milliario versus Tyberiadem situs in tribu Aser. hunc tamen Epiphanius tradit natum in Gath, seu in Chauathamaum, in tribu Dan, haud longè ab Azoto vrbe 3. Reg. 14.
Palæstinorum, mari vicina, fuisseque filium Viduę Sareptanæ, quem Helias propheta in Sarepta Sidoniæ mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum, Nunc cognoui, quia vir Dei es tu, & veritas in ore tuo: & ob hanc causam puerum vocatum filium Amithai, hoc est veritatis, eo quòd verum dicente Helia propheta, iterum in hanc lucem editus sit. Hic cum ad virilem ætatem peruenisset, prophetauit primum de restitutione Damasci, & Hemath, & terminorum regni Israelitici facta per Hieroboam Regem Israel: deinde missus in Niniuem Assyriorom metropolim, iuxta Lycum fluuium à Nino rege conditam

Vrbem sua prædicatione ad pœnitentiam conuertit: & hanc historiam, in qua mors, & Resurrectio Christi figuratur, exiguo libello mandauit. Vixit temporibus Oseæ, Amos, & Esaiæ: & mortuus est in terra Saar, ibidemque sepultus in specu Cenesæi iudicis, circiter annum ab Orbe condito ter millesimum ducentesimum quadragesimum.

Scripserunt autem in Ionam Prophetam quicumque Glossis, Notationibus, Paraphrasibus, Commentarijs D. Scripturam explanarunt.

Deinde item Hieronymus, Ioan. Chrysostomus, Theophylactus, Gulielmus Pepin. Catardus, Paulus à Palatio, Franciscus Ribera. Vide Tabulam Georgij Ederi 228. in eius Oeconomia.

De Hedera verò Ionæ, siue cucurbita Ionę 4. cap. Vide quę D. Hieronymus prçter illa, quę contra Ruffinum scripsit in ipsis ad Ionam Commentarijs, rescripsit ad tertiam Augustini ad se scriptam Epistolam.

IONATHAS Hebręus, Epistolam scripsit ad Spartiatas. Quæ extat in Iosephi libris Antiquitatum Iudaicarum.

IONATHAS alter fuit, cui Iudęi ascribunt Targum, hoc est Chaldaicam Paraphrasim in Pentateuchum, & in Priores, ac Posteriores Prophetas; Sanè verò cũ Sixtus Senensis de Syra editione, lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ egerit, subdit hęc verba. Iacobus Episcopus Christopolitanus asserit auctorem trãslationis huius fuisse Ionathain Abenuziel Iudęum, qui anno primo & vigesimo Octauij Augusti, hoc est, anno ante Christum natum 21. transtulit totum vetus instrumentum in linguam Chaldaicam, siue Syram, sensum magis de sensu, quàm verbum de verbo exprimens. Narrat item in expositione Psalmi 20. idem Episcopus hunc Ionathan in sua Targum multa de Christi Diuinitate, ac de Sancta Trinitate mysteria explicasse, veluti in editione Psalmi secundi: in quo dum paraphrasticè illustraret sententiam illam. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te, &c.* ita scripsit: Duo Hi, Pater & Filius, tres sunt in vna tertia persona, nimirum Spiritu sancto: & hi tres vnũ sunt, vna, inquam, Substantia, vna Essentia, & vnus Deus. Quæ dum Ionathas literis mandaret, repentè vox ad eum de cęlo allata est, inquiens: quis est iste qui audet secreta mea gentibus reuelare? Tum Ionathas, Ego, inquit, domine ob reuerentiã, & gloriã nominis tui hoc tẽtare ausus sum. Hęc Episcopus Christopolitanus, quæ an ita se habeant, alijs inquirendum relinquo. Planè constat, verba hæc non haberi in Chaldaica Psalmorum interpretatione, quę nunc circumfertur. Iudæi tradunt Targum à tribus peritissimis Rabbinis conditam, Onkelo, Ionatha, & Iosepho; ex quibus Onkelos Pentateuchum solum vertit: Ionatas Pentateuchum, & Prophetas priores, ac posteriores; Ioseph verò Psalmos, Prouerbia, Iob, Ecclesiasten, Ruth, & Esther; Franciscus Xymenius Cardinalis in pręfatione ęditionis Complutensis, docet hanc translationem Chaldaicam in solis quinque libris Mosis fideliter Hebraicæ veritati respondere, in cęteris autem Diuinis voluminibus corruptam esse, & in multis locis consparsam meris fabulis, & Thalmudistarum nugis. Vide autem quæ de Ionatha scribit Galatinus lib. 1. cap. 3.

IORDANVS, qui *ad Iordanem flumen in Palæstina Baptismum suscepit,* Ord. Pręedicatorum, à B. Dominico primus eiusdem Ordinis Magister Generalis, scripsit De Institutione Ordinis sui. Hortatorias item Epistolas ad suos Fratres. Et Sermones ad populum. Vide Ferdinandi Ord. Prędicatorum Centuriam primam Historiæ Dominicanorum: in qua de illo scribuntur eximia.

IORDANVS de Saxonia, Quintelimburginatus, Ordinis Diui Augustini. Vir magnæ sanctitatis, qui vixit circa annum 1389. scripsit

In Apocalypsim Diui Ioannis. Tractatum de Passione Domini 234 Theorematibus. Qui incipit, *Aspice, & fac secundum exemplar.*

Sermones de Sanctis. Quorum initium, *Dan catulus Leonis.* Parisijs olim excusos apud Damianum Hichman; & illos quidem probè dispositos, ac vberis eruditionis plenos.

Sermones item De Tempore; *Iordani ripas alueι.* impressos Argentinę anno 1483.

Quadragesimale. Quęstiones varias. Vitas Fratrũ. *Spiritualis pulchritudinis.* Vitã S. Monicę. Apologiã Ord. sui. Serm. autẽ ipsius Dominicales m. s. ipse vidi Patauij apud Eremit.

At

At & alius omnibus Euangelica consilia sequentibus vtilissimus liber eiusdem Auctoris extabat Balneoregiji m.s. Quem Augustinus Fiuizanus, Augustinianus, & Apostolici Palatij Sacrista, cum fuisset assecutus, Italicè abs se redditum Romæ emisit apud Ioannem Martinellum, ann. 1586. deinceps autem Latinum vnà cum Notis M. Antonij Massæ Salernitani V. C. & Abbatis.

Agitur autem in eo De quattuor Communionibus, quæ sunt necessariæ profitentibus Monasticam Vitam. Deque Origine, ac Progressu eiusdem Ordinis; Diuique Augustini Regula exponitur. Communiones autem illas vocat Localem, Spiritualem, Temporalem, Proportionalem.

Graue porrò de B. isto Auctores testimonium reddidere Ioannes Tritemius. Abrahamus Schedel. Iacobus Bergomas, lib. 14. Supplementum Chronicorum. Episcopus Signinus in Chronico Ordinis.

IOSEPHVS, qui Librum scripsit De Vniuerso. Vide infra in verbo, Iosephus Iudæus.

IOSEPHVS Aueta, Andrius, Apulus, Ord. Minorum, Vitam & miracula S. Francisci Decem libris distinctam metro Latino cecinit.

IOSEPHVS Acosta, Hispanus, Societatis Iesu, Theologus, quique inter labores alios Occidētalem Indiam & peragrauit, & Prouincialis in America administrauit, scripsit De quattuor Temporibus Nouissimis, libros quattuor, quos Romæ emisit anno 1590. quique anno 1592. Lugduni prodierunt apud Ioannem Baptistam Buysson.

De Christo reuelato, libros nouem, qui Lugduni apud eundem eodem anno; sed & Romæ anno 1592.

De Natura noui Orbis, ac De Promulgatione Euangelij apud Indos.

Quadragesimale in Hispanijs, quod deinceps recusum est in Italia cū alibi, tum à Ioanne Baptista Ciotto Venetijs ann. 1599. Dictio Latina est, ac sine fuco. Doctrina fidei, & morum sana, Poetica, historica, Philosophica sobriè admiscuit. pleræque Conciones duplices, quin & triplices aliquæ sunt. De Passione Domini in sexta maioris hebdomadæ feria cur nullam scripserit, Admonitione ad Lectores declarat, & Lectores denique allatis alijs rationibus, quibus constat qua ratione illa habenda sit, amandat ad octauum suum librum De Christo reuelato; in quo libro per capita quinquaginta quattuor singula Passionis, & mortis Christi Domini mysteria Propheticis oraculis iuxta probatam Sanctorum Patrum intelligentiam adhibitis vel indicantur, vel etiam illustrantur. Conciones in reliquum annum. Obijt in Hispania, ann. 1599.

IOSEPHVS, scripsit Enarrationem in martyrium Sanctorum Machabæorum. Extat in Vaticana Biblioth. hac Inscriptione: *Μηνὶ αὐγούστῳ διήγησις Ἰωσήππου εἰς τὸ μαρτύριον τῶν ἁγίων μακκαβαίων.*

IOSEPHVS Angles, Valentinus, Ordinis Minorum, è Prouinciç Sancti Iacobi, alumnus in Hispania; & Theologiç Professor, Episcopus Bosanensis, scripsit Flores Theologicarum Quæstionum in Quartum librum Sententiarum Magistri, duobus Voluminibus, siue Partibus, quorum primum Lugduni apud Stephanum Michaelem prodijt anno 1557. Vtrumque autem Antuerpię ann. 1584. & 1585. apud Belletum. Denique item in Secundum, & Quartum Sententiarum Lugduni apud Adrianum Perier, an. 1587. ac Venetijs apud Ioan. Baptistam Vgolinum, ann. 1588.

IOSEPHVS Antiochenus, vetustissimus fertur fuisse Auctor, qui scripserit Librum prænotatum, *Speculum perfectæ Militiæ Primitiuæ Ecclesiæ*. Vixit anno 130. Philippus Ribotus.

IOSEPHVS Bergomas, Mirandulanus, Congregationis Sancti Saluatoris preter plerasque Epistolas datas ad Ioan. Picum Mirandulanum, & quędam ad humaniores litteras spectantia, scripsit Orationem De Ratione Christianæ Reipublicę quæ Venetijs edita fuit ann. 1550.

IOSEPHVS Confessor dictus *ὁμολογητὴς* Archiepiscopus Thessalonicensis Orationem Græcè reliquit in venerandam, & viuificam Crucem, quæ cum antehac (quod

ſciamus) numquam fuiſſet excuſa, à Iacobo Gretſero noſtro Græcè ex Bibliotheca Reipublicę Auguſtanæ, & Latinè abs ſe verſa, inſerta fuit in eius Tomo ſecundo, De Cruce Chriſti. Arbitratur autem Gretſerus hunc Ioſephum fuiſſe illum, cuius meminit Cedrenus in Imperio Nicephori, fol. 293. & Zonaras in Imp. Michaelis Rangabis, fratrem Theodori Studitę. Vide autem Notas eiuſdem Gretſeri ad eundem Tomum pag. 584. & 585. Vixiſſe exiſtimatur cum Iconomachi in ſacras imagines graſſarentur, qui repullularunt ſub Leone Armenio.

IOSEPHVS Creſuellus, Anglus, & Theologus Societatis Ieſu, ſcripſit aduerſus litteras Cecilij eius, qui olim ſub Eliſabetta fuit Angliæ Cancellarius.

IOSEPHVS Falconius, ſiue à Falconibus, Carmelita, Theologiæ Profeſſor, ac Prior Placentini Cœnobij in Ciſalpina Prouincia Italiæ, ſcripſit Sermones per Quadrageſimam. Chronicon Carmelitanorum, & alios Tractatus, quorum ſe vidiſſe complures aſſerit Petrus Lucius Carmelita. At nihil dum prodierat in lucem ann. 1592. Quo adhuc viuebat.

IOSEPHVS Gaucherius, Gallus, in Gallicam linguam conuertit Opuſcula, quæ Diui Auguſtini nomine feruntur. De Doctrina, & vita Chriſtiana. De Mundi Vanitate. De obedientia, & humilitate, denique De Scala Paradiſi. Pariſijs apud Ioannem Fauchettum, ann. 1542.

IOSEPH Pamphilus, Veronenſis, Auguſtinianus, Epiſcopus Signinus, vſque ad annum 1579. hæc ſcripſerat,

Chronicon Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, à Diui Auguſtini ortu uſque ad annum 1575. in quo potiſſimum homines aut ſanctitate, aut litteris, aut dignitatibus clari, breuiter exponuntur. Quodque edidit Romæ anno 1581. cum ibi adeſſet.

De origine multarum, grauiſſimarumque in Eccleſia cęremoniarum, lib. 1.

De Canonibus Apoſtolorum, & Epiſtolis primorum quorundam Romanorum Pontificum, longam & eruditam diſputationem.

De Sacris ritibus apud veteres Pontifices in conficiendis, & adminiſtrandis Baptiſmi, Chriſmatis, & Sanctæ Euchariſtiæ Sacramentis, lib. 3.

De exorciſtis & antiquo ritu torquendi, & expellendi Dæmones, lib. 2. Edidit quoque Diœceſanam Synodum Signinam, quam habuit die 26. Aprilis ann. 1579. Hęc ipſemet Ioſeph Pamph. de ſeipſo.

IOSEPHVS Stephanus, Valentinus, De adoratione pedum Romani Pontificis, Diſputationem, ac De coronatione, & eleuatione Romani Pontificis. Venetijs an. 1579. Eiuſdem Sacri Roſarij Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ab hæreticorum calumnijs Defenſio, vnà cum myſterijs, & Diplomatibus Romanorum Pontificum, Romę ex Typographia Dominici Baſæ, ann. 1584.

IOSEPHVS Theſſalonicenſis. Vide paullò ſupra in verbo, Ioannes Confeſſor.

IOSEPHVS Zarlinus, ſcripſit Tractatum Italicè (Diſcorſo) De vero Anno, & vero die, quo Crucifixus pro nobis fuit Dominus Ieſus. Venetijs apud Dominicum Nicolinum, ann. 1579. De Origine item Congregationis Cappucinorum ibidem apud eundem.

IOSEPHVS idest *Flauius Ioſephus*, Matthathię F. (quamuis Gemblacenſis codex m.s. & Sophronius, ac vetuſta quędam exemplaria habeant *Matthia*, idque haud rectè) natione Iudæus, ſecta Phariſęus, officio Sacerdos, quique Mariamnæ Reginæ Herodis coniugi, atque iunioris Agrippæ Proauię conſanguineus fuit, ex filia Ionathæ Pontificis, fratris Iudæ Machabæi oriundus, à Veſpaſiano captus, cum Tito filio eius relictus eſt. Hic Romam veniens (vt in Catalogo habet Hieronymus.) ſeptem libros Iudaicæ captiuitatis Ann. Dom. 100. Trit. Imperatoribus Patri, filioque obtulit, qui & bibliothecæ publicę traditi ſunt, & ob ingenij gloriam, ſtatuam quoque meruit Romæ. Scripſit autem, & alios viginti Antiquitatum libros ab exordio mundi vſque ad decimumquartum annum Domitiani Cæſaris, & duos ἀρχαιότητος aduerſus Appionem Grammaticum Alexandrinum: qui ſub Caligula

Legatus

Legatus missus ex parte gentilium, contra Philonem etiam librum vituperationem gentis Iudaicæ continentem scripserat. Alius quoque liber eius qui inscribitur περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ valde elegans habetur, in quo & Machabęorum digesta sunt Martyria. Hic in xviij. Antiquitatum libro manifestissimè confitetur, propter magnitudinem signorum, Christum à Pharisęis interfectum, & Ioannem Baptistam verè Prophetam fuisse, & propter interfectionem Iacobi Apostoli, dirutam Hierosolymam. Scripsit autem De Domino, in hunc modum: *Eodem tempore fuit Iesus vir Sapiens, si tamen virum oportet dicere, erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimos quoque tam de Iudæis, quam de gentibus sui habuit sectatores, & credebatur esse Christus. Cumque inuidia nostrorum Principum, cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perseuerauerunt. Apparuit enim eis tertia die viuens, multa & hæc, & alia mirabilia, carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & vsque hodie Christianorum gens ab hac sortita vocabulum, non defecit.* Hæc Hieronymus. In cuius verbis notandum aliter eiusdem Hieronymi temporibus scriptum extitisse, quàm quod vulgo in Iosephi codicibus habetur. Nam quod Latina versio habet, *Christus hic erat*. Hieronymus ex Græco reddidit. *Et credebatur esse Christus.*

Quòd verò Iudęi recentiores, (quemadmodum referunt Sixtus Senensis, & Genebrardus Chronol. lib. secundo, anno Dom. 69.) Iosephum hunc non Mathathię, sed Gorionis Filium, hoc est *Ben Gorion* nominent, decepti sunt nominis, & aliarum speciê rerum, quę in vtrumque concurrerunt. Sanè Iosephus, de quo nunc agimus, disertè se Filium Matthathiæ dicit, seque distinguit à Filio Gorionis, libro secundo De Bello Iudaico. Decepti sunt inquam, quòd præter idem nomen, vterque esset Sacerdos, doctus, nobilis: quòd item vterque idem tractauerit argumentum De Iudaicis Antiquitatibus, & Bello Iudęorum: sed vnus Gręcè, alter Hebraicè. Ac quidem Hieronymus Pradus noster, qui Commentaria illa præclara ad Ezechielem molitus est, dixit mihi, antequam ex hac vita decederet, se in Hispania vidisse alium quoque Iosephum Bengorion Rabbinum spurcissimum, atque recentiorem.

Iosephus item scripsit De septuaginta Danielis Hebdomadibus librum, cuius meminit Hieronymus in Præfatione libri vndecimi in Esaiam.

Atqui cum Photius in Græca sua Bibliotheca scripserit se quoque legisse duos Libellos Iosephi De vniuerso, siue *De caussa vniuersi*, siue *De substantia vniuersi*, (nam varij codices, (inquit) varias istas inscriptiones habebant) ostendit denique, vbi quod continent, exposuit, eos distare à dictione Iosephi, atque adeo à veritate, quæ à nobis credenda est. Quamobrem cuidam Gaio presbytero eos tribuit, quamquam & alijs fuisse tributos inquiat, siue Iustino martyri, siue Irenæo.

Vt autem de vero Iosepho loquens Græcus ipse Græcam illius dictionem potuit digno scere, sic eam magnopere commendat, quòd pura sit, quòdque cum dignitate dilucidus sit, atque iucundus, aptus item ad persuadendum, & amabilis, ac potens, vbi in contraria se occasio dat, aptè loqui δεξιός, καὶ γόνιμος ἐνθυμημάτων ἐφ' ἑκάτερα καὶ γνωμολογικὸς δὲ ὡς εἴ τις ἄλλος, καὶ πάθη τῷ λόγῳ παραστῆσαι ἱκανώτατος, καὶ ἐγεῖραι πάθος, καὶ πραῦναι δοκιμώτατος.

Porrò Iosephum, præter libros Antiquitatum, & Belli Iudaici Gręcè scriptos, scripsisse etiam multa Sermone Hebraico, nimirum libros quinque Historiarum Iudaicarum à captiuitate Babylonica testatus est Alphonsus Salmeron Prolegomeno sexto De Interpretatione Bibliorum facta à Septuaginta.

Quinam laborarunt in vertendis, recognoscendis, supplendis, aut edendis Iosephi Iudæi libris.

Ac quidem Iosephi Libri Antiquitatum Iudaicarum, & De Bello Iudaico è Græco in Latinum à Ruffino Presbytero conuersi prodierunt Parisijs ex Officina Ioannis Parui

Typographi, anno 1519. cum item multo antea Venetijs, nimirum anno 1499. præfixis vnicuique capiti argumentis primum Latinè fuissent excusi vnà cum libris aduersus Appionem. Deinde item Lugduni apud Gryphium ann. 1557. Qui ann. 1534. apud Frobenium Basileæ fuerant editi. Vbi deinceps anno 1554. exierunt à Sigismundo Gelenio Latinè redditi libri viginti Iudaicarum Antiquitatum, addita ad finem, Appendicis loco, vita Iosephi abs se ipso conscripta: & libri septem De Bello Iudaico ex collatione Græcorum Codicum ab eodem castigati; ac duo libri contra Appionem non solum eiusdem opera non solum emendari, verum etiam suppleti, ac De Imperio Rationis, siue de Machabæis liber vnus ab Erasmo recognitus. cum Basileç ann. 1544. Grçcè fuissent euulgati. At compendiosissimam Iudaici Belli Descriptionem collegit ex Iosepho Georgius Vicelius, qui & ipsam emisit Coloniæ ann. 1552.

Gilbertus autem Genebrardus, Gallicè reddita Flauij Iosephi è Græco repræsentata libris ex Hebræo, Aucta Chronologijs, figuris, Annorationibus, Indicibus illuminata, edidit Parisijs apud Michaelem Sonnium, anno 1578. in folio, & in octauo apud Carolum Rogerium ibidem ann. 1588.

Obiecta Iosepho Iudæo in eius Historijs expenduntur.

Iam verò etsi non solum Hieronymi, verum etiam Tertulliani, Eusebij, Chrysostomi, Arnobij, Suidæ, & veterum penè omnium Scriptorum vna sit de Iosephi laudibus sententia, famaque, & testimonium consentiens, quòd ad fidem historiæ pertinet, (neque enim idcirco Iudaica in eo perfidia, in qua perstitit, commendatur) sunt tamen haud pauca, quæ subinde Veritas, quæ filia est temporis, docuit esse prænoscenda, ne quis in errores aliquot ipsius oscitanter ex tot de illo laudibus Patrum impingat: quę verò bona sunt, probet ac rueatur.

Iosephus igitur licet se nihil adiecturum Diuinis libris, aut prætermissurum dicat[a] in Proemio Antiquitatum, (quas quidem constat,[b] post Bellum Iudaicum scripsisse) multa tamen adijcit; quædam etiam videtur consultò omittere, vt de Iuda ad Thamar, Genesis 38. De Aegyptio à Moyse cæso. Exodo 2. De adoratione vituli. Exo. 32. & alia multa: quædam verò narrat frigidius Genesis 27. Tacet dolum filiorum Iacob, Gen. 34. Quamquam autem parum fidelis ab aliquibus existimatur (quod & ex eo conijciũt, quòd supputatio, quàm ab Adamo facit[c] vsque ad Diluuij tempus, diuersa sit non solùm à veritate Hebraica, sed etiam ab editione Septuaginta Interpretum; neque admittunt, quòd mendum in codicem irrepserit; cùm exemplaria omnia in hoc conueniant) multa sunt tamen, quæ in viro, licet Iudæo, digna sunt quæ & legantur, & Christiana pietate obseruentur: vt cum de nomine Dei sibi non esse dicit[d] fas loqui: sicut,[e] & de verbis, quæ Moyses in tabulis reliquit: contra Epicureos etiam inuehitur,[f] & id genus alia, quæ certè multa sunt. Quanti verò sunt facienda verba illa, quæ responsioni Samuelis adijcit libro Antiquit. sexto, cap. nono[g]? Quanti item quæ eodem libro, cap. quarto,[h] profert? Quanti quæ lib. 1. cap. octauo?

a In Proe. Antiq. post medium, versic. Qua verò, & lib. 10. c. 12. in fine.
b In Proe. Antiq & li. 1. c. 19
c Lib. 1. Ant. c. 5. ante medium, vers. Et vsque ad hoc tempus.
d Lib. 2. Antiq. c. 12.
e Lib. 3. Antiq. c. 6.
f Lib. 10. Antiq. c. 14. versus finem.
g Lib. 6. c. 9. in medio.
h Lib. 6. c. 4. post medium, ver. De regno autem.

Sed ad dogmata quod pertinet. Iudaicarum Antiquitatum, lib. 1. sententiam, quòd peccatum Adæ non intulerit necessitatem moriendi, sed senectutis, ac mortis accelerationem reprobant S. August. lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 15. & Decretum in Actis Concilij Africani, cap. 76. Sed & quod lib. 1. Antiquit. vitam hominum ad 120. annos coercuerit, id quod sensere item Lactantius, & Diodorus Episc. Tarsensis, improbat Chrysostomus hom. 20. in Gen. & Hieron. in lib. 5. Hebraicarum Quæstionum.

Quin etiam Iosephus lib. 2. Antiq. redarguitur, quòd dixerit Moysen duas vxores habuisse. Vide Augustinum Episcopum Chisamensem, & Sixt. Annot. 123.

Ad hæc, quæ refert de Moyse, lib. 2. antiq. cap. 5. videntur esse suspecta, immo, & meræ nugæ, quas de ipso legislatore veteres gentes confinxerant, sicut ex Sancto Iustino martyre in admonitione ad gentes colligitur. Ab illis enim fabulæ illæ cõfictę sunt, quibus nos Christiani non credimus, cum à Scripturæ veritate abhorreant. Numquam enim Moyses

ſes in Regem adoptatus eſt, neque Pharaonis exercitum duxit, neque bella egregiè confecit, ſed eadem, qua Patres, maioreſque ſui ſeruitute oppreſſus eſt, donec tandem homicidij cauſa auſugeret; illud item, quod de eodem Moyſe, lib. 4. cap. 8. refert, eum mortuum non fuiſſe, ſed nube ſublatum, ac raptum, omnino Scripturæ Sacræ teſtimonio refellitur Deut. cap. 34. *Mortuuſque, inquit, Moyſes ſeruus Domini in Terra Moab, iubente Domino, & ſepultus in Valle Terra Moab.* Quare cum dicat Ioſephus Moyſem ſcripſiſſe veritum, ne ſe à Deo raptum eſſe diuulgaretur, mendacij ſuſpectum fecit auctorem, & prophetam ſanctum falſis criminationibus arguit. Itaque non tam Scriptorem crimine falſi reprehendit, ſed etiam Sacrarum Scripturarum auctoritati derogat, cum aliter, quàm res geſtæ ſint, referantur. Neque ab his plurimum diſtant, quæ de S. Ioannis nece lib. 18. cap. 7. conſcripſit his verbis. *Cum magni concurſus ad eum fierent, veritus Herodes, ne tanta hominis auctoritas aliquam defectionem pareret, iudicauit illum tollere. Itaque miſſum in Macheruntam, illic occidi imperat; quæ planè omnino Euangelio aduerſantur.* cap. 14. Matth. & 6. Mar. & 3. Lucæ.

Præterea lib. 3. cap. 12. antiquitatum dicit, lapides, qui erant in Rationali Pontificis, eſſe illos ipſos duodecim lapides, in quibus ſcripta erant nomina duodecim filiorum Iſrael, quos Deus poni iuſſit in rationali, & ibidem multas fabulas immiſcet. Vide Bellar. Card. To. 1. controu. 3. lib. 4. de Rom. Pont. c. 3. vltra medium.

Ceterum 8. lib. Antiquitatum reprehenditur ab Auguſtino Chiſſamenſi in Annotat. in Geneſim, quòd ſcripſerit Reginam Sabam in Aethiopia regnum ſuum habuiſſe, cum Arabiæ Saba regina eſſet. Vide Hieron. in Hebr. Quæſtionibus, & Sixtum Senenſem, lib. 5. annot. 133. Biblioth. Sanctæ.

Lib. 12. antiquitatum, cap. 13. fuit in eodem errore, in quo inter alios erant Scribæ, & Phariſæi deprauantes præcepta grauiſſima de homicidio, & adulterio, docentes in eiuſmo di præceptis actum externum ſolum eſſe prohibitum, non autem internum, niſi ſignis exterioribus proderetur.

Denique lib. 2. de bello Iudaico, cap. 7. & lib. 18. antiquit. cap. 2. tribuit Eſſenis, quæ manifeſtè erronea ſunt, & ſuperſtitioſa, (vti etiam adnotauit Bellarminus Card. lib. de Monachis, To. 1. Controu. 5.) Quamobrem Matthæus Galenus lib. de Origine Monaſtices, c. 5. inquit, Ioſephum non fuiſſe planè aſſecutum myſteria noſtrorum Monachorum, & ideo frequenter lapſum eſſe, & eos confudiſſe cum antiquis Iudæis. Tria enim fuere genera eiuſdem fermè nominis, nimirum Eſſeni Samaritani, de quibus Epiphan. hæreſi 10. Item Eſſeni Iudæi, de quibus idem Epiphanius hær. 19. quos tamen ipſe Eſſenos vocat. Denique Eſſeni Chriſtiani ex Iudæis conuerſi, quos Epiphanius Eſſeos, ſiue Ieſſeos vocat, hæreſi 29. credibile igitur eſt, Ioſephum cõfudiſſe noſtros Ieſſeos cum ſuis Eſſenis, præſertim cum eo tempore Chriſtiani pro Iudæis haberentur.

Itaque & de Ioſepho conqueritur Egeſippus Rerum Iudaicarum Scriptor (non ille (vt falsò quidam exiſtimarunt) qui proximus fuit temporibus Apoſtolorum,) ſed (vt liquet è ſcriptis ipſius) qui poſt tempora Conſtantini ſcripſiſſe noſcitur. *Relator* (inquit) *egregius hiſtorico ſtylo Ioſephus, Machabæorum hiſtoriam, & manubias Titi compoſuit: Vtinam tam Religioni, & veritati attentus, quàm rerum indagini, & ſermonum ſobrietati, conſortem enim ſe perfidiæ Iudæorum, etiam in ipſo ſermone exhibuit. Deplorauit enim flebiliter ærumnam, ſed ærumnæ cauſam non intellexit.* Hæc ille. Sed vt & ipſe loca adhuc planius oſtendam, in quibus pleraque omiſit, aut mutauit, ſciant ſtudioſi, eum in primis reticuiſſe, quæ in D. Scriptura planiſſimè extant, De expoliandis Aegyptijs; De egreſſu Iudæorum ex Aegypto cum magna ſubſtantia: De caligine, & clibano fumante: De completis iniquitatibus Amorrhæorum: De Pacto inter Deum, & Abraham cum poſteris ſuis: De gentibus in Abraham benedicendis.

Lib. 1. Antiq. c. 26. ſupprimit factum Circumciſionis, & diuerſam à vero fingit cauſſam mortis Sichimitarum ob raptum Dinæ.

Nihil de aſcenſu Moyſi in montem Sinai ſcribit, nec criminis idololatriæ in adoratione vituli à Iudæis admiſſi, neque alia pleraque meminit.

Et cum vellet gentibus, quibus scribebat, Historiæ suæ libros probatos reddere, non tam vera, quàm verisimilia tradidit, magna verò miracula rerum suppressit, putans apud infideles fidem haud inuentura.

Lib.11.Antiq.c.5.& sequentibus, multa de Moyse fabulatur, nec verã fugæ ipsius caussam attingit, nempe virum (inquiens) Aegyptium fuisse interfectum, atque absconditum in sabulo, & quę sequuntur nugæ.

Tacet Columnæ ignis, & nubis miraculum. Extenuat signum maris rubri Israelitarum pedibus aperti, vt videatur in arbitrio Lectoris relinquere, num Dei voluntate, an casu, an ęstu maris factum fuerit, quo Aegyptij obruti sunt, & Israelitæ seruati, ac simile qniddam accidisse Alexandro Magno scribit.

Lib.9. cap.11. Tradit Ionam Niniuem profectum, vt nuntiaret Asiæ regnum paullo post amissuros Niniuitas, sicut factum est, & Prophetæ verba inuertit, quia nihil de vaticinio subuersionis, nihil de illorum pœnitentia ponit, qua interminatam cladem euaserat.

Lib.10.cap.11. pollicetur in fine se fideliter redditurum, quæ litteris Hebraicis continentur, vbi plura mentitur. Historiam quoque De Rege Nabuchodonosor, quòd per septem annos commoraturus esset cum bestijs, contra Sacram Scripturam somnium vocat, & tamen cap. sequenti veram fuisse sententiam narrat.

Accedit huc etiam in historia, quæ præcipuè in rebus gestis enarrandis consistit, sæpe Iosephum male rerum, & temporum veritatem coniunxisse. Hanc enim notam Zonaras huic Auctori tamquam mendacij suspecto inurit in vita Caij Caligulæ: qui cum Hebręorum excidium Caligulæ insaniæ, qua Hierosolymorum Templum sibi nouo Ioui cõsecrarat, ascribere debuisset, abstinuit tamen ab hac vera narratione, vt Imperatoribus blandiretur. Imo verò firmissimum Christi Messiæ oraculum, cui omnes Iudæi ęque consenserant Gen.cap.vlt. *Non auferetur*, ad Vespasiani Imperium impiè, & impudenter traduxit, vt refert Appianus, lib.22. historiæ, ac pręter Scripturæ Sacræ veritatem detorsit. Quod quàm scurriliter id fecerit, viderint alij, certè in Scriptura Sacra vitiandà impietatis notam effugere non potuit. Quod Zonaras in vita Vitellij adnotauit. Præterea, de infantium nece ab impio Herode perpetrata, numquam ne verbum quidem mussitare ausus est, quæ tamen etiam apud profanos Auctores prætermissa non est, quemadmodum satis iocülariter enarrata fuit à Macrobio lib.2. Saturnalium.

Num verò in alia Temporum supputatione, & rerum narratione errauerit, pręsertim in tempore Descriptionis Quirini, in temporibus Vari, & exilij Archelai, & Coponij Procuratoris, & Põtificatus Ananię, inque numero Legatorum ad Caium; numve Fastos Consulares ignorauerit: qui etiã decem, vel certe nouem annos regni Herodis omiserit, ideoque reliqua perturbauerit, & adeo Euangelistis contradixerit: scio non deesse Chronologiæ peritissimum virum, qui constanter neget istos fuisse Iosephi lapsus: eorum potius esse, qui contra sentiunt, quod se aliquando publicè probaturum pollicetur. Interea tamen sibi responderi velle se inquit, si omissione decem, vel nouem certe annorum Regni Herodis Iosephus Historiæ seriem turbauerit, annosque tamen Herodes triginta septem expleuit Regni, ex quo illud Augustus post Actiacam victoriam confirmauit Herodi, qua ratione consequens non sit Augustum post Actiacam victoriam quadraginta septem annos, & amplius regnasse? Si quidem 37. annis regnum confirmauit Herodi, post cuius obitum Archelaus anno decimo sui Principatus relegatus est in exilium, teste omni antiquitate, quæ & illud pari assensione testatur Augustum post Actiacam pugnam, quadragesimum quartum ætatis annum minimè explesse. Quare ab inferis (ait) suscitatus esse debuit Augustus, vt multis post obitum suum annis Archelaum quadragesimo septimo anno Actiaco multaret exilio, & tres deinde Præsides Iudeę præficeret, quos testibus Iosepho, Dione, Egesippo, Iosippo, aliisque quamplurimis, septem annos viuo adhuc Augusto præsedisse Iudeæ exploratissimè constat. Ceterùm qui Iosephi in annis Herodis conantur profligare sententiam, vsque adeo non proficere, vt præterquàm quòd, sicut dictum est, Augusti vitam post Actiacam pugnam cogantur ad 47.& amplius annos propagare, Caium quoque Cæsarem Augusti nepotem, & Filium adoptiuum scribant anno Christi Domini ter-

tiò Consulem, cum tamen Christum dixerint natum post Caij mortem. Denique cum Christi ortum signent in exitu quadragesimi tertij anni Iuliani, quando iampridem vita excesserat Herodes, intelligi quinam aberrent à scopo. Quin eosdem vt in Epocham recidant Dionysianam, quæ quadragesimo quinto anno Iuliano, Christi Domini natalem notat, duos postmodum annos, & duo Consulum paria ex Fastis Consularibus cogantur expungere. Duo autem illa Consulum paria hæc sunt. Fuluius Aemilianus, & Pomponius Bassus II. Item Cornelius Secularis, & Iunius Donatus; quorum Consulatus incidit in 259. & 260. annum Dionysianum, Cyclo Lunæ 13. & 14. Solis 16. & 17. Ponunt verò illa Consulum paria Fasti Siculi, Cassiodori, Mariani Scoti, Onufrij, Mercatoris, Funcij, Antonij Contij, & aliorum.

Et hæc quidem eò attulimus, vt veritatis amantes interea disquirant, quid solidè tãdem de tota re sit statuendum; cum & veritas Euangelicæ historiæ sit omnibus præferenda, neque verò dubium sit, si qui Patres Iosephum commendauerint, id eos fecisse potissimum, quòd quemadmodum olim Magi primitiæ gentium, luce tametsi nouę Stellę Messiam prędicantis fuere cęlitus illustrati, locum tamen Natiuitatis ab incredulis didicere Iudæis, ita ex Gentibus Christiani licet eloquijs instructi Euangelicis, ac fide illuminati Diuina, verũ Natiuitatis, vel mortis, aut etiam Baptismi Christi annũ, vel septuaginta hebdomadarum Danielis intelligentia, vel Translationem Sceptri de Iuda, vel Veteris, & Noui Testamenti nexum, ac (vt ita dicam) concatenationem, vel opem aliã ex Iosepho Iudęo non exiguam sciant se consecuturos.

IOSEPHVS, qui alijs *Iosippus*, alijs verò *Iosephon*, Iudæus, de quo paullò supra diximus, alius tamen à superiore, scripsit & ipse res gestas Iudæorum, at Hebraicè, vt potius videatur esse Compendium Historiarum alterius Iosephi, qui Græcè scripsit. quamquam & Acta 70. Interpretum complectitur. Hic liber editus quidem fuit ann. 1529. Hebraicè, Vormatiæ, quæ Ciuitas est in Germania apud Schæfer, cum Rabbi Moysis tredecim Articulis fidei Iudæorum, ac libello incerti Auctoris de decem captiuitatibus Iudæorum. Qui libri cum prodierint vnà cum Latina translatione è regione Hebraici contextus, ac verò illos non viderim, viderint qui catholicè sapiunt, nequid tum à Iudæis, quorum oculis velamen adhuc impositum manet, tum ab ipso Munstero, qui sectatus est hęreticos, inspersum sit aduersus Christianam, & catholicam nostram Religionem.

IOSEPHVS Iudęus, alius item à duobus superioribus, patria Tyberinensis, dignitate Comes, & ingenti miraculo ad fidem pertractus, cũ nondum Christianus esset, vsque adeò Christianos dilexit, & coluit, vt B. Eusebium, Fregellarum in Italia Episcopum, à Constantio Imp. Ariano ob fidem Orthodoxam fugatum, hospitio receperit, & Epiphanium Episcopum vnà cum plerisque sanctis fratribus illuc profectum, ad visitationem huius honorificè introduxerit; post conuersionem verò multas Christianorum Ecclesias in Vrbibus Iudęorum Tyberiade, Diocæsarea, Nazareth, & Capernaum extruxit. Hic itaque, vt Epiphanius testatur, primus emisit in lucem Euangelium Matthæi Hebraicum, ipsa Matthæi manu Hebraicè conscriptum, quod in occulto Gazophylacio Iudæorum apud Scythopolim vnà cum Euangelio Ioannis, & Actibus Apost. de Græca lingua in Hebræam translatis inuenit. Claruit sub Constantio Principe, moriturque nonagenarius ann. Do. 370.

IOSEPHVS Steuanus, Valentinus, Hispanus, De Deosculatione pedum Sũmi Pont. extat in To. 13. pag. 2. fol. 50. inter Tractatus Iuris postremò Venetijs recusos, & auctos. Atqui & Romæ separatim antea prodierat.

IOSVE liber (quem Hebræi *Ieoscua*, Græci *Iesum Naue* appellant) nomen accepit ab Osee filio Num, quem Moses, commutato nomine, Iosua appellauit, Duce, tam belli, quã pacis gloria clarissimo; qui, vt legitur in capite vltimo huius libri, scripsit post mortẽ Moysis omnia verba, quę locutus est ad eum Dominus in volumine legis Domini, adiungens illi historiam, De transitu filiorum Israel per Iordanem, De subuersione impiorũ regnorum, De diuisione terræ promissionis, Deque cęteris dictis, factisque memorabilibus à morte Moysis vsque ad annum decimum septimum Ducatus sui: in quo, teste Iosepho, mortuus est vir armis & religione inclytus, annũ agens ætatis centesimum, ac vigesimum,

hoc

hoc est, anno ab orbe condito bis millesimo quingentesimo decimo, & ante Christi Aduentum millesimo quadringentesimo quinquagesimosecundo. Cetera, quę à morte Iosue vsque ad finem libri huius scripta sunt, Esdram adiecisse fama est. Theodoretus tamē censet etiam totum librum longè post mortem Iosue fuisse collectum ex antiquo Commentario, cui titulus fuit *Liber Iustorum*, adductus auctoritate verborum, quę in decimo huius Voluminis capite habentur, videlicet, *Nonne hæc* (haud dubium, quin Gesta Iosue) *scripta sunt in libro Iustorum?*

Scripserunt in eum quicumque in vniuersa Biblia. At separatim Andreas Masius, qui tamen legendus non est nisi iam fuerit emendatus, quemadmodum ex Indice Romano admonemur. Vide verò partitionem huius libri in Georgij Ederi Oeconomia.

IOVITA Rapicius, Brixiensis, scripsit ad Reginaldum Polum Paraphrasim in Psalmos duos & viginti, vario carminum genere concinnatam. Cuius initium est. *Non qui Maoniæ caput*. Porrò Epistolę aliquot ipsius extant in Volumine Epistolarum Clarorum Virorum, quæ Parisijs prodierunt ann. 1556. Nam qui de numero Oratorio, ac De Periodis libri quinque ab eo conscripti Argentinæ fuerunt impressi, huc non pertinent. Eiusdem verò Testamentum edidit Iunta ann. 1552. cum ipse vixisset ann. 1550.

I R

IRENAEVS Brasauelus, Ferrariensis, Ord. Minorum, Theologię professor, exposuit accuratè, Quęstiones vniuersales Ioannis Duns Scoti. Quæ excusæ Venetijs fuerunt apud Marcum Variscum, ann. 1599.

IRENAEVS Lugdunensis, Episcopus, & martyr, qui Græcus Asianus, ac forte Smirnæus fuit, sicuti in eius vita postremo edita euincit Franciscus Feuardentius, Polycarpo Martyri, qui Ioannis Euangelistæ fuerat auditor, quique alijs Apostolis, atque Discipulis qui Christum Dominum in carne viderant, familiariter vsus fuerat, instituendum se tradidit: Papiæ autem Ioannis discipuli fuisse auditorem Hieronymus scripsit in Epistola vigesima nona ad Theodotum.

Is postea varijs exantlatis laboribus martyrio coronatus est anno ducentesimo sexto à Christo nato, vt habet Eusebius in Chronico, siue ducentesimo quinto, sub Seuero Imp. quemadmodum Tomo Annalium secundo ostendit Cæsar Baronius Cardinalis. Quo quidem sęculo cuius exeuntis tercētesimus fuit, alij quoque eiusdem nominis martyrium passi sunt; sed non eodem anno. Quippe Irenæus, & Abundius anno Domini ducentesimo sexagesimo primo, Imp. Valeriano, & Irenęus alter cum Antonio, Theodoro, Saturnino, & alijs decem, & septem martyribus, anno ducentesimo sexagesimo secundo, sub eodem Valeriano: atque alius Irenęus cum Mustiola in Etruria sub Aureliano interfectus est Clusij anno ducentesimo septuagesimo quinto. Quod dictū esto, ne quis de anno martyrij Irenęi Episcopi Lugdunensis erret.

Euseb. hist. ecc. lib. 5. c. 19. Scripsit Epistolas: vnam ad Blastum, quam inscripsit de Schismate: ac de Ogdoade, quem Eusebius *elegantissimum*; Hieronymus autem in Catalogo, *egregium*, Commentarium vocant.

Librum item de Monarchia, siue, quòd Deus non sit auctor malorum; quo libro Florini doctrinam blasphemiæ & impietatis conuicit.

Libros porrò quinque aduersus Valentini, & eius similium hæreses, Eleutherio Pontifice Maximo, quos Græcè inscriptos, (vti & Gręce scriptos) Hieronymus in caput trigesimum quintum Ezechielis, post Eusebium, & Photius in sua Bibliotheca inquirunt his verbis. Euseb. hist. lib. 5. c. 6. Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, hoc est. Reprehensionis, ac euersionis falsò nominatæ scientię libri quinque. Et scriptos quidem, vt ipsemet Irenæus de se ipso testatur in eius Operis Pręfatione ἁπλῶς, καὶ ἀληθῶς, καὶ ἰδιωτικῶς, id est, *simplici, vero, ac priuato stylo*. Græcè autem ab eo fuisse scriptos, non solum Hieronymus, qui eum inter Gręcos scriptores numerat, verum etiam Iustinus martyr, Demetrius Diacopus, Eusebius, Basilius, Epiphanius, Theodoretus, Antonius Melissa, Anastasius, & Da-

& Damascenus fidem faciunt, liquidius verò ex ijsdem Feuardentius comprobat.

Photius adhuc in eadem sua Bibl.num. ρκ idest 110. vbi se legisse testatus est quinque libros Irenæi, quorum item argumenta summatim ibidem recitauit; De alijs eius Operibus breuissimè, hæc dicit: πολλὴ δὲ τοῦ θεσπεσίου Ἰρηναίου, καὶ παντοδαπά, καὶ ἕτερα συγγράμματα. καὶ ἐπιστολαὶ φέρονται, καὶ ἐν τισιν αὐτῶν ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις κιβδηλεύεται, ἀχρὴ παρασημαίνεσθαι.

Quinque vero illorum librorum eundem Irenæum fuisse interpretem, aut versorem nō vna coniectura est, qui quòd Græce sciēter, ac scitè primò scripserit; Latinè deinceps haud pari sermonis felicitate Latinis, inter quos versabatur, impertiuerit. Nam & Tertullianus, & Athanasius vtraque lingua non pauca ediderūt. Ac Hellenismos, hoc est Græcismos, qui in ea versione passim cernuntur idipsum indicant.

Irenæi autem Græcismos aliquot monstrauit eruditè Iacobus Billius priore suo libro sacrarum obseruationum, cap. 33. nonnulla verò emendauit cap. 34, quæ digna sunt lectu, quæque auctorem illum satis interdum obscurum illustrant.

At etiam in tertium Irenæi librum quæ annotantur, extant cap. 5. secundi libri earundem Obseruationum Sacrarum Iacobi Billij, quæ ad calcem Epistolarum Isidori Pelusiotæ ab ipso Billio è Græco in Latinum versarum adiecta, editæ sunt Parisijs apud Gulielmum Chaudier, ann. 1585.

Præterea Irenæus ipse Librum edidit, quo prædicationis Apostolicæ rationem, & modum (vt inquit Eusebius) tradidit, quem & fratri cuidam nomine *Marciano* dicauit. Euseb. Hieron. Nicephorus.

Librum rursus alium de Disciplina.

Alium διαλέξεων διαφόρων hoc est, *De variarum rerum disquisitione*, in quo tum Epistolæ ad Hebræos, tum libri Sapientiæ meminit, certaque testimonia ex eisdem deprompta citat ad Ecclesiæ informationem. Euseb lib 5. hist. c. 25.

Quin & promiserat primo aduersus hæreses libro, capite vigesimonono, se Opus singulare aduersus Marcionem, præstante Deo, editurum: At verò nihil huius citatum extat à Patribus, & hoc Eusebius obseruauit lib. 5. hist. eccl. c. 8.

Sed quem librum de Scientia inscriptū etiam edidit, compendiosum quidem illum (ait Eusebius) sed summopere necessarium, quo Gentilium tumultus partim sedaret, partim calumnias, & errores refelleret; hic (vt reliqua pleraque) interijt.

Editio autem quinque librorum aduersus hæreses, omnium sine dubio optima est, quā Franciscus Feuardentius Ord. Minorum Franciscanorum, curauit emitti Coloniæ Agrippinæ ex Officina Birkmannica, anno 1596. apud Arnoldum Milium, quæ & vocatur Editio secunda ipsius; cum primam alibi minus absolutam emisisset.

Huic verò secundæ Editioni accessere

Græca fragmenta, quæ ex Irenæo quondam inseruerunt in sua scripta Iustinus martyr, Basilius Magnus, Epiphanius, Eusebius, Theodoretus, Anastasius Nicænus, Melissa, Demetrius Diacopus, Damascenus, Nicetas. Atqui ex Aquitania mihi scripsit Fronto Ducæus Societatis nostræ, optasse Feuardentium inueniri posse Parallela Damasceni, in quibus quædam alia Irenæi extarent; quamuis non defuerint, qui totum Irenæum Græcum alicubi Venetijs delitescere putauerint.

Eadem fragmenta Latinè reddita à Ioachimo Perionio, Iacobo Billio, Ioanne Christophorsono, alijsque viris pijs, & eruditis.

Scholia Iacobi Billij, & Notæ Frontonis Ducæi in octodecim primi libri capita; Billio enim propositum fuit Latinam nouam editionem adornando corrigere Græca, quæ vertebat; Ducæo autem emendare Latinam veterem ex collatione cum Græco, qui & Billium id cupientem iuuit in alijs quibusdam, vt & in Hellenismis ad Irenæum spectantibus.

Annotationes Frācisci Feuardentij singulis omnium librorum capitibus maiore ex parte auctæ, ac locupletatæ.

B. Irenæi è priscis Patribus Encomia.

Ceterū in secunda Editione, duodeuiginti capita primi libri Irenæi aduersus hæreses versa sunt è Græco in Latinum à Billio, & Græcus codex è regione versioni Latinæ est positus.

In

In scholijs verò, quæ sunt Feuardentij, atque Ducęi, notantur ea, in quibus Gallassius quidam hæreticus, & alij errarunt, dum Irenæum vertunt: Cornarius autem, & reliqui non errarunt.

Ad fragmenta quod attinet. Vnum est libri de Ogdoade extremi: quo in fragmento obtestationem legimus, quam item Hieronymus suo intexuit Catalogo ad Descriptores Operis sui, de quo nos paullo post. Vide item Eusebij lib. 5. hist. cap. vndeuigesimoquarto. Vltimum denique fragmentum excerptum est ex Responsione ad Quæstionem centesimam quintam Othodoxorum, quę præfert nomen Iustini martyris.

Additus est huic secundę Feuardentij editioni, Conflictus Arnobij, & Serapionis de Deo Trino, & Vno, deque duabus in Christo naturis in vno supposito, nusquam hactenus editus.

Iam eorum, qui de Irenæo scripsere, duo genera sunt; hæreticorum alterum nostræ ętatis: alterum Catholicorum, siue Patrum, qui hoc seculo vixerunt. Sanè præter veteres illos hęreticos, qui præbuere occasionem Irenęo, & reliquis Orthodoxis, de eadem materia agendi; Recentiores nempe Caluiniani, & Centuriatores Magdeburgenses, pleraque falsissimè Irenęo tribuerunt, dolentes tam antiquum, & Apostolicum virum ita perspicuè Veritatem sanctissimę Eucharistiæ, huius oblationem à Christo Domino institutam, liberum Arbitrium, Fidem & Opera, Principalitatem (vt ille vocat) potentiorem Ecclesiæ Romanæ asseri, atque monstrari. Quædam interea in eo minus candidè carpunt, vti mos est muscarum in corpore sano, vbi tantillum subodorantur vlceris, aut scabiei. Quin etiã, quo tempore ante istos prodierunt Annotationes Erasmi in Irenęum, Index ipsi adtextus plenus fraudis animaduersus est, qui omnino abolendus est. Id quod Louanienses in suo Expurgatorio Indice in locis septem supra sexaginta obseruarunt. Porrò imposturas istas hæreticorum omnes Franciscus Feuardentius accuratius aperuit, atque eruditè post alios explosit.

Verum enimvero Antiqui Patres, Ecclesiæ spiritu acti, si quid minus incommodè dictum in Irenæo compererunt, id quidem notarunt, vt veritas roboraretur, sed in alijs omnibus nihil eius doctrinæ, atque sanctitati detraxerunt. Nimirum erant nonnulla non tam ab Irenæo inuenta, quàm à maioribus litteram occidentem sequentibus nimis credita: quæve nondum Ecclesia expenderat (quod ea minus latè patuerant) neque adeo palam damnauerant.

Eiusmodi fuit error, vbi, dum feruore quodam oppugnandi Gnosticos, qui vnum tantummodo annum dicebant Christum prædicasse, plures ille posuit, quàm re ipsa fuerint, atque addidit Christum Dominum seniorem passum in Cruce fuisse. & quidem ex traditione, & ex scriptura conatus est probare Dominum ad annum ferè quinquagesimum peruenisse. Id enim facit ex illo Io. 8. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Vide autem Bellarm. Cardinalem To. 1. lib. 4. cap. 12. de Verbo Dei non scripto. Error item alter, quòd insecutus Iudęorum δευτερώσεις asseruerit Regnum Christi, & electorum eius (post Resurrectionem, & extinctum Antichristum, atque post vniuersorum Iudicium) in Terris terrena Hierusalem restituta per mille annos futurũ iuxta litteralem sensum. Sed enim hoc non fuisse eius inuentum, verum aliorum, qui illum pręcesserunt, & alij sunt subsecuti, certum est. Hieronymus enim in Proemio in librum decimum octauum Commentarij in Isaiam, & Comment. 36. Ezechielis, Irenęum inquit, id vnà cum Papia, Tertulliano, Victorino, Lactantio, Seuero, Apollinari, quibus addendus est Iustinus martyr, id sensisse: aduersus quem Dionysius Alexandrinus librum scripsit elegantem, deridens mille annorum fabulam, & aureum, ac gemmatam in Terris Hierusalem, ocium Sabbathi, cunctarum gentium seruitutem.

Qui quidem errores, cum è libris Irenæi, qui hactenus circumferebantur, colligi non possent, iam incurrunt in oculos legentiũ quinque capita, in quibus hęc planissimè extant. Nã ea forsan, à pijs sublata, bono (vt tum videbatur consilio) Feuardentius legitima adiecit secundę suę editioni. Ea verò sunt 32. 33. 34. 35. 36. quę & notis suis illustrans, errores illos, quo docet veritatis respectu nil derogans nomini Irenei, confutauit.

Sanè

Sanè & Dionysius Areopagita libri de Ecclesiastica hierarchia Parte prima, cap. septimo, Caius, atque Dionysius Alexandrinus, prisci Scriptores, ac magni nominis, Eusebius, Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 7. 8. 9. Theodoretus lib. 3. hęreticarum fabularum; Epiphanius lib. 3. contra hæreses Tomo primo, eundem errorem reiecerunt. Quem ab Ecclesia fuisse diu dissimulatum, ac toleratum, neque prius tamquam hæresim damnatum scimus, quàm quidam Nepos Aegyptius Episcopus, deinde Concion, postremo Apollinaris Laodicenus eundem scriptis, & concionibus, pugnacius, ac pertinacius defenderint, & inuexerint: vti habent Eusebius, atque Hieronymus haud semel. Euseb. lib. 3. hist. cap. 32. & 33. Euseb. lib. 7. c. 19. & 20. Hier. lib. 8. in Esa. & alibi.

At præterquàm quòd ipsemet Irenæus hunc errorem ablegasset, si, id fecisse vidisset Ecclesiam, certè ipso sanguine eluit hanc maculam, non minus quàm Cyprianus martyr eum suo martyrio abstersit, qui de baptismo hæreticorum, quasi fuisset inualidus, irrepserat.

Quæ vt fuit causa, cur Viri sanctissimi non destiterunt de Irenæo loqui horificentissimè mentem eius in fide Catholica rectissimam perpendentes, sic illum martyres, qui erant in vinculis, allegantes ad Eleutherium Pont. Max. *Te obsecramus*, scripsere, *vt illum, vtpote studio incredibili erga testamentum Christi flagrantem amplectaris.* Euseb. lib. 5. cap. 4. & Nicephorus.

Auctor Responsionum ad Quæst. Othodoxorum, q. 115. apud Iustinum martyrem, vocat eum *martyrem, ac Lugdunensem Pontificem.*

Tertullianus connumerans eum inter Sanctos, atque pręstantes martyres Iustinum philosophum, Miltiadem Ecclesiarum Doctorē, & alios qui instructissimis voluminibus (ait) hæresiarchas confutarunt, appellat omnium *Doctorum curiosissimum exploratorem.* Lib. adu Valentinianos. c. 5.

Epiphanius nominat *Apostolorum successorem per omnia ex Spiritu sancto ornatum, veluti generosum Athletam, à Domino prolatum, & cælestibus gratijs, ac donis illicium, secundum veram fidem, ac scientiam luctatum contra vniuersum ipsorum delirum figmentum,* testatur.

Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 29. Euthymius in Panoplia. Hieron. in cap. 64. Esaię, & in Catalogo, & Epist. ad Theodoram Viduam, & Græcus eius Interpres Sophronius, August. lib. 1. contra Iulianum Pelagium, Gregor. lib. 9. Registri, capit. 10. ad Aetherium Viennensem Episcopum: Theodoretus dialog. 1. Andreas Cappadox, referēte etiam Cappadoce Comment. in cap. 4. Apocalypseos, Anastasius Nicænus Patriarcha lib. Quæst. & Responsionum in Sacram Scripturam, quæst. 38. Damascenus in Parallelis. Antonius Melissa in Sermonibus, Procopius Gazęus Comment. in Genesim. Nicetas Choniates in Thesauro Orthodoxiæ, omnes Græci, & Antiqui Scriptores Ecclesiastici semper eum eximiæ laudis, & venerationis præfatione illum citant, Oecumenius in caput secundum Epistolæ secundę D. Petri, Photius in sua Bibl. θαυμάσιον hoc est, *mirabilem*, siue *Diuinum* nominat, præter id quod Vsuardus, Ado Viennensis, Cęsar Baronius Cardin. in suo Martyrologio, ac pręcipuè in secundo Annalium Tomo scribunt.

Porrò quòd Christophorsonus locum Irenæi apud Eusebium lib. 5. c. 24. ad Quadragesimæ varietatem retulerit, quod & alij fecerunt, Bellarminus Cardin. refutat, veramquè è Græco versionem ostendit. Qui cum scribat Irenæi Gręcam editionem prodijsse correctissimam olim Parisijs, legendus est eius liber secundus cap. 13. de bonis operibus in particulari.

Cum autem Hieronymus in Catalogo quædam de Irenęo interserat, quę præter illius Scriptorum Indicem, digna scitu reliquerit, eadem nos quoque huc tanquam digna adiectu posuimus. Sic autem habet.

Irenæus Photini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam Presbyter à Martyribus eiusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones Legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherium Episcopum perfert litteras. Postea iam Photino propè nonagenario ob Christum Martyrio coronato in locum eius substituitur. Constat autem Polycarpi, cuius supra fecimus mentionem, Sacerdotis, & Martyris hunc fuisse discipulum. Scripsit quinque aduersus hæreses libros, & contra gentes volumen breue, & de disciplina aliud, & ad Martianum fratrem de Apostolica prędicatione, & librum variorum Tractatuum, & ad Blastum de Schismate, & ad Florinum de Monarchia, siue

quod

quod Deus non sit conditor malorum, & περὶ τῆς ὀγδοάδος egregium Commentarium, in cuius fine significans se Apostolicorum temporum vicinum fuisse, sic subscripsit: *Adiuro te qui transcribis librum istum per Dominum nostrum Iesum Christum, & per gloriosum eius Aduentum, quo iudicaturus est viuos, & mortuos, vt conferas postquam transcripseris, & emendes illum ad exemplar vnde scripsisti diligentissimè: hanc quoque obtestationem similiter transferas, vt inuenisti in exemplari. Feruntur eius & alia ad Victorem Episcopum Romanum de Quæstione Paschæ Epistolæ,* in quibus commonet eum, non facilè debere vnitatem Collegij scindere. Si quidem Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui decima quarta Luna cum Iudæis Pascha celebrant damnandos crediderat. In qua sententia hi etiam, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. Floruit maximè sub Commodo Principe, qui Marco Antonio Vero in Imperium successerat. Hæc Hieronymus ad quem adijcit Notam sequentem Suffridus his verbis.

Irenæus Potbini Episcopi: Sophronius etiam habet ποθεινοῦ vt etiam m. s. cod. Gemblacensis. ceteri omnes m.s. codices nostri *Photini* legunt, nos nihil mutamus, *Ad Eleutherium* cod. Gemblacensi habet *Eleutherum,* quibus & subscripsit Lypsius, vt & supra, sicut & Sophronius & περὶ τῆς ὀγδοάδος *egregium Commentarium.* Lypsius ex m.s. suis adnotauit, & de Ogdoade egregium σύνταγμα quam Lectionem habet, & Gemblacensis codex, nisi quòd pro Ogdoade perperam legat, *Octaua* Paulo autem superius pro eo quod cōmuniter legitur *ad Martianum fratrem,* cod. m.s. Sigebergen. legit, *& ad Martionis fraudem.*

I S

Anno Domini 450.

ISAAC scripsit De tribus personis Sanctæ Trinitatis, & Incarnatione Domini Librum obscurissimæ disputationis, & inuoluti sermonis: confirmans ita in vna Deitate tres esse personas, vt tamen aliquid sit in singulis proprium, quod non habeat alia: Patrem scilicet hoc habere proprium, quòd ipse sine origine, origo sit aliorum. Filium hoc habere propriū, quòd Genitus Genitore non sit posterior; Spiritum sanctum hoc habere proprium, quòd nec factus sit, & tamen sit ex altero.

De Incarnatione verò ita scripsit, vt manentibus in ea duabus naturis, vna credatur Filij Dei persona. Hæc Gennadius in Catalogo.

At Suffridus Petrus in Notis ad illum inquit. *Hic Isaac, neque Tritemio, neque eius appendici notus est: floruisse autem videtur circa annum 450. quantum ex consequentia Catalogi eiusdem Gennadij apparet.*

ISAAC Abbas, Ord. Cistercienfis, scripsit ad Alcherum Monachum Clareuallensem Epistolam De anima, quæ incipit, *Dilecto suo Alchero frater Isaac.* Extat m. s. in membranis, in Bibl. S. Benedicti Mantuani, continetque folia magna quattuor.

ISAACI Abbatis, quædam de Statu Animarum extabant Græcè m. s. in Bibliotheca Imp. Viennæ Austriæ.

ISAAC Anachoreta, De vijs appropinquandi Deo. Græcè m. s. in Bibl. Vaticana.

ISAAC Monachus: quem vt Græcæ litteraturæ peritissimum commendat Sixtus Senensis, scripsit Gręcè Homiliam in verba illa Domini. *Hæc mando vobis.* Encomium martyris Demetrij. Quin & alia, quæ licet huc non pertinent, ne tamen excidant, huc adtexuntur. Videlicet Græcum Scholion in primam figuram Descriptionis in plano, & Carmina De duodecim ventis. Quæ extabant apud Didacum Hurtadum Mendozam, Astronomica item varia, & Astrolabij Apparatum. Quæ extant in Bibliotheca Vaticana. Librum De Planetis m. s. qui in Bibliotheca Cæsarea Viennæ Austriæ asseruabatur. Methodum Geodesiæ, idest *Terræ* diuisionis. Scholia in sex priores libros Elementorum Euclidis, quæ quidem Latinè versa prodierunt olim Argentorati. Solutionem Quæstionis Palameticæ τόμος τῆς παλαμικῆς, cum pleraque eiusmodi Astronomica extitissent, item apud D. Antonium Venetijs, & extent etiamnum in Augustana Bibliotheca.

ISAAC alius Pater in Eremo Scythica demoratus, scripsit duas Homilias. Alterā De qualitate Orationis. Alteram De iugitate Orationis. Extant in Collationibus Io. Cassiani.

ISAAC

ISAAC Syrus, Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, scripsit Syro sermone (vt Gennadius emendatus à Suffrido Petro habet) longo tempore, & multa; præcipua tamen cura aduersum Nestorianos, & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ longo carmine planxit, eo Auditores imbuens sono, quo Effrem Diaconus Nicomediæ lapsum. Moritur Leone, & Martiano Imperatoribus. Hæc Gennadius.

Eius autem Isaaci liber De contemptu Mundi extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini Bignæi: quemadmodum & in Vaticana inter Sermones, qui Græcè m.s. inscribuntur *Ascetici*, Sermo de ijs, quæ faciunt vt quis Deo appropinquet. Nimirum illemet, quem Isaaco huic ascribit Tritemius. De accessu ad Deum; qui incipit: *Quando aliquis in aliquam ruinam*. Sed & idem Tritemius agnoscit tãquam legitimos Isaaci fętus, Librum prænotatum, Exhortatorium vitæ Spiritualis, cuius initium. *Anima quæ Deum diligit*.

De pugna vitiorum.	*Multorum honorem.*
De difficultate virtutum.	*Quamlibet virtutem.*
Dialogum de profectu Spirituali.	*Quo vinculo retinetur.*
De ordine Monasticæ vitæ.	*Ex operatione violenta.*
De Humilitate.	*Beatus homo, qui scit.*
De tribus Ordinibus proficientium.	*Tres sunt Ordines.*
De Solitudine Monachorum.	*Homo multa solitudinis.*
De diuersis tentationibus.	*Virtutes inuicem.*
De informatione Nouitiorum.	*Hic est ordo sobrius.*
De Pœnitentia.	*Fortitudinem, quam.*

Homilias plures ad populum, quas ad manus suas haud venisse idem Tritemius scribit, qui ann. 440. claruisse dicit hunc Isaacum sub Theodosio Iuniore.

ISAIAS Abbas. Vide in verbo, Esaias Abbas. Scripsit autem ad fratres, qui cum ipso viuebant Orationes. Extat in Bibl. SS. PP. To. 2.

ISAIAS Patauinus. Vide in verbo, Esaias Patauinus.

ISAIAS Cracouiensis, Polonus, Ord. D. Augustini, scripsisse dignissimas Quæstiones in Magistrum Sententiarum dicitur à Iosepho Pamphilo: quæ in Germania in Bibliothecis eius Ordinis, vnà cum alijs Ioannis Bloch Germani in eundem Mag. asseruabantur.

ISAIAS Propheta, quem Hebræi pronunciant Iescaciau, quo nomine designatur *Domini salus*, alij verò inter Latinos *Esaiam*, alij *Iesaiam* nominant cum initio suæ Prophetiæ hæc verba præfixerit. *Visio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam, & Hierusalem in diebusIoziæ, Ioathan, Ioachaz, & Ezechiæ Regum Iuda*, satis Lectorem excitare potest non solum ad ea, quæ Hieronymus De Titulis prophetarum admonet, verum etiam quòd operam sibi tam diu, tamque fideliter à tale organo Spiritus sancti voluit sibi præstari Deus. Et quidem cum Hieronymus dicat in Titulis Prophetarum commemorari personas, Isaiam videlicet, atque Ieremiam, ea ratione, vt Hebræorum vitia referuēt, aut aliquid prænuntient, aut vt mærentem populum consolentur, aut vt tempus etiam exprimant sub quibus Regibus Prophetias pronunciauerint. Et sub Ozia quidem (quod etiam Alphonsus Salmeron noster, Decimo suo Prolegomeno ad Diuinam Scripturam existimauit esse Lectorem admonendum) prophetauit Isaias per quinque prima capita. Sub Ioathan verò per totum sextum caput. Sub Rege autem Achaz à septimo capite vsque ad finem quartidecimi capitis. At sub Ezechia Rege à quintodecimo capite vsque ad quadragesimum. Rursus à quadragesimo ad quadragesimum nonum Cyri historiam, & liberationem à captiuitate Babel vaticinatur. Nec satis exploratum est sub Ezechia ne, an sub Manasse eius successore à quadragesimo ad finem Libri planè apertè, ac sine typo prophetauerit De Christo Domino, & eius Ecclesia: quamuis etiam in alijs capitibus pleraque item de Christo interseruerit.

Vide Partitionem dilucidam, & breuem vniuersæ huius prophetię tamquam in duos Tractatus bipertitæ, alterum comminatorium vsque ad caput trigesimumprimum, alterum consolatorium vsque ad finem capitis sexagesimisexti in vndecim Tabulis Oeconomiæ Biblicæ Georgij Ederi.

Bibl. Sanct. lib. 1. Iam quòd item post D. Hieronymum Sixtus Senẽsis noluit prætermittere, dum de hoc Diuino Propheta loqui debuit, verissimum est in hoc Libro, vt Hieronymus ait, quicquid de Physicis, Ethicis, Logicis, & quicquid Sanctarum Scripturarum mysterijs potest humana lingua, & mortalium sensus accipere, complexus est summa prę cæteris prophetis venustate sermonis, & vrbanæ dictionis elegantia. Narratio totius libri, prosa est, per cola, & commata distincta, & numeris omnibus absoluta, exceptis tribus Canticis, Vineæ scilicet, Vrbis Syon, & Ezechiæ Regis; quę vnà cum Oratione Isaię hexametris, ac pentametris versibus incedere Isidorus testatur. Protulit autem Isaias de Christi Saluatoris nostri Aduentu, Incarnatione, Miraculis, Prædicatione, Vita, Passione, Morte, Resurrectione, & Gloria tot ac tam magnifica, & aperta testimonia; vt non de futuris eius euentibus vaticinari videatur, sed magis de præteritis eius gestis historiam scribere, & Euangelistæ potius, quàm prophetæ partes implere. Atqui hinc arbitror Dominum nostrum Iesum Christum, hũc vnum inter omnes Prophetas delegisse sibi, quem primum in Synagoga patriæ suæ publicè legeret, & exponeret. Moritur Isaias sub impijssimo rege Manasse, iussu eius in duas partes dissectus, quia Optimates regię domus, principes Sodomorum vocasset, atque dixisset se vidisse Deum in sublimi solio sedentem. Sepultusque est sub quercu Rogel in Beniaminia tribu circa annum ab Orbe condito ter millesimum ducentesimum quadragesimum, & ante Christi ortum septingentesimum vigesimum octauum. Scripsisse dicitur prę ter hæc etiam alia, quæ in proximè sequenti libro (ait Sixtus Senensis) annotabimus.

Atqui Propheta hic corporis castigatione præcellens (adeo Dominus Deus per eiusmodi organa libenter loquitur) cum nudus, & discalceatus ad tertium annum incessisset, acerbissimo genere mortis, quale diximus, fuit interfectus.

Scriptores in Isaiam Prophetam.

Omnes, qui vniuersam Diuinam Scripturam explanarunt; Separatim autem, Adam. Et alter item recentior Adamus Sasbouth, si tamen is eius Commentarij, siue accuratæ Paraphraseos fuerit Auctor, de quo vide in verbo, Adamus Sasbouth. Alanus Insulensis. Alredus Rieuallis. Ambrosius Mediolanensis. Basilius. Cyrillus. Didymus. Eusebius Cæsariensis. Franciscus Forerius. Gilbertus Anglus. Hector Pintus. Henricus Vichingan. Hieronymus Osorius. Ioachim Abbas. Ioãnes Maldonatus, licet nondum prodierit & vtinã extaret. Leo Castrius. Matthęus Ebroicensis. Michael Massanus. Nicolaus Dunkespulus. Procopius. Richardus Victorinus. Theodoretus. Thomas Aquinas. Thomas Hasselbach. Victorinus Pitabionensis. Et alij, præcipuè item, qui libros ediderunt ad perfidiam Iudæorum euincendam, dum huius Prophetæ ante alios prophetias clarissimas ijs proponunt.

Variarum autem Lectionum in editione septuaginta, vide Scholia tam ad Grecã, quàm ad eius versionem Latinam emissam Romę Sixto V. Pont. Max. Ceterum qui liber, secundo lib. Paral. c. 6. & 32. tribuitur Isaiæ, hic cõtinetur in eius Prophetia à c. 36. vsque ad 40. At alter ille liber, qui olim *Ascensio Isaiæ* inscriptus est confictus fuit ab hęreticis, quemadmodum Origenes in c. 13. Matthæi. Hieronymus in Isaiæ c. 64. Epiphanius in secundo Panarij testantur. Idem dicimus de alio libro, qui pręnotatur *Visio Isaiæ*, licet aliquot ante annos Venetijs incautè fuit excusus, numquam tamen prodijt ab Isaia propheta. Qui verò libri Prouerbiorum, Ecclesiastici, Cantici Canticorum à Rabbi Moysi Kimchi in libro Viarum linguæ sanctæ ascribuntur Isaiæ, ij sunt Salomonis Regis.

ISIDORVS Aletrinatium Episcopus, De Diuitijs, & Paupertate, Romæ apud Antonium Bladum, ann. 1556. Is autem C. Peruscus Isidorus nominatur.

ISIDORVS Alexandrinus, qui inter solitarios venerandus, & circumspectus habebatur, varias ad varios vsus Ecclesiæ Epistolas scripsit, quarum Ephręmius Theopolitanus Episcopus meminit, in quinto libro Operis sui, quod Photius legisse se testatur, qui & eorum Librorum argumentum satis fusè describit in Bibliotheca sua Græca, pag. 406. editionis Augustanæ.

ISIDO-

ISIDORUS Asturicensis, vita & doctrina clarus, quique tertio Braccarensi Concilio interfuit, quod celebratum est, anno Dom. 675. reliquisse ingenij sui posteris monimenta scribitur. At quænam ea fuerint, mihi non constat.

ISIDORUS Clarius, Brixianus, Monachus Monasterij S. Ioannis Euangelistæ Parmæ, & Abbas S. Mariæ Cesennæ, Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, Ord. Diui Benedicti, Episcopus deinde Fulginas scripsit pleraque, atque vti cum Latina lingua, Græcam, Hebraicamque callebat, sic Biblia quoque vertit, & alia scripsit, quę huc adijcientur.

Sed ex Biblijs ipsius in Regula tertia Indicis Romani Librorum prohibitorum, iubetur, vt Prologus, & Prolegomena pręcidantur; eius verò textum nemo textum vulgatę editionis esse existimet. Ceterum, hæc vtriusque Testamenti versio, ad Hebraicam, & Gręcam veritatem, quemadmodum præfert inscriptio, excusa Venetijs fuit vnà cum Scholijs ann. 1542. Deinde autem præcisis ijsdem Catalogo, ac Prolegomenis ann. 1564. apud Iuntas ibidem.

In Canticum Canticorum Salomonis Scholia. Quæ ibidem ann. 1544. prodierunt apud Iolitos, siue Zilettum.

In Sermonem Domini in monte habitum, secundum Matthæum orationes 69. excusas ibidem ann. 1546. 1565. 1566. & 1567.

In Euangelium Lucæ, orationes 54. ibidem ann. 1565.

Orationum extraordinariarum Volumina duo, in quibus vtriusque sacri instrumenti insigniores quique loci explicantur. ibidem apud Dominicum Nicolinum, ann. 1569. & ann. 1577.

In Caput ix. Epistolæ Diui Pauli ad Romanos, ad Chrysostomum Cassinensis Congregationis Præsidem, Orationes duas: quarum præfatio incipit: *Etsi persuasum mihi semper fuit.*

Oratio autem prima: *Qui locus iam diu.*

Oratio verò secunda: *Quamquam ego oratione hesterna.* Extabant m.ss. apud Archangelum Fantonum Monachum S. Nicolai de Littore Venetijs.

In Caput xv. primę Epistolę D. Pauli ad Corinthios, libros tres composuisse ipse Isidorus fatetur in præfata Oratione secunda, at ignoratur vbinam extent.

De Iustificatione hominis, & de Gloria, Orationes habitas in Concil. Trid. editas Venetijs ann. 1548. & Louanij cum alijs in eodem Concilio habitis.

De modo in diuitijs adhibendo ab homine Christiano, Orationem, excusam Mediolani, anno 1540.

Ad eos, qui à communi Ecclesię sententia discesserunt, Adhortationem ad Concordiam. Mediolani apud Caluum, ann. 1540.

Hic cum septennium exemplo, & sanctis moribus Episcopatum Fulginatensem administrasset, denique peracutam febrim patienter ferens, placidè obdormiuit in Domino annos agens circiter sexaginta, anno autem Domini 1555. die 28. Maij. Sed & cum quadraginta horas cadauer extra sepulturam ob populi erga eum venerationem relictum fuisset, id suauem spirans odorem viri anteactam vitam indicauit.

ISIDORUS Cordubensis Episcopus, dictus Senior, libros quattuor, ad quattuor Libros Regum, scripsit Orosio Presbytero Hispano B. Augustini olim Auditori. Viuebat ann. 420. Trit. præter Sigebertum.

ISIDORUS Hispalensis, Episcopus, dictus *Iunior*, quamuis, & tertius alius post vtrumque Pacensis propriè *Iunior* dictus, quòd *Senior* ille alter Cordubensis Episcopus cum multos ante annos præcesserat, post Leandrum fratrem suum, Hispalensis Prouinciæ Beticæ cathedram tenuit. *Vir* (vt habet Ildefonsus de Viris illustribus) *decore simul, & ingenio pollens, illam* (subdit) *tanta iocunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, vt vbertas admiranda dicendi ex ea in stuporem verteret audientes. Scripsit Opera eximia, & non parua: id est, Librum De Genere officiorum; Librum Proemiorum; Librum De Ortu, vel obitu Prophetarum; Librum Lamentationum, quem ipse Synonima vocitauit. Libellos duos ad Florentinam*

*Aliquid deesse videtur in m. ss. cc. qui lacunam praeferunt, vt notauit Garsias Loaysa.

rentinam Sororem, contra nequitiam; Librum De natura rerum, ad Sisebutum Principem; Librum Differentiarum; Librum Sententiarum. Collegit etiam de diuersis auctoribus, quem ipse nominat Secretorum Expositiones Sacramentorum, quibus in vnum congestis, ipse Liber dicitur, Quaestionum. Scripsit quoque vltimo ad petitionem Braulionis Caesaraugustani Episcopi, Librum Etymologiarum; quem cum multis annis conaretur perficere, inexpleto Opere diem extremum visus est conclusisse. Claruit temporibus Reccaredi, Gundemari, Sisebuthi, Suinthilani, Sisennandi Regum; annis fermè quadraginta tenens Pontificatus honorem, insignemq́ doctrina sanctae gloriam, pariterq́ decorem.* Hæc Ildefonsus.

Obijt autem ann. 636. vt habet Lucas Tudensis in Cinthilano Rege. deque illo hæc scribit: *Anno primo Regis Cinthilani Doctor & Legumlator Hispaniarum Isidorus stans in Ecclesia peracto sermone ad populum, & expandens manus, benedicens omnibus, Deo hactenus sibi traditum Regem commendans, felicissimo somno obdormiuit in Domino. Decoratus quippe extitit sanctitate, spiritu prophetiae clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate praecipuus, corde serenus, in sententia verax, in iudicio iustus, in praedicatione latus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione Scripturarum cautus, in consilio prouidus, in actu humilis, in mensa sobrius, in oratione deuotus, honestate praeclarus, semper pro Ecclesia, vt veritatis defensione mori promptus, & in omni bonitate conspicuus. Praeterea Pater extitit clericorum, Doctor, & sustentator monachorum, ac monialium, consolator maerentium, tutamen pupillorum, ac viduarum, attritor superborum, persecutor, & malleus haereticorum. Rexit Archiepiscopatum Hispalensem 40. annos, diuersis miraculorum signis fulgens, Romani Papae in Hispania vicem gerens. Ex stirpe Gothorum progenitus, & natus Patre Seueriano Duce Carthaginiensi.* Sic Tudensis.

Arnoldus autem Vuion cum S. Gregorij Magni Pontif. Max. eum discipulum faciat, fuisse quoque inquit Ordinis Diui Benedicti (vt aiunt) monachum, quem & obijsse scribit ann. 642. pridie nonas Aprilis contra quàm Tudensis habet. Quin & mortuus sub Chintila Gothorum Rege ait Braulio, ex quo multorum errores conuincuntur de anno mortis Isidori. Redemptus Clericus Isidori discipulus, confirmat hanc veritatem, qui eum mortuum scripsit Aera 674. hoc est ann. 636. & Chintilam cępisse regnare Aera 674. idest Christi Domini ann. 636. cernitur in Concilio quinto Toletano. Anno autem secundo Chintilæ videmus habitum sextum Concilium Toletanũ, cui iam non Isidorus (erat enim mortuus) sed Honoratus Isidori successor interfuit.

Translatum autem Isidori Corpus in Vrbem Legionem, à Ferdinando primo Castellæ simul, & Legionis Rege, qui hoc ab Eneto Sarraceno Hispali regnante magnis precibus, & premijs impetrauit. Cuius nomine templum ædificatum est Legione, vbi sepultus, miraculis clarum magna populus religione veneratur.

Quòd verò Arnoldus Vuion in libro Ligni Vitę, scripsit B. Isidorum requiescere Bononię in Ecclesia Patrum Cęlestinorum, Ioannes Grialus in Nota ad prænotationem Braulionis in vltima Isidori editione scribit se conijcere, forma & quantitate capsæ, siue loculi Arnoldum credidisse ibi integrum Isidori corpus esse, vbi forsan non nisi aliquot ossa, vel cineres ipsius continentur. Sed vitam, & mortem ipsius Isidori summatim, & pro dignitate conscriptam, lege in Io. Mariana nostro de rebus Hispaniæ, lib. 6. c. 7.

Natione autem fuisse Germanum ait (ac nescio vnde) in suo Scriptorum Catalogo Gulielmus Eisingrenius, quamquam (inquit) Hispani suum esse affirment, ac Leandri, Fulgentij, & Florentinæ Virginis germanum fratrem, alij Theodosiæ Reginæ addunt Ermenigildi, & Reccaredi Matris, Patre quidem Seueriano, quem nonnulli Carthaginensis Prouinciæ Ducem faciunt.

Opera Isidori Hispalensis Episcopi varijs in locis excusa,
Quiue in eum laborarunt.

Iam verò etsi Ildefonsus Isidori pleraque attigit, plura tamen ab eo fuisse scripta, Tempus ipsum prodidit, quæ & subinde auctiora nostrum hoc æuum ferax eruditionis, emisit.

Et libri

Et libri quidem tres De Summo bono, vnà cum libris viginti Etymologiarum excusi fuerant ann. 1483. Venetijs, atque Lipsiæ in Germania ann. 1493. cum deinceps ijdem libri tres de Summo Bono castigati, & editi per Hubertum Scutieputæum Canonicum in Bethleem prope Louanium, impressi sunt Antuerpiç apud Io. Bellerum, ann. 1564. vnà cum libello eiusdem Isidori De contemptu Mundi.

De Natiuitate Domini, Passione, Resurrectione, & alijs.

Tractatulus item (vt habet titulus) De vita, & obitu quorundam vtriusque Testamenti Sanctorum. Allegoriæ quædam ex vtroque Testamento.

Liber Proçmiorum in vtrumque Testamentum. Secerius excudit Haganoæ in Germania, ann. 1529.

Cauenda autem est Librorum viginti Originum editio Basileensis apud Petrum Pernam, ann. 1577. euulgata, vnà cum libris nouem Martiani Capellæ, De Nuptijs Philologiæ, & Mercurij, & Scholijs Bonauenturæ Vulcanij Brugensis, quippe cui editioni plura fuerunt admixta, quæ nec sunt Isidori, & verò sapiunt hæresim.

In Pentateuchum, Iosue, Iudicum, Regum, Esdram, & Machabæos, Coloniæ Ioannes Soter ann. 1530.

De officijs Ecclesiasticis. Parisijs ann. 1564.

De Diuinis officijs Coloniæ, ibidem ann. 1568. in quorum lib. secundo, cap. 15. vbi facit tria genera monachorum, Eremitas, Anachoretas, Cçnobitas, sciendum est, idem esse Anachoretas cum Eremitis.

Soliloquia Italicè reddita Venetijs apud hçredes Melchioris Sessæ, ann. 1570.

Opera omnia, quæ extabant siue edita, siue aliunde è manuscriptis exscripta, & castigata Margarinus Bignæus Parisiensis Theologus, Parisijs emisit ann. 1580.

De illustribus Ecclesiç Scriptoribus Liber cum alijs Coloniæ excusus, ann. 1580.

Sententiarum libri quattuor à Garsia Loaysa emendati, prodierunt ann. 1593 Taurini in Italiæ Subalpinis, quemadmodum & Chronicon Scholijs illustratum, apud Ioan. Baptistam Beuilaquam.

Denique Parisijs ann. 1601. postrema Editio apud Sebastianum Niuellium emissa est per Iacobum è Braul Monachum S. Germani Parisiensis à Pratis, multò & emendatior, & reliquis auctior, cuius Catalogum hic damus.

Index Librorum S. Isidori Hispalensis Episcopi. Ex quibus eos, qui nunc primum prodierunt in lucem, notatus ad marginem asteriscus indicat.

Hinc autem liquet, plura nos iam fuisse Isidori consecutos, quàm quę nec Sigebertus, neque Tritemius, neque Sixtus Senensis (quamuis huius consilium fuerit tantùm exegematicos D. Scripturę prodere, vt alibi diximus) nec alij indicarunt. Sic quidem qui editionem hanc emisere.

Veruntamen non satis vnquam laudatus labor Henrici Canisij aliud S.huius Isidori Opusculum de conuersis, siue ad monachos erutum è membranis m.s. Bibliothecæ Monasterij S.Galli in Heluetia, primum in lucem emisit insertum Tomo Quinto Antiquæ lectionis, excuso Ingolstadij ann. 1604.

Quæ tributa Isidoro Hispalensi præter superiora.

In templo D.Leocadiæ Toleti cum de restituenda disciplina conuentus ann. Do.634. haberetur, inter alia decretum fuit, vt Missale, ac Breuiarium vnum esset in Hispania.

Eius

Eius rei perficiendæ cura (ſcribit poſt alios Io. Mariana noſter, lib.6. de rebus Hiſpaniæ, cap.5.) quoniam Iſidoro, qui primas partes in eo Concilio tenuit, creditur eſſe demandata, vſus obtinuit, vt Miſſale, & Breuiarium Mozarabum, hoc eſt, ex antiquo Gothorum more conſeruatum, Sacrorum, precumque diurnarum, & nocturnarum ritus, Iſidoro tribuantur, tametſi nonnulla Leander inuenit, plura progreſſus temporis addidit.

Circumfertur præterea (idem ait Mariana) vulgò breuis celebrandi Concilij formula Iſidori nomine, quam nonnulli exiſtimant ex huius Concilij Actis conſarcinatam, adiunctione multarum rerum, quæ ex alijs Concilijs deſcriptæ ſunt. Iſidori autem nomen adſcriptum conciliandæ auctoritatis cauſſa. Commentum probabile, quòd ceteris deſerentibus, primas in eo conuentu partes tenuit.

Is autem Ordo celebrandi Concilij præpoſitus eſt Editioni 40. Conciliorum à Garſia Loayſa Madriti ann. 1593. editæ Collectioni, auctior, atque correctior ex libro Vigilano, ſiue Alueldenſi, qui aſſeruatur in Bibl. Regis D. Laurentij in Scoriaco m.s.

Quin & apud Marianam lib. eodem 6. de rebus Hiſpaniæ, c.6. extat fragmentum, ſiue breuis Iſidori Epiſtola ad Eugenium ſecundum Epiſcopum Toletanum, reſpondentis, num Superioris ſententiam ſoluere poſſit, qui ſit poteſtate inferior; & num Apoſtoli pari poteſtate præditi fuerint.

Isidori Epiſcopi, De conuerſis liber. Extat m. s. in Biblioth. celebris Monaſterij S. Galli in Heluetia.

Num verò Collectio Canonum, ſiue Actorum Conciliorum, quæ poſt Creſconij Collectionem prodijt, Iſidoro Hiſpalenſi ſit tribuenda, mox attingemus.

Isidorus Mercator viſus eſt nonnullis alius eſſe à tribus Iſidoris Cordubenſi, Hiſpalenſi, Pacenſi, qui omnes doctrina, & pietate in Eccleſia Chriſti floruerunt. Mouit iſtos fortaſſe, quòd in codice Dominicanæ familiæ in Vrbe, initio præfationis collectionis Canonum ita legatur: *Iſidorus Mercator ſeruus Chriſti Lectori conſeruo ſuo*. Nec multò ſecus in Codicibus Vaticanis; quo loco extat in impreſſis: *Iſidorus peccator ſeruus Chriſti*. At hunc fuiſſe Hiſpalenſem, de quo locuti ſumus, plura videntur euincere. Primum, quòd multa verba, quæ in Præfatione huius collectionis leguntur, extant in libro quinto Etymologiarum Iſidori Hiſpalenſis. Secundum, quòd non ſolum perantiquus eſt hic Iſidorus, qui *Mercator* dicitur; cuius collectio protenditur à Canonibus Apoſtolorum vſque ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum, habeturque in duobus Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & vno Monaſterij Dominicani S. Mariæ ſupra Mineruam, verum etiam quòd eidem ipſi Cõcilio Hiſpalenſi interfuit, ac primas partes tenuit Iſidorus Hiſpalenſis. Tertium, quòd conſtans fermè fama per omnia tempora percrebuit, Auctorem eius Collectionis fuiſſe Iſidorum Hiſpalenſem. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis in libro de Synodis, Ioannes Gerſon, Tritemius, teſtantur ab eodem Iſidoro Hiſpalenſi Librum Decretorum fuiſſe conſcriptum. Quartum, quod expurgatores, atque emendatores Decreti ac Decretalium, Gregorij XIII. Pont. Max. iuſſu, editorum, in hanc ipſam videntur ſat liquidò propendere ſententiam, ſicut initio ante Corpus Decreti ſignificarunt. Quamobrem & *Collector*, ſiue *Compilator* eſt dictus. Quæ cum ita ſint, ea tamen cautio iiſdem Canonibus, ſiue Collectioni legendæ eſt adhibenda, quam non vno in loco Tertij Annalium Tomi Baronius Cardinalis admonuit. *Non innitimur ijs* (inquit) *quæ Iſidorus Collector, ſeu potius compilator ſub nomine Melchiadis Papa perperam collocauit in ea Epiſtola, cuius (quod magis credimus) ipſe auctor extitit, cui præter mentionem habitam de Nicæno Concilio, attexuit tertium Canonem Concilij Chalcedonenſis, & nonnulla ex Epiſt. Gregorij Papæ 24. li. 1. His inquam quantumlibet veris, quòd prodantur falſo titulo, non innitimur, ſed antiquioribus ac verioribus teſtimonijs*. Præterea & in eodem Tomo 3. multo poſtea, inquit, *Hiſtoria ab illo narrata de morte Oſij lib. de viris illuſtribus, à nemine alio quàm à ſchiſmaticorum cœnoſo fonte hauſta; quippe cum in his controuerſijs frequens eſſet, in quibus de appellatione ad Sedem Apoſtolicam ageretur, & ex illis Epiſtolis multiplicia ſuppeterent, eademq́ fortiſſima teſtimonia Sanctiſſimorum Pontificum, eorundemque martyrum, quorum ſumma auctoritas in Eccleſia eſſe poſſet, abſtinuit, tamen ab illis penitus, quas ſaltem dubias intellexiſſe, non dubium ſit, illis tantum vſus, de quibus*

Pag. 83. primæ Romanæ editionis, & pag. 666.

bus numquam in Ecclesia Dei fuerat dubitatum, quod illis aduentitijs, & recens inuentis egeret Ecclesia, cum eadem aliunde ex germanis, synceris, omnino legitimis, securis, ceterisque Romanorum Pontificum Epistolis abundanter accipere licuisset. Sed & ipse Benedictus Leuita, etsi (vt audisti ab Hincmaro, & ipsemet testatus est in suorum præfatione librorum) ex eadem Isidori collectione accepit multa; tamen bene conscius, auctoritatem illarum Epistolarum haud adeo constantem, sed nutare admodum, numquam aliquem illarum citauit auctorem, vt fecit in reliquis, quarum fides constans esset, Romanorum Pontificum Epistolis Innocentij, Leonis, Gelasij, Symmachi, atque Gregorij citans ac nominans earum auctores: sed & magna cautela; quod sciret ex eis accepta haud haberi firma, curauit (vt ipse in fine testatur) eadem auctoritate Apostolica confirmari.

At verò ex multis eas reddi suspectas Epistolas, quæ dictæ sunt Secundo Annalium Tomo, dum de eius singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulq; ostensum, illis non indigere S. Romanam Ecclesiam, vt si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur iuribus, & priuilegijs, cum etsi illis careat, ex legitimis, germanisque aliorum Pontificum Epistolis Decretalibus satis superque corroborata consistat.

ISIDORVS Isolanus, Mediolanensis, Ord. Prædicatorum, scripsit Summam in quattuor Partes distributã De Donis S. Ioseph Sponsi Beatiss. Virginis, quam Adriano Sexto Pont. Max. inscriptam Ticini, hoc est Papiæ prope Mediolanum edidit anno 1522. apud Iacobum Paucidrarium. cum antea, hoc est ann. 1513. ibidem edidisset libros quattuor aduersus Auerroem De Aeternitate Mundi: Alberti autem de Saxonia De velocitate omnium motuum dogmata in compendium, & ordinem redegisset.

ISIDORVS Montacutus, Florentinus, Monachus Cassinensis, S. Mariæ nouę, quę est Florentiæ, Præses, è Græco Latinum reddidit Nilum monachum perantiquum. Obijt anno 1573. Florentiæ, mense Maio.

ISIDORVS Mosconius, Perusinus, I.V.C. dum esset Bononiensis Archiepiscopatus in Spiritualibus, vt vocant, Generalis Vicarius, Duos à se conscriptos Libros De Maiestate militantis Ecclesiæ; atque de ipsius Religionis statu, deque Personarum omnium in Ecclesia existentium, necnon secularium Principum Religione, & Constantia, edidit Venetijs anno 1602. apud Ioannem Baptistam Ciottum, Franciscum Franciscium, & Paulum Meiettum.

ISIDORVS Pelusiota, qui in Monte Pelusio Abbas insignis sanctitatis præfuit monachis, discipulus S. Ioannis Chrysostomi, relatus ab Vsuardo in Sanctorum Album, cuius festi ad diem quartam Februarij meminit, vir, vt habet Suidas, eloquentissimus, Philosophusque, & Rhetor; Vitam Angelicam (vt inquit Euagrius) in Terris traducens, & viuam monasticę vitæ effigiem, ac Diuinæ contemplationis omnibus perpetuò intuendam proponens, scripsit Græcè multa. Nimirum

Lib. 1. c. 15.

Epistolas ter mille Diuinam Scripturam interpretantes, vt Suidas scribit. At vt Nicephorus Callistus habet, propè Chiliades decem, omnis generis Diuinę simul, & humanæ gratię (ait) refertarum, in quibus scripturam omnem clarius exponit, & omnes omniũ mores instituit. Sic ille.

Atqui in Veneta D. Marci Bibliotheca Venetijs extat Volumen m.s. mille centum quadraginta, & octo Epistolas continens; Quarum prima incipit ἡ πεὶ χυκλικὸν ἐςὶ χρόνῳ. Iacobus autem Billius Prunęus mille ducentas aliũde habitas è Gręco Latinas fecit, inter quas cum nulla eiusmodi habeat initium, quam habet Marcianum exemplar, habebunt pietatis & antiquitatis studiosi, vbi suam ad Dei gloriam, operam collocent, reliquis, quas iam assecuti sumus, in publicam lucem edentes.

Porrò idem Billius Epistolas illas sic Gręcè scriptas reliquit, vt è regione eisdem statuerit Latinam suam versionem optimam, sicque editę fuerint Parisijs ann. 1585. apud Gulielmum Chaudiere, vnà cum eiusdem Billij Sacrarum Obseruationum libris duobus. In qua editione meminerit Lector emendata pleraque fuisse ad finem Operis, quę omissa facesserent legentibus aliquid molestię.

Scripsisse autem eundem Isidorum multa Opera per quàm vtilia, tum vnum ad Cyrillum

lum testis est idem vbi supra, Euagrius. Videlicet,(quod Nicephorus indicat,) cum apertè Chrysostomum defenderet, vehementer Arcadium, & Cyrillum, atque huius patronum Theophilum perstrinxit, taxans eorum sinistras aduersus Virum illum susceptas molitiones.

Quin ipse Isidorus librum se ad Gentiles scripsisse in suis Epistolis à Billio versis aliquoties meminit. Qui liber vtrum adhuc alicubi extet, incertum.

Quædam verò Poetica ipsius desiderari videbuntur ei, qui Nicephori versionem è Græco Latinè à Lango redditam leget. At nulla illa fuere: Neque enim vllus eorum, quos citat, nempe Isidorus Pelusiota, Nilus, Marcus Eremita, Theodoretus Cyrenensis Episcopus, fuere Poetæ. Lapsus est itaque Langus, vt in alijs non paucis, quod libro primo Sacrarum obseruationum notauit Billius. Nam libro primo, cap. 38. vbi quædam obseruat in Euagrij historia, sic ait: *Cap. 15. in initio hac verba κατὰ ποίησιν, ab Interprete omissa, idem valent, quod ποιητικῶς ἠπεῖν, idest, vt Poeta verbis vtar. Hæc enim dicit ob hæc verba, χλεὸς εὐρὺ, quæ præcedunt, & quibus vtitur Homerus Odysseæ penultimo libro. Quod cum ne Langus quidem apud Nicephorum, lib. 14. cap. 53. animaduerterit, Isidorum Pelusiotam, Nilum, & Marcum Eremitam, ac denique Theodoretum Cyrenensem Antistitem egregios Poetas facit; cum tamen nullum omnino ex his Poetica laude floruisse litteris vllis proditum sit.* Ex quo perspicere licet, quantũ interdum erroris vnius voculæ homonymia non animaduersa pariat.

Iam quod rursus de Epistolis Isidori Pelusiotæ dicendum est, cum eæ sententijs, ac breuibus adhortationibus aculeum Lectori perutilem infigant, suaserim probis, & eruditis Gymnasiarchis, ne tantam sinerent elabi occasionem, qua eas discipulis interdum prælegerent, sicque eorum mores, dictionem, ac pietatem eis instillarent.

ISIDORVS Thessalonicæ Episcopus, cuius Græcæ Homiliæ in D. Lucæ Euangelium extant m. ss. in Vaticana Bibl.

ISIDORVS Valseranus, Tractatum de Indulgentijs Italicè emisit Venetijs ann. 1583. apud Dominicum Farrum.

ISONIS Monachi, De virtutibus, & miraculis S. Othmari, lib. 1. extãt m. s. in Bibl. celebris Monasterij S. Galli in Heluetia.

ISOTA Nouarola, virgo nobilis Veronensis, cum in primis virginitati, deinde item bonis artibus vitam suam addixisset, varias & Epistolas, & Orationes Latinas, & graues ad Nicolaum Quintum, & ad Pium Secundum Pontifices Maximos dedit. In Conuentu autem, quem idem Pius Secundus habuit Mantuæ, & validis rationibus, & pluribus exẽplis tum ipsum Pontif. Maximum, vnà cum Cardinalibus, tum Principes Christianos, qui frequentes aderant, hortata est ad bellum aduersus Turcas mouendũ. Scripsit Dialogum, quo disputat Adamne, an Eua grauius peccauerit. Vide Fulgosium, lib. 8. c. 3. Rerum memorabilium. Viuebat ann. 1453.

ISTELLA in Genesim, & Exodum Romæ apud Gasparem Bindonum, ann. 1602.

ISVARDVS, qui & *Husuardus*, in Annotationibus Suffridi Petri, Monachus, Ordinis Diui Benedicti, Carolo Magno Imperatore iubente, Martyrologium confecit, in quo simul Confessorum, & aliorum Sanctorum historias texuit. Editus est iterum ann. 1579. Viuebat ann. 789.

ISYCHIVS Presbyter Hierosolymitanus, cuius Commentaria in Leuiticum extant, quæ cũ alibi antea, tum demum an. 1581. Parisijs fuere recusa. Vide in verbo, Hesychius.

I T

ITHACIVS, qui & *Itacius* non fuit idem, qui Idacius, quemadmodum falsò existimarunt Tritemius, & quidam alij. Duo enim fuere eodem tempore Episcopi in Concilio Cæsaraugustano, Ithacius, qui septimo loco, Idacius, qui duodecimo loco subscripserunt, vixitque vterque ann. 388. temporibus Damasi Pont. Max. Gratiani Imperatoris, & Ambrosij Mediolanensis Episcopi. Et Ithacium quidem Seuerus Sulpitius lib. 2. historiæ Sacræ Sossubensem Episcopum forte (suspicatur Garsias Loaysa) *Ossonobensem*; Idacium autem tantum Episcopum nominat.

De Ithacio igitur Hieronymus ita meminit in Priscilliano, vt librum ab eo scribat sub specie Apologię fuisse editum, in quo detestanda Priscilliani dogmata, & maleficiorum venena, & libidinum detexit. Seuerus autem Sulpitius tam Ithacij, quam Idacij studium in expugnandis hæreticis reprehendit: quia animo vincendi potius, quā oportuit, certarunt. De Ithacio enim sic ille: *Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio, fuit enim audax, loquax, impudens, præsumptuosus.* At Isidorus in Catalogo ita scribit, vt & cum Idacio Claro eum confundat, & magis honorificè de ipso loquatur, his verbis: *Itacius Hispanensis Episcopus, cognomento & eloquio clarus, scripsit quendam Librum sub Apologetici specie, in quo detestanda Priscillianorum dogmata, & maleficiorum artes, libidinumque eius probra demonstrat, ostendens Marcum quendam Memphiticum, magicæ artis scientissimum, discipulum Manis fuisse, & Priscilliani Magistrum. Hic autem cum Vrsacio Episcopo ob necem eiusdem Priscilliani, cuius accusatores extiterant, Ecclesia communione priuatus, exilio condemnatur, ibique die vltima fungitur. Theodosio maiore, & Valentiniano regnantibus.*

Quin & Sigebertus, cap. 18. Idacium cum reliquis errans, vocat, Honorius verò longius à vero *Anicium*.

Extant duodecim vitæ Incerti Auctoris, quæ in m.ss. Codicibus D. Isidoro, & Ildefonso pręponebantur. Is autem *Itacium* sine aspiratione scribens alterumque hunc à superiore fuisse sat liquidò ostendens, quippe qui post Hieronymum diu vixerit, inquit.

Itatius Prouinciæ Gallæciæ Episcopus, secutus Chronicam Eusebij Cæsariensis Episcopi, siue Hieronymi Presbyteri, quæ vsque hodie in Valentis Augusti Imperium edita declaratur, dehinc ab anno primo Theodosij Augusti vsque in annum Imperij Leonis octauum, subiunctam sequitur historiam, in qua magis barbararū gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hispaniam. Decessit sub Leone Principe, vltima iā penè senectute, sicut etiam in Præfationis suæ demōstratur initio.

I V

IVDAEI quomodo sint conuincendi, siue item iuuandi, vt ad Christum Dominum veram lucem accedentes, velamen, quod cordibus suis impositum gerunt, deponant, egimus in libro nono Bibliothecę nostræ Selectæ, vbi dāna è Iudęis manantia, Remedia quęnam, Scriptores antiquiores, & recētiores, atque adeo magis selectos, cautiones quoque, & reliqua spectantia ad rationem agendi cum ijs, summatim, & (vt de D. bonitate sperandum est) non sine fructu aliquo proposuimus, si quis illa in rem conferat. Sed ijs addenda sunt, quæ Bernardinus Rossiniolius noster cap. 17. libri primi De virtutum Actionibus optimè monuit, quænam essent, in quibus D. Pauli, & S. Ioannis Chrysostomi Charitas sese potissimum ad Iudæos conuertendos exereret: Quorum cum numerus sit maximus, ac verò Deus velit omnes ad Salutem venire, syncerus Operarius Christi eam viam debet insistere, quam duo illa Lumina Paulus, & Chrysostomus factis pręmonstrarunt.

Restabat autem Tractatio duplex. Altera, De Rabbinorum, & Talmudistarum erroribus explicatior, quam satis vberem suo loco ponemus, licet abolita iam prorsus sit Talmud lectio à Clemente VIII. Pont. Max. in Romano Indice. Itaque in verbo Talmud eandem abolitionem inseruimus: quemadmodum item in verbo, Rabbini, quædam alia attulimus. Altera verò De forma Reipublicę Iudæorum. Quem tamen laborem exemit nobis Carolus Sigonius, qui peculiarem de ea librum emisit. Sanè Iudęi vbi intelligunt à Christianis cognosci, quæ nam fuerint eiusdem Reipublicę Leges; & Forma, de qua expedit nōnihil præloqui, dum ij iuuandi sunt, libentius excipiunt, quæ subinde ad eos conuincendos afferuntur. Scio autem aliquid amplius in eo Sigonij libro ab aliquibus fuisse desideratum, aut notatum; sed quæ mihi cum ipso, dum esset superstes, fuit necessitudo, ac ipsius ratio veritatis, requirunt, vt dicam, pleraque ab illo scripta fuisse, quæ tantum absunt, vt conuelli debeant, vt etiam potius, contra sint commendanda.

Sanè verò non videtur ex Scriptura posse impugnari, quòd ex Iosepho tradidit De tribus Templis. Quem in hoc plerique Auctores admittunt, inter quos vide Franciscum Riberam, & Ioan. Maldonatum, nostros: illum qui post Commentaria in duodecim

cim Prophetas, libellum conscripsit, atque edidit De Templo Salomonis: hunc in Ioannis cap. 4. versu 20.

Minus item impugnandus, quòd dicere videatur Iudæos Prouinciales numquam solitos adire templum, sed tantummodo Synagogas. Nam Sigonius duntaxat asserit eos cō muniter conuenisse in Synagogis sibi assignatis, quemadmodum Ciues Hierosolymitani in Templo, quod certè videtur ex ipsa Scriptura euinci.

Quòd autem ante ista dixerit, fuisse pręceptum, De non adulterando, haud propterea censuit prohibitam etiam fuisse simplicem fornicationem; ea enim ipsa tum verba sunt Sacri Textus, tum passim in Catechismis.

Alia nonnulla omittimus eiusmodi, cum ceteroquin probus, & doctus vir modestè, nec sine magni nominis Auctoribus de toto hoc Iudęorum Reipub. negocio egerit.

Ceterum De sectis apud Iudæos legendus est Nicolaus Serrarius noster, qui tribus libris egit perspicuè de iisdem, editi autem hi sunt Moguntiæ ann. 1604. quidquid secus hę retici garriant, nec veritatem insanabiles concoquere possint.

IVDAS historiographus, & Theologus (inquit Eusebius Cæsariensis) ob Mundi mali tiam finem Mundi instare dicebat. Hieronymus autem ait. Iudas de septuaginta apud Danielem hebdomadibus plenissimè disputauit, & Chronographiam superiorum temporum vsque ad decimum Seueri (*Pertinacis* addit Codex Sigebergensis) perduxit annum. In qua erroris arguitur, quòd aduentum Antichristi circa sua tempora futurum esse dixerit: sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum præsentē mundi minabatur occasum.

IVDAS Iscariotis, qui Christum Dominum impiè supra quàm quod dici possit, prodidit, neque hic, nec alibi in Mundo, qui neque in cęlis habuit, locum meretur, nisi quòd cum Epiphanius libro primo Panarij contra Caianos, & Theodoretus libro primo hæreticarum fabularum meminisse voluerunt Euangelij cuiusdam, quod, sub Iudę ipsius nomine, Caiani hæretici sunt venerati, fit, vt neque nos id omittamus, vt videant Catholici in quàm profundum impietatis barathrum labuntur hæretici, qui potius Iudæ proditoris cō fictum Euangelium, quàm verum Sanctorum Euangelistarum venerabantur. Et Caiani quidem (quod Patres illi testati sunt) laudabant in eo Euangelio magnificè Iudam, quòd Christum Magistrum suum tradiderit Iudæis iuxta eam, quam habebat Diuinæ determinationis notitiam, quòd per Christi mortem redimeretur Mundus, & regnū Satanæ euerteretur; & ob id festinauit tradere Christum, vt nobis per Crucem eius salutem pararet. Vide transuersa, & fanatica hereticorum ingenia.

IVDAS Machabæus, collegit commentarios belli sacri, quod Mathathias Pater eius aduersus Reges Asiæ pro patria libertate ac Diuinis legibus suscepit. Vide secundo lib. Machab. cap. 2. vbi extant hæc verba. *Iudas ea, quæ didicerat per bellum, quod nobis acciderat, collegit omnia, & sunt apud nos; quæ si desideratis legere, mittite qui ad vos deferant.* Vide autem in verbo, Machabæus.

IVDICVM Liber in Vetere Testamento, qui à Iudæis *Sciophtim*, à Græcis κριταὶ dicitur, hanc habet inscriptionem, quòd Gesta tredecim Iudicum, qui in progressu, (sicut Iosue in ingressu) populo Israelis præfuere, continentur hoc libro. Hi autem potius per ministerij, quàm per imperij modum clauum Reip. tenuisse cernuntur. Nam & cum Iudæi de manibus Madian liberati à Gedeone, huic dixissent: Dominare nostri tu, & filius tuus & filius filij tui, quia liberasti nos de manu Madian, responsum à Gedeone acceperunt: Non dominabor, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur in vobis Dominus. Ex quibus verbis, & reliqua hac historia, non ea solū, quæ pertinebant ad hanc quasi tertiam Reipublicæ formam, quæ ve ad mysterium spectant, (vt sicut post Iosue hi Iudices fuerunt, sic post Dominum Iesum Apostoli successerint, quotque Principes, tot figuræ (vt inquit Hieronymus) fuerint:) Verum etiam optima iudicandi ratio percipi potest. Quare tum versandus est in primis hic liber, cùm ad leges seu Ciuiles, siue Ecclesiasticas tractandas accesserint Iudices: Qua de tota re nos egimus fusiùs, vbi de Iuris prudentia loquentes, de Aequitate, quæ est anima legum, disseruimus. Quò & illa damnatio referri potest, quam in Iudices promulgarunt Leo, & Alexander Imperatores his verbis.

NOTA.

Hieronymus ad Paulinum.

In Bibl. Selecta.

Equidem

Extat initio. Harmenop.

Equidem non puto, quemquam eorum, qui iudicandi functionem sunt sortiti, eò veritatis abripi, vt neglectis hoc libro contentis legibus, ausint arbitrari, vel sententias proferre. Sed si quis eò socordiæ fuerit prolapsus, legibus statutam pœnam luet. Si verò nos lateat, non latebit insomnem oculum. Sed & malis imprecationibus id stabilire admodum ex re fore existimaui. Experiatur is sibi hostem Deum, & omnes ei cœlestes potestates aduersentur. Excidat hac vita latenter, & iacturam quoque futuræ faciat. Ignis deuoret fundamenta domus eius: semen eius sit perpetuò infame, & mendicet panem, eò quòd legum libertatem, seruam falsis subiugarit iudicijs. Hactenus illi.

Nunc facit l. vlt. & quæ ibi not. c. de pœna iud. qui male iudicat.

Porrò de Iudicum numero, ordine, imperio, ex Athanasio, vide tabellam septuagesimam in Oeconomia Ederi, libro secundo.

Auctorem autem libri Iudicum alij Samuelem fecerunt, cui item adiecerit Ruth Moabitidis historiam: alij Ezechiam, nonnulli Esdram vtriusque voluminis auctores. continēt autem hi duo Libri successiones annorum trecentorum, ac decem & septem, à morte videlicet Iosue vsque ad primum annū principatus Heli, qui cepit iudicare anno ab Orbe condito secundum supputationem Sixti Senensis 2810.

IVDITH Liber in Veteri Testamento satis est notus, cuius inscriptio designat in primis fortissimum Matronæ honestissimæ facinus, quo ipsa Iudith populum Israelis ab Holofernis persecutione liberauit ann. xiij. Artaxerxis Prisci, qui in Diuino Codice Assuerus, & Nabuchodonosor nominatur.

Iudith autem nominis interpretatio est *Iudæa* hoc est *Laudans*, siue *Confitens Domino*, nō quòd ipsa ex Iudę tribu fuerit (fuit enim ex Tribu Simeon) sed (quod rectè docet Nicolaus Serrarius noster) ex Hebręa radice *Iadah*, idest *Laudare, gratias agere, confiteri*.

Isidor. lib. 6. cap. 2.

Porrò huius libri, (licet Canonici, vt dicemus) dubius est Auctor. Illud certum, Summis Sacerdotibus historiarum istiusmodi scribendarum prouinciam fuisse tradi solitam vt Iosephus, lib. 1. aduersus Appionem ostendit. Quod si Philonis eius quem alibi suppostitium esse ostendimus, Chronologiæ vlla esset habenda ratio, non difficile esset assentire Sixto Senensi, qui adhæret eidem Chronologiæ dicenti. *Iesus Pontificatum primum vsque ad duodecimum annum Assueri Prisci annis triginta sex, Ioachim verò filius eius in absentia annis octo, & Iudith Gesta conscripsit, & anniuersariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit.*

Scriptum autem fuisse hunc Librum Chaldęa lingua Hieronymus Epistola tertia indicat, se autē è Chaldęo Latinum fecisse, sensum è sensu reddens, atque id, ad postulationem Episcoporum Chromatij, atque Heliodori, non (vt habet historia Scholastica) in gratiam Paulæ, & Eustochij, eadem testatur Epistola. Gręcè verò à Septuaginta Interpretibus translatum fuisse non est cur ambigamus, licet diuersa in Gręcis sit huius partitio libri. Qui autem Hebraicè (vt item Tobiæ librum) scripserunt fuisse Constantinopoli non semel excusum, id nescio ad nos peruenisse. Syriacam quidem versionem extitisse apud se, quemadmodum aliorū aliquot Vet. Testamenti librorum, quę essent ante nongentos annos è Gręco in Origenianis Hexaplis polito textu expressa testatus est Andreas Masius.

Iam de auctoritate huius libri, quin Canonicus sit, nulla ratio est, cur dubitetur. Nam librum hunc tamquam Diuinum citat ipsa Nicęna Synodus, atque adeo vniuersę Ecclesiæ auctoritas idem approbauit. Argumenta verò, quæ vel antiquitus, vel hac ętate hæretici huic veritati obiecerunt, soluta sunt ad vnum omnia à pluribus, à Bellarmino Card. potissimum, ac postea à Nicolao Serrario accuratissimè in Prolegomenis sui ad hūc librum Commentarij, qui est eruditissimus, ac verè pius. Quo item plerę que difficultates, quę de hoc Opere solitæ sunt oboriri, omnes complanauit.

Scripserunt in hunc Librum Iudith.

Quicumque in vniuersa Biblia scripsere, de quibus in verbo, Biblia. Quare & Nicolaus Lyranus, & Hugo, & Dionysius Cartusianus, & Emanuel Sà noster, id pręstiterunt. Sed paulò antiquior Rabanus, qui ad Iuditham Ludouici Imperatoris coniugem scripsit Allego-

Allegoricam huius libri expositionem. Tropologicam verò est persecutus Petrus Bertorius, lib. 18. Moralitatum. Nostro tempore Gerardus Lorichius Epitomen, Georgius Ederus in sua Oeconomia Biblica Partitionem; Cornelius Magnanus, Franciscus Feuardentius Homilias ad eundem librum. Nicolaus Serrarius noster plenissimè. Vide in verbo, Nicolaus Serrarius. Iam quę fertur extitisse nescio cuius Iacobi Ziegleri Lādaui in Iudith expositio, nec nomen, neque scripta istius mihi innotuerunt, id scio Iacobum Zieglerum (si idem fuerit) in prima classe librorum prohibitorū in Romano Indice, omnino esse prohibitum, tamquam hęreticum.

IVLIANVS Archiepiscopus Toletanus, discipulus Eugenij Tertij, Quirici autem Toletani Archiepiscopi successor, è Iudęorum genere prognatus, vir perdoctus, & ingenio facili, relatus in numerum Sanctorum, qui sunt in Cęlis (quemadmodum testantur Martyrologia) Obijt Egica Rege Hispaniæ octauo Idus Martij ann. 690. Is, vt habet Felix, qui paucis vitam ipsius scriptam reliquit, *Sedis Carthaginis Prouinciæ Metropolitanus, Vrbis Regiæ Pontifex, quàmplurima de Officijs dulcifluo sono composuit. Era 728. diem vitæ clausit extremum, ac sic in Basilica gloriosissimæ S. Leocadiæ virginis sorte sepulchrali est tumulatus, qui magna totius populi Toletani, cuius erat ciuis, veneratione colitur.* Arnoldus autem Vuion in Ligno Vitę, ait eum antea fuisse Agaliensis Monasterij monachum: sed cum inquiat cognomento dictum esse *Pomerium*, quod quidem ante, & post Tritemium vnà cum ipso plerique docti similitudine nominis decepti cum Pomerio confuderunt, vnum ex his duobus facientes, aut adeo Duos Pomerios Seniorem alterum, alterum iuniorem statuentes, alijs tanquam per manus ansam dederunt erroris. Iulianus enim Pomerius, qui Pœnus fuit, & in Gallia, tantum Doctor Ecclesiasticus (non Episcopus) ducētos annos ante Iulianum Archiepiscopum fuit; quippe Pomerius (vt auctor est Euodius Ticinensis) circa quadringentesimum & nonagesimum annum erat in viuis. Quem item haud semel Iulianus Toletanus Archiepiscopus citat in Prognostico futuri seculi, in opere aduersus Iudęos. Quamobrem quòd in pręfatione Iuliani Diaconi Ecclesiæ Toletanæ ad libros S. Ildefonsi De laudibus S. Mariæ, cognomen idem *Pomerius* habeatur; & in altera Præfatione ad Demonstrationem sextæ ętatis se ipsum nominet Iulianum *Pomerium* Regi Eruigio scribens, id nō tanti est vt illum Pomerium vocemus, qui non fuerit Pomerius. Nam & addi illud verbum ab Amanuensibus potuit communi cum ceteris errore ductis, & in eadem Præfatione cōstat mentionem haberi. Sisberti Archiepiscopi Toletani, qui Iuliano demortuo eidē Ecclesiæ præfuit, vt diuersus ab isto prorsus constituatur. Quæ & dicta sunt, propter id, quod secus hac de re in Bibliothecæ SS. PP. Indice Auctorum est scriptum.

Scripsit autem Iulianus Archiepiscopus Toletanus tres libros De demonstratione ętatis sextæ, contra Iudęos, ad Eruigium Regem: Quorum primo, argumentis è vetere Testamento ductis, sine aliqua supputatione annorum, Christum Dei Filium non nasciturum, sed olim natum, manifestò euincit. Secundo libro per ostensam Apostolorum doctrinā, id curauit efficere; quòd reuelata temporis plenitudo, qua Christus in carne natus apparuit, non in annis à principio Mundi collectis, discipulis Domini, vel ceteris credentibus sit ostensa, sed legis & Prophetarum testimonijs prodita. *Præsertim* (inquit Iulianus) *cum ipsi quoque Iudæi, illo tunc tempore non putantes ipsum esse Christum, imò, verum ipse esset Christus, decertantes cum Christo, numquam ab illis Christo nostro hac obiecta sit quæstio, quam nunc proponit petulans, & rudis inscientiæ amplitudo.* Libro quoque tertio excursus adesse ętatis sextæ conuincitur. Vbi etiam & pręteritæ ætates seculi, quinque non in annis, sed in præfixo generationum limite distinguendæ monstrantur, simulque & illic necessariò perdocetur, vt pro hac diuersitate annorum, quæ inter Hebręos, & nostros Codices inuenitur, nō Hebraicæ trāslationis libri, sed Septuaginta Interpretum codices sint sequendi, quos in fidem, plurimorum auctoritas traxit. Hic etenim tertius liber, non solùm sex ętatum distinctiones lucidius aperit, sed & in sexta ætate Christum natum ostēdit; & cur in sexta ętate nasci voluerit, apertissimè pandit, omnemq; huiusmodi quæstionem de hac annorum supputatione dissoluit. Hæc Iulianus Archiep. Toletanus. Quod autem ad supputationem annorum, quam ipse facit, pertinet, videat Lector, quę ab alijs scripta sunt de varijs Chronologijs, &

Cc Chro-

Chronographijs. Inde enim sunt, qui existimarunt ex inemendatis numeris versionis LXX. Interpretum, mille annos hic numerari plus quam opus est. Ceterum, hos libros ipse Iulianus absoluit ann. Dom. 686. Conone Pont. Max. vt ipse testatur lib. 3. ad finem.

Prĝterea, scripsit ad Idalium Barcinonensem Episcopum, alios totidem libros, quos prę notauit *Prognosticon*, siue De origine humanæ mortis futuro seculo, aut vitæ futurę cõtemplatione: quidquid Isidorus Iuliano Pomerio tribuat.

Præfationem quoque ad S. Ildephonsi librum De laudibus intemeratæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ in die Assumptionis suæ, ei re ipsa apparuit, vestemque dono dedit. Extant hæc opera, Præfatio quidem illa in Tomo nono. Tres autem libri aduersus Iudęos, in Tomo quarto. Prognosticum verò in To. 9. Bibl. SS. PP. Quod & ann. 1565. Duaci fuit excusum in Belgio.

At & Apologeticum misit ad Summum Pont. aduersus Monothelitas, siue Apollinaristas, geminam in Christo Domino negantes esse voluntatem, iudicio Episcoporum, quod Cõstantinopoli fuerat latum, dãnatos. In quo tamen Apologetico, cum Benedictus Pont. Max. quædam notasset, res tota à Sergio Benedicti successore non sine laude Iuliani, declarata fuit. Vide Rodericum in Hispana historia, Garsiam Loaysam in Notis ad Concil. XV. Toletanum, in quo ea de re pręside Iuliano eodem actum est. Ioannem item Marianam nostrum, lib. 6. de rebus Hispaniæ c. 6. & 7.

IVLIANVS, alijs Iulius Britannus I.V. C. scripsit Librum ad Tertium Decretalium. Ioannes Lelandus. De probationibus item c. post cessionem.

IVLIANVS Brixiensis, Carmelita, Congregationis Italicę, Ord. sui Vicarius, quędam fertur scripsisse Theologica, quorum Inscriptionis haud fit mentio, Orationesque, & duos Epistolarum libros. Viuebat ann. 1466. Arnold. Bostius.

IVLIANVS Cardinalis S. Angeli, scripsit De Processione Spiritus sancti aduersus Græcos, de quo in Synodo Basileensi aliqua.

IVLIANVS Cassianus hæresiarcha Docitarum cum à Clemente Alexandrino, lib. 3. Stromatum citetur in libro De continentia, & castitate, eadem hic quoque de caussa affertur, vt sciatur, vnde eiusmodi errores, siue hæreses possint euerti.

IVLIANVS Celanensis Episc. Pelagianæ sectæ pręcipuus assertor, nullum hic mereretur tãquam hæreticus, locum. At quoniam Gennadius eũ in Catalogo ponit, Capuanũ, siue (vt alij codices habent) Campanum incautè illum laudans, D. autẽ Aug. egregiè ipsius hæresim euertit, hoc loco ponitur, vt qui nouerint Iuliani Pelagiani venenũ, simul item Augustini noscant Antidotum. Vide Sixtum Sen. lib. 6. Bibl. S. Annotatione 236. qui aduersus eundem Iulianum tuetur D. Io. Chrysost. de Peccato originis loquentem.

IVLIANVS Fresneau, Gallus, Ord. Pręd. Theologus, scripsit aduersus Petrum Martyrem hæreticum. Obijt autem vir doctus, & probus in Gallijs, Henrico tertio Rege.

IVLIANVS Pomerius, quem omnino distinguendũ esse à Iuliano Archiepiscopo Toletano diximus, in verbo, *Iulianus Archiepiscopus*, quem itẽ Penum, siue, vt Gennadius loquitur, *Maurum*, scripsit, (vt in Catalogis habent Isidorus, ac post hunc Gennadius) octo lib. De animæ natura in dialogi morem: quorum primus cõtinet, Quid sit anima, vel qualiter credatur ad imaginem Dei facta. In secundo loquitur: vtrum anima corporea sit, an incorporea. In tertio differit, vnde primò homini sit anima facta. In quarto, vtrum noua anima sine peccato fiat, ac peccatum primi hominis ex illo propagata originaliter trahat. In quinto describit, quæ sit facultas animæ. In sexto loquitur, vnde sit ea discordia, quã carni spiritus, vel caro spiritui aduersatur. In septimo autem describit, de differentia vitarũ, ac mortiũ, vel resurrectione carnis, & animę, siue de morte carnis, ac de eius resurrectione. In octauo loquitur de his, quæ in fine mundi futura sunt: vel De Quæstionibus, quæ solent de resurrectione proponi, siue de finibus bonorum ac malorum. Condidit etiam vnum libellum de Virginibus instituendis: alios quoque tres Prognosticos De futurę vitæ contemplatione, vel actuali conuersatione, necnon etiam de vitijs atque virtutibus. hæc Isidorus. Sed deceptum opinor, quandoquidem libros Prognosticos De futuræ vitæ contemplatione ostendimus Iuliano Archiepiscopo Toletano rectius ascriptos.

IV-

IVLIANVS Salentinus Siculus, Ordinis D. Augustini Magister Generalis vigesimus sextus, cum ab Ambrosio Coriolano plures peperisse Commentarios scribatur, quorum omnium Inscriptiones haud memorat, vir autem doctissimus fuerit, non dubito, quin plera que ad Theologiam spectantia conscripserit, quæ sancti illius Ordinis amantes Filij curabunt in lucem proferre. Scripsit autem, quod attinet ad Philosophica, Librum De sensu composito. Alterum De medio demonstrationis. Alium De Regulis Sophismatum. Viuebat ann. 1430.

IVLIANVS Taboetius I. C. quæ scripsit De quadruplici Monarchiæ primis Auctoribus, & Magistratibus in Miscellaneo Diuini, & Humani Iuris corpore dispersis, prohibitus est in Romano Indice. Topicam autem Methodum, scripsit Diuini Iuris in Disciplinam, & Enchiridium contracti. Methodicas Paraphrases Christianis Aphorismis instructas in decem Moysis Oracula. De Republica, & lingua Francica, & Gothica, Deque diuersis Gallorum Ordinibus. Quæ omnia licet in Romano Indice prohibita non legantur, est tamen, quod circumspectè legenda sint, ne quid errorum in ijs lateat. Ea verò excusa fuerunt Lugduni, apud Theobaldum Paganum, ann. 1559. cum antea, hoc est an. 1541. alterũ istius Auctoris Opus inscriptũ *Actiones Forenses*, ibid. editũ fuisset apud Gryphium.

IVLIANVS Teutonicus, Ord. Minorum, quem claruisse miraculis scribit Henricus Vuillot, quique Parisijs obijt, Mensuras, & Modos Cantus ad Diuinas laudes decantandas composuit.

IVLIVS Africanus (vt inquit Hieronymus in Catalogo) cuius quinque extant De tẽporibus Volumina, sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, legationem pro instauratione Vrbis Emmaus suscepit, quæ postea *Nicopolis* appellata est: Huius est Epistola ad Origenem super Quæstione Susannæ, eò quòd dicat in Hebręo hanc fabulam non haberi, nec conuenire cum Hebraica etymologia ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, contra quem doctam Epistolam scripsit Origenes. Extat eius ad Aristidem altera Epistola, in qua super διαφωνία, quæ videtur esse in Genealogia Saluatoris apud Matthæum, & Lucam plenissimè disputat. Viuebat ann. 220. Tritemius.

At Photius in sua Gręca Bibliotheca, cum scribat se eosdem quinque libros, qui Græcè fuere conscripti, legisse, inquit Africanum quidem esse concisum, ac breuem, at nihil omittere eorum, quę sint necessaria. Incipere autem à Moysaica Cosmogenia, hoc est à Mundi Genesi, quemadmodum Moyses fecit, desinere autem in Christi Domini Aduentum. Quin & summatim ἐπιτροχάδην, siue *obiter* repetere, quæ à Christi tempore vsque ad Macrinum Romanorum Imperatorem contigerunt. Porrò quia non eramus assecuti Epistolam ipsius Africani Gręcam ad Origenem, & Origenis ad Africanum Epistolę fragmentũ, qua illi ad interrogata de Susanna respondebat, edidere primum Augustani ex m.ss. Andreę Scoti nostri, atque adeo fragmentum alterum de eadem Susanna Io. Chrysostomi ex Augustano codice, quę vnà cum Gręca Adriani Isagoge Sacrarum litterarum, & antiquissimorum Gręcorum in Prophetas fragmentis prodierunt Augustæ ann. 1602. Incipit autẽ Africani Epistola. χαῖρε κύριε μου καὶ υἱὲ, καὶ πάντα τιμιώτατε ὠρίγενες παρὰ Ἀφρικανοῦ, hoc est. *Salue Domine mi, & fili, & in omnibus honoratissimè Origenes ab Africano*. Iam verò quod ad ipsam pertinet de Susanna quæstionem, cum plures eam expenderint, tum Benedictus Pererius noster in suis ad Danielem Commentarijs accuratè, atque perspicuè tractauit. Tritemius autem addit Africanum prętcr superiora scripsisse De Sancta Trinitate. De Circuncisione. De Attalo. De Paschate. De Sabbatho, & alia pleraque, quę ipse non viderit. Qui verò Abdię Babylonij De Historia certaminis Apostolici, siue de Vitis Apostolorum libri decem Iulio Africano interprete emissi sunt Basilęę Opera Vuolfgangi Lazij ab Oporino ann. 1551. nec fieri potest, vt Africanus eas Latinè, Gręcus videlicet Scriptor, reddiderit; & verò eius Abdię libros, vt indignos, qui legantur, fuisse habitos à Paulo Quarto Pont. Max. diximus in verbo, *Abdias Babylonis Episcopus*.

Σύντομος ὁ Ἀφρικανός.

IVLIVS Cæsar Albicantius, Mediolanensis, Monachus, ac deinceps Abbas Oliuetanus, Duos scripsit, atque edidit Italicè libros. Quorum alter Exercitia Spiritualia: Alter De Christi Domini Mansuetudine inscripti sunt. Is autem nostra ętate viuebat.

Ivlivs Cæsar Capacius; Sermones Quadragesimales abs se habitos euulgauit anno 1584. Venetijs apud Zoppinum Typographum. Syluam autem Conceptuum Spiritualium bipertitam, ibidem Italicè apud Sebastianum Combium, ann. 1600.

Ivlivs Cæsar Scaliger, Veronensis, qui nostra ætate viuens, obijt in Gallijs, summi Vir ingenij, cum plura ediderit Philosophus, Medicus, Poeta insignis: Quorum & in Poetica, qui est decimusseptimus liber nostræ Bibliothecę Selectæ, & alibi meminimus, librum Epigrammatum, atque Poematum Sacrorum in honorem Cęlitum scripsit, & edidit. At deinde hic ipse liber suppressus est ab hęreticis Geneuensibus, siue Caluinianis, & ab his ipsis varia eius Poemata, alioquin pura, fuere varijs errorum labibus inquinata: quin etiam carmina quædam integra, quę Iulius Cęsar Scaliger non scripserat, intermixta: quæ ideo, (sicuti etiam Commentarij illius in Theophrastum) prohibita sunt in Romano Indice, donec emendentur.

Ivlivs Cęsar Valentinus, Neapolitanus Carpineti in Gallia Cisalpina Parochus ex Hispano in linguā Italicam vertit Nicolai Diaz, Ord. Prędicatorum, Prouinciæ Lusitanæ Tractatum vberem, atque vtilem De Iudicio vniuersali, & finali: Quo in Opere, præter alia, describuntur, Infernus, Purgatorium, Paradisus, Pęna Inferorum, Gloria Cæli, Aduentus Messiæ, Aduentus Antichristi. Venetijs apud Io. Baptistam Ciottum, an. 1597. Vertit etiam volumen inscriptum Flos SS. & libellum inscriptum Consiliarius apud Minimam Societatem, & alia nonnulla.

Ivlivs, siue Ioannes Caluus de Alberto, scripsit, atque emisit perutilem examinandis, & examinatoribus Librum, quem prenotauit, *Synaxis cura animarum ex Doctrina Sancti Thomæ Aquinatis*. Romæ primò apud Aloysium Zannettum, ann. 1600. deinde & Venetijs apud Paulum Meiettum eodem anno. Eum igitur vti perutilem suaserim lubens, vt omnes, quibus incumbit animarum cura perlegant, siue enim doctiores fuerint hi, recolent, quę ex tanto Doctore hauserunt, siue qui interioribus Theologiæ studijs non vacauerint, facile ac tuto cognoscent, quę ad eorum officium in hoc negocio pertinent. Porrò hic est idem ipse, qui etiam Io. Caluus, scriptus est.

Ivlivs Corrigiensis, siue è *Corrigio*, Ordin. Minorum, Commentarium ad Symbolum Apostolicum, & Dialogum De Sacramento Altaris composuit.

Ivlivs Fatius, Neapolitanus, Theologus Societatis Iesu, Librum perutilem Italicè scripsit De Mortificatione perturbationum, siue Passionum, & prauarum affectuum. Qui primum in Sicilia, mox alibi, atque Venetijs, demum & Latinè conuersus Ingolstadij apud Adamum Sartorium, atque alibi, sed & in Latinum versus, in Germania prodijt.

Ivlivs Firmicus Maternus, scripsit Librum De mysterijs, & erroribus profanarum Religionum, ad Constantinum, & Constantem Augustos. Hic verò ille non est, qui eadem ętate (nempe Magni Constantini filijs Impp.) florebat Iulius Firmius Maternus iunior, Siculus, Mathematicus, Genethliacus, cuius extant Opera: sed alter paullò senior, quàm ille; Quem tamen eiusdem gentis fuisse, verisimile est. Liber autem incipit, *Quod in fabricatione hominis artifex effecit*. Absoluitur verò capitibus triginta: in quibus profanæ Religionis, & rituum gentilium vanitatem egregiè retegit, vt Imperatores adducat ad Idololatras puniendos.

Ceterum cum secreta Græcorum mysteria templi cuiusdam aperiat, quod est in capite vndeuigesimo, inquit, *In quodam templo, vt in interiores partes homo moriturus possit admitti, dicit, de tympano manducaui, de Cymbalo bibi, & religionis secreta perdidici, quod Græco Sermone dicitur ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα. Malè miser homo de admisso facinore confiteris; pestiferum veneris virus hausisti, & nefario furoris instinctu lethale poculum lambis: cibum istum mors sequitur semper, & pœna æterna. Hoc quid tibi bibisse te prædicas, vitalem venam stringis in mortem; sedes animæ continuata malorum te continuatione conturbat. Alius est cibus, qui salutem largitur, & vitam: Alius est cibus, qui languentes releuat, errantes reuocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia: Christi panem, Christi poculum quære, vt terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur*. Hæc ille.

Quæ

Quæ volui hic inserere, vt ex alijs symbolis, quæ ipse ponit, intelligatur, quanti faciendus sit iste Auctor; mirificè enim insidias Satanæ perstringit, & retegit; dum quæ Religio Catholica, & Diuina Scriptura sanctissimè de Christo vero lumine & petra, & signo Crucis, & Vnctione, ac Resurrectione tractat, is ipse Satanas eadem in sui cultum insidiosissimè detorserat. Omnino autem existimo, libellum hunc vtilissimum ijs, qui inter Indos, ac reliquos Gentiles, ob Christi caussam, versaturi sunt. Quem item non sine caussa Ioannes Maldonatus noster in cap. 16. Lucæ versu 23. versus medium, Auctorem cum primis grauem appellat, licet non probet, quòd videatur existimare eos, qui in Inferno sunt, ab ijs, qui sunt in Cœlo aquã petere, ac post vltimam Resurrectionem petituros. Extat in To. 4. Bibl. Sanctorum Patrum.

IVLIVS Fulcus eorum qui vel eleemosynas erogauerunt admirabiles fructus, vel de eleemosyna scripserunt insignes sententias in vnum collegit, qui Romæ cusus est apud Victorium Elianum, ann. 1574. deinde item ann. 1581. versus Italicè, atque Venetijs recusus. Obijt Romæ plenus bonorum operum, atque in Aede nostra humatus est, quæ Nomini Iesu dicata est, quamque ille ædificandam obnixè curauit, dum Alexandri Card. Farnesij, apud quem erat, liberalitate ad bene de Ecclesia Christi Domini, ac de Societate nostra merendum & hac in re, & in alijs plerisque vteretur.

IVLIVS Gabrielius, nobilis Eugubinus, qui ante aliquot annos ex hac vita decessit, mihi sanè valde cognitus, & peramicus è Græco Latinè reddidit Gregorij Nazianzeni tres Orationes, Nimirum, Apologeticum. De amore erga Pauperes. & in Natalem diem Saluatoris nostri, additis ad easdem Scholijs, & emendationibus ad omnia, quæ Græcè extant ipsius Theologi scripta, Hæc verò Plantinus excudit Antuerpiæ, anno 1573. Epistolam porrò de rebus Indicis à Sacerdote Societatis Iesu, De rebus Indicis Italicè scriptam conuertit in Latinum, & Venetijs emisit. At reliqua huc non spectant, nisi quod ad declinandas fortassis aliquas hæreticorum versiones, quadantenus facere possunt. Xenophontis enim De Cyri vita, & Disciplina libros octo Latinos è Græcò fecit, & additis emendationibus ex vetustis exemplaribus, emisit Venetijs ann. 1569. Libros item duos Orationum, & Epistolarum partim suo, partim aliorum nomine scriptarum.

IVLIVS Hilario. Vide in verbo, Quintus Iulius Hilario.

IVLIVS Papa eius nominis Primus, Romanus, Patre Rustico, ac trigesimussextus inter Pontifices Maximos, vir magni, & animi, & in tutanda Catholica religione intrepidi, quippe cuius tempore Ariani, Ecclesiam Christi, qua per Principes ab ijs deceptos, quà per alios impostores, improbosque Episcopos, siue potius pseudoepiscopos mirificè vexabant, scripsit plura, qualia decebat eum, qui plus quindecim annis clauum Ecclesiæ tenuit vniuersæ.

Extant eius Decreta, quę cum aliorum Pontificum Decretis prodiere Colonię, ac deinceps alibi, vbi pręcipuè Concilia fuerunt excusa: de quibus vide in verbo, *Concilia*. Extat item Epistola, qua Orientales increpat tum ob Athanasium, tum ob alia, quę aduersus Romanam Ecclesiam moliebantur identidem. Pręterea Rescriptum ad Orientales pro Athanasio, & ceteris Catholicis. At quę à Gennadio dicitur Epistola fuisse Iulij Papę *De Incarnatione Domini* ad Dionysium quemdam scripta; non esse Iulij, sed Apollinaris hęretici pluribus demonstratur à Baronio Cardinali Tomo 3. ex quo reliqua eius Pontificis Acta quilibet cognoscere poterit.

IVLIVS Pflug, Numbergẽsis, in Germania Episcopus, scripsit aduersus Lutherum, & Librum De Institutione Hominis Christiani. Epistolas ad Iacobum Sadoletum, & Erasmum. Librum De Republica Christiana, siue De Imperio constituendo. Antuerpię, & Coloniæ ann. 1562. Viuebat ann. 1547.

IVLIVS Pogianus S. Ioannis Chrysostomi, Librum De virginitate è Gręco bene Latinum reddidit. Quam versionem Plantinus Antuerpiæ protulit in lucem. feruntur autem eius Lectiones Historicæ Breuiarij Romani sub Pio V. Pontif. Max. Eius etiam Styli opus est vltimum caput Rom. Catechismi.

IVLIVS Rogerius, Protonotarius, & Secretarius Apostolicus, Abbas Lamula-

rum, & Theologus, qui nostra vixit ætate, quique in Polonia legatione apud eum Regem est functus pro Sancta Apostolica Sede. Scripsit

I. Opusculum de Libris Canonicis. In quo (ut eius ipsius dictis utar) singula Verbi Dei Volumina recensentur, & ex Ecclesiæ canone diiudicantur, atque illorum traditio, ad Apostolica usque tempora reuocata Patrum testimonijs, & Ecclesiæ consuetudine aperte dilucidatur. Ad illa prætera omnia, quæ singulis obiecta sunt, abunde respondetur. Tandem verò quæ sit ipsorum germana lectio, & in aliam linguam probata translatio accurate explicatur.

II. Opusculum De sensibus Scripturæ Sacræ. In quo sensus plures Diuinis Scripturis contineri demonstratur. Quorum singulæ species, naturæ, & vires explicantur; atque illarum tum mutuæ coniunctiones, tum variæ dissimilitudines ipsarum collatione ostenduntur. Quis denique sensus in Ecclesia sit, & quo sensu Scriptura ipsa demonstret, declaratur.

III. Opusculum De auditore Theologiæ. In quo notæ, & conditiones omnes tradun tur, quibus auditor Theologiæ diiudicari, & à cæteris internosci debeat.

IIII. Opuscum De Quæstionibus. In quo examinatur, an quærere, & disputando aliquid inuestigare Theologo liceat, expediatque, & quando, & quomodo, & quibus de rebus.

V. Opusculum De Rhetorica facultate. In quo Rhetoricæ quis vsus sit Theologo opportunus explicatur. Venetijs apud Franciscum Zilettum, ann. 1581.

IVLIVS Sirenius, Brixianus, & Hieronymiani Ord. Philosophus, atque Theologus nostra ætate Libros nouem edidit de fato, in quibus inter alia egit De Contingentia, Necessitate, Prouidentia, & Præscientia Diuina, Prophetia, & Diuinatione tam secundum Philosophorum opinionem, quàm secundum Catholicorum Theologorum sententiam. Quæ omnia breuibus Periochis præfixis Hieronymus Magius Anglariensis ob oculos posuit. Hi libri à Iordano Ziletto emissi sunt Venetijs anno 1563. Scripsit autem idem Sirenius separatim De Libero arbitrio, De Prædestinatione, ac Reprobatione. Qui duo libri prodiere Venetijs ex Officina Dominici Guerræi ann. 1580. Quo eodem anno Bononiæ exierunt Tres alij ipsius libri De vnitate Angelicæ naturæ. Cum etiam ibidem antea, hoc est anno 1546. prodijsset Disputatio De subiecto primæ Philosophiæ ad Doctrinam Aristotelis pertractata.

IVNILIVS Episcopus Africanus, ad Primasium Episcopum Vicensem, Afrum, scripsit Librum De partibus Diuinæ legis, qui extat in primo Tomo Bibliothecæ SS. PP. secundo editæ à Margarino Bignæo. Nam qui alter sub nomine Iunilij Commentariolus in prima capita Geneseos prodierat in prima eiusdem Bibliothecæ editione, non est Iunilij, sed Bedæ ascribitur, & inter eius Opera reperitur. Videlicet fragmenta ex Gregorij Magni Moralibus huic Commentariolo inserta, arguunt illud non esse Iunilij, qui Gregorium præcessit annis fermè ducentis. Explanationem quidem in Genesim hortante eodem Primasio Iunilium collegisse ad vtilitatem simplicium scimus, At ea, quod sciam, non extat.

IVO Carnotensis Episcopus, Gallus, quem Beatum appellant, quique antea fuerat Prior, siue Præpositus Ecclesiæ S. Quintini Bellouacensis, & Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini, scripsit ad Haimericum, siue Emericum Abbatem * Aquitinensem De Corpore Domini; *Vtrum in Cœna Domini datum sit discipulis passibile, cum illud nos sumamus impassibile.* Extat in Tomo 3. Bibl. SS. Patrum.

* Forte, Aquicinctensem.

Opus item, siue Volumen Decretorum, quod *Pannomiam* inscripsit, hoc est, quod omnes complectitur Leges, quodque Græcæ linguæ inscietes *Panormiam* scribunt. Id autem cum ann. 1499. Basileæ prodijsset, apparuit denique ann. 1561. ex Officina Louaniensi Bartholomæi Grauij septem ac decem Tomis comprehẽsum, opera Ioannis Molinæi Gandensis, & Regij Decretorum Louanij Professoris. Sanè verò ipse Iuo post Burchardum Vormatiensem Episcopum Librum hunc Decretorũ confecit ante quadringentos annos, quare & apud Iurisconsultos ante Gratiani tempora erat in vsu.

De

De Diuinis Ecclesiæ Officijs, & Ministerijs, Coloniæ anni. 1568. cum alijs eiusdem argumenti Scriptoribus.

Epistolam ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum, *non multam (ait in Catalogo Sigebertus) prolixam, sed multum Canonicis, & Catholicis testimonijs auctorizatam*. Sic ille.

Librum De determinandis Patrum Decretis, & Epistolas de Quæstionibus Theologiæ, ac Iuris, quæ Viennæ Austriæ extabant apud Vuolfgangum Lazium.

Porrò Historiam cessionis illius, qua se Iuo abdicauit Sacerdotio, siue Præpositura, quã in Ecclesia S. Quintini tenuerat, plura sunt in eius Epistolis 17. 22. 107. ad Fulconem Bellouacensem 176. & 208. ad Galfridum Bellouacensem, & 159. ad Philippum Trecensium Episcopum. Claruit (inquit Trit.) ann. 1090. cui sæpè, dum Sacrificium Corporis Christi offerret, micare igneus globus è capite visus est.

IVONIS Abbatis Cluniacensis Historia figuralis, extat m. s. in Bibliotheca Monasterij S. Galli in Heluetia.

IVS CANONICVM, siue Pontificium. Quinam tractauerint, ac quibusnam Codicibus purgatioribus contineatur, diximus in hoc Apparatu in verbis, *Canones Apostolici, Decretum, Glossa, Gratianus, Gregorius XIII. Pont. Max. Hincmarus, Getbertus*, & alibi. Quin & ad finem tertijdecimi de Iurisprudentia Libri Selectæ nostræ Bibliothecæ, editæ Venetijs ann. 1603. (nam Romana editio ipsius Bibliothecæ hæc quę dicemus, non habebat) Indicem adiecimus plurium Interpretum, qui ad vtrumque Ius scripserunt. Quamobrem & inde seligi possunt, quos præcipuè hic Apparatus saniores ostendit.

Iam è Textibus Canonicis, qui iussu Gregorij XIII. Pont. Max. expurgatis, & Glossis, Notationibus, Citationibus, ac Indicibus illustrati fuerunt, incurrunt in oculos, quæcumque ad Corpus Iuris Canonici pertinent: Quorum propterea diuisionem in septem Tomos (licet in quattuor Voluminibus compingi soleant,) hic vide.

Tomo Primo.

Decretum Gratiani in tres partes diuiditur. Pars autem prima in centum & vnam distinctiones, quarum vnaquæque in Capita distinguitur.

Pars altera de caussis diuiditur in caussas 36. Quarum vnaquæque in Quæstiones distinguitur. Harum verò quælibet in Capita, sed pars ista secunda duodecim caussas complectitur.

Tomo Secundo.

Decreti partis secundæ pars reliqua à 13. caussa ad 86. & vltimam vsque cęteras comprehendit. Sed post caussam 33. inseruntur Distinctiones septem De pœnit. deinde reuertitur ad caussam 34.

Pars tertia De Consecratione in distinctiones quinque diuisa. harum verò quælibet in cap. Additi verò sunt Canones Pœnitentiales ad pœnas delinquentibus imponendas, & Ecclesiasticis perutiles. Canones item Apostolici per Clementem Episcopum à Petro Apostolo Romę ordinatum in vnum congesti.

Margarita, siue Tabula Decreti locupletissima.

Tomo Tertio.

Decretales Constitutionum, siue Epistolarum sunt Greg. IX. Patria Anagnini, ex familia Comitum, qui ann. 1227. creatus est Pont. Max. Has Decretales, & alias suorum Prædecessorum varias Constitutiones, & Epistolas à Fratre Raymundo de Pennaforti Ordin. Prędicatorum Magistro Generali, deinde eiusdem Papę Capellano, & Pœnitentiario in Sanctorum numerum à Clem. VIII. Pont. Max. relato collectas in vnum Volumen redigendas Gregorius idem curauit.

Decretalibus hisce Glossæ eruditissimæ adiectę sunt à Bernardo Botono Parmensi, & Canonico Bononiensi.

Decre-

Decretales istæ diuiduntur in libros quinque, & vnusquisque in titulos, & capita.
Adduntur autem Arbores consanguinitatis, & affinitatis.
Declaratio in arborem affinitatis. Tabula Bologníni.
Margarita Decretalium locupletissima, flosculos omnes Decretalium complectens.
Repertorium item verborum.

Tomo Quarto.

Sextus Liber Decretalium Bonifacij VIII. Anagnini, è familia Caietana, qui anno 1294. creatus Pontif. Max. Decretales Epistolas suorum Prędecessorum per Gulielmum Archiepiscopum Ebredunensem, & Berengarium Episcopum Biterrensem, & magistrum Richardum Senensem S. R. E. Vicecancellarium redigendas curauit. Additis eiusdem Bonifacij Decretis quibusdam, & alijs quinque Greg. IX. Hinc librum ipsum tanquam quinto Decretalium Greg. IX. annexum Sextum nuncupandum mandauit.
Sextus iste in quinque diuiditur libros, quorũ vnusquisq; in titulos, & capita distinguitur.
Huic adiectæ sunt Gloss ę Io. Andreæ Bononiensis, & hoc signo [ ] notatæ.
Regulæ Iuris 86.
Regulæ Iuris Cęsarei, ex quibus maiori ex parte Regulę Pontificij iuris sunt desumptę.
Arbores consanguinitatis, & affinitatis, earumque declarationes.
Tabula Titulorum, & Capitum.

Tomo Quinto.

Clementinę Constitutiones à Clemente V. natione Gallo, Prouincię Vasconię siue Aquitaniæ, Diœceseos Burdigalensis, editæ sunt. Hic ann. 1305. Pont. Max. creatus, nõ modo in Concilio Viennensi, sed etiam ante, & post ipsum Concilium eas edidit; verum cum assidua occupatione, & morte pręuentus diuulgare non potuisset, Ioannes XXII. eius successor promulgauit.
Clementinæ omnes in quinque diuiduntur libros, & vnusquisque in Titulos, & Capita distinguitur.
His adiectæ sunt glossæ Ioan. Andreæ Bononiensis.
Arbor de Iurepatronatus, & declaratio.
Tabula Titulorum, & Capitum, & Apostillæ declarantes titulos.

Tomo Sexto.

Extrauagantes Constitutiones, siue Decretales Ioannis XXII. natione Galli, Patria Cadurcensi, ex Prouincia Aquitaniæ, qui ann. 1316. Pont. Max. creatus est.
Extrauagantes diuiduntur in Titulos, & Capita.
Tabula extrauagantium, & vtilitas.

Tomo Septimo.

Extrauagantes communes aliorum Pontificum post Sextum, in Titulos, & Capita diuisæ sunt cum Glossis.
Index in Sextum, in Clementinas, & in Extrauagantes.
Porrò cum Franciscus Gratianus, (de quo vide suo loco) hortatu eiusdem Gregorij XIII. Pont. Maximi Compendium Iuris Canonici ediderit in septem partes tributum, eædem partes adhuc liquidjus illico subijciunt oculis vniuersum Iuris Canonici Corpus. Agitur enim
In prima De iure: de iure, inquam, humano, traditionibus Apostolicis: Sacrosanctis Cõcilijs: Sacramentis Ecclesiæ: ritibus Ecclesiasticis, ac Sede Apostolica.
In II. De personis Ecclesiasticis, officio Pręlatorum, & Sacerdotum: vita & honestate Clericorum. Denique de officijs Principum & cęterorum erga Pręlatos.
In III. De rebus Ecclesiæ & immunitate Ecclesiarum.
In IIII. De foro Iudiciali, & ordine Iudiciorum.

In

In V. De Matrimonialibus causis.
In VI. De Iudicijs pœnalibus, & censuris Ecclesiasticis.
In VII. De foro pœnitentiæ, & conscientiæ.

Quòd si cui libeat ex Institutionibus Canonici Iuris Ioannis Pauli Lancelloti Perusini similia petere, eas perlegat, quæ Romæ secundo prodierunt ann. 1583. cum Interpretationibus, & Glossis. Sunt enim vberiores, quàm primæ, multamque afferunt lucem, ad id, quod agimus, assequendum.

Mitto Boetium Eponem, Petrum Gregorium, Freymonium, & eiusmodi alios; nam de ijs, quæ satis sunt, ac tamen huc faciunt, in eorum vniuscuiusque verbo scripsimus. Quibus addi potest non inutilis labor, quem Ioannes Vanquel Coloniensis I.V.C. concinnauit. Quique editus prænotatus est, *Breuiarium Sexti, & Clementinarum, Textus, Glossas, & Doctores etiam super hæc scribentes breuiusculis conclusionibus miro collectis artificio succinctè complectens*. Parisijs apud B. Rambold.

Scio autem extare Iuris Græco Romani tam Canonici, quàm Ciuilis Tomos duos, qui Francofurti ann. 1596. Græcè, ac Latinè simul prodierunt, in quibus comprehenduntur præter Chronologiam non omnino sanam (quædam enim ipsis inserta sunt, quæ meritò S. Apostolica Sedes explosit) Constantini Harmenopuli Epitome Diuinorum, Sacrorumque Canonum.

Sacri Canones in Compendium redacti, in quibus quoniam intexti sunt quidam è reprobatis Synodis, quemadmodum Trullano, siue quę Balsamon nominat Quinisextam, & alijs; additæ verò sunt ad quosdam eorum Notæ Ioannis Leunclauij, cuius Scripta omnia inter Scriptores primæ Classis in Romano Indice prohibita sunt, ideo purganda omnino essent.

Constitutiones, siue Nouellæ Imperatoriæ De rebus, & Priuilegijs, & Quæstionibus Ecclesiasticis.

Sententiæ Synodales, & Sanctiones Pontificiæ Archiepiscoporum, & Patriarcharum Constantinopolis, quas antea Enimundus Bonęfidius euulgauerat, collectæ cum m.ss. codicibus, & emendatæ. At & in his nonnulla, quæ manarunt à schismaticis, inserta sunt.

Responsa; Epistolæ, & Sententiæ aliorum Episcoporum, Sanctorumque Patrum. Verum enimverò, qui vocantur Sancti hic Patres, non omnes dicendi sunt tales. Extat inter alias huic operi inserta longa Demetrij Chomateni Archiepiscopi Bulgariæ Epistola, siue Responsio ad Constantinum Cabasilam, quemadmodum & adhunc ipsum altera Ioannis Episcopi Citri, quæ varia continent, quę sapiunt schisma, præter blasphemum illum errorem de Processione Spiritus Sancti à solo Patre. Idem de plerisque Responsis dici potest. In quibus colligēdis mirum est, quàm Leunclauius, quique post eius mortem collectanea ista emitti curauit in lucem, sibi placuerint; cum & quibus in rebus Ecclesiæ antiquissima hierarchia, ordinationes Sacræ, Sacrificium Altaris sæpissimè citantur, hęc omnia ab ijsdē fuerint ablegata è Germanis hęreticis ciuitatibus; & verò quæ in dubiū vocata sunt à schismaticis, eorum solutio à sexcentis Catholicis Theologis, atque è Summis Casuum Conscientię, qui post tot sęcula, quorum filia est veritas, scripserunt; petenda sint potius, quàm è quisquilijs schismaticorum.

Theodori Balsamonis Patriarchæ Antiocheni Meditata, siue Responsa, de quo Balsamone cum in eodem salo hæserit, in quo reliqui recentiores Orientales hęserunt, vide quę scripsimus in verbo, Theodorus Balsamon.

Matthęi Monachi Quæstiones, & caussę Matrimoniales. At & qui hasce contulerit cum ijs, quę sanctè decreta sunt in Synodo Tridentina Oecumenica, nubem errorum in eodem Matthæo videbit: vt mittam, quę de Sacerdotum matrimonio loquatur, quod Ecclesia Catholica (vt decet) constantissimè respuit.

Michaelis Chumni De gradibus affinitatis, qui eiusdem farinæ est cum reliquis.

Iustiniani edictum De fide Orthodoxa.

Constantini Harmenopuli liber de sectis, siue hæresibus, cui adtextum est Concilium iniquum, quod contra D. Ioannem Chrysostomum coactum est. Additę item Epistolæ,

quas

quas Innocentius I. Pont. Max. & Honorius pro Chrysostomo ad Arcadium Imper. scripserunt, quamve Innocentio rescripsit Arcadius purgans, siue excusans se de ijs, quæ aduersus Sanctum illum Patrem fuere commissa. Et hęc quidem Primus Tomus.

At Secundus Ius Ciuile Gręcorum continet ea, quorum Inscriptiones hæ sunt:

Michaelis Attaliatæ Proconsulis, & Iudicis Opus de iure, siue Pragmatica Michaelis Ducæ Imp. iussu facta.

Delectus legum Compendiarius, & correctio iuris antiqui ad id, quod ęquius melius per Imperatores Basilium, Leonem, Alexandrum, & Constantinum AA. cum præfatione eorum, publicata circa annum Christi 838.

Nouellarum Augustalium liber De rebus Ciuilibus, & Iudiciatijs habet Nouellas Basilij Macedonis, Constantini Porphyrogenetæ, Alexij Comneni, Manuelis Comneni.

Responsi veteris formulæ ex iure De nudis pactis.

Testandi formula vetusta, qua Gregorij Nazianzeni testamentum continetur.

Eustathij Antecessoris liber De temporalibus interuallis à momento vsque ad 100. annos.

Leges militares Ruffi. Leges Colonariæ.

Leges nauales Rhodiorum, quas tres legum collectiones Constantinus Harmenopulus fecisse videtur, quòd eius scriptis plerumque in m.ss. libris adiectæ inueniantur.

Sixt. Senen. IVSTI, siue Iustorum liber, quem LXX. vbique verterunt βιβλίον τοῦ εὐθοῦς. Hieronymo, siue quisquis fuit auctor Quæstionum super libris Regum, Liber est Samuelis, hoc est Primus, & Secundus Libri Regum, quòd in ijs scribantur gesta Iustorum Samuelis, Dauid, Nathan, Gad, & aliorum Iustorum. Theodoretus Cyrensis Episcopus in Quæstionibus in Iesum Naue asserit hunc esse vetustissimum Commentarium, ex quo historia libri Iosue ab incerto Auctore per compendium collecta fuerit. Vide Iosue c. 17. & lib. secundum Regum c. 1. & in verbo, Regum Libri.

IVSTIFICATIO, quæ à Iustitia sedem habente in corde nomen habet, & quam quidem Deus in nobis facit, cum iustificat impium, & cuius iustitiæ indicantur causę in sessione 6. cap. 7. Tridentini Concilij cum Scripturis Sanctis plenissimè congruentes, præbuit occasionem ob hæreses Nouatorum nostri Temporis, vt Viri doctissimi, atque Catholici de ipsa Iustificatione peculiaribus Operibus agerent. E quibus sequentes ad manus nostras venerunt.

Albertus Pighius in secunda Controuersia. Alphonsus à Castro, libro contra hæreses. Ambrosius Catharinus Opusculo De Iustificatione, Fide, atque Operibus. Andreas Vega in Opusculo De Iustificatione, & in Explicatione Concilij Tridentini, ne quid dicam de Priscis Scriptoribus, inprimis autem de D. Augustino, cuius hac de re scripta à Hieronymo Torrensi nostro in Methodum collecta cernuntur facili intuitu in Confessione Augustiniana, de qua egimus suo loco in verbo Aurelius Augustinus, & in verbo, Hieronymus Torrensis.

Enchiridion Concilij Coloniensis.

Præterea Didacus, siue Diegus Payua in lib. 6. Orthodoxarum explicationum. Dominicus à Soto in lib. 3. De natura, & gratia.

Fabritius Leodius in Harmonia Confessionis Augustanæ. Franciscus Turrianus De Iustificatione.

Gregorius de Valentia, noster accuratissimè atque perspicuè.

Henricus Helmesius De Iustificatione.

Iacobus Latomus, lib. de Fide, & Operibus. Io. Cochlæus in Discussione Confessionis Augustanę. Io. Driedo in lib. De Captiuitate, & Redemptione humani generis Tract. 4. c. 3. Ioan. à Louanio in libro De Fide speciali. Ioan. Roffensis in Refutatione Articulorum, & Assertionis Lutheri. Iodocus Tiletanus in Apologia pro Concilio Tridentino.

Nicolaus Sanderus, in lib. De Iustificatione.

Petrus à Soto in Instit. Sacerdotum lect. 11. & 12. de Pœnit.

Robertus Card. Bellarm. potissimum, & quidem quàm planissimè lib. 5. De Iustificatione in To. 4. suarum Disputationū. Ruardus Tapper in explicatione Artic. Louaniensium.

Stanislaus

Stanislaus Hosius Card. in Confessione Polonica à cap.61. vsque ad 75. Theodorus Peltanus noster De Iustificatione. Thomas Caietanus De Fide,& Operibus. Thomas Stapletonus in lib. De Iustificatione,& alij.

IVSTINIANVS Imperator Romanorũ, Iustini senioris ex sorore nepos, non solum à Ioanne Tritemio,verum etiam ab alijs censetur inter Scriptores Ecclesiasticos,eò maximè,quòd præter plura,quæ siue in eius legibus,siue in legũ collectionibus tradidit ad Christianam pietatem spectantibus,vindicem se acerrimum hæresum,quæ eius temporibus vigebant,ostendit,atque adeo præbuit,nimirum Porphyrij,Eutychetis,Nestorij,& Arianorum. Id verò, dum pietatem coluit,quod quidem fusius Procopius memorat. Veruntamen cum de probitatis semita deflectẽs,pleraque mala perpetrasset,mentis errore affectus Prasinorum hæreticorum factioni se adiunxit, vt aduersus Orthodoxam fidem edictũ ferre volens,nec tamen valens,miserè interierit,quemadmodum Euagrius,lib.4.historiæ Ecclesiasticæ,cap.29.31.38.39. & 40. Nicephorus item hist. eiusdem Ecclesiasticæ,lib.10. c.29.30.31.tradidere. Nos de illo,eiusque Scriptis planius egimus in 10.11.& sequentibus capitibus lib.13. De Iurisprudentia,qui locum habet in Veneta Editione Secundi Tomi Bibliothecæ nostræ Selectæ. Ibi enim egimus quoque, cur Christianus Imp. interdum ea inseri permiserit in suos libros ad Corpus Ciuile spectantes, quæ Christianæ Religioni aduersantur.

Scripsit autem edictũ De Fide Orthodoxa,quod Græcè edidit, quod & Latinè prodijt. Id ex veteribus Annalibus, qui à nonnullis nominantur Constantinopolitani, Olympiadis trecentesimę trigesimę tertiæ anno primo, Consulatu Basilij vndecimo extat Græcè, & Latinè in duobus Tomis Francofurti ann.1596. editis, de quibus vide supra in verbo, Ius Canonicum, vbi de Iure Græco Romano Canonico, & Ciuili quod cum in Latinam linguam translatum fuisset inter acta Conciliorum fuit insertum,& conseruatum.

Obseruauit autem Ant. Contius Quintam, & Sextam Constitutionem in Nomocan. tit.1.c.1.de Theologia,& Orthodoxa fide, Edicta Iustiniani de fide, ante facta quàm Ioãnes Pont. Maximus ad Pontificatum fuisset euectus. Quare probabile esse(ait) aliud item recentius edictum fuisse ab eodem Imp. promulgatum Constantinopoli, quod ad eũdem Pont. Max. miserit. Veruntamen constat ex vita eiusdem Pont. ex Romano Pontificali id quod sequitur his verbis. *Eodem tempore Vir religiosus Augustus Iustinianus summo amore Christianæ religionis misit fidem suam scriptam Chirographo proprio ad Sedem Apostolicã per Episcopos Hypatium, & Demetrium.* Scripsit autem Iustinianus etiam

- De Incarnatione Domini contra Eutychetem, libros tres, vt habet Isidorus Hispalensis Episcopus in Catalogo.
- Aduersus Africanos Episcopos, & Rescriptum contra Illyricianam Synodum. At hoc, peruerso studio,vt idem habet Isidorus. Quippe Africani Episcopi Chalcedoniensem Synodum tuebantur. Iustinianus autem tria Capitula damnare contendit, idest Theodori Numeros, Vestini Episcopi Dicta. Rescripta Theodoreti,& Epistolam, quæ dicitur Ibæ Edesseni Episcopi. Vide Baronij Card. Annales.
- Edictum,quo,Agapeti Pontificis hortatu Seueri, & aliorum hæreticorũ libros prohibuit. Vide Photium in nouo Canone ti.9. Extat autem S.Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, qui scripsit aduersus Seuerianos, aliosque hæreticos librum, quod ὁδηγὸν hoc est *via Ducem itineris* prænotauit.
- Nouellam, quæ est num. 146. Quanam lingua sint legenda Biblia in Iudæorum Synagogis.
- Codicem,qui dicitur Iustiniani. Pandectas,siue Digestum. Institutionum lib.quattuor.
- Epitomem Legum,de quo Sigeb.in Catal. Imperauit ann.28.menses septem,dies decem. Vixit ann. circiter octoginta quattuor. Obijt ann.565. Iustino ex filia nepote Imperatore designato.
- Eius autem Iustiniani Augusti historia in qua bellum Persicũ in Asia,Vandalicum in Africa, Gothicum in Europa narrantur à Procopio,edita est Lugduni, post alias editiones ann.1594. apud le Preux.

Ivstinianvs (vt scribit Isidorus Hispalensis) De Hispania, Ecclesię Valentiæ, siue potius *Valentina* Episcopus ex quattuor fratribus Episcopis, ex eadem matre progenitis vnus, scripsit Librum Responsionum ad quendam Rusticum, De interrogatis Quæstionibus. Quarum prima est De Spiritu sancto. Secunda est contra Bonasiacos; qui Christum adoptiuum, & non proprium dicunt. Tertia Responsio est, quòd Filius, sicut Pater inuisibilis sit. Floruit in Hispanijs, tẽporibus Theudę Principis Gothorum. Hęc Isidorus. Theudem, autem & Theudium nominat Io. Mariana de rebus Hisp. Iustiniano item Imp. ann. 540. Tritem.

Ivstinianvs quidam Episcopus Sicilię, quod in Epistola, quæ est in prolegomenis quintę Synodi, ad Petrum scripserit, Macedonium docuisse Spiritum sanctum à solo Patre spirari, non est vllo modo probabile. Nam Macedonius cum Arianis de Spiritu sancto sentiebat, qui dicebant Filium esse Patre minorem, quòd Pater creauerit Deum quendam paruum, hoc est, Filium, Filius autem non potuerit creare Deum nec magnum, nec paruum, sed Spiritum sanctum produxerit, qui nullo modo est Deus. Adde quod Cõcilium secundum congregatum est contra Macedonium, & tamen in Symbolo posuit: Ex Patre procedentem. Sed fortasse incorrectum textum habemus illius Epistolę, & pro *spirat*, Macedonius à solo Patre Spiritum sanctum, legendum est, *separat*, separabat enim. Spiritum Macedonius sanctum à solo Patre, quia solius Filij volebat illum esse Facturam. Vide Bellarm. Card. To. 1. Controu. 2. lib. 2. de Christo, c. 21.

Ivstini Martyris seu vitam, siue scripta, Eusebius Pamphili in Historia Ecclesiastica, D. Hieronymus, Photius, Suidas, Ioachimus Perionius, Sixtus Senensis, Iacobus Billius attigerunt: non eadem quidem omnes, aut integrè, sed varia quisque pro ratione earum rerum, quas perpenderant vel nancisci potuerant: Nos ex his omnibus, id quod huc attinet, sedulò tum delegimus, tum addidimus, ad Dei gloriam, & ad tanti Martyris laudem.

Et Hieronymus quidem in Catalogo inquit, Iustinus Philosophus habitu quoque philosophorum incedens, de Neapoli Vrbe Palæstinæ, patre prisco Bacchio, pro religione Christi plurimum laborauit, in tantum vt Antonino Pio, & filijs eius, & Senatui librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque Crucis non erubesceret, & alium librum successoribus eiusdem Antonini M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Extat eius & aliud volumen contra gentes, vbi de Dęmonum quoque natura disputat, & quartum aduersus gentes, cui titulum prę notauit ἔλεγχος. Sed & alium de Monarchia Dei, & alium librum, quem prænotauit Psaltem, & alium de Anima. Dialogum contra Iudęos, quem habuit aduersus Tryphonem Principem Iudæorum, sed & contra Marcionem insignia volumina, quorum Irenæus quoque in quinto aduersus hæreses libro meminit, & alium librum contra omnes hæreses, cuius facit mentionem in Apologetico, quem dedit Antonino Pio. Hic cum in Vrbe Roma haberet τὰς διατριβὰς, & Crescentem Cynicũ, qui multa aduersum Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum, & mortis timidum, luxuriæque, & libidinum sectatorem, ad extremum studio eius, & insidijs accusatus, quòd Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit. Hæc Hieronymus.

At vitam quoque ex ipsius scriptis collectam aliquanto fusiùs tradidit nobis Perionius, versioni suæ Latinæ eiusdem Iustini præfixam, cum D. Hieronymus scribat, Martyrem factum eodem tempore, quo S. Polycarpus. Quin & eandem vitam & aliquot libros breui oratione perstrinxit Photius in libro, qui Myriobiblos, siue Bibliotheca dicitur; Qui sic habet. *Lecta est Iustini Martyris Apologia pro Christianis, & in Gentes, & in Iudaos libri: & praterea alius eius liber, quo primum & secundum librum Aristotelis de natura, refellit, sine formam & materiem, ac priuationem labefactat, in eoque magna vi, & copia argumentorum vtitur: estq́ is liber vtilis. Labefactat etiam quintam naturam siue elementum, aternumq́ motum, quam Aristoteles vi rationum ibi peperit. Est etiam eius liber de explicationibus quastionum, qua contra Religionem ponuntur. Excelluit autem summa laude Philosophia, & nostra, & maximè externa, id est à nostra abhorrentis; multarumq́ rerum atque historia cognitione floruit. Dicendi verò artibus ei studium non fuit insitam sibi Philosophia pulchritudinem quasi inficere:*

Itaque eius sermo, & oratio, quæ alio genere valet, vimq; scientiæ & artis retinet, non redolet Rhetorum, Oratorumq; suauitatem, nec illecebris, oblectationeq; multos auditores allicit. Quattuor autem libros in Gentes scripsit, quorum primum Antonino, cognomine Pio, eiusq; liberis & Senatui tradidit; Secundum, eius etiam successoribus: In tertio, de natura Dæmonum disseruit: Quartus, quem simili modo in Gentes scripsit, Elenchi præfert inscriptionem. Est etiam eius liber de Monarchia Dei, & alter qui Psaltes inscribitur. Sunt etiam eius in Marcionem libri necessarij, & in omnes hæreses liber vtilis. Is quidem Baccho patre natus est: Patriam autem habuit Neapolim Palæstinæ prouinciæ Vrbem. Romæ autem habitauit philosophans & verbis, & vita, & habitu. Cumque in eo Religionis in Deum amor incalesceret, ac vigeret, habuit Crescentem quendam, disciplinæ eorum, qui Cynici dicuntur, & vita, & religione aduersarium: à quo etiam circũuentus pro suscepta vitæ dignitate, etiam insidias in se præparauit: Martyrij enim hoc argumento insti tuto, cum dignitate, & lætus mortem pro Christo pertulit. Is ergo Iustinus erat genere Samaritanus, Stoicæ Sectæ Philosophus, vt idem ipse in secunda Apologia pro Christianis ad Antoninum Imp. testatur. Ciuis fuit Flauiæ Neapolis Palæstinę, Prisci Bachij filius, & Romæ habuit διατριβὰς: & claruit sub Antonino Pio, coronatusq; est martyrio, an. Do. 150.

Porrò nostro tempore (quę non viderat omnia Sixtus Senensis) emissa sunt in lucem Parisijs ab Ioachimo Perionio versa è Greco Opera hæc, quæ sequuntur, nomine Iustini Martyris, licèt non omnia sint illius.

Dialogus, siue Sermo Iustini, quē habuit Ephesi cum Tryphone Iudęo, aduersus Iudęos.
Pro Christianis apud Senatum Romanum Apologia prima.
Pro Christianis apud Antoninum Pium Imp, Apologia secunda.
Oratio Parænetica ad Gentes. De Monarchia.
Expositio fidei de recta Confessione, aut de Sancta, vniusque essentiæ Trinitate.
Epistola ad Zenam & Serenum.
Interrogationes, siue quęstione positę Gentibus, & Gentium ad eas responsiones, earumque responsionum refutationes.
Interrogationes siue quæstiones Gentium positę Christianis de eo, quod incorporeum, & de Deo, ac de mortuorum resurrectione; & ad eas Christianorum responsiones.
Responsiones ad Orthodoxos de necessarijs quæstionibus.
Refutatio, siue euersio quorundam Aristotelis dogmatum, siue decretorum.

Quod autē inquit Sixtus Senensis, ab D. Iustino inter multa ingenij sui immortalia monumenta, fuisse relicta in Apocalypsim D. Ioannis Cōmentaria, ea non vidimus, nec, quod sciam, alicubi prodierunt. Et vero è Catalogis Græcorum m.ss. librorum, qui ad meas manus peruenerunt, cernitur hæc inscriptio. *Iustini Philosophi, & martyris, Explicatio in S. Dionysij Areopagitæ Episcopi Atheniensis Hierarchiam Ecclesiasticam, & Mysticam Theologiam.*

Iam quod ad Iustini germanos libros spectat, sanè (D. Hieronymo teste) scripsit Apologias duas, & libros duos contra Gentes: Item de Monarchia, & Dialogum cum Triphone Iudæo: librum de Anima, & librum qui dicitur Psaltes: Præterea, libros contra Marcionē, & aduersus omnes hæreses. Nunc ex ijs non extant nisi Apologia, Liber vnus ad Gentes, De Monarchia, & Dialogus cū Triphone. Feruntur etiam sub eius nomine expositio fidei seu de recta fidei Confessione, Epistola ad Zenam & Serenum, & Quæstiones quinque à Gentibus positæ, & ad eas Responsiones, & quędam item quæstiones alię similes, ac centū quadraginta sex Quæstiones; denique Reprehensio quarundam Sent. Aristotelis. Ex istis verò Operibus, certum est, Librum Quęstionum Gentibus à Christianis positarū, non esse Iustini: nam in prima responsione, & in reprehensione responsionis, nominantur sępissimè Manichæi, qui fuerunt centum annis, & amplius, Iustino posteriores. Opus item centum quadraginta sex quęstionum non videtur esse Iustini: nam quęstio. 82. & 86. citat Origenem, & quæstio. 115. citat Irenęum, & eum Martyrem appellat, cum tamen Iustinus vtroque prior fuerit: nam & Irenæus, libro quinto citat Iustinum, tamquam se antiquiorem. Non iniuria verò Martinus Delrius noster miratur secunda Disquisitione Magicarum lib. Quæst. 26. sectio. 3. Petrum Loloyerium lib. de Spectris dicere Auctorem libri Græci Quæstionum ad Orthodoxos, eiusdem esse auctoritatis cum ipso Iustino martyre.

Ceterum, de alijs Iustino ascriptis Operibus nōdum cōpertum habeo quid sit sentiēdum.

Primus autem (quod sciam) Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus, librum Iustini Martyris Paræneticum, siue Adhortatoriam Orationem ad Gentes, vertit, quam postea cum Ioachimus item conuertisset, sic scriptum reliquit: *Vter verius ac fidelius Iustini mentem, sententiamq́ explicuerit; vter melius Interpretis functus sit officio, non est meum pronunciare. Hoc tamen videor posse dicere, me, qui Homeri, Platonis, aliorumque antiquiorum verba, quæ Iustinus ipse multa, & crebra profert, in ipsis Scriptoribus inuenta legerim, multa loca corrupta correxisse, multaque impleuisse, quæ mutila, & minus plena offenderam.*

Sed quemadmodum Perionius Pici versionem, sic Perionij versionem Apologiæ Iustini ad Antoninum quibusdam locis partim in Græco, partim in Latina Perionij interpretatione Iacobus Billius correxit. Ea verò, quoniam ad Martyris sensum assequendum faciunt, nec verò facilè haberi possint ad manum, quippe quæ cum Iustini Operibus haud coniuncta sunt, huc apponam. Sic autem se habent.

Iacobus Billius c. 6. li. 2. Sacrarum obseruationum post librū Isidori Pelusiotę cuius Epistolas Latinè vertit, & Græcè ac Latinè editas Gulielmus Chaudier Parisijs emisit, ann. 1585.

Inter legendum quæ Iustinus Martyr in sua ad Antoninum Imperatorem Apologia pro Christianis disserit, quid obiter animaduerterim, hoc capite complecti libet. Non longè ab initio mendum in his verbis inesse suspicor, οἱ ὁ κρίσει, ἀλλὰ πάθει τὰ πράγματα ἐπάγειν ἀξιοῦντες, ac pro ἐπάγειν, ἐτάζειν, substituendum esse, idest, *Examinare*. Pag. 136. versicu. 3. non mihi dubium est, quin post ὅπως addenda sit particula μὴ, & versicu. seq. delendum αὐτῶν. Hoc enim vult Iustinus Christianorum partes esse, tam fidem suam, quàm vitæ rationem omnibus excutiendam ac considerandam proponere, ne alioqui crudelitatis, quæ per ignorationem animiq́ue cęcitatem ab Ethnicis in ipsos exercetur pœnas ipsi Deo pendant. Versic. 23. lego τοῖς ἄλλοις. 31. τούτους. Pag. 137. versicu. 12. legendum puto, ἀλλ' οὐ πάντας διὰ τοὺς προελεγχθέντας καταδικάζετε. Hæc enim est Iustini sententia, non proinde Christianos omnes sceleratos habendos esse, quòd quidam tales deprehensi sint, quemadmodum nec rei omnes condemnari solent, propterea quòd quidam interdum sceleris conuincantur. Pag. 138. versic. 25. hæc verba, εἰ γὰρ ἀνθρώπινον βασιλείαν προσδοκοῦμεν κἂν ἠρνούμεθα, ita verti debent. *Si enim humanum regnum expectaremus, saltem negaremus,* scilicet *nos Christianos esse*. Nam, vt vertit Perionius, nimis obscurus est auctoris sensus. Nisi fortasse typographi vitio, in eius interpretationem particula, *si*, obrepsit. At versic. 38. grauiter ab eo erratum est, cum hęc verba, κἂν διὰ τὰ ἐπικείμενα ἐκ παντὸς κόσμιοι ἦσαν, ad hunc modum transtulit. *Etiamsi ijs sepulchris, quæ erecta sunt, omni ratione ornati sint*. Ita enim potius vertere debebat, *Saltem ob impendentia supplicia, probitatem omni ratione coluissent*. Non minus autem fędè labitur, versic. 40. cum δημίων, *hominum de plebe* vertit, pro, *carnificum*. Vult enim hoc loco Iustinus, supplicijs inferendis delectari, carnificum potius esse, quàm bonorum Principum. Eiusdem farinæ est, quod pag. sequen. vers. 6. hęc verba, ὃν γὰρ τρόπον διαδέχεσθαι πενίας ἢ πάθη, ἢ ἀδοξίας πατρικὰς ὑφαιροῦνται πάντες, ita reddit: *Quemadmodum enim parentis paupertatem, mala, & dedecora omnes suscipiunt:* cum contrarium omninò velit Iustinus. Sic pag. 143. versic. 16. *Liberum dispersum* vertit, pro *discerptum*. & versicu. 18. κατηστερῆσθαι *sublimes pendere*, pro, *inter sydera relatos esse*. At versic. 23. Græci codicis errorem secutus est, cum ita vertit, *Nisi quòd hac ita scripta sunt ad præstantiam, adhortationemque eorum, qui erudiuntur.* Hic enim in Gręco pro διαφορὰν, apertissimè legendum est διαφθορὰν, idest, *corruptelam*. Vers. 31. lego ἀδίκους, Pag. 144. vers. 33. pro τρίτον, Epiphanius habet γιτθῶν. Vers. 40. miror fugisse Perionium, qui horum verborum sensus esset, πρότερον ἐπὶ τέγους σταθεῖσαν. Loquitur enim illic Iustinus de Helena, quę antequam se cum Simone coniunxisset, palam se in meretricia vita collocauerat. Hęc autem sic ille vertit, *Helenam primum in tecto statuerunt.* Pag. 145. vers. 14. in his verbis ἵνα μηδ' ἕνα διώκομεν, legendum potius existimarim ἀδικῶμεν. Vers. 37. ἢ μὴ εἴγνας αὐτὸν διὰ τέχνης ὁμολογήσει. Fortasse pro διὰ τέχνης, legendum διαχρινῆς, vel ἀτεχνῶς, idest, *planè*. vers. 39. incommodè prorsus à Perionio redduntur hęc verba, μὴ τῶν ἐκτεθέντων τις μὴ ἀναληφθεὶς θανατωθῆ. Sic enim vertit, *Ne quis eorum, qui expositi erant, iterum comprehensus, morte mulctaretur.* Sic autē verti debent: *Ne quis eorum, qui expositi erant, à nemine susceptus interiret.* Pag. 150. ver. 5. pro ἤδη, crediderim legendum

gendum

gendum δέ. Pag. 152. ver. 17. αἰτία ἑλομένου θεὸς δ' ἀναίτιος. Perionius. *Causa est id quod probatũ & electum est*. Ego autem: *Culpa illius est, qui elegit*. Nihil enim causæ est, cur receptam lectionẽ submoueam, ac Perionij sententiæ subscribam, qui in annotationibus legendum censet τὸ ἑλόμενον Fallitur enim illic, dum τοῦ ἑλομένου, passiuè intelligendum esse putat. Actiuam enim planè significationem habet, neć vmquam apud Grçcos auctores in passiua reperitur. Eodem modo vers. 28. ἀπαντήσασθαι, retinendum est. Longè enim aptius est hoc vocabulum, quàm ἀπαιτήσεσθαι. quod magis Perionio arridet, nec tamen huic loco quadrat. vers. 35. ἐπιστάμενοι πᾶσιν εὐαρεστα φανήσεσθαι. Perionius. *Quòd exploratorum habeamus fore, vt ea, quæ omnibus grata sunt, appareant*. Ego: *vt ea omnibus grata videantur*. vers. 40. δι' οὓς καὶ μηδέπω τὴν ἐπικύρωσιν πεποίηται Perionius: *per quos etiam nondum rem ipsam corroborauit*. Langus: *Extremum decretum, consummationemq́; fecit*. At ego, cum hęc vox ἐπικύρωσις mihi suspecta esset, ac vicinam aliquam aptiorem exquirerem, tandem, nisi me omnia fallunt, eam inueni. Nec enim dubito, quin ἐκπύρωσις legendum sit, idest, *conflagratio:* quemadmodum & legitur tum in pręcedente apologia, tum etiam in hac ipsa, pag. 158. vers. 11. & seq. vers. 18. Vult enim Iustinus, pręde stinatorum causa, quorum nondum numerus expletus est, extremam illam conflagrationem adhuc differri. Pag. 154. versic. 14. παρεχρήσαντο, pro διεχρήσαντο, à Iustino vsurpatum esse censeo. Ac proinde vertendum existimo, *Non solum autem, sed etiam interemerunt*. non, vt Perionius, *ijs abusi sunt*. Pag. 162. versic. 3. ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ, λέγων ἀμήν. ἐπευφημεῖν hoc loco Perionius vertit *benedicere*. Ego potius *acclamare*. Multa autem sunt hic quoque alia loca, in quibus lapsus mihi fuisse videtur vir alioqui doctissimus. Hęc autem ex multis selegi, vt qui ipsius elegantissimo traducendi genere delectantur, consulenda quoque sibi interdum Græca existiment.

Etsi autem est, quod multum debeatur Perionio, tum ob alia scripta, quæ edidit, tum præcipuè ob labores, quos in Iustinum impendit (nam & obseruationes suas in eum vnà cum Interpretatione edidit) cauendum est tamen alicubi, ne omnino eius sententiæ adhæreamus, quemadmodum cum notationibus ijs, quos in priorem Iustini Orationẽ pro Christianis scripsit, sic inquit: *De Incubis autem, & Succubis, non est, quòd hoc loco dicendum aliquid videatur. Siue enim sint, siue non sint (quod posterius mihi probatur) hoc semper tenendum est, hanc Mosis ex Genesi locum de Angelorum cum mulieribus concubitu, non esse intelligendum.* Hæc Perionius, qui si non tam Augustini, lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23. quàm aliorum, & adeò ipsius Ecclesiæ sententiam hac de re, quæ ad Incubos attinet, altius perpendisset, procul dubio probasset, quod minimè tum probabat. Et extant Innocentij Octaui Pontificis Maximi Decretales Epistolæ aduersus maleficas, in quibus leguntur hęc inter alia verba: *Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas, propriæ salutis immemores, & à Fide Catholica deuiantes, cum Dæmonibus Incubis, & Succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum sua venena diffundant, opportunis remedijs, prout nostro incumbit officio, prouidere volentes, statuimus, vt Inquisitores per nos deputati, debitum Inquisitionis officium in huiusmodi exequantur.* Hæc Innocentius.

At quid hac de re amplius dici possit, ex varijs siue Paullo Grillando, seu libro Inquisitorum, siue item ex Sixto Senensi, perspici possunt: Nam & hic Cornelium Agrippam Magum & hæreticum confutat, qui Patrum quorundam loca detorserat, ad Incuborum, & Succuborum veritatem negandam. Sed & vide libros Disquisitionum Magicarum nostri Martini Delrij, qui vnus Scriptorum potest instar multorum esse.

Vide lib. 5. Biblioth. S. Sexti Annot. 73.

Ceterum, pręstat ipsius Perionij iudicium de D. Iustino martyre huc adtexere, ne quid desit, quod versaturis posthac adeo celebrem martyrem, iudicium possit acuere. Sic autem ille in varijs obseruationibus, inquit.

De Iustino Philosopho & Martyre neminem, qui verè iudicare velit, ita existimare posse arbitror. Nam cum duo sint genera hominum, qui à disciplina, & quasi philosophia Christiana discrepent, Iudæorum vnum, alterum Gentium, vtrorumque falsas sententias ita proprijs & illustribus notis, rationibus, ac testimonijs reprehendit, & refuta-

uit, vt Iudæis quidem in eo Sermone, quem Ephesi cum Tryphone Iudęorum principe, alijsque Iudæis habuit, testimonijs innumerabilibus, quæ ex veteri lege deprompsisset, Iesum Saluatorem nostrum, verum esse Christum, quem Prophetæ futurum prędixissent, demonstrauerit, eosdemque falsò & corruptè Prophetarum verba interpretari solitos docuerit; Gentibus autem ostenderit in eo libro, qui Parænetica Oratio inscribitur, Poetarum, Philosophorumque & Sybillæ, quos in maximo honore ac pretio haberent, testimonijs, ac sententijs; & eos, quos vt Deos colerent, non esse Deos, & Deum vnum ac verum esse eum, quem Christiani colant, atque venerentur. Idemque fecit & in nonnullis alijs libris, qui si extant, nondum editi sunt; & in Orationibus duabus, quibus Christianos apud Antoninum Pium Imperatorem, eiusque liberos, & Senatum Romæ defendit. Atque in eisdem libris omnibus, etsi videtur longam sæpè orationem in confirmandis nostræ disciplinæ decretis ponere, tamen propria est in eis Iudæorum, atque Gentium refutatio. In eo autem, qui est ab illo de vera rectaque fidei confessione, siue de Sancta, eiusdemque essentiæ Trinitate scriptus, quid Christiano homini credendum, tenendumque sit de Sancta Trinitate, Christique Filij Dei conceptu, & ortu docet. Hæc autem omnia tam firmis, clarisque & testimonijs, & rationibus confirmat, vt breuis eius oratio, qua vsum se esse dicit, quòd sibi rem esse cum Ecclesiæ filijs dicat, non minus auctoritatis apud me, quàm nonnullorum prolixi de ea re libri habeant, ad faciendam fidem. Et paullò pòst. Iam verò quid suauius est, quid dulcius ad commemorandum nobis, quamdiu hic sumus, illa eius oratione, qua docet, quatenus in Dei cognitione, vnicuique nostrum pro grediendum sit, id est pro captu, qui cuique Dei concessu ac munere datus sit? Postremò exemplum illud Solis & lucis, & corporis, quo in Diuinitatis, humanitatisque in Christo coniunctione explicanda vtitur, tam euidens, clarumque est, vt res illa tam obscura illustrari, tam difficilis explicari, explanarique non potuerit planius. Quæ si omnia Arius, Sabellius, Eutyches, alijque hęretici considerassent, numquam de Diuinis illis personis tam praua sensissent. Et paullò pòst. Duos præterea eiusdem Auctoris libros in tuo nomine apparere volui: Alterum, Epistolam ad Zenam & Serenum: Alterum, qui Quæstiones quinque continet, quas Gentibus Christiani ponunt, & Responsionum Gentium refutationes. Epistolam autem illam tibi gratissimam fore confido. Vitam enim hominis Christiani omnem complectitur, atque adeò omnium, qui vitam virtuti consentaneam velint degere. Et in Obseruationibus in librum de Monarchia: Libellus (inquit) hic de Monarchia, vel perfectus non est, sed multis paginis quasi ornamentis caret; vel certè alterum de Monarchia Iustinus scripsit. Eusebius enim Cæsariensis commemorat, eum, librum de Monarchia Dei scripsisse, quam non solùm nostris, id est Diuinis, sed etiam Gentilium scriptis confirmauerit; cum hoc in libello scriptis, testimonijsque eorum tantum, qui à Religione nostra alieni fuerunt, probet. Quod etiam hinc intelligi licet, quòd hic inscriptus est tantum de Monarchia, & is cuius mentionem facit Eusebius, itemque Photius, & Suidas, de Monarchia Dei ab illo inscriptus esse dicatur. Hunc autem alterum videri, aut esse potius declarant ea quæ principio huius libelli Iustinus ipse scribit, se ex Poetis Græcorum testimonia sumpsisse, non ex nostris scripturis. Et in eius Epistola ad Philibertum Baboum Engolismensem Pontificem; Aristotelem (ait) sibi delegisse potissimum, Iustinus videtur, in quem omnes acerbitatis seueritatisque suæ aculeos emitteret. Neque enim satis habuit in eum in Parænetica Oratione ad Gentes acrius quàm in Platonem, facta etiam eius mortis, quam nonnulli commemorant, mentione, inuadere, nisi propriè in illum libros scriberet, quemadmodum etiam Photius litterarum monumentis mandauit. Eum quidem ad hanc venisse disputationem alia re impulsum, nisi magno in Religionem nostram studio, nec mihi, nec cuiquam alij fas esse dicere, iudico: Eundem autem in Platonem proprium volumē nullum scripsisse miror; pręsertim cum pleraque Platonis decreta, non minus quàm illa Aristotelis à disciplina Christianorū discrepent. Vt enim à Religione nostra, aliena est Mundi, motusque & temporis vtraque ex parte æternitas, quam Aristoteles posuit; sic hominum secundus ortus, animorumque improborum ad corpora, quæ suis, bestiarumque aliarum figuram imitentur, reditus, bo-

norumque omnium, ac mulierum communitas, sexcentaque alia eiusdem generis, quæ Plato inducit, ei planè aperteque aduersantur. Et denique in obseruationibus in eiusdem Iustini librum De Aristotelis Decretorum euersione: In hunc (inquit) Aristotelis librum breues obseruationes scripsimus, vt quorum capitum librorum octo de Natura, & de Cœlo ac Mundo loca Iustinus reprehendisset, & si qui errores essent in libris proferendis (sunt enim permulti) doceremus. Illum enim tantum in primum & secundum librum de Natura, Aristotelis, scripsisse ait, cum in tertium, quartum, quintum, & octauum de Natura; primum, secundum, & tertium de Cœlo, vt videmus, scripserit. Eundem quidem & in quintam naturam, quam Aristoteles ponit, & in motum æternum scripsisse confirmat: ij autem libri sint ne alij, & ab hoc separati, ignoro. Hæc Perionius ascribens Iustino, quæ in Aristotelem scripta sunt, cum Iustinus, ea non scripserit, vt diximus.

Ac quidem quo tempore Ioachimus Perionius Iustini Martyris versionem ediderat, Ioannes quoque Langus Silesius, & Gelenius suas emiserunt. Sed Ioannis Langi fuit auctior, quippe qui & nouam Operum Iustini partitionem fecit in tres Tomos, quorum primo adiecit Apologiam Athenagoræ Atheniensis Philosophi Christiani pro Christianis Marco Principi & eius filio exhibitum: & sententijs priscorum Sanctorum Patrum putauit sese Iustinum illustrasse; Veruntamen tum in istis illustrationibus, tum in præfationibus, quas vnicuique Iustini Operi præfixit, cauendum est Lectori, ne impingat in scopulos, qui in huiusmodi Interpretibus, qualis fuit Langus, & Gelenius, plerumque latent. Perspicaci sanè Catholico difficile non erit animaduertere, vbicunque Langus Patrum aliquorum auctoritates interseruit de Eucharistia, deque Ecclesia Christi, eas non explicuisse vel prorsus reticuisse Synodorum approbatorum liquidissimos sensus ac decreta, vel aliorum Patrum dilucidiores sententias omisisse.

Quin etiam admiscet Patrum dictis quæ Erasmus, & Melanchton effutiuere, quæve ipse quasi esset Conciliator antiquę ac recentis (vt vocant) Ecclesiæ plerumque commonefacit: vt mittam, editionem Diuinæ scripturæ vulgatam minime ab hoc homine citari, sed quã fere hęretici adhibent: multa verò temere in pręfationibus immiscere, quæ spiritum hęreticum (modum certè dicendi quo vtuntur hęretici) sapiant: adde quod Basileæ per Frobenianos Typographos editus hic labor, mirum non est, si & qui operam corrigendo nauabant, potuere, vt suo abundant in sensu, veritati tenebras, vbicunque collibuit, offundere.

Id addiderim Iustini, Irenæi, Epiphanij, atque Oecumenij sententiam asserentium Dęmones haud esse torquendos pœna Gehennę ante diem Iudicij non videre me, quanam quis ratione tueri possit; nisi quòd cum pleraque, ijs, quibus vixere temporibus, nondum plenè fuissent expensa, Patres addubitasse de ijs, quę ceteroquin promptissimè excepissent, vbi Ecclesiæ vocem audiuissent.

Editus est autem ipse Iustinus Latinè redditus, Parisijs Sigismundo Gelenio Interprete ann. 1565. & 1578. Gręcè autẽ typis regijs Parisijs ann. 1571. sparsim Basileę an. 1528. Nimirum Latina versio Ioan. Francisci Pici *Admonitorij gentium*. & iterum ibidem ann. 1551. cum alijs veterum Theologorum Opusculis, Gręcè autem Parisijs apud Guillardum.

IVSTINVS Tiberiensis. Vide paullò infra in verbo, Iustus Tiberiensis.

IVSTVS Argentoratensis Episcopus, natione Germanus, scripsit ad Principium Nemesinæ Ecclesiæ Præsulem (vt inquit Gulielmus Eisingrenius) in Cantica Salomonis doctissimos Commentarios: Qui in Collegio Disciplinæ Regularis Truttenhusen hodieque asseruantur. Eum idem Eisingrenius *Virum Sanctum* appellat. Viuebat anno Domini 680.

IVSTVS, siue *Iustinus*, Ordinis Prædicatorum à Patribus Ordinis sui in Capitulo (vt vocant) generali celebrato Bononiæ magister Generalis pronunciatus, ann. 1242. Vitam S. Dominici conscripsit. Leand. lib. 4.

IVSTVS Caluinus, Gallus, cum diu Geneuæ imbutus Caluinianis sui consanguinei hęresibus, tandem Diuino actus Spiritu, Romam ann. Iobilæi 1600. profectus, veritate

Catholica percepta, non ſolum hęreſes abiurauit, dexteramque verę, ac Romanæ Eccleſię dedit, verumetiam reuerſus in Germaniam, ſcriptum à ſe edidit librum pręnotatum, *Iuſti Caluini pro Sacroſancta Catholica Romana Eccleſia, proq́ ſua ad eam tranſmigratione Apologia, & de Sacris litteris, veneranda antiquitate, atque ipſis ſectariorum principijs ita adornata, vt facilem Lectori viam ad veritatem muniat*. Moguntiæ apud Ioannem Albinum, ann. 1602.

Iustvs Lipſius, vir noſtro æuo Princeps eruditionis, quodque caput eſt, vir verè Catholicus, inter complures eruditiſſimos libros ad Politiam, ad Hiſtoriam, & ad Humanarum ſtudia litterarum, quorum paſſim ſuis in locis Bibliothecæ Selectæ noſtræ, Venetijs ann. 1603. poſtremò editæ meminimus, libros tres De Cruce ad Sacram, profanamque hiſtoriam perutiles emiſit, vnà cum Notis. Antuerpię ex Officina Plantiniana ann. 1594. Libros item duos, qui Alloquium præcipuè continent in Publicis malis; ſexta editione meliores, & Notis auctiores, eodem ann. 1594. Norimbergæ typis Gerlachianis: vt præſtantia Operis à tanto viro profecti, etiam Ciuitatem à Catholica fide, (ſi non omnino omnes animis) certè externo cultu alienam adegerit ad id publicandum. Ceterum quę ipſe Lipſius attigit in ſuis Politicis, (quę quidem in poſtremis editionibus recenſuit,) De Religione Catholica, & verò item in aureo libello aduerſus Atheum quendam, quem ideo Diodotum nominat, legenda ſunt ab omnibus cum vbere fructu. Sed & denique ex Officina Plantiniana apud Moretum Antuerpiæ, anno 1604. prodijt libellus hac prænotatione, *Iuſti Lypſij Diua Virgo Hallenſis*, eiusque Beneficia, & Miracula bona fide atque ordine deſcripta.

Iustvs Orgelitanæ (alij *Orgelletana*, ſiue *Vrgelitana* Eccleſiæ in Hiſpania Epiſcopus, trium Epiſcoporum, Iuſtiniani, Hebridij, & Elpidij frater, in ſcripturis Sanctis exercitatus, & doctus, hortatu Iuſti Diaconi, ſcripſit ad eum in Canticum Canticorum, iuxta editionem B. Hieronymi, breuem quidem Commentariolum, ſed eruditum, & elegãtem, ac (quod in primis ſpectandum eſt) pium. Eius initium eſt: *Cupiens in domo Dei*. Claruit anno Dom. 540. Sergio Pontifice, cui etiam Opus ſuum dicauit. Extat in Bibliotheca SS. PP. Bignæi.

Ann. Domini 90. Iustvs Tiberienſis, de Prouincia Galilæa, conatus eſt, & ipſe Iudaicarum rerum hiſtoriam texere, & quoſdam Commentariolos componere, ſed hunc Ioſephus arguit mendacij: conſtat autem illum eo tempore ſcripſiſſe, quo & Ioſephus. Hieron. in Catal. At Sophronius habet, καὶ τινὰ ὑπομνήματα ἀνέγραφεν. Gembl. Cod. habet, *& quoſdam Commentariolos deſcripſit*, Cod. Sigebergenſis vocat hunc non *Iuſtum*, *ſed Iuſtinum*, ſed malè. Sic Suffridus Petrus. Atqui Photius cum ſe legiſſe Chronicon hoc Iuſti aſſerat in ſua Bibliotheca Gręca, inſcriptionem Operis Græcam eſſe hanc inquit, *Iuſti Tiberienſis De Regibus Iudæis qui ἐν τοῖς στέμμασι*. ſubdit autem eum fuiſſe oriundum ex Tiberiade Ciuitate Galileæ. Incipit ab hiſtoria Moyſis, deſinit vſque ad obitum Agrippæ, ſeptimi quidem ex Herodis Domo, poſtremi autem inter Reges Iudæorum. Qui quidem accepit Principatum à Claudio, creuit autem ſub Nerone, atque adeo magis ſub Veſpaſiano, mortuus verò eſt tertio anno Traiani, quo tempore item hiſtoria deſinit. Ad Dictionem porrò quod attinet, dicit eum eſſe cõciſiſſimum συντομώτατον, & plurima eorum, quę maximè erant neceſſaria omittentem: vt autem morbo Iudæorum laborans Iudæus & ipſe exiſtens, Chriſti Domini Aduentum, ab illoque patrata miracula, nil prorſus meminit. Qui cognomento *Fidelis*, hominum autem (vt inquit Ioſephus) nequiſſimus κακουργότατος, inſidijs, atque contumelijs Ioſephum, eiusque hiſtoriam inceſſit, præſertim quæ de Bello Romanorum aduerſus Iudæos, atque Hieroſolymæ excidio conſcripſit.

Iustvs Toletanus Epiſcopus, & in Agalieñi monaſterio antea Rector, qui obijt tempore Seiſenandi Regis Hiſpaniæ, ſcripſit ad Richilanem Agalienſis monaſterij Patrem Epiſtolam, qua aſſerit ſuſceptum gregem deſerendum non eſſe. S. Ildephonſus in Catal. Virorum illuſtrium Hiſpaniæ.

Ivvenalis Hieroſolymitani, Epiſcopi ſcripta citantur à Nicephoro, lib. ſecundo hiſtor. Eccleſiaſticæ.

Ivven-

IVVENCVS Presbyter, Poeta Christianus, natione Hispanus, quattuor libros de Historia Euangelica, carmine conscripsit. Quo de viro sic varijs in locis ait Hieronymus. Iuuencus nobilissimi generis Hispanus, Presbyter, quattuor Euangelia hexametris versibus ad verbum penè transferens, quattuor libros composuit: & nonnulla eodem metro, ad Sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino Principe. Et alibi: Iuuencus, inquit, Presbyter, sub Constantino Historiam Domini Saluatoris, versibus explicauit, nec pertimuit Euangelij maiestatem sub metri leges mittere. Item alibi. Pulcherrimè, ait, munerum Sacramenta Iuuencus Presbyter vno versiculo comprehendit dicens: Aurum, Thus, Myrrham, Regique, hominique, Deoque, Dona ferunt. Sic Hieronymus. De Viris Illustr. In Episto. ad Magnum Vrbis Oratorē. Hieron. sup. Matthæum.

Quem verò fructum sperabat ex hoc opere Iuuencus, cum monstrasset, Gentilium Poetarum labores, ad humanum decus, fabulasque spectasse, ijs prologi versibus docet; quibus sic inquit:

Quòd si tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ veterum gestis hominum mendacia nectunt;
Nobis certa fides, æterna in secula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta,
Diuinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, vt Mundi rapiens incendia secum
Hoc opus: hoc etenim forsan me subtrahet igni,
Tunc cùm flammiuoma descendet nube coruscans
Iudex altithroni Genitoris gloria Christus.

Claruit ann. 330. Extat verò in Tomo 8. Biblioth. SS. PP. edit. 2.



K A


ABALA, Vide in verbo, Cabala.

KAMBERTVS Primatitius Bononiensis, Ord. Prædicatorum, Theologus, ac deinceps Episcopus Castellanus, scripsit Apologeticum contra Corruptorium D.Thomæ. Vixit ann. 1314. PP. Mon. Ord.

KAREVVS, siue *Karreye*, Anglus, Doctor Oxonij scripsit in quattuor libros Magist. Sententiarum, & in Posteriora Aristotelis.

K E

KEBEIVS Corinius, Britannus, Cornubiæ Ducis filius, plures ad S. Hilarium Pictauiensem Episcopum Epistolas scripsit. Viuebat ann. 380.

KEISERSPERGIVS Sermones, & Tractatus varios reliquit, qui Argentinę dati sunt prelo ann. 1521. Vide in verbo, Ioannes Geyler, qui est idem ipse, ac cuius scripta ibidem indicantur.

KENNETHVS Rex Scotorum, Alpini Regis F. Breuiarium scripsit legum antiquarum, quo in Foris per Angliam Iurisconsulti vtebantur. Quod etsi ad hunc Apparatum spectare non videtur, habet tamen aliqua (nisi ab hæreticis fuerint detruncata vel mutata) quæ ad commodum Ecclesiæ pertinent.

KENVLHPVS, siue *Kemulphus*, Rex Merciorum in Anglia ad Leonem III. Pontif. Max. Legationem, atque Epistolam misit plenam humilitatis, atque pietatis, cui etiam respondit ipse Pont. Vide To. 9. Annal. Baron. Cardin.

K I

KILIANVS, nescio quis, Lecturam in Quartum Sententiarum reliquit, quæ m. s. in Germania extare fertur.

KILIANVS Leib, qui de Sacræ Scripturæ dissonis Translationibus egisse dicitur exiguo libello, à me visus non est, vt de eo quidquam certi non possim effari.

KILIANVS Scotus Monachus, & martyr, scripsit contra peregrinos cultus. Passus est ann. 689. octauo Idus Iulij. Beda in Martyrologio. Is Herbipolensium Episcopus ad Mœnum fluuium Christi Domini fidem prædicans, mortem subijt: ob cuius memoriam fundatum fuit pro gente Scotorum monasterium.

K O

KOELETH, quo nomine inscriptus est apud Hebręos liber Salomonis, qui à Græcis dicitur Ecclesiastes, significat *Collectricem*, idest *Sapientiam rerum Summæ subductricem*. Quamobrem Arias Montanus scripsit de hoc libro.


Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, huius farrago libelli est.
Clauditur ille breui documento, & simplice vero.

Vide in verbo, Salomon.



LACE-

L A



LACEDAEMONIAE Metropolis. Extat in Biblioth. Vaticana m.s. Græcè *πρόσταγμα βασιλικὸν ἐπὶ τῇ μεταθέσει τοῦ ἐπισκόπου τρίτου εἰς τὴν τῆς λακεδαιμονίας μητρόπολιν*. hoc eſt. Mandatum Regium in tranſpoſitione Epiſcopi tertij ad Metropolim Lacedæmonię.

LACTANTIVS Arctarius, Ordinis Minorum, Ceroponitanus, Calaber, Ordin. Minorum, Theologus, edidit Conciones Italicè ab ſe conſcriptas, & habitas. Pia item Poemata tam Latinè, quàm Italicè.

LACTANTIVS Domaninus, Mantuanus, Ordin. Carmelitarum, Theologus, edidit Mantuę apud Franciſcum Oſanam Opus à ſe conſcriptum De prouidentia Dei in duos Tomos partitum.

In quorum primò agitur De Contingentia, Neceſſitate, Caſu, Fortuna, De ſcientia Dei. De Sapientia humana. De Libero arbitrio. De Diuina gratia.

In ſecundo autem, De Creatione, ac Rerum diſpoſitione, atque de Ideis. Rurſus De Diuina Prouidentia, & Fato, De Prędeſtinatione, De Reprobatione.

Reliquit autem, quę needùm pręlo fuere ſubiecta. Expoſitionem in Epiſtolam quandam (vt ferebatur) Sibyllæ. In tertium Sentent. In Proemium Phyſicorum, & Metaphyſices Ariſtotelis. Quæſtionem De primo cognito. De animæ immortalitate ſecundum Ariſtotelem. De fine Hominis. In Proemium Primę Partis Summæ Diui Thomæ Aquinatis.

LACTANTIVS, qui & *Lucius Cælius Lactantius Firmianus* dictus eſt, Africanus, & Africani Arnobij inſignis Rhetoris, qui contra Gentiles ſcripſit, diſcipulus, ſub Diocletiano principe accitus, (vt habet Hieronymus in Catalogo) cum Flauio Grammatico, cuius de Medicinalibus compoſiti extabant libri, Nicomediæ Rhetoricam docuit. ac penuria diſcipulorum (ob Gręcam videlicet Ciuitatem) ad ſcribendum ſe contulit. *Habemus* (ait idem Hieronymus) *eius Sympoſium, quod adoleſcentulus ſcripſit Africæ, & ὁδοιπορικὸν de Africa vſque ad Nicomediam, hexametris ſcriptum verſibus, & alium, qui inſcribitur Grammaticus; & pulcherrimum de Ira Dei, & Inſtitutionum Diuinarum aduerſum gentes libros ſeptem, & ἐπιτομὴν eiuſdem Operis in libro vno acephalo, & ad Aſclepiadem libros duos, ad Demetrianum auditorem ſuum Epiſtolarum libros duos, ad eundem de Opificio Dei, vel formatione hominis, librum vnum. Hic in extrema ſenectute magiſter Cæſaris Criſpi filij Conſtantini in Gallia fuit, qui poſtea à Patre interfectus eſt.*

Porrò iuſtam quidem ſcribendi rationem Lactantius ſe habuiſſe ſcripſit, niſi interior ei Theologiæ notitia defuiſſet. De ratione ſcribendi ſic ille primo libro cap. 4. Diuinarum Inſtitutionum. *Ii ergo, de quibus dixi, cum præſente me, ac dolente, ſacrilegas ſuas litteras explicaſſent, & illorum ſuperba impietate ſtimulatus, & veritatis ipſius conſcientia, vt ego arbitror, ſuſcepi hoc munus, vt omnibus ingenij mei viribus accuſatores iuſtitiæ refutarem: non vt contra eos ſcriberem, qui paucis verbis obteri poterãt, ſed vt omnes, qui vbique idem operis efficiunt, aut effecerunt, vno ſimul impetu profligarem.* Et quidem ann. Dom. 316. Libros iſtos Diuinarum Inſtitutionum elucubrauit, quo anno Licinius Eccleſiam Chriſti perſequebatur, atque aduerſus illum à Conſtantino Magno parabatur expeditio. Quamobrem & in Pręfatione eorum librorum ad ipſum Conſtantinum prædixit, quę de Clade Licinij fuere ſubſecuta.

Iudicium Antiquorum Patrum de Lactantio.

At Damaſus Pontif. Max. Hieronymo ſcribens, quid ſenſerit de Lactantio, his verbis Epiſt. quę extat apud Hieronymum 124. expoſuit. *Fateor* (inquit) *quippe tibi: eos, quos iam pridem Lactantij dederas libros, ideo non libenter lego, quia & plurimæ Epiſtolæ in eis vſque ad mille ſpatia verſuum tenduntur, & rarò de noſtro dogmate diſputant: quo fit, vt & legenti faſtidium generet longitudo, & ſi qua breuia ſunt, Scholaſticis magis ſint apta, quàm nobis, de metris,*

& re-

& regionum situ, & philosophis disputantia. Hieronymus item Epist. 13. ad Paulinum ait: *Lactantius quasi quidam fluuius eloquentia Tulliana vtinam tam nostra confirmare potuisset, quā facile aliena destruxit*. Ita Hieronymus, cui in Epist. 83. visi sunt quasi Dialogorū Ciceronis Epitome libri illi septem, & alij De Ira, & Opificio Dei. Scripsit enim ad Magnum *Septem libros aduersus gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus eius Lactantius, qui de ira quoque atque Opificio Dei duo volumina condidit, quos si legere volueris, dialogum Ciceronis in eis excerptum reperies*. Quin & in Epist. ad Galatas lib. 2. c. 4. cum quorundam lapsus notasset, subdit: *Hoc ideo, quia multi per imperitiam Scripturarum (quod & Firmianus in octauo ad Demetrianum Epistolarum libro facit) asserunt Spiritum S. sæpe Patrem, sæpe Filiū nominari*. Quæ caussa fuit, cur etiam Gelasij Pont. Max. iudicio in Concil. Rom. in Decreto De libris authenticis, & apocryphis, censeantur apocrypha Lactantij Opuscula. Sanè idem Hieronymus in Apologia ad Pammachium, & ad Oceanum ait: *Lactantius in libris suis, & maximè in Epistolis ad Demetrianum Spiritus Sancti omnino negat substantiam, & errore Iudaico dicit eum ad Patrem referri, vel ad filium, & ad sanctificationem vtriusque personæ, sub eius nomine demonstrari. Quis mihi interdicere poteſt ne legam eius Institutionum libros, quibus contra Gentes scripsit fortissimè, quia superior sententia detestanda est?*

Recentiorum Iudicium, & labor in emendando Lactantio.

Sed & hoc ęuo non defuerunt, qui propiorem limam emendationi Operum Lactantij adhibuerunt: duo inprimis, Antonius Raudensis, cuius censura egere censore existimatur, (nam & eam Franciscus Philelphus Lactantium defendens reprehendit lib. 4. Epistolarum) & Michael Thomasius, cuius Notæ vnà cum Lactantij Operibus prodierunt, expressæ typis ann. 1587. apud Plantinum Antuerpiæ; quemadmodum post biennium, hoc est ann. 1589. Parisijs quoque insertę sunt ipsi Lactantio in secunda Editione Sanctorum Patrum. Verumtamen Lactantij lib. 4. c. vlt. locum non bene restitutum, Cęsar Baronius Card. Annal. Tomo 3. sub ann. 315. pag. 135. primę Rom. editionis restituit. Et quidem Lactantius ibidem sic habebat: *Cum enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionita, aut Anthropiani, aut Ariani, seu quilibet aly nominantur, Christiani esse desierunt ij, qui Christi nomine amisso humana & externa vocabula induerunt*, hæc Lactantius, quę est & omnium exemplarium, & nouem qui extant in Vaticana Bibliotheca, & Aldini vetus, & germana lectio. At nescitur vnde fuerit expunctum in Lactantio abs se emendato, illud. *Aut Ariani*. Caussam putat fuisse Baronius, quod in Prętatione Lactantio pręfixa asseritur, Lactantium suos scripsisse libros, antequam hęresis Ariana prodijsset: nam ait: *Quod aliqui hunc auctorem accusent, ferendum nullo modo est, cum ipse ante Arium vixerit, & scripserit*. Atqui inquit Baronius Card. multò solertius, & verius dixisset. Quomodo Lactantius ab aliquo Arianus censeatur, cum multis alijs in locis in confessione verę fidei Ario aduersetur, & adeo perspicuè in citato superius loco Ariana ab eo taxatur hæresis, & inter alias hæreses annumeratur?

Lactantium autem tempore Arij vixisse, atque scripsisse, euincit solidis argumentis eodem in To. 3. Annal. Baronius Card. non vno in loco.

Atqui Lactantius lib. 7. c. 24. 25. & 26. Diuinarum Institutionum vnà cum Papia, Irenæo, Iustino, Tertulliano, Apollinari, alijsque nonnullis, nondum satis expensa veritate, vt in cap. 36. Ezechielis Hieronymus refert, putauit pręlium Gog, & Magog futurum mille annis post mortem Antichristi. Scribit enim finitis sex annorum millibus ab Orbe condito, venturum Antichristum, & regnaturum tribus annis cum dimidio, tunc occidendum Antichristum, appariturum Christum, futuram resurrectionem, & regnaturos Sanctos cū Christo hic in Terris mille annis, in summa pace, & tranquillitate, infidelibus interim qui dem exterminatis, sed pacatè seruientibus. Quibus finitis iterum soluendum Diabolum, & excitandum bellum atrocissimum omnium gentium, quæ per mille annos inseruierunt Sanctis, contra eosdem Sanctos, & hoc esse prælium Gog, & Magog, de quo loquuntur Ezechiel, & Ioannes in Apocalypsi: sed paullo post Diuinitus occidendos omnes impios

tuncque

tuncque futuram secundum Resurrectionem,& Mundum prorsus innouandum. Sed hic error iamdudum ab Ecclesia ablegatus est,cum Dominus Iesus planissimè,cap. 24.& 25. Matth.dixerit post Antichristi persecutionem illico postremum futurum iudicium,bonos autem omnes in vitam æternam,malos verò in ignem ęternum ituros. Quamobrem neque post alios mille annos,neque adeo deinceps amplius futura pręlia vlla. Vide Maldonatum nostrum in Matth.Franciscum Riberam in Apocalypsim. Hieronymum Pradum,& Ioan.Baptistam Villalpandum in Ezechielem.

Quin & Lactantius eodem in libro septimo scripserat antea,cap.21.hęc verba: *Nec quisquam putet,animas post mortem protinus iudicari,nam omnes in vna, communique custodia detinentur,donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen.* Sed & hic lapsus est Lactantius,quemadmodum in plures alios errores, pręsertim circa futurum seculum. Vide Bellarminum Cardin. cap.2.de Sanctorum Beatitudine lib.1.cap. 2.3.4.5.6. To.2.Disputationum.

Iam verò De Lactantij libro de Opificio Dei,per Erasmum recognito, ac Scholijs illustrato,qui separatim Basileæ prodijt apud Frobenium ann.1529.Deque operibus Lactantij,quę anno 1497. prodiere Venetijs apud Beuilaquam, & Lugduni apud Gryphium, & Basileæ apud Cratandrum anno 1532. Coloniæ apud Petrum Quentelium ann. 1544. emendatis ad vetustorum exemplarium collationem,pręfixaque locorum Notatione, qui minus quadrare veritati videntur,nihil hic dico,quandoquidem postremæ,quas attuli editiones illis sunt pręferendæ.

Scio autem in Lactantio pleraque alia improbari,quę quoniam extant in ipsis Notis eorum,quos dixi in eo emendando laborasse,ideo ad eosdem atque adeo ad Franciscum Floridum Sabinum lib.2.capit.4.succesiuarum Lectionum, illos refero. Sanè forma illa loquendi,qua Lactantius vsus est in libro primo de falsa religione, cap.7. cum dixit Deum etiam ex tempore se ipsum fecisse,absurda est,atque improbanda. Vide quę attulimus ex Frãcisco Suarez Theologo nostro,in verbo,Gilbertus Genebrardus,vbi de Didacticis huius operibus egimus. Quæve Robertus Card.Bellarm.To.1.Controu.2. lib.2. de Christo, c.19.hac de re scripsit.

Minus item probandum esset,quod idem Lactantius,lib.6.Diuinarum Inst.cap.20.affirmat,nimirum,numquam omnino fas esse hominem occidere. *Non enim*,inquit, *cum occidere Deus vetat,latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet, sed ea quoque ne fiant,monet,quæ apud homines pro licitis habentur.* Ac non ita multo post. *In hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quia occidere hominem sit semper nefas.* Minus inquam esset probandum,nisi ipse de spectaculis ageret,vbi homines trucidari gaudeant aliqui,in quos inuehitur. *Nam qui hominem* (ait) *quamuis ob merita damnatum, in conspectu suo iugulari pro voluptate computat,conscientiam suam polluit; tam scilicet,quàm si homicidij, quod fit occultè, spectator, & particeps fiat.*

Alia ne scripserit Lactantius, quæ non extent, Quæve eidem falsò tributa sint.

Cum autem Lactantius ad finem postremi Capitis libri Quarti Diuinarum Institutionum hęc verba scripserit: *Hæc interim paucis admonendi gratia retuli,ne quis errorem fugere cupiens,maiori implicetur errore, dum penetrale veritatis ignorat. Postea plenius,& versus contra omnes mendaciorum sectas, proprio, separatoque opere pugnabimus.* conijcimus eum in extrema iam senectute positum haud pręstitisse, quod pollicitus fuerat. Eo enim tempore,quo illa promiserat,magistrum agebat valde senex,vti Hieronymus inquit, Crispi Cęsaris, Filij Constantini, quemadmodum ex eodem Hieronymo supra ostendimus.

Sed & Symposium,& liber,qui inscribebatur Grammaticus,& de Persecutione,ac libri octo Epistolarum, qui Hieronymi tempore extabant, interierunt.

Ceterum, Carmina,quę in excusis libris Lactantio ascribebantur,in nullis antiquis Codicibus inuenit Michael Thomassius,qui tamen quinque Vaticanos,ac duos Bononienses

inter

inter alios, contulit cum impressis. Phœnicis verò Carmina haud esse Lactantij, quamuis sint scripta ab elegantissimo aliquo Poeta, inde probat, quòd ille Christianus non fuerit. Nam Phœnicem nominat Solis Sacerdotem, & sic de illo nemore loquitur, & de Phœbo, tã quam ille reuera sit Deus, & habeat nemus illud charissimum, ac sibi dicatum.

Carmina item de Resurrectione, ac de Paschate, quod ad elegantiam attinet, cum illis Phœnicis haud possunt comparari. Quæ quidem inter Opuscula Venantij Fortunati Poetæ Christiani, quæ sunt in Bibliotheca Vaticana, inuenta sunt, vt huius esse legitimos fœtus credendum sit.

Tertium Poema de Passione Domini non putatur esse Lactantij, quoniam nullibi inter antiquos Lactantij codices inuentus est. Vide Notas, siue Scholium vltimum Michaelis Thomassij ad opera Lactantij.

Iam verò, quæ Argumenta in singulas fabulas Metamorphoseon Ouidij, & Adnotationes in Statij Thebaidem, ab Henrico Glareano, atque à Gesnero tributa fuere Lactantio, quæ quidem esse lectu dignissima asseruerunt, nulla ratione Lactantij fuisse dicenda sunt. Luctatij Placidi Grammatici potius fuere, qui & Venetijs excusus fuit ann. 1508. cũ libris Thebaidis Statij.

LADISLAVS Vetesius, Pannonius, Orationem ab se habitam ad Sixtum IIII. Pont. Max. nomine Matthiæ Vngariæ atque Boemiæ Regis, edidit Romæ.

LADISLAVS Vngariæ Rex, scripsit Orationem de Laudibus Nicolai V. Pont. Max. Extat num. Quarta inter eas, quas Albertus de Eyb, collegit.

LAELIVS Ballionius, Florentinus, Ord. Seruorum, scripsit Tractatum de Prædestinatione: Alterum De peccato Originali. Michael Pocciantius Ord. Seruorum, in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

LAELIVS Iordanus, Romanus, Episcopus Acernensis, scripsit Librum, siue Tractatum de maioribus, rerumque capitalium Episcoporum caussis ad Pont. Max. deferendis, ac de Romanæ sedis origine, atque auctoritate, Venetijs primò editum ann. 1572. At deinceps insertus est Tractatibus, To. 13. par. 2. fol. 2.

LAELIVS Tifernas. Vide in verbo, Lilius Aegidius, Liberius, Tifernas.

LAELIVS Zecchius, qui deinceps cum esset I. V. C. fuit quoque Canonicus, & Pœnitentiarius Brixiensis Theologus, scripsit

De priuilegijs Ecclesiæ, ac De casibus reseruatis. Qui liber prodijt Veronæ apud Sebastianum à Donnis ann. 1587. deinde Venetijs apud Iacobum Cornetum, ann. 1591.

Tractatum inter militem Sacrum, & militem secularem apud eundem Sebastianũ à Donnis Veronæ ann. 1588. Præfert autẽ hic liber nomen quidem Lælij, & cognomen *Zanchi,* non autem *Zecchij*, & quidem Veronensis.

Librum inscriptum, *Abyssus Pietatis Dei,* ibid. apud eundem ann. 1589.

De Institutionibus Clericorum, ibidem apud eundem ann. 1588.

De Statu, & munere Episcopali, vbi agitur De Episcopalis dignitatis Præstantia, Potestate, Officio Episcopi, De Residentia, De Visitatione, ac De ratione se habendi in cura Animarum, & de Administratione Episcopali. Brixiæ apud Vincentium Sabium, ann. 1592.

Tractatum de Sacramentis. Ibidem apud Petrum Marchettum, ann. 1596.

De Republica Ecclesiastica, vbi agitur quidquid ad Personarum Ecclesiasticarum dignitatem, potestatem, munus spectat, è sacrarum litterarum testimonijs, atque è SS. PP. sententijs, & Canonum atque Conciliorum Sanctionibus, & monitis Iurisperitorum. Veronæ apud Io. Baptistam Marinum Venetum ann. 1599.

Summam moralem Theologiæ, & Casuum conscientiæ. Ibid. eodem anno.

LAEVINVS Torrentius, Archidiaconus Leodiensis, S.R.E. Protonotarius, scripsit Poemata Sacra, digna quæ sæpè versentur à pijs, & doctis viris, eorum verò sunt:

Hymnorum de Partu Virginis, lib. 3. De Puero Iesu, lib. 1. In Natalem Domini Elegia.

Votum, siue scribendi De Partu Virginis occasio, cum enim iactatus esset tempestate maris, labores suos dicauit Beatiss. Virgini Lauretanæ.

In Ioannis Austriaci naualem de Turcis Victoriam Elegia.
De bello Turcico. Quæ omnia apud Christophorum Plantinum Antuerpiæ fuerunt excusa ann. 1572. cum & idem ipse Læuinus Commentarius emiserit in duodecim Cæsares Suetonij Tranquilli.

LAEVINI alij, qui hoc nomine vocati sunt, scribi non solent cum diphtongo. Quare Vide in verbo, Leuinus.

LALIVS Etruscus, siue cognomento *de Thuscia*, Neapolitanus, scripsit super Constitutionibus Regni Siciliæ.

LAMBESITANA Synodus. Vide in verbo, Africanum Concilium nonaginta Episcoporum anno Dom. 242. coactum.

LAMBERTVS de Beussen, Præpositus ad S. Ioannem Osnaburgensem Chronicon Hermanni de Lerbeken restitui, & augeri curauit.

LAMBERTVS Abbas, Hasungensis, monachus Ordin. D. Benedicti scripsit Chronicon. Trit. in Compendio.

LAMBERTVS de Legia, Ord. D. Benedicti, quem vixisse ann. 1480. aliqui, alij 1476. (vt Eisingrenius) non rectè scripserunt (vixit enim ann. circiter 1080.) scripsit De Vita, & Miraculis Sancti Matthiæ Apostoli, carmine lib. 2. Totidem De S. Agricio.

LAMBERTVS Leodiensis, monachus Ord. D. Benedicti in Monasterio Sancti Laurentij Tuitiensis, Congregationis Cluniacensis, scripsit Vitam Beati Hereberti Archiepiscopi Coloniensis. Hymnorum vario carminis genere librum. Epigrammatum alterum. Viuebat anno 1220. vt Arnoldus Vion testatus est, cui fides habenda est magis quàm Eisingrenio scribenti eum vixisse ann. 1147. siue alijs, qui ann. 1460.

LAMBERTVS Schafnaburgensis, Germanus, Ord. D. Benedicti, monachus Hirsueldensis in Buchonia Sylua, quæ sita est inter Hassiam, & Turingiam Moguntię Dięceseos, Congregationis Cluniacensis. Vixit ann. 1077. Hic Chronicon Monasterij sui Hirsueldensis breue quidem, sed (vt inquit Tritemius) non inutile. Et de Gestis Regum, Principum, atque Imperatorum à Carolo Magno vsque ad ann. Dom. 1077. Historiarum volumen insigne, atque iucundæ lectionis. Quod cum sine nominis, siue Auctoris inscriptione circumferretur, ab hæreticis denique Tubingæ, ann. 1533. excusus, neque egēs mendis, postea Francofurti ad Męnum vnà cum alijs rerum Germanicarum Scriptoribus fuit recusus anno 1583.

LAMBERTVS Villot, Belga, Ordinis Minorum, ex oppido, quod Fontes Episcopi dicitur, varios fidelis Sponsæ affectus, quibus erga Sponsum Redemptorem fertur, distinctis vigintiquattuor Iconibus expressit, additis è Diuina Scriptura sententijs, quæ vniuscuiusque imaginis significationem referunt. Obijt octauo Kalen. Maij, ann. 1579. in Belgio.

LAMENTATIO præsentis Germaniæ status, pręsertim ob veteris Religionis cum nouis hæresibus commutationem. Ingolstadij apud Alexandrum Vueissenhorn. ann. 1577.

LAMENTATIONES, & Planctus Monachi Peccatoris, & hospitis m. ss. Græcæ extant Romæ in Bibliotheca Sfortiana.

LAMFRIDVS. Vide in verbo, Lanfrius paullo infra.

LAMPADANVS, qui Prolegomena scripsit in Psalmos Dauidis, extat m. s. in Bibl. Imperatoris Viennæ Austriæ.

LAMVEL (ait Sixtus Senensis) Rex Hebręus, scripsit bipartitam quandam Institutionem, quę in vltimo Prouerbiorum capite recitatur, cuius prior pars breuem Regis Institutionem habet; posterior verò continet institutionem Matrisfamilias viginti duobus carminibus comprehensam, iuxta ordinem videlicet, ac numerum Hebraicarum litterarum, ita vt singuli versus à singulis litteris incipiant. Iudæi arbitrantur hunc Lamuelem fuisse Salomonem, idcirco Lamuel, hoc est *apud nos Deus*, appellatum, quia in diebus eius fuerit Deus cum Israelitis, seclusa omni cultura idolorum, præsertim tempore iuuentutis eius, quando magno zelo templum Deo maximo erexit, & Diuinum cultum propagauit. Hæc Sixtus.

Lancelotvs Ridley, Cantuariensis à Gulielmo Eisingrenio viro Catholico dicitur scripsisse Commentarios in Iosue. In Epistolas Diui Pauli ad Ephesios, ad Philippenses, Ad Colossenses, In posteriores Ioannis Epistolas, In Canonicam item Iudæ. Nos quoniam Scriptorem non vidimus, nihil possumus de eo asserere. Sanè verò cum idem Eisingrenius claruisse illum inquiat ann. 1548. Sixtus autem Senensis, qui eodem tempore suam Bibliothecam conflabat, quo Eisingrenius suum Catalogum, nullam ipsius mentionem fecerit, ac verò ne in Indice quidem Romano prohibitorum Librorum quidquam de eo dicatur, viderint cordati Catholici qualis sit Auctor.

Landenvlphvs Capuanus, Monachus Cassinensis, scripsit carmine De Instauratione Cœnobij Cassinensis, & de Regimine Desiderij Abbatis. Arnoldus Vion.

Landvlphi duo, nullo cognomine, neque verò vllo Patriæ nomine, vterque tamen Ordin. Minorum, (ac forsan vnus tantum) scripsisse super primum Sententiarum, cuius testimonio Auctor Summæ Anglicæ nitatur, ait Henricus Villot. Alter autem, siue idem ipse, qui & sequens, exposuisse Librum secundum Sententiarum ait Eisingrenius. Vixisse verò ann. 1462.

Landvlphvs Caraciolus, Neapolitanus, Ordin. Minorum, Archiepiscopus Amalphitanus, Scoti Auditor, scripsit In quattuor libros Magistri Sententiarum, Incipit, *Fundamentum primum lapidis Sapphyri*. In Zachariam Prophetam. In quattuor item Euangelia. In Epistolam ad Hebræos. Sermones de Tempore. Quodlibeta complura. Cathedram (vt vocant) Magistralem Ioanne XXII. Pontif. Max. Lutetiæ rexit. Franciscus Gonzaga Episc. Mant.

Landvlphvs Columna, Romanus, & Canonicus Carnotensis Romanorum Pontificum Historiam texuit à Sancto Petro vsque ad sua tempora. Viuebat anno 1298. Eisingrenius.

Landvlphi nomen qui Ludulpho de Saxonia tribuunt, falluntur, Quare vide in verbo, Ludolphus Saxo.

Lanfrancvs Cantuariensis Archiepiscopus antea Cadomensis Abbas, demissione animi, & humilitate, atque doctrina eminuit. Humilitatem id potissimum indicauit, quòd cum Philosophus, atque Theologus esset insignis, Beccense tamen in Normandia Monasterium Ordinis Diui Benedicti ingressus, ac sub Herleuuino Abbate monastica disciplina excultus, aliquot annos ibidem se idiotam, & illiteratum simulans, mansit incognitus; gaudens abiectus esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis Peccatorum. Sed cum Diuinitus ab Italis quibusdam mercatoribus agnitus, Monasterio proderetur, (erat enim Ticinẽsis è nobili Beccariorum familia) primò Prior Claustralis, mox Abbas Cadomensis, denique Archiepiscopus Cantuariensis creatus est. Doctrinam porrò monstrarunt, tum illud quod in Romano Concilio nonaginta trium Episcoporum anno 1059. Nicolao Secundo Pont. Maxif. aduersus Berengarium Diaconum Andegauensis Ecclesiæ hæreticum egit; tum scripta, quæ reliquit: Certè, quod & Sigebertus testatur libro De viris Illustribus, cap. 156. ita validè conuicit Berengarium, vt ipse suis manibus ignem accenderit, scriptaque sua combusserit, iurans (quamquam promissa non præstitit) se numquam amplius talia dicturum, docturum, scripturum. Ergo cum periurus aduersus catholicam veritatem, & memoratam Synodum, atque item aduersus Humbertum Cardinalem scripsisset, à Lanfranco ad ea omnia rescriptum est ita, vt hinc Berengarij erroribus, illhinc confutatione Lanfranci ob oculos positis, veritas Orthodoxa pateret. Scripsit igitur Commentarium in Psalterium. In omnes item Diui Pauli Epistolas. Gesta Gulielmi Comitis. De veritate Corporis, & Sanguinis Dom. aduersus Berengariũ. Qui liber post superiores ipsius editiones, vnà cum Guitmundi Archiepiscopi Auersani, Algeri monachi Cluniacensis, Adelmari Episcopi Brixiensis, Iuonis Episcopi Carnotensis, libris optimis eiusdem argumenti iam secundo à mendis, quæ siue ab Amanuensibus, siue à Typographis irrepserant repurgatus per Ioannem Vlimerium Priorem Canonicorum Regularium S. Martini apud Louanienses prodijt Louanij apud Hieronymum Vuellæum, ann. 1561. Qui deinceps insertus fuit secundæ editioni Bibliothecæ Sanctorum Patrum

trum Margarini Bignæi, To.6. Incipit, *Lanfrancus misericordia Dei Catholicus Berengario Catholicæ Ecclesiæ aduersario.*

LANFRANCVS de Oriano I. C. scripsit Repetitionem cap. Quoniā contra. De Probat. in 2. Decret. lib. 1. super Cle. De verb. signif. lib. 1. in cap. Dispendiosam. De Iudi. in Clem. lib. 1. Repet. c. Raynutius. De testa. in 3. Decretal. lib. 1. De lege admonendi, De iureiu. lib. 1. De interpretatione statutorum lib. 1. l. centurio. De vulg. & pup. substit. lib. 1. Repet. Rub. in 2. Decret. De causa pos. & prop. lib. 1. De Appellationibus. Repet. in Rub. de Testamentis cap. Raynaldus. in 3. Decretal. Consilium de petitione compromissi post litem contestatam. Defensorium Iuris cum Additionibus Benedicti de Vadis. Ceterum Lanfranci Aurea Practica iudiciaria super cap. Quoniam, de probationibus conscripta insertis, Benedicti Vadij, & Celsi Hugonis Annotationibus, atque à Gabriele Sarayna, repurgata excusa est Coloniæ ann. 1572.

LANFRIDVS Anglus, monachus Vuitoniȩ in Anglia, cōgregationis Giribēnȩ, scripsit De vita S. Suuithumi Episcopi librum. De Miraculis eiusdē alterū. Viuebat ann. 980.

LAODICENVM Concilium apud Laodiceam Phrigiæ Pacatianȩ ex diuersis regionibus Asiæ celebratum est, non autem apud Laodiceam Syriæ, vt cum alijs falsi sunt Anselmus apud Gratianum 11. dist. 16. quique postremam Conciliorum editionem emiserunt.

Et quidem celebratum esse non solum ante Theodoretum, qui eius meminit in Epistola ad Colossenses cap. 2. verum etiam ante Basilium, qui in Epistola ad Amphilochium, cap. 1. dicens: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiā, & dispensationem eorum, baptisma Catharorum (hoc est Nouatianorum) suscipi, suscipiantur.* indicat idem ipsum Concilium. Id enim statutum habetur in Laodiceno Concilio can. 7. ex quo etiam Cōcilio cum reijciatur Cataphrygarum baptismus, ex sententia eorundem, Basilium itidem in eadem epistola definiuisse apparet.

Quin & celebratum fuisse ante Concilium Nicænum, ac post Neocæsariense grauibus rationibus adducitur Cæsar Card. Baronius, vt credat. Quas legat, qui velit in Appendice ad 4. Tomum Annalium pag. 731. C. D. primæ Romanæ editionis.

Celebratum quoque non sub Theodoto Laodiceæ Syriæ Episcopo, sed sub Nunechio Laodiceȩ Phrygiȩ Pacatianȩ Episcopo, qui Nicȩno Concilio, & Ancyrano cum interfuerit, subscriptus est Metropolitanus eius sedis.

Quod autem eiusdem Canone 35. improbari videatur Angelorum cultus. Vide quæ primo To. idem Baron. Card. scripsit cum egit de Pauli ad Colossenses Epist. sub ann. 60.

Ex his constat, quàm præpostero ordine, quæ tertio loco ponenda erat Synodus Laodicensis apud Gratianum 11. dist. 16. reperiatur sexta ordine collocata post Sardicensem, & Antiochenam, atque perperam ibidem in Syria sub Theodoto, vel Theodosio Episcopo celebrata, relataque ad Liberij, vel Damasi Papæ tempora. Nihil tamen dicimus de Canone sextȩ Synodi cap. 7. dist. 16. eo quòd in ea Patres nequaquam seruare temporis ordinem professi sunt. Hæc è Baronio Card. vt vnicuique, quod suum est, tribuamus.

LAPIDVM duodecim, quorum mentio fit in Diuinis scripturis, Nomina extant m.ss. Grȩcè in Vaticana Bibliotheca hac inscriptione. Ὀνόματα τῶν δώδεκα καὶ πολυτελῶν λίθων. Vide autem præter alios, quæ Franciscus Ribera, & Blasius Viegas nostræ Societatis Theologi in Apocalypsim D. Ioan. scripsere de illis.

LAPVS Abbas Monasterij S. Miniati, in monte, propè Florentiam, natione Etruscus, quippe qui natus est in Oppido, quod *Podium Bonici* appellatur, è familia Tuctorum, Ordinis S. Benedicti, eximius fuit Iuris Pontificij Doctor, ac Decretalium Sexti libri, & Clementinarū primus Interpres. Scripsit igitur commentarios ad librum Sextum Decretaliū Bonifacij Octaui Pont. Max. & ad Clementinas Clementis Quinti Pont. Max. Qui, cum trecentos annos delituissent, opera denique Tusci I. C. Regiensis ann. 1589. excusi sunt Romæ in Aedibus Romanis apud Georgium Ferrarium. Eorum initio sic de se Lapus ipse loquitur: *Ego namque Lapus Abbas Monasterij S. Miniati ad Montem Florentiæ inter Doctores Decretorum minimus.*

At Calderinus in Consilio 46. aliàs 8. De consuet. circa finem, citat etiam Lapum su-

per Decreto Gratiani. Additiones item ipsius ad Federici Petrucij librum De Pluralitate Beneficiorum. De Hospitalarijs. De Canonica Potestate. De Quarta. Quin & Consilium scripsit De Inquisitorum,& Nunciorum Apostolicorum exemptione à iurisdictione Ecclesiastica.

Neque verò Lapus iste idem est cum Lapo Castllionæo (vulgo *Castilionchio.*) quemadmodum Tritemius,& Michael Pociantius in catalogo Scriptorũ Florentinorum sunt opinati. Qui quidem secus dixissent si Lapi Castilionæi Allegationes ann. 1571. Venetijs excusas legissent in quarum sexta nu. 2. & septuagesimaquinta, nu. quinto, ac centesima prima ipso in initio, vbi agitur de Patria, & Familia Lapi Abbatis S. Miniati. contrarium cernitur. Accedit quòd Lapus Castilionęus Lapum Abbatem non raro Dominum suum nominat, vt probabile sit huius illum fuisse discipulum. Vide Lapi Castilionæi Allegationem 46. nu. 6. & 118. col. fin. 120. circa finem. & 121. nu. 3. atque alibi. Ceterum Lapus Abbas, quamuis Baldo fuerit senior, cum hoc tamen vti & cũ Castilionęo aliquando contulit, quemadmodum testatur Castilionęus, alleg. 105. Quæritur.

LAPVS Castilionæus alijs *de Castilione*, siue *Castilionchio*, quem item Germani Catalogisti, siue Bibliothecarij cum superiore confundunt, scripsit Allegationes, quæ à Bernardino Zanchino Florentino recognitæ, atque auctę prodierunt Florentię ann. 1568. Sed & iterũ à Quintil. Mandosio recensitę, atque factæ auctiores, Venetijs recusæ sunt an. 1571.

LATERANENSIS Prima Synodus, in ordine autẽ Generalium Synodorũ DCCCC. & amplius, ann. 1123. contra Sarracenos pro recuperanda Terra Sancta, tempore Calixti Secundi, & Henrici V. Imp. Platina. Onuphrius, non extat.

LATERANENSIS Secunda Synodus, quæ fuit decima Generalis Episcoporũ mille ann. 1139. contra Antipapas, & pro iure cleri. Innocentio II. Pont. Max. & Lothario Imp. Platina, Onuphrius, non extat.

LATERANENSIS Tertia Synodus, quæ fuit vndecima Generalis, Episcoporũ plus minus 300. pro reformatione Ecclesiæ, & contra Valdenses ann. 1580. Alexandro III. Pont. Max. Friderico I. Imp. Platina, Onuphrius, Gulielmus item Tyrius, qui interfuit, lib. 20. de bello Sacro, cap. 26.

LATERANENSIS Quarta Synodus, quæ fuit duodecima Generalis, Patrum 1283. ex quibus erant Episcopi CDLXXIII. ann. 1215. contra varias hęreses, & pro Terra Sancta, Innocentio Tertio Pont. Maximo, Friderico Secundo. Matthęus Palmerius, Platina, Onuphrius.

LATERANENSIS Quinta Synodus, quæ in ordine est decima septima Generalis, Patrum 114. contra schismata, & pro varijs negocijs tempore Iulij Secundi, & Leonis Decimi, & Maximiliani I. Imp. cępit ann. 1512. finem habuit ann. 1517.

LATINVS quidam sine nomine, ac sine cognomine, vel mentione Patria Græcus extat m. s. in Bibliotheca Vaticana hac inscriptione, *λατίνου τινὸς ἀσκοῦντος ἐν τοῖς προαστείοις τοῦ παρισίου πρὸς αὐτοκράτορα ῥωμαίων μανουὴλ τὸν παλαιολόγον ἀποδημοῦντα ἐν ταῖς γαλλίαις, ἐν σχήματι συλλογισμοῦ κεφαλαιώδης ἐπιτομὴ περὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως.* hoc est. Latini cuiusdam exercentis in Suburbijs Parisiorum ad Imper. Romanorum Manuelem Palæologum exulem in Gallijs, in figura Syllogismi Capitularis Epitome. De processione Spiritus Sancti.

LATINVS Frangipanius, Romanus, familiæ splendore clarus, sed clarior virtutibus, atque doctrina, Ord. Præd. deinceps autem à Nicolao III. eius Auunculo nimirum è Sorore Nepos, creatus Cardinalis, composuit Prosam illã, quæ canitur in die Animarũ, *Dies illa, Dies iræ.* Prosam quoque de Beatiss. Virgine. At Eisingrenius hunc cognomento *Malabrancam* nominat, eumque scribit in fidei caussis coram cętu Cardinalium Orationem habuisse, vixisse verò ann. 1277.

LATINVS Latinius, Viterbiensis, Vir eruditus, qui diu Romę nostra vixit ętate, locos ex coniectura, vel restitutos, vel aliter lectos in Tertulliano post editionem Iacobi Pamelij, ad eundem Tertullianũ, emisit Romę apud Franciscum Zannettum ann. 1584. Apud quẽ ann. item 1590. ibidem euulgauit folium inscriptum. *Rei nouæ proposita consideratio.*

Ea verò exquirebat sententias studiosorum, quinam sit Annus magnus, seu vertens, quem physica ratione deprehensum Africanus in somnio Scipionis apud Ciceronem affirmauit. Hac occasione De Cyclo maiore solari agebat, propendebatque in sententiã, quæ tribuitur Augustino, qui vniuersum tempus ab Orbe condito ad Christum natum statuit quinque millibus trecentis quinquaginta tribus annis fuisse comprehensum. Quod spatium (aiebat Latinius) si quis in Cyclos maiores Dionysij partiatur, inueniet supra decimum Cyclum nil amplius redundare, quàm annos triginta tres, quod librariorum negligentia, vel temeritate commissum sit. Decem enim Cyclorum cursus quinque millium trecentorum viginti annorum interuallo necessariò perficitur. Opinor verò (aiebat Latinius) triginta trium annorum numerum super integros Cyclos ab aliquo fortè additum, qui putarit ab Orbe condito non ad Christi ortum, sed ad mortem eius esse referendum. Nisi fortè verum sit, quod aliqui asserunt Nestorianorum consuetudinẽ fuisse Christi annos non ab eius ortu, sed ab Assumptione in Cœlum numerandi, quòd post Ascensionem Diuinitatem eius confessi fuerint.

Necessario autem effici (subdebat Latinius) Cyclorum initium cum Cęli motu cępisse currere, & vsque ad natum Christum Cyclos integros omnino numerari oportere, & proinde in Tabulis Alphonsi numerum tributum non 6984. sed 6384. restituendum esse, qui summam faciunt integri decimi Cycli. singulus enim Cyclus conficitur ex quingentis triginta duobus annis. Quomodo autem numerentur decem hi Cycli, ipse ex libris De mirabilibus D. Scripturæ affert lib. 2. cap. 40. qui libri falsò tribuuntur Augustino, & à Louaniensibus Tomo tertio Operum Augustini in Appendicem meritò reiecti fuere alicuius Britanni, vel Hiberni, qui post S. Augustini obitum annis ducentis, & triginta hos Commentarios edidit, atque ante venerabilem Bedam annis centum, & amplius.

LATRONIANVS Prouincię Hispanię (ait Honorius in Catalogo) vir valde eruditus, & in metrico Opere veteribus comparandus, cęsus & ipse Treueris cum Priscilliano, diuersis metris edidit multa Opera.

LAVRENTIA Strotia, Florentina, Ord. D. Dominici, Sanctimonialis cęnobij S. Nicolai de Prato, scripsit in singula totius anni festa sollemnia Hymnos Latino carmine elaboratos. Incipit, *Prima currentis celebratur anni. Nunc dies Sacro Puero dicata. Patre Diuorum, genito pudica, Et Matre Maria.* Porrò Laurentia hæc Cyriani Strotij eximij Philosophi soror fuit. Eius autẽ Hymni Parisijs excusi sunt apud Dionysium Vuinnes.

LAVRENTIVS Albertus, Germanus, scripsit cõtra Heidelbergensem Catechismũ. Ad Spirẽses item, Vuormatienses, & Landauienses, Admonitionem De cauendo vicino Zuinglianismo; Absurda quoque Lutheranorum. Ingolstadij ann. 1570. Germanicè. Tertulliani librum de Pręscript. hæreticorum in Germanicam linguam vertit, & ad nostra tempora aptauit. Dilingæ ann. 1572. Scripsit quoque Grammaticam Germanicæ linguę excusam Augustæ, ann. 1573.

LAVRENTIVS Ananias, libros De natura Dęmonum scriptos à se reliquit, qui & præ manibus habentur, pleraque autem, præsertim in quarto libro non ingrata de imaginibus fictitijs continet. At legendus est non vno in loco Martinus Delrius noster, qui in Tomis suis Disquisitionum Magicarum iam quartò editis eum expendens, docet quantum fidei sit illi tribuendum. Nam & interdum mirè nugatus fuisse deprehenditur, quẽadmodum & in lib. 3. De natura Dæmonum affert verba illa maioris efficaciæ natura sua esse, quæ sunt orta à lingua digniore, & à sanctiore dignitate instituta, & quæ res sanctiores significant.

LAVRENTIVS Arturus Faunteus, Anglus, Societatis Iesu Theologus, pleraque doctissimè, & pereleganter aduersus hæreticos Luteranos, Caluinistas, & alios scripsit. quæ quidem maxima ex parte excusa sunt Posnaniæ in Regno Poloniæ in Officina Typographica Ioannis Volrabi ab anno 1580. vsque ad sequens penè decennium quò itẽ viuebat. Inter eos autem libros lectu dignissimus est, quem inscripsit *Cœna Lutheranorum, & Caluinianorum Oppugnatio*, ac Catholicæ Ecclesiæ Defensio, contra quam cum Daniel Tossanus hæreticus, solitas blasphemias euomuisset, ab eodem Laurentio Arturo emissa est perdo-

cta Refutatio: atque addita Confutatio Thesium alterius hæretici Zachariæ Schilteri Doctoris (si Deo placet) Lipsiensis, De Sacra Scriptura, & eius auctoritate. Posnaniæ anno 1590. apud eundem Ioannem Volrabum. Sed & anni. 1589. Coloniæ apud Birckmannum prodijt eiusdem Laurentij Arturi Apologia Libri sui de Inuocatione Sanctorum contra Tossanum.

LAVRENTIVS Aquitanus, tum carmine, varioque genere metrorum, tum soluta oratione scripsit ad Romanum de Ynli Card. Enchiridion in laudem Beatiss. Virg. lib. 10. Claruisse fertur ann. 1310. Nordouici autem in Bibl. extabat.

LAVRENTIVS de la Barre, castigatam à se Historiam Christianam Veterum Patrum excudi Parisijs curauit apud Michaelem Sonnium, ann. 1583. In qua omnium fermè, qui à tempore Apostolorum viguerunt, atque pro Christi Ecclesia militarunt, Acta Tempora, & rerum Ecclesiasticarum Status tamquam in Speculo verè Christiano demonstrantur.

LAVRENTIVS Bononiensis, Italus, Ord. Seruorum, scripsit Commentaria ad Quattuor lib. Magist. Sent. Librum item prænotatum, *Placita Theologica*. Alterum inscriptum, *Abbreuiata*. Viuebat ann. 1390.

LAVRENTIVS Brancofordius, Placentinus, Ord. Prædic. Scripsit Collationes Sanctorum in Psalterium. Sermones item varios, & Principia in Theologia. Viuebat anno 1420. Albertus Venetus.

LAVRENTIVS Brixianus, Ordinis Minorum, edidit Formalitates. Henr. Villot.

LAVRENTIVS Brochus, Patauinus, Opusculum emisit, quo imaginem Hominis Spiritualis expressit. Inscriptio est. *Attende tibi, vt rectè viuas*. Veronæ apud Petrum Discipulum, ann. 1596.

LAVRENTIVS Burellus Diuionensis, Gallus, scripsit Opus in laudem Eliæ Carmelitarum (vt ille vocat) Patriarchæ, quod inscripsit *Eliadem*. Alterum item De viris Illustribus Ord. sui. Viuebat adhuc ann. 1494. Alex. VI. Pont. Max. Trit. & Petrus Lucius Carmelita. Vide autem in voce, Carmelitę.

LAVRENTIVS Calcaneus, Brixianus, scripsit librum De Conceptione Beatiss. Virg. De septem peccatis mortalibus. De commendatione studiorum. Consilia item plura. Viuebat ann. 1478.

LAVRENTIVS Campestris, siue *Campestrius*, Dialogos morales emisit, ex quibus Adolescentes non solum litteras, verùm etiam bonos mores addiscant. Louanij an. 1571.

LAVRENTIVS Cauperus. Vide infra in verbo, Laurentius Cuperus.

LAVRENTIVS Corraducius, Fabrianensis, Ord. Minorum, Sermones feriales, & festiuos, vt appellauit, reliquit. Extant Fabriani in Cęnobio S. Francisci.

LAVRENTIVS Cundius, siue *Gundius*, ex vrbe (nam nunc habet Episcopum) Ripatransonia in agro Firmano, Picęni Italus, Biblioth. Homiliarū, & Sermonum è Priscis Ecclesiæ Patribus collegit, atque edi curauit: sed cum moriens non omnino absoluisset, excepit eundem laborem Franciscus Gerardus Mosanus, Germanus, Ordin. Prædicatorum, atque ad finem perduxit.

Porrò in ea Bibliotheca plures de ijsdem Euangelijs conciones habentur, quæ tam in Officio tempori accommodato, quàm in omnibus Sanctorum festis toto anno in Sanctissimo Altaris Sacrificio recitantur.

Addita verò sunt ad marginem Scholia, quibus, vel nostri temporis hæreses iugulantur; vel si quid excidit Patribus, dum adhuc dogmata omnia non fuerant communi Ecclesiæ iudicio expensa, quod probatum non sit, quonammodo intelligendum sit, modestè indicatur. Lugduni in Gallia ann. 1588.

Scio autem extitisse alterum ann. 1350. Laurentium Cunde, sed hic fuit Anglus, & magnus Angliæ Admirallus, vt vocant, qui Anglicè scriptum Opus emisit, quo duo expendebat. Alterum, Num præstaret esse Cęsarem, ac Agricolam: Alterum, Num melior esset misericordia sine iustitia, an Iustitia sine misericordia, ad Eduardum tertium, Angliæ Regem.

LAV-

LAVRENTIVS Cupcrus, quem aliqui non rectè *Cauperum*, alij *Cupraum* scribũt, Gerardimontensis, Belga, Ord. Carmelitani Theologus, & Germaniæ inferioris Prouincialis, scripsit Sermones vigintiquattuor De quattuor Nouissimis: nimirum Morte, Iudicio, Inferno, Gaudijs Cęli. Deinde Parænesim, siue Adhortationem ad Christianam Militiam. Qui duo libri Coloniæ prodierunt ann. 1583. Genealogiam, & Vitam B. Annæ Christi Saluatoris nostri Auiæ maternæ, è Priscis Patribus, Antuerpiæ apud Ioan. Bellerum, ann. 1592. Theatrum autem Mundi, siue De miseria humanæ conditionis è Gallico Latinum reddidit, cui & eiusdem argumẽti adiecit Opusculum De dignitate Hominis. Opera item omnia B. Baptistæ Mantuani Carmelitæ recognita ab se Belgicis typis elegantioribus cudi curauit. At & alia scripsit, quę Petrus Lucius Carmelita, qui de illo egit, ignorauit an subiecta sint pręlis. Nimirum, Commentarium in Esther, In librum Ruth. Conciones ad omnia Dominicalia Euangelia, & ad Festa Sanctorum. Chronicon De rebus Belgicis. Historiam Merlosinam, quam fecit Latinam.

LAVRENTIVS Dauidicus, librum prænotatum, *Columba animæ*, cũ alijs quibusdam Opusculis pijs emisit Mediolani, an. 1565. Italicè. Qua lingua Romæ item edidit alterum inscriptum, *Arx libera, Rocca Franca*.

LAVRENTIVS, Dunelmensis Cęnobij olim Pręcentor, (viuebat enim ann. 1160.) Scripsit tum Carmine, tum soluta Oratione libros nouem Hypognosticon ad Geruasium.

Sermones de Christi Domini Aduentu.
De eiusdem Natali.
De Assumptione Beatiss. Virginis.
Librum de Confessoribus.
Alterum De Virginibus.
Vitam B. Birgittæ Scoticæ.
Librum de B. Cuthberto Episcopo.
Orationem pro naufragis.
Alteram pro iuuenibus compeditis.
Orationes de D. Laurentio.
Inuectiuam in Detractorem Malgerium.
Librum ad Hatheuuisam.
Libros quattuor Dialogorum, carmine.
Librum De conscribendis Epistolis.

LAVRENTIVS Frisæus, Francus Orientalis, descripsit Vrbis Herbipolensis, eiusque Episcoporum Historiam, quam Sebastianus Munsterus suæ inseruit Cosmographię, quæ tamen legenda nõn est quoniam in Ro. Indice prohibita est.

LAVRENTIVS Frizolius, Solianensis, inter alia Carmina egregium scripsit, quod prænotauit, *Sacellum Gregorianum*. Est autem additum operibus D. Gregorij Nazianzeni à Billio versi.

LAVRENTIVS Gambara, Brixianus, & Sacerdos, qui nostra vixit ętate, curauit suo nomine edi Romæ apud Franciscum Zanettum, ann. 1576. Gregorio XIII. Pont. Max. Tractationem, in qua cum De perfecta Poeseos ratione agitur, tum ostenditur cur abstinendum sit à scriptione Poematum turpium, aut continentium fabulas falsorum Deorum, ac quàm latè pateat campus ad pulcherrima alia Poemata edenda. Qua item occasione vir ingenuus, cum plerasque è Græcis & Metamorphoses, & alia parum pudica, magno labore elegantibus versibus composuisset, ipsa die Patienti Christo sacra ann. Iubilęi 1575. expiatus vitæ totius Confessione apud Sacerdotem, ea, quæ auidè expectabantur, vt euulgarentur, ipsis suis manibus nobis pręsentibus concremauit, ne quid inde labis post tot aliorum obscęna carmina deriuaretur.

Scripsit autem Rerum Sacrarum, libros tres: Idylliorum verò vnum, qui editi Romæ apud Benedictum Accoltum, ann. 1582. & Antuerpiæ apud Plantinum, argumentis Iacobi Pacti Siculi, & figuris ex ære expressis prodierunt ann. 1577.

Sed & Noui Orbis à Christophoro Columbo in Occidente inuenti Poema, & laudes, atque descriptionẽ Caprarolæ, vbi insigne Farnesianum Palatium, carmine cecinit. Obijt paucos ante annos Romæ.

LAVRENTIVS Geruasij, Ord. Prẹd. qui claruit Ludouico XI. Gallorum Rege, Parisijs, reliquit librum prænotatum, *Copulata in vniuersam D. Thomæ Summam*.

LAVRENTIVS Grymalius, siue *Grimaldus*, libros duos emisit Venetijs ann. 1568. apud Iordanem Zilettum, De Optimo Senatore, quibus Magistratuum Officia, Ciuium beata vita, Rerumque publicarum felicitas explicatur.

LAV-

Lavrentivs Gulielmus Trauersanus, Saonensis, Lygur, Ordin. Minorum, Sixti Quarti Pont. Max. olim Alumnus, scripsit De vita ęterna,& vera felicitate. Quindecim item libros de Triumphis Domini Iesu Christi: nimirum De Sapientia. De Fortitudine. De Iustitia. De Clementia. De Amore. De pudicitia verò Beatiss. Virginis Carmine Heroico. Rhetoricam pro iunioribus. Extabant Saonæ apud Patres eiusdem Ordinis ab eodem scripta anno ętatis suę 71. Viuebat autem adhuc ann. 1495.

Lavrentivs Iacominus, Florentinus, Paręnesim ad vitam Christianam scripsit, quam & edidit Florentiæ ann. 1571. Ea Hetrusco idiomate, & sensibus pijs eruditè conscripta, pręfert Italicè titulum. *Essortatione alla vita Christiana, & Confirmatione della Fede.* Incipit, *Il Zelo dell' honor di Dio.*

Lavrentivs Italus, at Dorobernensis in Anglia Archiepiscopus, scripsit De obseruatione Paschæ. Obijt ann. 619.

Lavrentivs Iustinianus, Venetus, Ordinis Cęlestinorum, Venetiarum primus Patriarcha, vir Sanctitate, ac Doctrina eximius, scripsit

In D. Ioannis caput 12. 13. & 14. De Sermone Domini in vltima cęna librum, dulcibus colloquijs (inquit Sixtus Senensis) suauissimum.

De connubio Verbi,& Animę, alterum perutilem. Agitur enim De Creatoris, & Creaturarum operationibus; nempè, vt primò homines super omnia Redemptorem suum intelligant, recolant, & diligant, qui prius dilexit nos. Deinde in Deo, & propter Deum inuicem se diligant, virtutes imitando, & vitia fugiendo.

De Interiori conflictu.
De Sacramento Altaris.
De contemptu Mundi.
De cura siue officio Pastorali.
De Obedientia.
De gradibus perfectionis.
De disciplina Monasticæ conuersationis.
De Agone Christi.
De Complanctu Ecclesiæ.
De Vita solitaria.
Lignum Vitæ.
Sermones Quadraginta. Quæ opera Brixiæ ab Angelo Britannico excusa anno 1506. & alibi, deinde locupletiora apud Iuntas Lugduni ann. 1569. prodierunt. Floruit ann. 1410. Vitamque ipsius optimè Bernardus Iustinianus Fratris Filius scripsit. Porrò separatim eius libellus De Disciplina conuersationis Monasticæ Louanij apud Petrum Zangrium excusus est ann. 1576. Latinè, at Venetijs etiam Italicè versus.

Lavrentivs Lauretus, Venetus, Ord. Carmelitani, qui deinceps Adrię in Veneta ditione fuit Episcopus à Gregorio Quartodecimo Pontifice Maximo creatus, scripsit

In Epistolam Diui Pauli ad Romanos, & ad Galatas, dum ageret in Tridentino Concilio, Pio Quarto Summo Pontif.

In secundum librum Sententiarum.

Censuram ad Opera Septimij Tertulliani, iussu Pij Quinti Pont. Max.

Apologiam pro Antonio Mario, pro Episcopo Cremonę aduersus calumniatorem.

Tractatum de Censuris Ecclesiasticis, & alterum De contractibus.

Orationes habitas in Concilio Tridentino, & Romæ coram Pio Quarto,& Sixto Quinto, atque consessu Cardinalium.

Responsa ad Quæsita diuersorum Principum, ac Præsulum.

Scolia ad Sicardum Cremonensem Episcopum.

Sermones, & collationes varias vbere eruditione.

Atqui cum in Romana Academia, quæ *Sapientia* dicitur, professus esset publicè, scripserat quoque super totam veterem artem. Inque Aristotelis libros Priorum, primosque quinque,& octauum Physicorum. In primum item 2.4.5.7.8.12. Metaphysices.

Lavrentivs Masterillus, Fulginas, Ord. Minorum, Hymnos edidisse sacros scribitur à Francisco Gonzaga Episcopo Mantuano in Historia Seraphica.

Lavrentivs Mellifluus (ait Sigebertus in Catalogo) scripsit De duobus Temporibus, vno ab Adamo vsque ad Christum: Altero, à Christo vsque ad finem seculi. Quoniam verò quasi mellito ore concionabatur, Mellifluus cognominatus est. Atqui & Homilię

miliæ duæ extant eiusdem, qui fuit etiam Nouariensis Episcopus, De Pœnitentia, & de Eleemosyna, in To. 2. Bibl. SS. PP. Romanum verò Martyrologium prid. Kal. Maij meminit Laurentij Presbyteri Nouariensis, & Puerorum martyrum, quos ille susceperat educandos. Num verò idem sit cum Laurentio Mellifluo, incertum.

LAVRENTIVS Monachus Cassinensis, qui deinceps fuit Episc. scripsit Carmine De Passione S. Mauri Castrensis Episcopi. De vita item S. Venceslai Regis. De peruigilio, seu Vigilia S. Benedicti, Sermonem. Extat Cassini m. s. vti & alia quędam in sexto pluteo ad dexteram Bibliothecę. Vide Petrum Diaconum De viris Illustribus Cassinensibus cap. 6. Scripsit item Pręfationem in Doctrinas Dorothei. Extat in Bibl. SS. PP. To. 2. editionis secundę.

LAVRENTIVS Muzzolus, *Petrus* antea vocatus, Venetus, patricius, deinde monachus in cœnobio D. Benedicti de Mantua, Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, scripsit quadringentos Rythmos pios Italicè, quos à Laurentio Torrentino, anno 1564. Florentię excusos, Sansouinus recudi curauit Venetijs à se Commentarijs illustratos, ann. 1590.

LAVRENTIVS Nagelmackerus Dialogum scripsit, quo de Iubilęó, siue Indulgẽtijs, ac plenaria remissione egit. Antuerpię Gerardus Schmitz emisit ann. 1576.

LAVRENTIVS Noruegus, Societatis Iesu, Theologus, scripsit Opus, quòd prænotatum est: *Confessio Christiana, quam Christianissimus Populo in tribus Regnis Septentrionalibus Dania, Suenia, Noruegia constanter confessus est annis à Christiana fide suscepta, amplius sexcentis, vsque ad Dania, Noruegiæq; Regem Christianum Tertium, Suecia verò Gostauum Regem, in sex Capita distributam, vt agatur.*

In primo, De huius Doctrinæ firmamentis, quibus via Domini maioribus fuit constituta.

In secundo, De eiusdem vitę, in Christiana Iustitia, Doctrina, & Explicatione.

In tertio, De huius Iudice, caussis, & acquisitione.

In quarto, De norma, ad quam nostra Iustitia sit dirigenda.

In quinto, De officio Christianæ Iustitię.

In sexto, Qua ratione eadem iustitia sectatores suos ad salutem ęternam adducat.

Pręfixa est liminaris Epistola, quę Dedicatoria dicitur, his verbis: *Serenissimo, ac potentissimo Principi Christiano Quarto, Dania, Noruegia, Vandalorum, Gothorumque Regi, &c. Eorundemque Regnorum Senatui amplissimo, ac nobilitati clarissima, & generosissima.*

LAVRENTIVS Opimus, Episcopus Tridentinus, Ordin. Seruorum, scripsit in quatuor libros Sententiarum.

LAVRENTIVS Petius Coloniensis, scripsit librum hac Inscriptione, *Vinea Domini cum breui Descriptione Sacramentorum, & Paradisi, Limbi, Purgatorij, atque Inferni, è Catechismo, & Patribus Catholicis excerpta, cum appositis figuris tam noui, quàm veteris Testamenti.* Venetijs apud Hieronymum Porrum ann. 1599. At antea eiusdem Epitome Sacramentorum prodierat ibidem ann. 1569. apud hęredes Io. Marię Bonelli. Brixię autem ann. 1570. Constantię verò apud Nicolaum Kalt. ann. 1596.

LAVRENTIVS Surius, Germanus, Saxo, Lubecensis, Ord. Cartusiani, Colonię, vir sedulę pietatis in propagãdo cultu Diuino, Homilias Priscorum Ecclesię Patrum in totius anni Euangelia collectas primum ab Alcuino, recognitas autẽ à se, emitti curauit in lucem, ad quas accesserunt ad totius item anni Epistolas, Exegeticæ Conciones è pręcipuis Patribus congestę. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1569. & 1576.

Eiusdem Collectanea De Probatis Sanctorum Historijs, partim è Tomis Aluisij Lipomani Episcopi Veronę, partim è Selectis Codicibus manuscriptis, Colonię apud Geruinum Calenium, & hæredes Quentelios, ann. 1569. sequẽtibus, & 1581. Sex Tomis in folio. Qui deinceps sub nomine Aluisij Lipomanni fuere Venetijs recusi.

Eiusdem Commentarius Rerum in Orbe gestarum, ac pręsertim Caroli Quinti Imper. ab ann. 1500. vsque ad ann. 1574. Colonię apud eũdem Geruinum Calenium, ann. 1574. auctior excusus.

Ioan.

Ioan. Taulerus ab eodem è Germano idiomate Latinè redditus, & emaculatus. De exercitijs super Vita, & Passione Saluatoris nostri, vnà cum Nicolai Eschij exercitijs. Lugduni apud Bartholomæum Honoratum ann. 1556. Vide in verbo, Io. Taulerus.

Quindecim Conciones de Sanctiss. Missæ Sacrificio a Michaele Sidoniæ Episcopo Suffraganeo Moguntini Archiepiscopi Germanicè conscriptæ ab eodem Surio in Latinum conuersæ, atque excusæ Coloniæ, ann. 1552.

Libri quinque Institutionis Christianæ vitæ à Florentio Batauo Belgicè exarati, & à Surio Germanicè translati. Coloniæ ann. eodem 1552. excusi.

Sermonem Martini Eisingrenij, cur tam multi eius tempore ad Lutheranismum deficiebant, Latinum, vt pleraque alia, è Germanica lingua versum ab se, euulgari curauit.

Atqui etiam scripsit de Historia contra Io. Sleidanum. Cum autem curasset plurium Sanctorum Vitas consequi, non potuit voti compos fieri. Quinam verò de ijs postea scripserint. Vide in verbo, Philippus Ferrarius Ord. Seruorum. Et in verbo, Sancti.

Lavrentivs à Villauicentio Xeresanus, quæ Patria est in Prouincia Hispaniç Betica, Ord. D. Augustini, scripsit De Oeconomia Sacra circa Pauperum curam à Christo Dom. instituta, Apostolis tradita, & in vniuersa Ecclesia ad nostra vsque tempora, perpetua religione, obseruata, cum quarundam Propositiqnum, quæ huic Sacræ Oeconomiæ aduersantur, confutatione. Antuerpiæ anno 1565. apud Christophorum Plantinum. Conciones item in Euangelia, & Epistolas, quæ festis diebus recitantur. Lugduni apud Gulielmum Rouillium ann. 1568. Quæve in Euangelia, & Epistolas dierum Dominicorum leguntur. Ibidem apud eundem excusas, cum deinceps fuissent auctæ ab Aegidio Topiario Belgà, quin & Tabulas Compendiarias in Euangelia & Epistolas totius Quadragesimæ.

Phrases item eiusdem Laurentij, Sacræ Scripturæ ijs, qui eandem vel intelligere, vel profiteri publicè solent, perutiles. Antuerpiæ in Officina hæredum Stelsij ann. 1571.

Libros denique quattuor De rectè formando Studio Theologico, ac de formandis sacris Concionibus tres libros Coloniç apud hæredes Birckmanni, ann. 1573. cum Antuerpiæ antea, hoc est ann. 1565. prodijssent. Libros inquam multis nominibus vtiles, at verò vtiliores, si eæ, de quibus alibi diximus, Diuini codicis versiones, atque editiones Patrum, sic incorruptæ eo tempore prodijssent in publicum, quemadmodum postea magno Christianæ Reipublicæ bono est factum. Viuebat ann. 1565.

Lavrentivs Vbaldinus (alijs, non rectè, vt opinor, *Lauterius*) Florentinus, Ord. Præd. Librum aduersus Iudęos scripsit, quem prænotauit, *Capistrum Iudæorum*. Viuebat ann. 1418. Albert. Venet.

Lavrentivs, cui cognomen, aut Patria, siue ętas, qua vixerit, haud adscribuntur, Postillas æstiuo tempore, vno libro; hyemali autem, altero habitas scripsisse fertur ab Henrico Vuillot, qui & eas in Vestphaliæ Bibliotheca scribit asseruari: manu ne scriptas, an excusas tacens.

Lavretanae Domus, vbi Beatissima Virgo concepit Mundi Redemptorem, quę ve ab Angelis delata ex Iudæa fuit primò in Dalmatiam, deinde in Picenum propè agrum Anconitanum, Historiam trecentorum annorum absolutam scripsit, atque edidit Horatius Torsellinus noster, eleganter, ac verò, nil omittens eorum, quæ antea è certioribus Historiographis, aut ex Archiuis integrę fidei erui potuerunt. Vide in verbo, Horatius Torsellinus.

Lavrvs Quirinus, nobilis Venetus, & I. C. librum à se confectum inscripsit *Castigationes Hebræorum*. Introductionem ad linguam sanctam. De mysterio Numerorum. Viuebat ann. 1462. Franc. Sansouinus.

Lavterivs. Vide in verbo, Laurentius Vbaldinus.

Lazarvs Cardona, Modicanus, Siculus, I. V. C. & Sacerdos, scripsit Commentaria ad tres libros Iacobi Sanazarij De Partu Virginis, quæ excusa sunt Venetijs an. 1584.

Lazarvs Metropolita Larissę, Epistolam scripsit, quę m. s. Grçcè extat in Biblioth. Regia Parisijs.

Lean-

L E

LEANDER Albertus, Bononiensis, Ordin. Prædic. scripsit sex libros de viris Illustribus sui Ordinis, iique editi sunt Bononiæ, ann. 1517. Chronicon, siue 62. libros Historiarum Ciuitatis Bononiensis. Opus item grande, idque Italicè, quo vniuersam Italiam describens accuratè, virosque ipsius claros indicans, non mediocrem sibi peperit laudem. Id excusum Bononiæ anno 1550. deinde item alibi, recusum est postea Latinè Coloniæ ann. 1567. Sed & scripsit Opusculum de sepultura D. Dominici. Ephemerides ab Aduentu Ludouici Galliæ Regis vsque ad annum 1552. Vitam Ioannis Bentiuoli.

LEANDER (vt habet in Catalogo Isidorus) genitus patre Seueriano Carthaginiensis Prouinciæ Hispaniæ, professione monachus, & ex monacho Hispalensis Ecclesię prouinciæ Beticę constitutus Episcopus, vir suauis eloquio, ingenio pręstantissimus, vita quoque tantum, atque doctrina clarissimus, vt etiam fide eius, atque industria populi gentis Gothorum ab Ariana insania ad fidem Catholicam reuerterentur. Hic namque in exilij sui peregrinatione composuit duos aduersus hæreticorum dogmata libros eruditione Sanctarum Scripturarum ditissimos. In quibus vehementi stylo, Arianæ impietatis confodit, atque detegit prauitatem, ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantum distet ab eis religione, vel fidei Sacramentis: Extat & aliud laudabile eius Opusculum aduersus instituta Arianorum, in quo propositis eorum dictis, suas respõsiones opponit. Præterea, edidit vnum ad Florentiam Sororem, de institutione Virginum; & De contemptu mundi libellum, titulorum distinctionibus prænotatum. siquidẽ & in Ecclesiasticis officijs idem non paruo laborauit studio. In toto enim Psalterio dupli ci editione Orationes conscripsit. In Sacrificij quoque laudibus, atque Psalmis multa dulcisone conscripsit. Scripsit & Epistolas multas ad Papam Gregorium, de Baptismo vnã, alteram ad fratrem, in qua præmonet cuiquam mortem non esse timendam. Ad ceteros quoque Episcopos plurimas promulgauit familiares Epistolas, etsi non satis splendidas verbis, acutas tamen sententijs. Floruit sub Recaredo viro Religioso, ac Principe gloriosо, cuius etiam temporibus mirabili obitu actualis vitæ terminum clausit. Hæc Isidorus in Catalogo.

Qui & lib. 2. Chron. cum asserat eundem Leandrum interfuisse tertio Concilio Toletano, sic inquit. Interfuit tunc dignitate primas ille Catholicus, & Orthodoxus Leander Hispalensis Archiepiscopus, & Romanę Ecclesiæ Legatus, sanctitate, & doctrina perspicuus. Id quod etiam constat ex Homilia ab eo habita, quæ extat in fine eiusdem Concilij, habita in laudem Ecclesiæ, ob conuersionem gentis, post Concilium, & confirmationem Canonum edita. Ceterum nouę Prouinciæ Carthaginensis Seuerianus eius Pater Dux fuit, in qua Valentiæ, atque Murciæ Regna sunt sita. Is verò Monachus primum in monasterio S. Claudij Ciuitatis Legionensis Congregationis Maurianensis, siue Sirbitanæ ad Hispalensem Bæticæ Prouinciæ promotus Episcopatum, Visigothos potissimum, qui Ariana labe erant infecti, quantis potuit viribus reuocare ad Catholicam fidem conatus est. Extare autem in Germania librum eius m. s. De Baptismo ad Gregorium Primum Summum Pontificem scribitur. Obijt miraculis clarus ann. 603. tertio Kal. Martij, albo Sanctorum ascriptus. Arnoldus porrò Vion addit hęc verba: *Colligimus tres fuisse Carthagines, Africanam, quam condidit Dido; Hispanicam veterem, quam destruxere Scipiones: & Hispanicam nouam, in qua natus est S. Leander cum fratribus.*

LECHBERTVS Anglus, & Ordin. Regularium Canonicorum Abbas, scripsit Commentarium ad Psalmos Dauidis. Viuebat ann. 1210.

LELIVS. Vide in verbo, Lælius, siue *Ballionaum*, siue *Zecchium*, siue alios Lælios quæras.

LEO Baro, de Rosmital Germanus, scripsit Commentarium breuem itineris sui, cum Terræ Sanctę descriptione.

LEO Castrius, Hispanus, Theologus, scripsit in Isaiam Prophetam Commentaria è Sacris

Sacris Scriptoribus Græcis, atque Latinis concinnata. At Præfatione vbere in eadem Cōmentaria agit De D. Hieronymo, & Septuaginta Interpretum translatione aduersus recēs editas quasdam Interpretationes. De quibus quid aut Cardin. Bellarminus senserit, aut quid nos dicendum fuisse existimauimus, scripsimus in 2. lib. Bibl. nostrę Selectę, cap. 19. secundum Venetam editionem. Quin & idem Leo Castrius edidit Opus, quod inscripsit Apologeticum, quo Rabbinos, & eos, qui sese Rabbinis addicunt, vehementius perstringit. Salmanticæ ann. 1570.

LEO Hebræus Dialogos de Amore tres scripsit, qui Venetijs ann. 1564. Latinè. Italicè verò ibidem ann. 1572. apud Nicolaum Beuilaquam, excusi sunt.

LEO Hostiensis, Episcopus, & Cardinalis, qui & Monachus Cassinensis. Vide infra in verbo, Leo Marsicanus.

LEO Imperator Constantinopolitanus, huius nominis sextus, Basilij Imp. filius anno 886. creatus, nongentesimo autē, & vndecimo decedens ex hac vita, vndecima die mensis Iunij, siue, vt alibi legitur, *Maij*, scriptas Græcè reliquit,

Centum, & tredecim Nouellas Constitutiones diuersorum argumentorum ad res, vel personas etiam Ecclesiasticas pertinentes. *Voluit enim* (ait cordatè Baronius Card.) *imitari Iustinianum, vt pro arbitrio sicut de profanis, ita de sacris aquè decerneret, sibi sumens, quod Summorum Pontificum est.*

To. 10. Annal.

Epistolam ad Regem Sarracenorum De Christianę fidei veritate, & Sarracenorum impietate, hac inscriptione. *Leonis cognomento Philosophi Imperatoris Constantinopolitani ad Omarum Sarracenorum Regem De Fidei Christiana veritate, ac mysterijs, & De varijs Sarracenorum hæresibus, & blasphemijs, Symphoriano Camperio Lugdunensi ex Chaldaica in linguam Latinam interprete ante annos nonaginta.* Extat in To. 3. Bibl. SS. PP. col. 1058.

Sed quæ eiusdem Leonis Imp. cognomine Sapientis extent adhuc scriptorum monumenta in Vaticana Bibliotheca, licet admodum deprauata, enumerat idem Baronius Card. numero signans codices, in quibus sparsa leguntur, hoc est,

Codice 106. Leonis Imperatoris variæ Orationes. Num. 204. Itemque præcepta moralia vnà cum interpretatione, sed an ipsius vel alterius, incertum.

Numero 254. Eiusdem Imp. de instruendis aciebus.

Numero 566. Constitutiones Leonis & Basilij.

Numero 803. Eiusdem Imp. Orationes triginta tres, videlicet:

In admirabilem & gloriosam Ascensionem Domini.
In Aduentum Spiritus Sancti in specie ignis.
In Spiritum sanctum, quod propria auctoritate adoptionem filiorum Dei hominibus largitus est.
In omnes Sanctos.
In magnum Apostolum Orbis Paulum.
In gloriosum prophetam Eliam.
In gloriosam Domini Transfigurationem, Orationes tres.
In transitum Beatæ Virginis.
In Decollationem Pręcursoris.
In Natiuitatem Beatæ Virginis.
In Exaltationem S. Crucis.
In admirabilem & gloriosum Domini Discipulum Thomam, duæ Orationes.
In gloriosum, & à Deo Coronatum Demetrium, Orationes duæ.
Quando domus Imperatoris fuit cōsecrata.
In Sanctum Ioannem Chrysostomum.
Quādo ingressa est Beatiss. Virgo in Sancta.
In fulgentissimum Ecclesiæ lumen Nicolaum.
In Natiuitatem Domini secundum carnem.
In Sanctum Stephanum.
In Sancta Lumina.
In Sanctum Clementem Ancyranum.
In gloriosum martyrem Triphonem.
In occursum Domini.
In capite sacratissimi ieiunij, tres Orationes.
Epistola Catholica hortatoria.
In Festum Palmarum.
In Sabbathum Sanctum.

Numero 831. Leonis ænigmata.

Atqui post hęc omnia, inserit idem Baronius Card. Epistolam Encyclicam eiusdē Imp. Tomo suo Annalium decimo sub ann. Do. 911. Latinè redditam à Federico Metio Lamularum Episcopo, historiam ad benè, sanctęque viuendum.

Librum

Librum denique de bellico Apparatu reliquit. Hæc quidem fermè Baronius Cardin. Sed, quæ nos, antequam illum legissemus, de hoc Leone Imper. huc inferenda scripseramus, hæc sunt.

LEO Imperator huius nominis Sextus Constantinopolitanus, qui Philosophi cognomentum apud Græcos tulit, ac de quo plura Zonaras, Cedrenus, & Glycas, Hymnos. Acta quædam Christi, & Librum de Apparatu Bellico Græcè scripsit.

Et hymni quidem vnà cum libris de bellico Apparatu in Bauarica potissimum Bibliotheca iuncti, Græcè scripti asseruantur.

Extabant autem, vti etiam num extant, in eadem, eiusdem Leonis Acta Christi Domini, ingressus in vrbem Hierosolymam eo die, quem Græci nominant ἑορτὴν τῶν βαΐων Latini, *Festum Palmarum*. Isidorus autem ex vulgo Hispaniensi *Capitilauium, Quia*, vt idem ait, *moris tunc erat, lauandi capita infantum, qui vngendi sunt, ne forte obseruatione Quadragesima sordidati ad vnctionem accederent*. Præterea sepultura, Resurrectio, Ascensio, Spiritus Sancti Aduentus, Virgo Deipara, Ioannes Baptista, omnesque cælites, quorum anniuersariam memoriam recolunt Græci prima post Pentecosten Dominica, non autem vt nos Kal. Nouembribus. ·Isid. lib. 1. de offic. Eccles.

Ac quidem Acta hæc primò prodiere in lucem tam Græcè, quàm Latinè facta, à Iacobo Gretsero Theologo nostræ Societatis, ex Officina Adami Sartorij, ann. 1600. Ingolstadij.

De Apparatu autem bellico, quoniam à Ioanne Checo versus ita fuerat, vt quæ ad religionem spectabant, vel dempta, vel deprauata essent, primum quidem in primo libro Selectæ nostræ Bibliothecæ ex Græco exemplari, astum, & dolos Interpretis hæretici ostendimus atque emendauimus, deinde item in Apparatu nostro ad humanam historiam, excuso Venetijs auctiore, sed in Veneta editione eiusdem Bibliothecæ Selectæ, libro quinto, cap. 7. eadem diximus, ne quis tanti Imperatoris nomine cum militibus quoque abutatur, quasi nec Sacrum Missæ Sacrificium, nec reliquus Orthodoxus cultus eo tempore extitissent, quorum ille non tam mentionem facit, quàm hortatur, vt in expeditionibus rationem potissimum habeant.

Leonis item Imper. extat ex Meditatione extremi Iudicij Canticum compunctionis, quod primum prodijt ex Bibliotheca Bauarica Latinè è Græco redditum à Iacobo Pontano nostræ Societatis, vnà cum Simeone iuniore De Fide, & moribus, tum Christianis, tum Monasticis. Ingolstadij apud Adamum Sartorium, ann. 1603.

Atqui Leonis Regis cognomento Despotæ Sapientis, plura m.ss. extant in Sicilia in Archimandritatu S. Saluatoris.

Porrò Sermonem de Cruce Domini Græcè, ac Latinè ex eodem Imperatore Iacobus Gretserus inseruit suo Tomo secundo De Cruce, qui antea, quòd sciam, numquam prodierant.

LEO Magnus. Vide infra in verbo, Leo Pont. Max. huius nominis Primus.

LEO Marsicanus (inquit Petrus Diaconus, capit. 31.) *Romana Ecclesia Cardinalis, & Casinensis Cœnobij monachus, insignis studio, ac eloquentia, scripsit ex nomine Vrbani Papa, quàmplures Epistolas, fecit & Registrum*. Quin & fuit Bibliothecarius, scripsitque Chronicon Monasterij sui Cassinensis libris tribus, qui dati sunt prelo Venetijs anno 1513. apud Lazarum Soardum, opera Laurentij Vicentini monachi. Sed in quibus Baronius Cardin. Tomo 10. Annal. sub ann. Domini 891. obseruauit, haud rectè collocatum Formosum Pontif. Max. post Hadrianum ante Stephanum, quem non præcessisse, sed ei successisse exploratissimum est. Deinde, *Quod patrauit sacrilegium Sergius Papa schismaticus id, tribuat laudatissimo Pontifici Stephano*.

Sermones de Natiuitate Domini, & Paschate. Historiam Peregrinorum. Vitam Sancti Mennatis. Vitam S. Ianuarij monachi Cassinensis.

Notat autem Arnoldus Vion in suo Ligno Vitæ à Tritemio in lib. 4. cap. 226. Leonem Hostiensem dici Episcopum fuisse *Suessionensem* in Gallia, cum dicendum fuisset *Suessanum in Regno Neapolitano*. Id quod item est emendandum in Chron. Cassinensi Leonis Hostiensis libro 3. cap. 24. Obijt autem sub Paschali Pontif. Max. huius nominis Secundo.

Ceterũ negari non potest, si vir hic altius in Theologicis studijs fundamenta iecisset, quin quę ad Pontificiam iurisdictionem pertinent, diligentius, ac verius propugnasset, Dialogumque de Gręcorum schismate abs se scriptum, solidioribus argumentis, vt cuiuis docto licet contexuisset.

LEO Meyerus, siue *de Meyere* Præpositus Collegiatæ (vt vocant) Ecclesiæ S. Pharaildis, edidit abs se habitam in festo Annunciationis Beatiss. Virginis Panegyrim Marianam Antuerpię apud Plantinum.

LEO, Ordinis Minorum, Sancti Francisci Assisinatis socius, & comes, adiutus Opera Angeli Tancredi, & Ruffini consanguinei Sanctæ Claræ, Ord. Minorum, Legendam, & Miracula eiusdem viri Dei scripta reliquit. Viuebat ann. 1246.

LEO Primus huius nominis Pontifex Maximus, dictus item Magnus, ob insignem sanctitatem, Doctrinam, & Diuinam propè eloquentiam, Quintiani filius, natione Thuscus, qui Attilam solis Orationibus ab Italia remouit à Gerardo Vossio Borchlonio Belga recognitus, & varijs additionibus est locupletatus; ac Notis, & Scholijs illustratus: cum antea idem præstare conatus fuisset Laurentius Surius, sed non tam absoluto exitu, Coloniæ ann. 1568. apud Ioannem Birckmannum. Deinceps autem Canonici Regulares Sancti Martini Oppidi, & Vniuersitatis Louaniensis è manu scripti, Codicibus eundem emendassent, atque edi curassent Antuerpiæ apud Philippum Nutium, anno 1583. cum eiusdem Leonis Decretalibus, & familiaribus Epistolis.

De Leone autem ita Gennadius in Catalogo: *Leo Vrbis Romæ Episcopus, scripsit ad Flauianum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum aduersum Eutychem presbyterum, qui tunc ambitione Episcopatus noua in Ecclesia moliebatur inducere, Epistolam, in qua admonet eum, vt si confiteretur errorem, & polliceretur emendationem, reciperet eum: sin autem persisteret in incapto, cum sua hæresi damnaretur. Similiter docet in ipsa Epistola, & Diuinis confirmat testimonijs, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut & paternæ Diuinitatis verum filium, ita verum humanæ naturæ esse hominem credendum, idest, ex carne Virginis Mariæ carnem traxisse, & non de cœlo corpus sibi exhibuisse, sicut Eutyches asserebat: Moritur Leone, & Martiano Imperatoribus.*

Sanè Anastasius in libro de Romanis Pontificibus descriptis ab eo Epistolis, ita inquit: *Hic Beatissimus Archiepiscopus multas Epistolas fidei misit, quæ hodie in Archiuo Ecclesiæ Romanæ recondita habentur. Hic firmauit frequenter suis Epistolis Synodum Chalcedonensem: Ad Marcianum Augustum Epistolas duodecim: Ad Leonem Augustum Epistolas tredecim: Ad Flauianum Episcopum Epistolas nouem: Ad Episcopos per Orientem Epistolas octodecim: per quas fidem Synodi confirmauit.* At extant aduersus Eutychen.

De Symbolo Nicæno.
Ad Leonem Augustum.
Ad Inquisitiones Ianuarij Episcopi.
De Passione Domini.
Ad TuribiumEpiscopum cõtra Priscillum.
Ad Rusticum Narbonensem Episcopum.
Ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

Homiliæ plures ad populum. Quarum vnam habuit in caput quintum Matthæi, quæ incipit, *In illo tempore videns Iesus turbas.*

Alteram De Christi Domini Transfiguratione in Matthæi cap. 17. Cuius initium: *Euangelia dilectissimi.*

Epistolæ autem plures ad diuersos, siue item Apostolica Decreta numero nonaginta septem Coloniæ prodierunt in volumine Conciliorum. At & Homiliæ viginti & vna leguntur in Homiliarum Opere, quas è Sanctis Patribus collegit Alcuinus.

Auctor autem fuit sententiarum, quæ in Concilio secundo Arausicano sunt definitæ. Ceterum, sciendum Leonis Primi Pontificis Maximi auctiora olim, quàm quæ modo extent, fuisse Opera in Bibliotheca, quæ quondam Rauennæ erat insignis. Quæ Opera cum ex vrbe petita fuissent, inuenta non sunt. Perijt enim iamdudum ea Bibliotheca. Quin & Photius in sua Gręca Bibliotheca inquit, *Quæ Leonis Papæ Primi erant de Pelagianis, quomodo debeant recipi, quando conuertuntur, desiderantur.* Vide autem Photium in Augustano Græco cod. impresso, pagina 403. vbi in verbo, Ephręmij Theopolitani,

politani, siue Antiocheni Patriarchæ expendens huius Opera, meminit Leonis Primi Pontif. Max.

Obseruauit Baronius Cardin. Tomo Annal. sexto, sub ann. 451. Leonis autem Duodecimo in Epistola 51. eiusdem, pro *Chalcedone*, restituendum esse, Nicæ. In octogesima autem quarta ad Anastasium, capit. 3. & 4. vbi disertis verbis iubet Episcopum ita vnius vxoris virum esse posse, vt tamen perpetuò se contineat, mendum esse manifestum in exemplaribus nonnullis, in quibus legitur, *De muliere Sacerdotis eligenda*; Legendum est enim, quemadmodum & in sanioribus codicibus legitur. *De muliere Sacerdotis eligendi*.

Iam quæ ad Constantinum habetur Leonis Epistola, non fuit huius Pontificis Leonis primi. Datam enim fuisse Nonis Maij Indictione decima ann. 683. Leonis Pont. Maximi huius nominis Secundi, in ea ipsa scribitur. Vide Baronium Cardin. sub ann. 683. Leonis Papæ vndecimum absurda pleraque notantem in Epistolis eiusdem Leonis nomine scriptis, *& non nisi manu impostoris* (vt idem inquit Baronius) *formata portenta*. Ceterum Leo Magnus ann. 461. tertio Idus Aprilis est mortuus, cum sedisset annos viginti unum, minus diebus triginta duobus: quidquid secus Marcellini Chronicon habeat, quod non sine caussa, sub eundem annum Tomo sexto Annalium Cardin. Baronius redarguit.

Extat autem Confessio Leonis Magni, summa fide (vt præfert inscriptio) ex eius Operibus excerpta à Theodoro Petreio Campensi. Coloniæ impressa ann. 1604.

LEO Pontifex Maximus huius nominis Secundus, qui Agathoni successit Siculo Siculus, Latinè, & Græcè doctissimus, quique sanctitatem cum doctrina coniunxit, Psalmodiam composuit, Hymnos (vt scribit Platina) ad meliorem concentum redigens, artem exercitatione confirmans, vertit è Græco (ait Tritemius) in Latinum, sextam Synodum, quæ celebrata, Agathone Pont. Max. Constantinopoli, damnauit Macarium Archiepiscopum Antiochenum cum Cyro, Sergio, *Honorio*, Pyrrho, Paulo, & Petro Episcopis, qui vnam voluntatem, & vnam operationem tantum in Domino Iesu Christo asserebant. At Tritemius ignorauit Honorium Pontif. Max. numquam fuisse damnatum. Vide autem in verbo, Honorius Pontif. Max. Nam & Synodus illa sexta falsata fuit à Græcis, de qua accuratè post alios Card. Bellarminus, & copiosè Card. Baronius in suis Annalibus. Scripsisse item plures Epistolas ad diuersos (quod nemini dubitandum est) dicitur à Tritemio: At hic neque annum eius obitus rectè posuit, quippe qui decessisse inquit ann. 670. cum id anno sexcentesimo octogesimotertio contigerit: neque obseruauit, quod Baronius Cardin. fecit: nimirum Epistolas quasdam Leonis Secundi Pontificis Maximi nomine circumferri, quæ fide carent, atque adeo fuere confictæ. Qualis illa, quæ scripta est ad Hispanos, & quæ ad Constantinum Pogonatum; Quæ item ad Quiricum Toletanum Episcopum; necnon quæ ad Aurelium Comitem; & alia ad Eruigium Regem. Vide Tomo octauo eiusdem Baronium Cardinalem, sub eundem annum, siue circiter.

LEO Tertius huius nominis Pontifex Maximus, qui inter alia egregia gesta, Nordamhumbrorum Regem Regno suo iniustè pulsum, atque ad se tamquam ad omnium Christianorum Pastorem, & Patrem, confugientem, restituit per Legatos suos in Regnum; Romanumque Imperium à Græcis ad Francos Diuino consilio transtulit, pluribus Epistolis, & Administrationibus viginti annos, quibus Pontificatum gessit, Christianum Orbem rexit. Obijt ann. 844. non autem 816. vt habet Tritemius. Vide Baronij Cardin. Tomum decimum Annal. sub eundem annum.

LEO Quartus Romanus Pontifex conscripsit Homiliam, quam quisque Episcoporum in Synodis Diœcesanis recitaret ad clericos, qua officia docerentur Ecclesiastica. Extat in Bibliotheca Vaticana, & Baronius Cardin. eam repperit apud Anselmum Lucensem Episcopum, quam & Tomo suorum Annal. decimo inseruit sub ann. 855. (quo & *obijt*) lectu dignam.

LEO Septimus Romanus Pontifex Maximus ad Egilulphum Salisburgensem, Eisingrinum Regmoburgensem, Lambertum Frisingensem, Starchandum Aciltatensem Epi-

ſcopos de cauſis fidei litteras, & eruditionis plenas, & veterum dictis communitas dediſſe ſcribitur ab Eiſingrenio.

Leo Pontifex Maximus, huius nominis Nonus, Hugonis filius, antea dictus *Bruno* (*Baunonem* nominat Platina in antiquis codicibus) Qui & natione Germanus, è Prouincia Alſatiæ, e regio Comitum Habſurgi genere, ex Epiſcopo vrbis Leucorum, quæ Tullus appellatur (vt habet Sigebertus in Catalogo) vt verò inquit Arnoldus in libro Ligni Vitæ, ex monacho Tullenſi in Leucis, Congregationis Cluniacenſis,) ſcripſit Epiſtolam ad Imperatorem Conſtantium, Monachum, monens eum, ne fineret inualeſcere in Imperio ſuo tot hæreſes. Græci enim, vel Simoniaci donum Dei vendebant: vt Valeſij hoſpites ſuos caſtratos etiam ad Epiſcopatum promouebant; vt Nicolaitæ, nuptias Sacerdotibus concedebant; vt Donatiſtę iactabant eſſe in ſola Africa Orthodoxam Eccleſiam; vt Seueriani dicebant maledictam legem Moyſi eſſe; vt Pneumatomachi profeſſionem Spiritus Sancti abſcindebant à Symbolo; vt Nazarẹni Iudaiſmum obſeruabant, paruulos morientes prohibebant baptizari ante octauum natiuitatis diem, mulieres in partu vel menſtruo periclitantes, communicari, vel, ſi paganæ eſſent, prohibebant baptizari, Latinos in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatos rebaptizabant, & ipſi ſacrificantes de fermento vocabant Latinos *azimitas*, & claudentes eorum Eccleſias, eos perſequebantur. Tot & tantas hęreſes volens Leo Papa extirpare de Græcia. Scripſit etiam ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, eum ſuper his omnibus arguens, & præter cætera, quòd ſe vniuerſalem Patriarcham appellaret, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam præponeret Eccleſiæ Romanæ, eamque in filijs ſuis anathematizaret. Super his ſcripſit etiam ad omnes primates Epiſcopos Africæ, Numidiæ, Aegypti, Italiæ Epiſtolas legentibus vtiles. Scripſit ſuper his etiam ad Græcos librum luculento ſermone Euangelicis, & Canonicis teſtimonijs deſtruens eorum errores, & Catholicæ Eccleſiæ fidem aſtruens. At ſi quis attendat cantus in honore Sanctorum ab eo compoſitos, iam cum primo Gregorio Papę merito comparabit. Hæc Sigebertus in Catalogo.

Sanè verò huius Pontificis Opera, quotquot inueniri potuerunt, Laurentius Surius è collatione manuſcriptorum codicum rẹcognita, & auctiora quinque Leonis Epiſtolis, & alijs lucubrationibus eatenus haud euulgatis Coloniæ, vnà cum Operibus Leonis Magni, primi huius nominis Pontif. emiſit ann. 1568. Ex officina Ioannis Birckmanni. cum antea Louanij prodijſſent eiuſdem Leonis Noni, Sermones, ſiue Homiliæ, & Epiſtolæ Decretales, atque familiares anno 1565. ac demum eiuſdem Opera per Canonicos Regulares Sancti Martini Oppidi, & Vniuerſitatis Louanienſis è m.ss. Codicibus emendata. Antuerpiæ ann. 1583.

Porrò Molanus in Indice Sanctorum Belgij, & Baronius Cardinalis in ſuis ad Martyrologium Notis (vti & alij) non tacuere huius Pontificis egregia geſta. Tritemius item de viris Illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti, lib. 3. c. 157. & lib. 4. cap. 174. Sed emendandus locus, vbi habetur in eo illum obijſſe nono Kal. Maij. Quin & de eius prędicatione vide pleraque in vita Sancti Arnulphi Epiſcopi Sueſſionenſis apud Surium Tomo quarto, ad diem Auguſti decimamquintam.

Atqui & nouiſſimè, paucos nimirum ante annos, Auguſtinus Bontemps, Atrebas, cęnobij Atrebatenſis, monachus, Vitam Leonis Noni, & aliorum eiuſdem Cęnobij Sanctorum heroico carmine cecinit. Succeſſit autem Regimini Abbatiæ, & Epiſcopatus Sancto Hidulpho Duci, & Abbati Lobienſis Cęnobij. Arnold. Vion.

Leo Sangallettus, Florentinus, Carmelita, Theologus, ſcripſiſſe quidem perutilia Caſibus conſcientiæ enodandis à Petro Lucio dicitur, at nondum edidiſſe.

Leo Tuſcus Pont. Max. Vide in verbo, Leo Primus.

Leodiensis Dięceſanæ Synodi Acta, & Decreta Pręſide Georgio ab Auſtria, Epiſcopo Leodienſi, Duce Bullonenſi, Comite Loſſenſi celebrata, & promulgata ann. 1548. Louanij apud Iacobum Batium Typographum ann. 1549.

Leodiensis Dięceſeos Statuta Conſiſtorialia, & Reformatio Iudiciorum Spiritualium. edita Leodij ann. 1582.

LEONARDVS Bellunensis (alijs *Vtinensis*) Ord. Præd. Theologus, qui Bononiæ Dominicani studij Regens, scripsit sat grande volumen De legibus, quod Venetijs excusum est ann. 1473. Sermones itē de Tempore, ac de Sanctis. Complura in Logicam, & Physicen Aristotelis, atque alia, quæ in eius Cęnobio asseruari scripsit Antonius de Conceptione Senensis, &c.

LEONARDVS Cernottus, è Congregatione Sancti Saluatoris, scripsit Orationes, & pia Carmina.

LEONARDVS de Chifano, siue *Ciffono*, vide mox in verbo, Leonardus Giphonensis.

LEONARDVS Garzonius, nobilis Venetus, Societatis Iesu, reliquit moriens Paraphrasim, & Commentarios (licet non absolutos) in Canticū Canticorum, de quibus quoniam locuti sumus in postrema editione cap. 31. lib. 2. Bibliothecę nostrę Selectæ, ideo Lectorem illuc amandamus, scripsit quoque de Magnete.

LEONARDVS Giphonensis, Eisingrenio, de *Ciffono*, alijs de *Chifano*, siue vt habet Henricus Villot, ex *Iouis fano* Campaniæ Oppido, è Prouinciali Tolosano renunciatus in generalibus Tolosę Comitijs vigesimusquartus Generalis Minister Ord. Minorum, ac denique S. R. E. Cardinalis, scripsit in Cantici Canticorum, centū quadraginta Canticum, hoc est in totidem eius libri particulas, siue sententias diuisum. Quæ D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in 3. sui Chronici volumine asserit se legisse. In quattuor libros Magistri Sententiarum. Sermones varios. Summam notabilem. Obijt Auenione 4. non. Maij ann. 1406. Sepultus in Aede Cathedrali.

LEONARDVS Iustinianus fuit Paraphrastes Actorum S. Nicolai Myrensis Episcopi, qua in Paraphrasi notat Baronius Cardin. Tomo Annal. 3. pag. 343. primæ editionis, *Dioscoros* locum non rectè dici à Castore, & Polluce, sed quòd ibi prope posita essent corpora Sanctorum martyrum Dioscori, atque Crescentij.

LEONARDVS Lessius, Brabātinus, in Belgio, Societatis Iesu, Theologus, vir clari ingenij, scripsit De quattuor Virtutibus Cardinalibus.

LEONARDVS Nogarolus, Veronensis, Theologus, & Protonotarius Apostolicus, scripsit librum De Beatitudine, qui excusus est Vicentiæ apud Henricum ann. 1486. alij item scribunt eundem prodijsse Venetijs ann. 1486. Sed & ad Sixtum Quartum Pontificem Maximum composuit Officium de Conceptione Beatissimæ Virginis. Viuebat ann. 1470.

LEONARDVS Perusinus, monachus Congregationis Cassinensis, scripsit tres libros Elegiarum De Christo Domino, ac De Beatissima Virgine. Librum item De renouatione Ordinis Monastici versu heroico. Extabant manu scripti (vt habet Arnoldus Vion in libro Ligni Vitæ) apud Constantinum Syracusanum monachum Catanensem. Vixit ann. 1512.

LEONARDVS Pistoriensis, Ordin. Prædic. scripsit Theologicam Summam duobus voluminibus, claruit autem ann. 1280. Ant. Senensis.

LEONARDVS Rhagusæus, Ordinis Prædicatorum, Prouinciæ Dalmatiæ, qui publicè in Academia Patauina Theologiam est professus Lecturas complures, & alia in Cęnobio sui Ordinis reliquit, quæ ibidem asseruari scripsit Anton. Senensis m. ss. Viuebat ann. 1540.

LEONARDVS Rubenus, Germanus, Theologus Licentiatus, vt vocant, Abbas, Ordin. D. Benedicti Monasterij SS. Apostolorum Petri, & Pauli Abdinkouiensis in Ciuitate Padebornensi, scripsit librum De falsis Prophetis, & Lupis rapacibus, dignū qui legatur. Editus est autem Padebornæ in officina Matthæi Pontani, anno 1600. Tres item libros De Idololatria apud Birckmanni hæredes, Coloniæ Agrippinæ. Librum item prenotatum, *Triumphus Christi de Iudæis, ostendens perfidos Iudæos ijsdem ferè pœnis confectos fuisse quibus Christum Dominum affecerunt*. Padebornę ann. 1604.

LEONARDVS Statius, Florentinus, Ordinis Prędicatorum, Generalis Magister eximię vir Doctrinę, atque Pietatis, delectus, vt in Constantiensi Concilio vnà cum alijs prę-

stantibus Theologis Schismatis in Ecclesia coortos ob varios Antipapas tempestatem sedaret. Scripsit Opus Theologis, atque Concionatoribus vtile, quod prenotatum *Petitiones*, incipit, *Faciem tuam laua anima fidelis*, extat Florentię in Ord. sui monasterio m.s. Sermones de Flagellis. Alios De Tempore, ac De Festis, siue sollemnibus diebus. Quin & habitos in Concilio Constantiensi. pręterquam quòd vt vigebat ingenio, noudumque Ordinem suum præses administraret Aristotelis Meteora eleganti Carmine exposuit. Defunctus munere Generalatus annos decem, menses septem, decessit è vita 17. Kalen. Aprilis, ann. 1425. Michael Pocciantius. Ant. Senensis.

LEONARDVS Vairus, Beneuentanus, Ordin. S. Benedicti, scripsit libros tres de fascino, quos Parisijs ann. 1583, Nicolaus Chesneau. Venetijs autem Aldus ann. 1589. edidit, quos item Martinus Delrius noster in Opere suo insigni Disquisitionum Magicarum sæpe citat.

LEONARDVS Vtinensis, Ord. Prædicatorum, scripsit Tractatum ad Locos Communes, qui Vlmæ in Sueuia prodijt è Typographia Ioannis Zeiner, ann. 1478. Librum item De legibus per Quadragesimam; alios duos Sermonum de Tempore, ac De Sanctis, qui Lugduni fuerunt excusi ann. 1495. apud Ioannem Trechselium. Viuebat ann. 1445.

LEONELLVS Episcopus Concordiæ, scripsit, & habuit Orationem in funere Innocentij Octaui Pontif. Max. in frequenti consessu Cardinalium, & aliorum Romæ, vbi & fuit excusa.

LEONTIVS Aduocatus, Byzantinus, scripsit ex ore Theodori Abbatis, & Philosophi excerpta. Agit autem De Sectis hæreticorum, ac de Synodo Chalcedonensi. Extat in Biblioth. SS. PP.

LEONTIVS Arabissi Episcopus, scripsit Sermonem de creatione Mundi. Vide Photij Græcam Bibliothecam.

LEONTIVS Byzantinus, qui non rectè apud Cyrillum in vita Sancti Sabæ, cap. 95. *Byzancenus* fuisse scribitur, Monasticam vitam professus in Palæstina, In noua Laura Sancti Sabæ cum tribus socijs, quorum vnus erat Nonnus, vixit. At quoniam (vt rectè obseruauit Henricus Canisius V. C.) Laura Sancti Sabæ prope Hierosolymam erat, ideo forsan in Codice Bauarico dicitur fuisse Hierosolymitanus. Ceterum, cum ipsi Leontio, & socijs eius, Origenistarum errores ab eodem Cyrillo, & alijs tributi fuerint, cauendum est, ne quis, cum legerit istos veteres Auctores, qui ob antiquitatem aliquando permittuntur, in errores similes impingat. Quanquam mirum videri potest, Cyrillum in vita Sancti Sabæ, vt & in Vita Sancti Quiriaci anachoretę Leontium hunc non tantum Origenis, sed & Theodori Mopsuesteni sectatorem fuisse, dicere: cum Leontius toto lib. 3. eius operis, de quo mox dicetur, Theodorum Mopsuestenum, Diodorum Tarsensem, eorumque discipulum Nestorium acerrimè oppugnet, & tanquam omnis impietatis Magistros detestetur. Quin cum in eodem libro Actione vltima Origenem, & Origenistas ex professo refellat, difficile creditu est, Leontium hac labe fuisse inquinatum; nisi quis, vt idem ait Canisius, dicere velit, hæc non seriò ab illo scripta. nam si qui hæretici vnquam fuerunt, qui aliud in ore, aliud in pectore ferebant, in his certè Origenistæ postremi non sunt censendi: aut Leontium post librum illum de Sectis euulgatum, in hæresim Origenicam incidisse.

Scripsit autem libros tres contra Eutychianos, & Nestorianos.

Vnum contra Enantiodocetas.

Alterum contra Aphthardocetas.

Tertium contra illos, qui simulabant se Chalcedonensem Synodum recipere, cum essent Nestoriani. Et de Nestorianis Triumphum.

Eiusdem Leontij liber in fraudes Apollinaristarum, seu in eos, qui proferunt quædā Apollinarij, falso inscripta nomine sanctorum Patrum.

Eiusdem Leontij liber, qui inscribitur: Solutiones Argumentationum Seueri.

Eiusdem Leontij liber, qui inscribitur: Dubitationes hypotheticæ, & definitiones, contra eos, qui negant esse in Christo, post vnionem, duas veras naturas.

Aucto-

Auctoritates sanctorum Patrum contra eos, qui diuidunt in duas Naturas vnum Dominum Iesum Christum, post vnionem; collectę à Timotheo hæretico, siue quis alius fuerit.

Et quidem hæc omnia Grecè m.s. Latina reddidit Franciscus Turrianus Societatis nostrę Theologus. quæ denique prodierunt in lucem Ingolstadij, ann. 1603. in 4. Tom. Antiquæ Lectionis emisso ab Eeodem Henrico Canisio.

Porrò extat in Bibliotheca Bauarica num. 117. Eiusdem Leontij insigne Volumen aduersus Euthychianos, seu Seuerianos, & Nestorianos, in octo libros distinctum.

Quorum Primus hanc habet Inscriptionem. Sexaginta tres ἀπορίαι, seu Quæstiones propositæ illis, qui vnam in Christo naturam statuebant; huiusque dogmatis refutatio, & testimonia Sanctorum Patrum.

Secundus. Aduersus illos, qui duas in Christo hypostases ponunt, nullamque compositionem in illo admittunt.

Tertius. Redargutio eorum, qui asserunt duas, & non vnam hypostasim in Christo, idque ex ipso Incarnationis mysterio probare contendunt.

Quartus. Redargutio eorum, qui duos filios ex Incarnationis Mysterio introducunt.

Quintus. Redargutio eorum, qui Beatam Virginem Θεοτόκον, seu Deiparam nominare abnuunt.

Sextus. Demonstratio aduersus eorum impietatem, qui impudenter naturalem Diuinitatem Christi veri Dei nostri negant.

Septimus. Demonstratio impietatis, qua laborant ij, qui fatentur quidem Christum incarnatum fuisse hominem Θεοφόρον, Deiferum, sed non Deum.

Octauus. Refutatio eorum, qui solent accusare illos, vnum ex Sancta Trinitate passum esse in carne.

LEONTIVS Constantiæ in Cypro Episcopus, vir sanctus, Tribulationes, quas Ecclesia Dei passa est tempore Gregorij Magni Pont. Max. & Mauritij Imp. scripsit, vt ex Act. 4. Niceni 2. Concilij constat, sed aut excidit, aut alicubi delitescit.

LEONTIVS Constantinopolitanus, Scripsit librum De duplici natura in Christo, contra hæresim Monophysitarum. Et disputationem cõtra Philosophum Arianum, quæ m.s. extat in Bibl. Imp. Viennæ Austriæ.

LEONTIVS Neapoleos, alij *Nicopoleos*, Cypriorum Insulæ Episcopus, scripsit Vitam Ioannis Alexandrini Episcopi, qui ob eximiam in pauperes misericordiam agnominatur eleemosynarius. Hæc Sigebertus. At & plures Panegyricas dictauit Orationes. & scripsit in cap. 17. Matthęi: De Transfiguratione Domini Homiliam citatam (vt ostendit Sixtus Senensis) in 6. Actione Synodi secundę Nicęnæ, sed vereor quin idem ipse Leontius fuerit, quem Constantiæ in Cypro fuisse Episcopum hic diximus supra. Sigib. in Catal. Ann. Do. 610. Trit.

LEOVIGILDVS Cordubensis Presbyter, qui viuebat ann. 716. Scripsit Librum De Habitu Clericorum, in quo cum præfatur caussas scribendi, ait: *Vt qui ex nobis ad remanentes Doctores, imbecillitate corporis præpediente, dirigere gressus nequiuerit, aut quem inquisitio, vel census, vel vectigalis, quod omni Lunari mense Christi nomine soluere cogitur, retinuerit; saltem nocturno tempore inter Ecclesiastica munia, quæ necessarium duxerit, legat.* Meminit Leouigildi Samson Abbas, refertque Morales in Eulogiũ lib. 1. & Baronius Card. Tomo 9. sub ann. 716.

LEPORIVS adhuc monachus, postea presbyter, præsumens de puritate Vitę, quam arbitrio tamen & conatu proprio, non Dei adiutorio obtinuisse crediderat, Pelagianum dogma cęperat sequi: sed à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum emendatus, scripsit emendationis suæ libellum. In quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione. Simul & quòd malè senserat de Incarnatione Christi corrigens, catholicam sententiam tulit dicens, manentibus in Christo duabus naturis, vnam credo Filij Dei personam. Hæc Gennadius. Genn. in Catal. Anno Domini 430. Trit.

Extat autem eius Leporij Epistola apud Cassiani Librum primum De Incarnatione Verbi, dignissima Lectu, qua suum errorem detestatur. Viuebat ann. 430.

LE-

Lethaldus Gallus Cœnomanensis, monachus Congregationis Cluniacensis, scripsit Vitam S. Iuliani Cœnomanensis, quæ extabat Vltraiecti in Monasterio S. Saluatoris. Arnold. Vion. viuebat circiter ann. 990.

Lethbertus. Vide in verbo, Lechbertus.

Levinus Brechtus Louaniensis, Belga, Ord. Minorum, scripsit Librum carminum, quem inscripsit, *Christiana Tragedia*, cum Appendice carminum Selectorum. Quem item dicauit Georgio ab Austria, Leodiensi Episcopo. Syluam quoque piorum carminũ: & Historias aliquot illustrium martyrum tam carmine, quàm soluta oratione. Louanij apud Martinum Rotarium ann. 1551.

Levinus Scotorum Archiepiscopus, & martyr, Homilias aliquot reliquisse scribitur. Viuebat ann. 1007.

Levinus Torrentinus, secundus Antuerpiensis Episcopus, Collegij Louaniensis Societatis Iesu fundator, egregius item præter alias disciplinas, Poeta, nec priscis impar, scripsit sacra Poemata, digna quæ legantur, & perlegantur, sunt autem hæc. Hymnorũ de Partu Virginis, lib. 3. De Puero, lib. 1. In Natalem Domini Elegia. Votum, seu scribendi de Partu Virginis occasio; cum enim iactatus esset tempestate maris, labores suos dicauit Beatissimæ Virgini Lauretanæ. In Ioannis Austriaci naualem de Turcis Victoriam Elegia. De bello Turcico.

Lex noua. Vide Vincentium Belloüacensem 1. 2. 7. Eius cum vetere computationem, ibidem Dist. 8. Eius contenta, Dist. 9.

L I

Liberatus Diaconus scripsit Breuiarium, in quo quidem plura ad Historiam Ecclesiasticã spectantia, sed quæ circumspectè sint legẽda, præcipuè illa, quę nimis incautę (vt monet Baronius Card.) à nescio quo Nestoriano mutuatus est. Nimirũ historiã, qua refert Theodori Mopsuesteni scripta, non tantũ fuisse probata scriptis Io. Antiocheni, sed & edicto Imperatoris, atque etiam scriptis Cyrilli Episc. Alexandrini ipsum Theodorum fuisse laudatum. Quin etiam, dum ait Synodum Chalcedonensem relatione ad Marcianum facta, suscipere, & confirmasse Ioannis Antiocheni Epistolas, quibus laudauit Theodorum Mopsuestenum, eandem S. Synodum in idem crimen adducit, quòd laudes Theodori receperit, & doctrinam. *Videsne* (inquit Baronius idem) *quot & quales lateant colubri sub vno cespite falsitatis?* Mox ex ipsius Cyrilli scriptis, & Epistola Io. Antiocheni, atque ex ipsa Synodo Chalcedonensi euincit illa omnia mendacia, quæ in Liberato narrantur pro Theodoro. Tomo 5. Annal. sub ann. Domini 435.

Quin & Bellarminus Card. vbi Liberatus in Breuiario cap. 22. refert Vigilium scripsisse Epist. ad Theodoram Imperatricem, & alios hęreticos, quia confirmabat hæresim ipsorũ, anathemaque ijs dicebat, qui cõfitebantur duas in Christo naturas, respondet multos quidem existimare, hunc locum esse corruptum ab hæreticis, quòd in Pontificali contrarium videatur narrari. At cum vestigium nullum appareat corruptionis in libro Liberati, & reuera non pugnet narratio Liberati, cum narratione Pontificalis, aliter respondendum est. Inquit igitur. Vigilium scripsisse illam Epistolam, & damnasse Catholicam fide saltem exteriori professione: sed hoc nihil obesse nostrę caussæ. Nam id fecit, dum adhuc viueret Syluerius Papa, quo tempore Vigilius ipse Papa non erat, sed Pseudopapa; neque enim duo simul veri Pontifices Summi esse possunt: & constabat tunc omnibus Sylueriũ verum Pontificem esse, licet in exilio degeret. Vide plura in Bellarmino Card. Tomo 1. Controu. 3. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 10. Ceterum, quę Liberatus in Breuiario, dicit de Quinta Synodo, idest de Cõstantinopolitana secunda generali, valde cautè legenda sunt: aut enim non sunt ipsius, aut ipse falso aliorum relatu deceptus fuit, certè non congruunt cum aliorum catholicorum Patrum narrationibus.

Liberius Pont. Maximus, qui acerrimus fuit religionis Catholicę defensor; Quem item beatæ memorię virum, Ambrosius; Beatum Epiphanius: Beatissimum Basilius, ae cu

ius

ius anniuersariam diem obitus celebrauit Ecclesia, licet minis, atque terroribus visus est aliquando hęreticis communicasse (at non in re fidei, quemadmodum Bellarminus Cardinalis lib. de Pont. Rom. ostendit) auctor fuit Alexandrinæ Synodi, quam & confirmauit. Eius autem habentur litteræ communicatoriæ, ac de restitutione Episcoporum in suas sedes: & aliæ, quibus conatus est in vnam fidem Christianos omnes adducere. Cum autem pleraque scripserit, qualia decebat eum, qui vniuersalis Ecclesiæ clauum, (in magnis pręsertim fluctibus ob Arianam hęresim) tenuit; Decreta tamen, seu rescripta duo ad Athanasium, atque ad Aegyptiorum Episcopos de Arianorum oppressionibus, reliquit, quę Coloniæ excusa cum Pontificū Decretis extant. Extat item ipsius Epistola ad Constantium To. 3. Bibl. SS. PP. edit. 2.

LIBERII Poetæ de Sedulio Acrostichis. To. 6. Bibl. SS. PP. edit. 2.

LICINIANVS (vt habet in Catalogo Honorius, nam excusus codex habet, *Lucinianus*) Carthaginis Spartarię Episcopus, in Scripturis doctus, cuius quidem nonnullas Epistolas legimus De Sacramentis, scripsit baptismatis vnam, & ad Eutropium Abbatem, postea Valentiæ Episcopum plurimas. Reliqua verò industriæ, & laboris eius ad nostram notitiam minime peruenerunt. Claruit temporibus Mauritij Augusti. Occubuit Constantinopoli veneno (vt ferunt) extinctus ab ęmulis, sed vt scriptum est, *Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit*. Hæc Isidorus in Catalogo. Viuebat ann. 590. Tritem.

LIGNVM Vitæ. Vide in verbo, Arnoldus Vion.

LILIVS Aegidius, Liberius, Tifernas, Philonis Iudęi Opera è Græco Latinè reddidit. Aliqua item Io. Chrysostomi, præter Dionem de Regno. Quæ quidem Romæ extabant in Bibliotheca Vaticana.

LILIVS Baleonius, Ord. Seruorum edidit Tractatum de Libero arbitrio.

LIMON, siue *Limonarium*, inscriptus Liber Ioannis Moschi, sub Theodosio Imper. iuxta Lauram agentis trecentis, & tribus narrationibus distinctus. Vide Photij Gręcam Bibliothecam, & in verbo, Io. Moschus.

LINDEBERTVS Germanus, Ord. D. Benedicti, primò Abbas Eluuangensis Monasterij, deinde Moguntinus Episcopus coactę ab eo apud Moguntiam Synodi Decreta conscripsit. Viuebat ann. 863. Eisingren.

LINDEGASTVS vir Sanctus, quique in Germania ad Rhenum Episcopus fuit Moguntinus insigni Opere depugnasse aduersus Arij impietatem, atque hęreseos scribitur ab Eisingrenio. Viuebat ann. 405.

LINTBERTVS vir & ipse Sanctus, natione Sueuus, primò Fuldensis monachus Ordinis D. Benedicti, Congregationis Luxouiensis, deinceps autem in Dięcesi Spirensi Abbas Hirsaugiensis, scripsit in Canticum Canticorum Salomonis ad Rabanum præceptorem, egregium Commentarium. Viuebat anno circiter 840. Eisingrenius, & Arnoldus Vion.

LINIVAEVS in Opuscula Gregorij Nissęni Antuerpię expectabatur, atque adeo editio omnium Operum Nisseni, & Epistolarum D. Io. Chrysostomi.

LINVS (inquit Sixtus Senensis, lib. 2. Bibl. Sanctæ) *è Septuaginta duobus Christi discipulis vnus, cuius nomine Paulus Timotheum in posteriore ad ipsum Epistola salutat, primus post Petrum Romanæ Ecclesiæ Pontifex, natione Etruscus, scripsit Græco sermone de Petri, & Pauli agone libros duos, itemque aliquot Epistolas. Moritur Romæ sub Galba Imp. anno Christi 70. post expletos sui Pontificatus annos vndecim, menses tres, dies duodecim.* Sic quidem Sixtus.

Porrò cū alibi, & Parisijs Latinè redditi fuissent hi duo libri in fine Commentariorum Iacobi Fabri ad Epistolas Pauli, (De quo Fabro vide in verbo, *Iacobus Fabri*,) iterum in eadem Vrbe prodierunt in Bibliothecæ Sanctorum Patrum Scholijs additis à Laurentio Barrensi.

At quidquid hi, ac reliqui, quin & Sigebertus lib. de viris Illustribus cap. 5. atque Tritemius de his libris asserere se posse opinati sunt, dubitandum non est, quin hæc historia De Passionibus, siue Agone SS. Petri, & Pauli conficta fuerit, quę itē referta est erroribus.

Quin & quam asserunt Tritemius, Eisingrenius, Sixtus Senensis à Lino fuisse conscriptã Altercationem cum Simone Mago, ea non extat. Ceterum, pro certo habendum est, Linum post B. Petrum fuisse mox Pont. Max. Irenęo, Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, & alijs, id quod & è Canone Missæ, qui est antiquissimus, constat. At ab Apostolis Petro, & Paulo Romæ sic factum Episcopum, vt Petro absente ab Vrbe, is cum Cleto, Episcopalia munera obiret, decessisse autem ex hac Vita anno Dom. octogesimo, sub Vespasiano potius quam sub Tito, neque sub Galba, cum sedisset annos vndecim, menses duos, dies viginti tres; Nam quod habet liber de Romanis Pontificibus falsò ascriptus Damaso, quique Liber varijs scatet erroribus; Linum sub Consulatu Saturnini, & Scipionis obijsse, id non posse constare euincit cordatè Baronius Cardinalis.

LIPPVS Brandolinus, Aurelius, Ord. D. Augustini, Librum prænotatum, *Paradoxa Christiana*, edidit Romæ apud Antonio Bladũ ann. 1531. Qui & alibi recusus est. Eiusdẽ extat ad Matthiam Coruinum, Hungariæ Regem, Dialogus de conditione Vitæ humanæ, Deque toleranda corporis ęgritudine, qui Basileæ prodijt, ann. 1543. Præterea, nonnulla ipsius carmina De morte Platinæ, cuius operibus ad calcem adtexta sunt. Libros denique tres De ratione scribendi, in quibus pręcepta Rhetoricæ à dicendi ratione transfert ad scribendi rationem. Coloniæ ann. 1573.

LIPTINENSE Concilium, hoc est apud Liptinas celebratum, cui cum pluribus Episcopis Carolus Magnus interfuit, auctoritate Apostolica celebratum est. Vide Benedictum Leuitam in lib. 5. Capitularium Regum Francorum. In eo autem Concilio firmata sunt, quæ in superiore fuerant constituta. Abbates vero, & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad instaurandam Vitæ regularis normam. Acta ipsius ex parte Baronius Card. nono suorum Annalium Tomo intexuit, sub eundem annum.

LIPTINENSE alterum Concilium, cui præfuit cum S. Bonifacio Legatus Apostolicæ Sedis Gregorius nomine, anno 858. qua Pipinus Caroli Martelli filius, quidquid de rebus Ecclesiasticis Pater suus abstulerat, potuit, Ecclesijs reddi procurauit. Annal. To. 10.

LISIARDVS Gallus, qui & Episcopus, scripsit Vitam B. Arnulphi Suessionensis Episcopi. Iacobus Mayer.

LITVRGIAE, siue SS. Apostolorum Petri & Iacobi, siue Sanctorũ PP. Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, quæ partim Græcè prodierunt per Adrianũ Turnebum, partim Gręcè, ac Latinè per Gentianum Heruetum, Aurelianensem, quin & per Claudium Sanctium Episcopum Ebroicensem, atque per Iacobum Pamelium. Vide in verbo eorum, sed potissimum in verbo, Missa.

LITVRGIAE S. Basilij magni, S. Gregorij Theologi, S. Cyrilli Alexandrini, ex Arabico conuersę à Victorio Scialach Accurensi, Maronita. Vide in verbo, Victorius Scialach.

LIVDPRANDVS. Vide in verbo, Luitprandus.

LIVONES populi, quibusnam libris, & rationibus iuuandi. Vide Commentarium nostrum, quem Gregorio XIII. Pont. Maximo scripsimus.

L O

LOAISA, quod est cognomen Garsiæ, Toletani Canonici, qui Collectionem Conciliorum Hispaniæ abs se accuratè elaboratam emisit Madriti, ann. 1593. Vide in verbo, Garsias Loaisa.

LOGOTHETA Magnus, scripsit Sermonem in S. Theodosiam. Extat m. s. Gręcè in Bibliotheca Vaticana hac inscriptione, *τοῦ σοφωτάτου μεγάλου λογοθέτου εἰς τὴν ἁγίαν ὁσιομάρτυρα θεοδοσίαν.*

LOPEZ Madera, Hispanus, Licentiatus, vt vocant, & fisco Regio Catholici Regis in Granatæ vrbis, quæ dicitur, *Cancellaria* præfectus, Tractatum Hispanicè edidit, quem inscripsit. Discursus de Laminis, Reliquijs, & libris, qui Granatæ fuerũt inuenti ann. 1595. De reliquijs item, ac Prophetia, quæ reperta est ann. 1588. Præmittitur verò Narratio facti absque titulo, ad cuius finem habentur hæc verba: *Impressus apud Ioannem Renatum, cum permissu Prouisoris, &c.*

LVCAS

L V

LVCAS Abbas S. Cornelij, Sanctitate Vitæ celebris, scripsit Commentaria in Cantic. Canticorum. Bibl. PP. SS. To. I.

LVCAS Antiochenus Euangelista, quem prolixè laudat Irenæus, quemve inquit Paulo Troadē uenienti adhæsisse, anno à Christo nato, quinquagesimoprimo, genere Antiochenus, arte Medicus, qui (vt inquit Hieronymus) sicuti Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt, ita ipse de Medico corporum, in Medicum versus est animarum; cuius liber quotiescunque legitur in Ecclesijs, toties eius medicina non cessat. Vir summæ industriæ (vt inquit Chrysostomus) discendi studiosus, laboris patientissimus, qui à Paulo auelli non potuit: quem idem Hieronymus vitam duxisse cęlibem vsque ad annos octoginta quattuor ætatis suæ, quibus absolutis, ex hac vita decessit, reliquit nobis vocationis, ac vitæ, deinde item scriptionis præclara monimenta. Sic autem Hieronymus. Hier. in Epist. Pauli ad Philemonem. Chrysost. homil. 10. post. Epist. ad Timoth.

LVCAS Medicus Antiochensis, vt eius scripta indicant, Gręci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit Euangelium, de quo idem Paulus; Misimus, inquit, cum illo fratrē, cuius laus in Euangelio est, per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas Medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur: cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, idest vsque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum esse compositum. Igitur περιόδους Pauli & Theclę, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli inter ceteras eius res hoc solum ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum, refert presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli conuictum apud Ioannem, quod auctor esset libri, & confessum se hic Pauli amore fecisse & ob id de loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescunque in Epistolis suis Paulus dixit, iuxta Euangelium meum, de Lucę significare volumine, & Lucam non solum ab Apostolo Paulo didicisse Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed à ceteris Apostolis, quod & ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Euangelium sicut audierat, scripsit, Acta verò Apostolorum sicut viderat ipse composuit, (vixit octoginta & quattuor annos vxorem non habens) sepultus est Costantinopoli, ad quam Vrbem vigesimo Constantij anno ossa eius, cum reliquijs Andreę Apostoli translata sunt de Achaia. Hæc in Catalogo Hieronymus, in quem adnotauit Suffridus Petrus. Lucam ann. 53. Euangelium ann. 59. Acta Apostolorum scripsisse auctores tradunt: porrò quæ parenthesi inclusa sunt ab eo loco (*Vixit octaginta & quattuor*) in cod. Gembl. non habentur, idem etiam de suis quibusdam testatur Lypsius, nec Sophronius interpretatione sua retulit; vt supposititia esse videantur; *vsque ad quartum Neronis annum*, Sigebergen. Cod. habet, *quartumdecimum*.

Vitam, & Martyrium paucis, sed commodè conscripsit Nicephorus his verbis. *Lucas Antiochia, quæ est in Celesyria, ortus, Medicus simul, & Pictor egregius, Thebis ad Paulum venit, atque sibi nuncio patrio errori remisso, ad Christum accessit: pro corporum curatione animarum Medicus factus, Euangelium suum Paulo præcipiente, scripsit; atque itidem Acta Apostolorum.* Cum Paulo autem Romæ quum fuisset, in Gręciam est reuersus; plurimosque ibi Diuinæ doctrinę, & cognitionis luce illustrauit: & tandem à Diuini Verbi cōtemptoribus ex fructiferæ oleæ arbore suspensus, quòd aridi ligni, vnde Crux fieret, copia non esset, Deo Spiritum commendauit; cùm octoginta, vt dicitur, annos natus esset &c. Eadem de Martyrio in olea consummato, testatur Michael Glycas (quod Baronius Card. suis adnotauit Annalibus) & Georgius Cedrenus, Gręci historici, qui, & vnguenti Medici mentionem faciunt, quod ex eius membris scaturijt, quo etiam signo repertas eius reliquias tradunt. Gaudentius Episcopus Brixiensis, æqualis D. Ambrosij, apud Patras, vbi & D. An- Niceph. lib. 2. cap. 43. Glycas. lib. 3. Annal. Georg. Cedr. in compend. histor. Gaudēt. tract. dedicat. Basil.

D. Andreas antea, martyriũ consummasse scribit. At è Martyrologio Gregorij Tertijdecimi Pontificis Maximi iussu editi, habemus hæc verba: Natalis Beati Lucæ Euangelistę, qui multa passus pro Christi nomine, Spiritu Sancto plenus obijt in Bithynia; cuius ossa Constantinopolim translata sunt, & inde Patauium delata. Ita Martyrologium; in quod quæ suis Notis idem adnotauit Card. Baronius, hæc sunt. Meminit Lucæ Paulus ad Colossenses cap.4. ad Timoth.2.cap.4.& ad Philemonem. Licet autem aliqui dixerint, hunc eundem esse cum Lucio, de quo Paulus ad Rom.cap.16.tamen Origenes, quẽ secuti sunt plurimi, diuersum esse putant, idque Græci in Menologio 10. Kal. Maij expresse profitentur. De Luca Euangelista Eusebius, Hieronymus; & Auctor, qui dicitur Isidorus, qui in eius Euangelium scripsere Commentarios. Auctor est S. Epiphanius, fuisse Lucam vnum ex Septuaginta duobus discipulis, prædicasseque Euangelium in Gallijs, Italia, Dalmatia, ac Macedonia. An autem martyrio fuerit coronatus, dubium relictum videtur, eo quòd S. Hieronymus scribens, eum vixisse annos octoginta quattuor, de martyrio nihil dicat; quod idem, qui supra apud Isidorum, & Græci in Menologio, ea ætate obdormiuisse in Domino, profitentur; idipsum etiam Metaphrastes, in Sermone de S. Luca. At Gregorius Nazianzenus inter Martyres eum recensuisse videtur, quum in Iulianum his verbis inuehitur: Non victimas pro Christo cæsas veritus es, non magnos pugiles ex timuisti? Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam &c. Ex Græcorum historicis Nicephorus id expresse profitetur & genus martyrij describit, & Glycas: Latinorum autẽ Patrum S. Paulinus Nolanus, his versibus:

Hic Pater Andreas, & magno nomine Lucas
Martyr, & illustris sanguine Nazarius.

Itemque S. Gaudentius Episcopus Brixiensis ait. Horum quattuor habemus in præsenti reliquias, qui Regnum Dei, & iustitiam prædicantes, ab incredulis & iniquis occisi, Deo semper viuere operationum suarum virtutibus demonstrant: Ioannes in Sebaste prouinciæ Palestinę, Thomas apud Indos, Andreas, & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatem consummati referuntur. Hæc Gaudentius. Extant de eo varij Sermones Metaphrastis; Petri Damiani apud Surium, Tomo quinto. Alium habemus manuscriptum Sancti Bertharij Abbatis incip. cum in Diuinis &c.

Cur verò, & quo vrgente, Item quo tempore, loco, lingua, & cui Lucas Euangelium, atque Acta scripserit Apostolorum, & an deinceps quidpiam aliud posteritati reliquerit, dicendum est: Nam deinde quæ sint tum Euangelij, tum Actorum partes, quive interpretes, atque adeò qui vsus Diuinæ huius historiæ, ita attingemus, vt priùs ostendamus, vnde errores depelli possint veterum, ac recentiorum, qui eidem Euangelicæ, & Apostolicæ historiæ fidem abrogare tentarunt.

Cùm igitur Cerinthus, & alij pseudoapostoli falsa pleraque de Christo Domino, & alijs fidei dogmatibus, voce ac scripto disseminarent, hortante Paulo (vt inquit Hieronymus) Euangelij scriptioni Lucas sese dedit: vt Paulus etiam existimetur suum vocare Euãgelium, quod à Luca scriptum innuit his verbis: secundum Euangelium meum; ac de eodem intellexisse cum ait; Misimus cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: Id quod ante Hieronymum Tertullianus antiquior scriptum reliquit. Quare quòd Dorotheus ille, de quo suo loco locuti sumus, in Synopsi testetur, mandante Petro, à Luca Euangelium fuisse conscriptum, nescitur, vnde sit sumptum. Atqui cùm cessent iam scripta Euangelia, per Matthæum quidem in Iudęa, per Marcum autem in Italia, Lucas Sancto Spiritu actus, in Achaiæ partibus hoc scripsit Euangelium, significans etiam ipse in principio, ante suum alia esse descripta. Cui extra ea, quæ ordo Euangelicę dispositionis exposcit, ea maximè necessitas laboris fuit, vt primum Græcis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem Dei Christi manifesta esset humanitas, ne Iudaicis fabulis intenti, solo legis desiderio tenerentur, vel ne hęreticis fabulis, & stultis solicitationibus seducti, exciderent à veritate, elaboraret. Caussam scriptionis suæ Lucas in Prologo huius Euangelij ponit ipse: *Vt habeas*, inquit, *eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*, id est, vt sæpè commonitus, certus sis, ac in certitudine permaneas.

Die 18. Octobris.

Euseb. lib. 3. hist. c. 4. & 18. Hieronymus de script. Eccl. Isidor. De Vita & Obitu S. S. cap. 84. Epiphan. hær. 51.

Nazianz. oratione in Iulianum.

Niceph. lib. 2. c. 43. Glicas. lib. 3. Annal.

Paulin. Epist. 12. ad Seuerũ.

Gau. in Serm. dedicat. Eccl.

Sur. Tomo 5.

Epiph. hęr. 51

Hieronym. in Præf. in Commentar. super Matth.

Hieron. de script. Eccl. in voce Lucas. Tertul. aduer. Marcionem, lib. 4.

Chrysost. homil. in Mat. 1.

Et

Et verò cum Paulus Achaiam, & Bęotiam obiret, Lucas, qui fidus ei adhęrebat comes, atque interpres, Euangelium scripsit: cui facies bouis, ob ministerium Sacerdotij, à quo Lucas Euangelium auspicatur, ab omnibus ei tribuitur, cum alioqui (si licet sacris (inquit hoc loco Baronius) profana coniungere) antiquitus in Italia, Varrone auctore, bos Luca solitus fuerit appellari: Acta itidem Apostolorum postea, hoc est anno sexagesimoprimo à Christo nato, qui annus fuit Neronis quintus; vtrũque sanè Opus Græca lingua, & quidem nitida, & eleganti, quippe quam pro se callebat.

Baron. To. 1. Ann. Eccles. Varro lib. 6. de lingua Latina.

Quoniam autem Lucas non semper ita indiuiduus fuit Pauli comes, quin interdũ ab eo absuerit, ideo ea, quibus interfuit, distinctè, atque integrè narrans, grauissima prætermisit, aut strictim attigit, ne quid veritati detrimentum afferret.

Præterea verò Lucam iterũ Romã redijsse, eo tempore, quo Paulus, nouissimè Romam reuersus, martyrio sublatus est, tradunt Acta Passionis eius, quæ ferũtur Lini nomine, quæ etiamsi olim syncera fuere, vt & inde Ambrosius quædam desumpserit, fuere tamen postea Manichęorum tincta fuligine. Porrò quonam Lucas abierit demortuo Paulo incertũ est; Epiphanius quidem prædicasse eum in Dalmatia primum, at Gallia, & in Italia, & Macedonia; Oecumenius verò in Orientem redijsse, rursumq; Libyam petijsse, Thebanos ad fidem Christi conuertisse, atque in vltima senectute reddidisse spiritum, dicit.

Theophilo autem tum Euangelium, tum Acta Apostolorum dicauit; qui fortè is fuit, quem Clemens inquit fuisse nobilem ciuem Antiochenum, qui à Petro conuersus domum suam in Ecclesiam Christianorum mutauit, in qua Petrus conuentus agens, cathedram posuit.

Clemẽs li. 10. cap. vlt. Recognitionum.

At vir sanctus non contentus expressisse calamo, Domini, & Beatiss. Virginis vitam, penicillo quoque voluit sanctissimas illas facies pingere, vt humanis aspectibus obiectæ, raperent adhuc viuidius animos ad interiorem cultum, & imitationem. Quare quo animo eas pinxerit, primum quidem ex Metaphraste liquet, qui ita habet: *Hoc autem inter cetera gratissimum est, quòd ipsum quoque assumptum typum humanitatis Christi, ac signum eius, qua illum peperit, Lucas primus omnium cera, & lineamentis pingẽs, vt ad hæc vsque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tamquam non satis esse existimans mente, & spiritu cum his esse, quos desiderabat, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum eis. quod feruentissimi amoris indicium est.* Deinde verò Nicephorus de Virginis Deiparæ imagine à Luca depicta sic inquit: *Pulcheria Augusta Templum in vrbe Constantinopolitana extruxit τῶν ὁδηγῶν, hoc est via ducum, appellatum: vbi ex Antiochia transmissam matris Dei imaginem dedicauit, quam D. Apostolus Lucas sui ipse manibus depinxit, illa adhuc viuente, & tabulam ipsam vidente, gratiamq; adeò illi forma sua immittente. Hæc imago primum in eo loco, qui Tribunal dicitur, fuit; vbi ea, qua nunc quoque sũt, miracula peracta sunt.* Atqui idem Nicephorus staturam, formamque sanctissimę Virginis ex Epiphanij sententia sic describit: *Maria Virgo statura fuit mediocri, quàmuis sint qui eam aliquantulum staturam mediocrem excessisse dicant. colore fuit frumentum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tamquam olea colore pupillas in eis habens; supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena: facies non rotunda, vel acuta, sed aliquanto longior; manus simul & digiti longiores. erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeq; vultum fingens. vestimentis natiui coloris contenta fuit: id quod etiam sanctum capitis eius velamen ostendit.*

Simon Metaphr. in vita D. Lucæ.

Niceph. Callixt lib. 14. eccles. hist. & libro 15.

Niceph lib. 2

Quin etiam Epistolę ad Hebræos à Paulo scriptæ auctor habitus est ab antiquis, ac præsertim à Tertulliano: quam tamen opinionem cum alij, tum Sixtus Senensis confutat libro septimo suę Bibliothecæ Sanctæ.

Sixtus lib. 7. Bibl. Sanctæ, hęres. 8.

Porrò deprauationes, additiones, subtractiones, aliaq; huiusmodi, quę hæreticorũ opera in Euangelium Lucæ irrepserant, siue Marcionis & aliorum, siue hoc seculo Anabaptistarum, & ceterorum hęreticorum, Sixtus Senensis, tum ex vbere Epiphanij digressione, quã *Pauimentum* vocat, quamquam breuiorem fecit, tum ex alijs rationibus confutat, additis regulis, quas sparsim ex multis ac longis eiusdem Epiphanij confutationibus collegit, Quinetiam cum Erasmus, & alij quędam in Euangelio Lucę seu Græco, siue in Latina eius versione carpsissent, triginta aduersus hosce Adnotationibus, hoc est à centesima trigesima

Sixtus lib. 7. Bibl. Sanctæ, hęreũ 4. Epiphan. li. 1. aduersus hęreses, c. 42.

ma quarta, vsque ad centesimam sexagesimamquartam libri sexti suæ Bibliothecæ, rem totam est persecutus, veritatem strenuè vindicans. At quod ex capite Lucæ vigesimosecundo (vt inquit Card. Bellarminus) historiam illam de sudore Christi sanguineo, & Angelica apparitione, & consolatione, vt Hilarius testatur, & Hieronymus, caussa quæ hos permouit, ea fuit, ne Christo infirmitatem, & animi dolorem tribuere viderentur. Qua etiam de caussa quosdam Catholicos præpostero zelo è suis codicibus ex illis verbis Lucę deciminoni capitis, *videns ciuitatem, fleuit super illam*; abrasisse verbum *fleuit*, testatur Epiphanius in Ancorato. Ac certè isti timuerunt vbi non erat timor. Si enim Christus vt homo, potuit imminente passione pauere, & tædere, vt etiam Matthęus, & Marcus testantur; cur non potuit eadem ratione sudare, & Angelicam consolationem admittere? & si corpus habuit passibile, & animam sentientem; cur non potuit dolere, & flere? Itaque Athanasius anathema dicit ijs, qui Christum sanguinem sudasse negant. Epiphanius quoque, & Augustinus hunc locum Lucæ, vt Euangelicum, agnoscunt: neque Hilarius, nec Hieronymus locis citatis contrarium docent, sed tantum monent, non omnibus codicibus suo tempore extitisse, & propterea non ita certæ fidei habitum.

Matth. c.26. Mar. c.14. Athan. lib.6. ad Theophilũ, qui est de beatitudine filij Dei. Epiph. in Ancorato. Aug. lib.3. de cõsensu Euãg. cap. 4.

Quoniam autem alia Apostolorum Acta tum Petri, tum aliorum nominibus, ab hæreticis vel manarunt, vel falsata sunt, quæ interdũ meliora ingenia fatigarunt, dubitantia num qua fides ijs esset adhibenda; ideò pręter illa, quæ varijs in locis nostræ Selectæ Bibliothecæ commemorauimus, sciendum est, accuratè ac satis compendiosè hoc quidquid, est, collectum ab Cęsare Card. Baronio fuisse Tomo primo suorum Annalium Ecclesiasticorum, quo loco anni à Christo nato quadragesimi quarti res gestas persequitur, vbi & de alijs, quos censura Gelasii proscripsit, tũ de Abdia & ceteris huiusmodi iudicium suũ adscribit. Ceterum perlegat, quæ Io. Maldonatus noster in Euangelii Lucæ initium de ipso agit accuratè, vbi & confutat arrogantem Caluini impudentiam audentis conuellere, quæ vniuersa antiquitas de D. Luca testata est.

Iam huius Lucæ Euangelii continuationem, & argumentum ita ex Patribus breuissimè atque aptè conscripsit Ederus. Descripta Christi Resurrectione, per quam Leo ille de Tribu Iuda vniuersum Cœli & Terrę subiecit ambitum, & Regnum parauit immortale, optimo sanè ordine Pontificatus eius atque Sacerdotii sequitur descriptio, quæ sub vituli, hoc est immolationis mysterio, paulò ante vberius explicato continetur. Porrò Lucas (vt dictum est) circa Sacerdotalem Domini stirpem, atque personam magis occupatus videtur, vnde per vitulum significatus est, propter maximam victimam Sacerdotis, vt Augustinus, & Ambrosius habent. Vitulus enim (inquit Ambrosius) Sacerdotalis est victima, vnde bene conuenit vitulo hic Euangelii liber, qui à Sacerdotibus inchoauit, & cõsummauit in vitulo, qui omniũ peccata suscipiens, pro totius Mũdi vita est immolatus. Et Petrus quidem Aureolus breui tabella vniuersi Euangelii Lucæ partitionem hanc nobis reliquit his verbis, vt Christus medicinam, & salutem huic mundo non tantum attulerit, verum etiam præstiterit; Primum, in hunc mundum ingressu In Conceptione, cap. 1. 2. In Natiuitate, cap. 2. 3. In baptismo cum hominibus innotuit, c. 3. Conuictu cum hominibus, & conuersatione cap. 4. 5. 6. & 7. Officio, studio, & voluntate, cap. 8. 9. & 10. Doctrina à cap. 11. vsque ad cap. 22. Ex hac vita per mortem transitum c. 22. 23. Reditu ad nos per resurrectionem à mortuis, c. 24.

Eder. libro 3. Partitionum Theolog.

Aug. de consen. Euangel. Ambros. hic.

Sed has postea partes distinctiores Ederus à 59. vsque ad 64. libri sui tertij partitione Theologicarum tabularum est persecutus.

Atqui aptissimè suo Euangelio Acta Apostolorum connexuit Lucas, quorum capita (vt inquit Oecumenius) hæc sunt. Angelis excipientibus assumptum esse Dominum, Spiritum Sanctum in Quinquagesima in Apostolis & omnes, qui aderant, effusum fuisse: Matthiam loco Iudę proditoris fuisse substitutum. Septem Diaconos institutos fuisse, quo pacto Paulus electus fuerit, & quę sit passus. Quęcumque item Apostoli ex fide in Christum miracula fecerint.

Oecum. in Act Apost. Vide Driedonem.

Quin etiã Ederus cum vigintiseptẽ tabulis vniuersam Actorum Apostolicorum seriem sub aspectum ponat, multa vtilissima interseruit ex Patribus, qualia de varijs Apostolorum

rum, & septuaginta discipulorum appellationibus & nominibus, de vtilitatibus S. huius libri, de Pauli peregrinationibus quarum Epitomen ex Oecumenio adscribit, de summa signorum & miraculorum, quæ in Actis narrantur suo ordine.

Quòd verò Tatianus, Cerinthus, ac Manichæi, Seuerus, à quo & Seueriani, Acta Apostolorum non reciperent, explosa eorum temeritas est, non magis rationibus à Patribus, & ab Augustino allatis, quàm auctoritate plurium Synodorum ac præcipuè Laodicensis, Carthaginiensis, & Tridentinæ. Et verò fucum sectariis suis Manichæi inde faciebant, quòd Lucas scriberet, spiritum Paracletum à Christo promissum in die Pentecostes aduenisse longe ante tempora Manichæi, quem ipsi credebant fuisse Paracletum illum Spiritum à Christo promissum. Sed cum liber iste (inquit Augustinus) tanta in se habeat similia his, quæ Manichæi de Diuinis Scripturis accipiunt & credunt, magnæ stultitiæ videtur esse, quod etiam non hunc credant, & accipiant. Hieronymus in Catalogo virorum Illustrium (quemadmodum supra ostendimus) scribit librum hūc olim à Presbytero quodam Asiatico fuisse corruptum, sic inquiens: *Igitur periodos Pauli, & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam libro Apostolicorum actuum adiectam inter apocryphas scripturas computamus.* Sed & Tertullianus vicinus Apostolorum temporibus refert presbyterum quēdam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli conuictum apud Ioannem, quòd auctor esset Libri, & cōfessum se hoc Pauli amore fecisse. In huius igitur erroris confutatione nihil mihi laboris insumendum est, quia cum nullas rationes, apud quemquam Scriptorum inuenerim, ob quas hæretici hūc librum abiecerint, non opus est, vt quidquam illis respondeam, nisi hanc ipsorum hæresim damnari longæuo Ecclesiæ vsu, patrum omnium approbatione, & auctoritate Cōciliorum omnium, præcipuè Laodicensis, Carthaginensis tertij, & postremi omnium Tridentini, in quorum Catalogis hic liber inter cæteras Diuinas scripturas recensetur.

Euseb lib. 4. histor. Eccles. Philaster in Catal. August. de vtilit credēdi ad Honoratum.

Quìnam fructuosior vsus elici possit hoc seculo ex doctrina Actorum Apostolicorum.

Quoniam verò diuinitus est factum, vt hoc sæculo eadem penè quæ fuit primitiuæ Ecclesiæ species ex noui terrarum Orbis conuersione ad Christum exprimeretur, propterea liber Actorum Apostolicorum fidei nostræ statuendæ potest esse peropportunus, si prioris illius sæculi, quod effluxit à Christo nato, res gestas, cum ijs quæ hoc sæculo in Indijs, quasi in altero nouo terrarum Orbe acciderunt, conferamus. Id quod & retundendis hæreticorum seu schismaticorum ictibus, & ecclesiæ faciei natiuis delineationibus agnoscendis plurimū valebit: & Lucas enim, qui agebatur à Spiritu sancto, quænam nostræ militantis Ecclesiæ fundamenta, qui (vt ita dicam) parietes, quæ structura, & connexio inter sese, quod tectū, qui inquilini, quis ordo & magistratus, qui D. Verbi cibus, qui Sacramentorum & D. Sacrificij vsus, quæ vera miracula, & signa, quæ etiam semicinctiorum, & aliarum eiusmodi rerum vis ob credentium fidem, quoniam corpora Sanctorum contingebant, qui Synodos cogebant, aut manus futuris imponebant Sacerdotibus, quæ sine seditione, aut alienarum Vrbium vsurpatione propagatio fidei Catholicæ, quæ vera martyria erant, facillimè offerunt legentium oculis. Simillima verò cum sint tum ijs quæ de moribus Ecclesiæ Catholicæ scripsit Augustinus, ac doctrinæ, quæ per omne sæculum stetit inconcussa in Romana Ecclesia, quemadmodum Genebrardus accuratè in altera parte suæ Chronographiæ, & in notis Chronicis ostendit; quod & ex parte fecerat sua de Ecclesiæ monarchia Gandeus; tum ijs omnibus quæ hodieque in Indijs quaquauersum Dextera Domini efficit, certè patet ingens campus promendi ex hoc Apostolicorum Actorum Thesauro quamnam, vt diximus, ad roborandā Catholicæ Religionis ac pietatis fidem intimè pertineant. Quòd si etiam vt dictio ac stylus ipsius Lucæ est comptus, & ex interiore Græcia depromptus pure legeretur, adhibita quam diximus collatione cum rebus de fide Indicis, profectò Christianæ Reipublicæ aliquod maius accederet commodum, quàm quod fabulis, & commentis Ethnicorum inseritur cordibus adolescentum, quæ denique in omnia scelera ferè erumpunt.

Scripserunt in Euangelium Lucæ.

Omnes, qui Diuinam Scripturam vniuersè sunt interpretati, de quibus Vide in verbo, Biblia. Deinde
Adilredus.
Albinus.
Ambrosius Mediolanensis.
Amphilochius.
Andreas Hierosolymitanus.
Anselmus Cantuariensis.
Antoninus Florentinus.
Asterius Amasiæ.
Augustinus Anconas.
Aurelius Augustinus.
Bartholomęus Bononiensis.
Bartholomæus Paruus.
Bernardus.
Bonauentura.
Claudius Seisellus.
Didacus Stella.
Dominicus Leonus.
Ecbertus.
Epiphanius Salamin.
Franciscus Osunna.
Franciscus Cardin. Toletus in duodecim prima capita Lucæ.
Galfridus Allieuiant.
Gregorius Nissenus.
Henricus Consueldius.
Henricus Longestein.
Henricus Caltisen.
Hubertus Leonardus.
Hugo Victorinus.
Ioannes Beuerlacius.
Ioannes Bury Clarensis.
Ioannes Dominici.
Ioannes Hofmeisterus.
Ioannes Isdinius.
Ioannes Roffensis.
Ioannes Maldonatus, Theologus Societatis Iesu.
Isidorus Thessalonicensis.
Iodocus.
Michael Angranius.
Nicolaus Gallus.
Odo.
Petrus Aliacus.
Theodoricus Herxen.
Titus Bostrorum Episcopus.
Commentarij quidam Gręci in Lucam, nescio cuius auctoris, Romæ extant in Bibliotheca Vaticana hoc titulo. Ἐκλογὴ ἀπὸ τῶν ἀποδείξεων τοῦ κατὰ λουκᾶν εὐαγγελίου διαφόρων ἐξήγησις.

Scripserunt in Acta Apostolorum.

Alexander Dolensis.
Arator.
Aurelius Cassiodorus.
Diodorus Tarsensis.
Eutalius.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Lattinus.
Iosephus Tyberinus.
Nouatus.
Oecumenius.
Petrus Appianus.
Tertullianus.
Theodorus Ancyræ.
Thomas Vvaldensis.

LVCAS Antonius Resta, Messapiensis, Episcopus Andričsis, scripsit, atque edidit Praxim Visitatorum, & Visitandorum, ac Formulam generalis Visitationis, Romæ apud Gulielmum Facciottum, ann. 1599.

LVCAS Assisias, Ord. Minorum, cum edidisset Opusculum quoddam, dū profiteretur Parisijs, neque verò, quidnam illud esset, dicatur à Francisco Gōzaga Episc. Mantuano, ne nos quidem, ecquid fuerit, nouimus. Viuebat ann. 1440. Henrico Villot.

LVCAS Bernardus, Brixianus, antea dictus Franciscus, Ord. D. Benedicti, monachus S. Iustinę, quod Cęnobium est Pataui, Gręcas D. Io. Chrysostomi Homilias octoginta Latinè reddidit ann. circiter 1503. quę Basileę prodierunt duobus Tomis.

LVCAS Bitontinus, Ord. Minorum, scripsit Sermones in Euāgelia, & Epistolas Quadragesimales, & alios: Quorum initium est: *Narrauerunt mihi iniqui*. Extabat m.ss. Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis.

LVCAS Bosderus, Anglus, Carmelita, scripsit Quęstiones Theologicas. Libros item 8. in Naturalem Philosophiam, & librū ad sex Principia Gilberti Porretani. Vixit an. 1340.

LV-

LVCAS Euangelista. Vide, in verbo, Lucas Antiochenus.

LVCAS Ferrinius Florentinus, Ordin. Seruorum, scripsit Salutationis Angelicæ ad B. Virginem expositionem, in qua quinquaginta duo Christi Do. nomina est interpretatus. Incipit Italicè, *La Sapienza, & prouidenza di Dio.*

Librum item aduersus recentiores Hebręos, prænotatum, *Clypeus Christianorum.* Incipit, *Scripserunt, qui naturas rerum curiosius indagarunt.*

Additiones ad librum septem SS. Patrum fundatorum sacri Ordinis Seruorum, quæ Florentiæ cum eodem libro fuerunt excusæ.

Tractatum de Nobilitate Sculpturæ, ac Picturæ, vtra præstantior. Italicè, cui additus Libellus Aristotelis De coloribus in Etruscum idioma conuersus. Cuius initium, *Marauiglia grandissima partoriscono.*

Commentatio, siue Discursus (vt ille vocat Italicè,) De fructu Ordinis sui in Vinea Domini. Incipit, *Quando i principij di tutte le cose nascono misteriosamente da Dio.*

Alter De Nobilitate Florentinorum, Italicè, *Con meco souente pensando.* Viuebat adhuc anno 1589.

LVCAS Hispanus monachus, & Eremita Camaldulensis Congregationis Montis Coronæ, libros quinque De Congregationis, siue Ordinis sui Origine scripsit: Qui Latinè excusi in Eremo editi Montis Vendæ, qui situs est in Tractu Patauino, excusi, fuere deinceps Italicè recusi Venetijs ann. 1590. apud Nicolaum Misserinum.

LVCAS Mannellus, Florentinus, Ordinis Prędicatorum cum esset Theologus, iussu Clementis VI. Pont. Max. interpretatus Senecam, non potuit non admiscere pleraque, quæ ad pietatem pertinent. Quo nomine hic locum habere voluimus. Viuebat ann. 1345. PP. Mon. Ordin.

LVCAS Monachus Græcè, scripsit ad Virgines, & monachos. Extat m.s. vnà cum Gregorio Nazianzeno ad eosdem in Bibl. Imp. Viennę.

LVCAS Monachus Græcè, scripsit Parabolas, & Expositiones Euangeliorum. Extabat Gręcè m.s. Bononiæ in Bibl. S. Saluatoris. Vide item Sixtum Sen.

LVCAS Montis Cornelij Abbas, scripsit ad Milonem Episcopum Taruannensem in Canticum Canticorum, ex D. Apponij Commentarijs. Eius mentio fit in Auctario Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 9. videlicet in Appendice ad Catal. Henrici de Gandauo. Extat autem in Bibl. SS. PP. Tomo primo secundæ editionis. Vide Sixtum Senen. lib. 4. Bibl. Sanctæ.

LVCAS Paciolus, è Burgo S. Sepulchri, prope fines Etruriæ, Ordin. Minorum, omnem penè rationem mathematicæ disciplinæ Italica lingua complexus, scripsit

De Diuina proportione Compendium. Sed & De Arithmetica.

Dę proportionibus, & proportionalitatibus lingua vernacula rudiore ad Guidobaldum Ducem Vrbinatum.

Item scripsit de quinque corporibus regularibus.

De maiusculis Alphabeti litteris artificiosè pingendis.

Illius sunt corporum solidorum, & vacuorum figuræ cum nomenclaturis. Quæ excusa sunt Venetijs, anno 1509.

Idem transtulit Euclidem in Italicam linguam.

LVCAS Patauinus, Ordinis Minorum D. Antonij discipulus, scripsit Sermones ad Euangelia, & Epistolas Dominicales, De Sanctis item. Quæ Patauij in Bibliotheca Monasterij D. Antonij extant m. ss.

LVCAS Pinellus, Amalphitanus (quæ in Neapolitano Regno est Ciuitas, quique Mussipoti in Lotharingia, nimirum in celebri illa Academia Theologiam publicè est professus) Societatis Iesu Theologus, scripsit Italicè, & ad pietatem synceram appositè, varia Opuscula, quæ separatim alibi edita, fuere denique in duos Tomos redacta, & excusa Venetijs à Ioanne Baptista Ciotto Senensi, ann. 1604. Italicè.

Meditationes aliquot mysteriorum Vitæ Domini nostri Iesu Christi.

Meditationes deuotissimæ B. Virginis, eiusque Vitæ ex antiquis Sanctis Patribus.

Meditationes breues Sanctissimi Sacramenti, & præparationis ad Sanctam Communionem, & aliarum rerum ad cultum tanti mysterij pertinentium.
Meditationes Mysteriorum Rosarij, cum Litanijs B. Virginis.
Meditationes breues de peccatis læthalibus. Vbi & documenta ad fugienda vitia, & ad acquirendas virtutes.
Meditationes de quattuor Nouissimis.
Liber, qui Gerson inscribitur, De perfectione, quam tenetur quisque religiosus curare.
Meditationes Mysteriorum Passionis Domini nostri Iesu Christi.
Eiusdem Lucæ Pinelli Dialogus breuissimus De Sanctiss. Communione inter Mundanū, & Spiritualem Hominem, cui additus est Tractatus breuis De Cōmunione Spirituali. Venetijs prodijt ann. 1602. apud Pasinum Brusedam.
Tractatus De altera vita, deque Statu animarum in ipsa.
Excuderat autem antea Petrus Maria Marchetus Brixiæ, hoc est ann. 1599. Meditationes Sanctissimi Sacramenti Eucharistię eiusdem Pinelli, vbi agit de Pręparatione ad ipsum Diuinum mysterium, Maiestatem, atque miracula, & Meditationes de Vita Beatiss. Virginis, scitis iconibus additis.
Sed & ann. 1599. & ann. 1603. easdem Meditationes de Sanctiss. Sacramento Eucharistię, ac Meditationes de Vita Christi Dom. ac Beatiss. Virginis à Ioanne Busæo Theologo Societatis nostrę in Latinam linguam conuersas, Arnoldus Mylius Coloniæ edi curauit, cum & ann. 1602. libri quattuor De perfectione Religiosa, inscripti, *Gerson*, Latinè redditi prodijssent ibid. apud Balthasarem Clypeum.
Iam verò dum idem Pinellus Theologiam in Germania profiteretur, edidit eruditam Disputationem de statu animarum in hoc seculo, quæ publicè habita est in Academia Ingolstadiensi respondente Andrea Koechlero docto adolescente.
Alteram item Disputationem de Christo Opt. Maximo, ac De Matre eius Sanctissima. Ingolstadij ex Officina Vueissenhorniana, ann. 1577. & 1581.
Atqui ann. 1604. Latinè prodierunt Moguntiæ libri quattuor De perfectione religiosa, & obligatione, qua quisque religiosus ad eam consequendam tenetur.

LVCAS è Prato Etruscus, Ord. Seruorum, scripsit librum quem inscripsit *Dominicale* ad totius anni Euangelia, & Epistolas. Quod in membranis descriptum asseruatur in Bibl. Florentina eiusdem Ord.

LVCAS Siculus, qui claruit sub Basilio Imp. de Manichęis in Armenia praue docentibus historiam Gręcè scripsit, cuius fragmentū Latinè redditum, Baronius Card. nono suorum Annalium Tomo inseruit sub ann. 722.

LVCAS Trelcatius scripsit, atque edidit Synopsim Methodi Sacræ Theologiæ, anno 1590.

LVCENSE Concilium sub Theodomiro Sueuorum Catholico Rege in ciuitate Luco habitum est ann. Do. 569. Io. Papæ X. tum ad fidem confirmandam, tum ob Ecclesiasticas caussas, atque vt noua instituereтur Metropolitana Ecclesia in Gallicia, quæ tamen Bracharensi subderetur. Ambrosius Morales historicus Hispanicarum rerum, de quo nos in Apparatu ad Historias nostro, Concilium hoc inter reliqua Ecclesiastica Hispaniæ monumenta comperit non ita multos ante annos.

De hoc Concilio Lucensi sic scribit Ioannes Vasæus, lib. Chronicorum Hispaniæ, Tomo posteriori, anno Dom. 564.

Hoc Concilium Lucense circa hunc annum celebratum est, Kal. Ianuarij, sub Theodomiro Rege Sueuorum; sub quo & Bracarense, ad cōfirmandam fidem Catholicam, & con stituendum Ecclesiæ statutum. In eo Concilio Ecclesiæ Bracarensi Metropolitanę & alijs Gallęciæ Ecclesijs Cathedralibus sui cuique fines assignati sunt, quos ne excederent. Ex ar chiuio Ecclesię Bracarensis; vbi pro Nigesio Lucensi Episcopo, legitur Netigio. Meminit huius rei Lucas Tudensis in Rege Vuambra, & dicit, Adaulphum Episcopum Legionensem huic interfuisse Concilio. Hęc ex annalibus Vasęi.

Ego verò (inquit Loaysa) accepi hoc Lucense Concilium, à D. Ioanne Ruizio Episcopo

po meritiſſimo Lucenſi,ſtudio ſapientiæ & religione claro, qui illud mihi reſcripſit, ſe deſcripſiſſe, ex C. M. ſcripto Eccleſię Lucenſis perantiquo.

Hęreo in exordio Concilij,an legendum ſit: Tempore Sueuorum ſub era 600. ſeptimo die Kalendarum; an. ſub era 607. die Kalendarum Ianuarij, & quamuis mihi prior lectio magis placeat, tamen poſteriorem, propter auctoritatem Ambroſij Mori, & Ioannis Vaſæi, ſequor.

Ponuntur in hoc Concilio XIII. ſedes prouinciæ Gallæciæ: Bracara prima ſedes, Portucal, Lameco, Conimbrica, Veſco, Dumio, Egitani., Luco prima ſedes, Auria, Aſturia, Iria, Tude, Britona.

LVCIANVS Antiochenę Eccleſię presbyter,non autem Nicomedię Epiſcopus,quem admodum Tritemius Honorium in Catalogo ſecutus,haud rectè eſt opinatus, martyrium quidem,vt Hieronymus habet, paſſus eſt ob confeſſionem Chriſti, Maximino in Oriente Tyrannidem exercente,ſicut ante Hieronymum Athanaſius in Synopſi; Euſebius, lib. 9. c.6.hiſtoriæ Eccleſ. indicarunt, & Helenopoli Bithynię eſt ſepultus. Porrò martyrium illud accidit ann. Dom. 311. tertio autem Pōtificatus Euſebij Papæ,quidquid alij ann. 280. alij verò 304. ſcribant deceſſiſſe. Is igitur,cum ſacros libros non ſolum adulterari,verum etiam à gentilibus prauè detorqueri vidiſſet, Chriſtiano animo rem, qui doctiſſimus eſſet, aggreſſus,omnes iterum libros ex lingua Hebraica,quàm egregiè callebat,corrigēs,atque renouans plurimum in hoc laboris contulit. Quam octauam iam Bibliorum editionem cō memorat Hieronymus in ep.107.& Apologia aduerſus Ruffinum. Sed & Athanaſius ſcripſit ſub Conſtantino fuiſſe Nicomediæ inuentam ipſius Luciani martyris manu deſcriptam. Cum verò Arius,quique hunc hęretici ſectabantur,calumnias confinxiſſent aduerſum libellum Fidei à Luciano conſcriptum, quaſi hic ab ijs ſtaret,ex Athanaſio,& adeo ex eodem libello quo nihil orthodoxę fidei contrarium continebatur, conuicti ſunt mendacij. Vide Tom.3. Annal.& Notas ad Martyrologium,Card. Baronij,Sixtum Senenſem, lib.4.Biblioth.Sanctę, & ante iſtos, Suidam, qui a Luciano Epiſtolas pręſtantiſſimas prodiſſe ſcripſit.

LVCIANVS alter presbyter, vir Sanctus,cui(vt inquit in Catalogo Gennadius)reuelauit Deus temporibus Honorij, & Theodoſij Auguſtorum locum ſepulchri,& Reliquiarum corporis S. Stephani Prothomartyris, & Gamalielis, ſcripſit Gręcè ad omnes Eccleſias ipſam reuelationem. Quam Auitus Hiſpanus presbyter Latinè reddidit in Oroſij gratiam. Et quidem m.s. exemplar apud Gennadium habent inſertum *Auitum*, cap. 47. Viuebat ann.410. Trit. Vide 3.Tom. pag 10 Baronij de eius. Vide itē ibo. tium 165.

LVCIANVS Mantuanus, qui Annotationes in Commentarium D. Io. Chryſoſtomi ad Epiſt.ad Romanos ſcripſerat prohibitus eſt ab Eccleſia. Vide Ro. Indicem, & Sixt. Senenſem Annot.231.232.& 239. lib.6.

LVCIFER Caralitanus, Epiſcopus cum Pancratio, & Hilario Romanæ Eccleſiæ clericis ad Conſtantium Imperatorem à Liberio Epiſcopo pro fide Legatus miſſus, cum nollet ſub nomine Athanaſij Nicænam damnare fidem, in Palæſtinam relegatus, mirę conſtantiæ, & præparati animi ad martyrium contra Conſtantium Imperatorem ſcripſit librum, eique legendum miſit, ac non multo poſt ſub Iuliano Principe reuerſus, Caralis Valentiniano regnante obijt. Hieron. in Catal.

Eius ſcripta Pariſijs edita fuerunt à Io. Tilio apud hæredes Gulielmi Morellij, an. 1567. Sed abhorret penitus à veritate, vt Baron. Card. ſcribit, dum culpam omnem exilij Athanaſij reijcit in Conſtantinum: Cum autem de reſtitutione Athanaſii loquitur vel memoriæ lapſu, vel Amanuenſium errore *Conſtans* pro *Conſtantio* poſitus eſt. Vide To. 3. Annal. p.417. primæ editio. nis.

LVCILLVS Martinengus Brixianus, monachus Monaſterij S. Euphemiæ Brixię, Cō greg. Caſſinenſis, ſcripſit Sermone Italico, & verſu heroico vitam S. Pelagiæ peccatricis, dictæ *Margarita*. Vitam Sanctæ Margaritę, dictę *Pelagia* (vt vocant) octauo rythmo. Carmina ad laudem Sacræ Sindonis, & alia de diuerſis, excuſa Brixiæ: poſt quæ expectabatur editio Vitæ Beatiſs. Virginis ab eo conſcriptæ verſu heroico, & Apologia aduerſus quendam ei obtrectantem.

LVCI-

LVCINIANVS. Vide in verbo, Licinianus.

LVCIVS post Athanasium Arianæ partis Episcopus, vsque ad Theodosiũ Principẽ, à quo & expulsus est, Alexandrinam Ecclesiam tenuit, sollemnes de Pascha Epistolas scripsit, & paucos variarum Hypotheseon libellos. Hieron. & Honor. Viuebat ann. 350.

LVCIVS Epistolæ quartæ Libri primi, Auctor apud Cyprianum cũ alijs coepiscopis.

LVCIVS Annæus Seneca. Vide in verbo, Seneca.

LVCIVS Cęlius Lactantius. Vide in verbo, Lactantius Firmianus.

LVCIVS Charinus Gręcè scripsit Periodos Apostolorum. Photius pag. 156. in Bibliotheca Græca.

LVCIVS Claudius Ensis De Precatione Dominica Libros duos. Orationem De laudibus Sacerdotij edidit Tolosæ apud Eustachium Mareschallum ann. 1522.

LVCIVS Veronensis Ord. Minorum Concionator. Hymnis S. Franciscum sui Ord. Patrem celebrauit. Henr. Vuillot.

LVCRETIA Marinella, Veneta, Virgo, Vitam Beatissimæ Virginis Mariæ, carmine, & soluta oratione Italicè atque eleganter scriptã dicauit Serenissimo Principi, & Reipub. Venetę. Excudit Baretius Baretius typographus Venetijs ann. 1602. ann. autẽ 1604. recudit. Vitam item D. Francisci Seraphici, & S. Columbæ, carmine Italico. Et Librũ pro sexu mulierum. Viuebat adhuc ann. 1603.

LVCRETIVS Tiraboscus Asulanus, Diœceseos Brixiensis, Carmelita, qui sui Ordinis Generalis fuit, Vir eximia Vitæ integritate, Latinę autem, Gręcè, atque Hebraicę linguę sciens, Philosophus, atque Theologus, quique cum Patriarcha Veneto Tridentinæ Synodo interfuit, atque edidit in Psalmos omnes Dauidicus. Cõmentaria. item in Apocalypsim, quæ ipse in Cęnobio sui Ordinis Mantuano vidi manuscripta. Obijt autem ante aliquot annos.

LVDGERVS Frisius natus in pago Virumo propè Doccomium, propter insignem eius eruditionẽ, ac pietatem à Carolo Magno primus Episcopus Monasteriensis constitutus est, de quo plura in Ecclesiastica nostra historia. Hunc eleganti stylo scripsisse cõperio Vitam S. Suitberti, qui S. Villibrordi coadiutor fuit, quam eandem & S. Marcellinus antea scripserat. Item ea, quæ in passione S. Martyris Bonifacij de eo prætermissa nouerat, primordia scilicet vitæ eius aduersum atque ordinationem pulchro sermone descripsit. Composuit & libellum de vita Sanctorum quondam Doctorum Venerabilium, atque Sacerdotum Gregorij, & Albrici. Floruit circa annum Christi 800. sub Carolo Magno. Hæc Suffridus Petrus lib. de Frisiæ scriptoribus.

Atqui sciendum est, S. Ludgerum primò quidem fuisse Ord. D. Benedicti Monachum S. Saluatoris Traiecti, deinde Cassinensem, denique Beneuentanum: postremo autem ad prædicandum gentibus missum, creatum fuisse Episcopum Monasteriensem. Qui verò scripsit De eleuatione, Canonizatione, atque miraculis S. Suitberti Episcopi extat apud Surium in Tomo 2. ad diem primam Martij. Vita autem S. Gregorij Traiectensis Episcopi ab eodẽ conscripta extabat Traiecti m. s. ad S. Saluatoris. Vide Metropolim Crantzij lib. primo, cap. 5. & Saxoniam eiusdem libro 2. capit. 14. & 16. ac Tritem. lib. 4. cap. 187. Ceterum Vitam ipsius S. Ludgeri scripsere monachi Sancti Saluatoris, Traiecti, quam sub nomine monachorum Verdensium affert Laurentius Surius Tomo secundo, ad diem 26. Martij.

LVDIGERIVS Cellensis Abbas tertius in Misnia reliquit sermones diebus festis, & alijs temporibus habitos; Librum De Azimis. Orationem De S. Bernardo.

LVDOLPHVS Bebenburgius Germanus, Iuris Pontificij professor, scripsit olim Rodulpho Saxoniæ Duci librum mole exiguum, pietate grandem; Quo Veterum Germaniæ Principum in Fide, & Religione cõstantiam multis historijs Ciuilis, ac Pontificij iuris testimonijs comprobat. Sunt & multa, quæ Christianissimi Gallorum Reges præclarè in amplificandis Religionis Catholicæ finibus gesserunt. Parisijs ann. 1540. apud Ioan. Foucherium. Viuebat Eisingrenio ann. 1225. qui nominat eum *Lupoldum*: qui & recusus est ann. 1564.

Lvdolphvs Germanus, monachus Erfordiensis Congreg. Floriacẽsis, scripsit Sermonem De Vita, & Translatione S. Seueri Episcopi Rauennatis.

Lvdolphvs Saxo, cum circiter viginti, & sex annos inter Patres Ordinis Prædicatorum sanctè vixisset, desiderio solitudinis, & Cęlestium rerum contemplationis maioris incensus ad Cartusianos se contulit. Quorum habitum, vt vocant Argentinæ suscepit. Scripsit autem expositionem eruditam in Psalmos sensum spiritualẽ (vt scribit Sixtus Senensis) ad fomentum maius spiritus prosequens, & litteralem non omittens. Quorum ad finem vniuscuiusque Precatiunculam pro Psalmi materia adnectit. Historiam quoque, seu Vitam Domini Nostri Iesu Christi è quattuor Euangelistis collectam explanauit. Sermones item perutiles composuit. Sanè verò lucubratio in Psalterium Parisijs ann. 1506. & 1528. Lugduni autem apud Frellęos ann. 1540. prodijt. At Vitæ Christi Domini Historiæ postrema editio per Ioannẽ Dadræum Parisiẽsem Theologum, Parisijs ann. 1589. cum Venetijs apud Franciscum Iuntam excusa fuisset ann. 1536. & postea anno 1564. Et nunc auctior sub prelo sudat Altobelli typographi Veneti. Viuebat ann. 1330.

Lvdolphvs Suchensis Ecclesię Parochus, scripsit ad Balduinũ Comitem de Stamfort Padebornensis Ecclesiæ Episcopum, Librum De Terra Sancta, & sua ad Hierosolymitanos profectione, ac de mirabilibus, quæ in mari Mediterraneo conspiciuntur, in quo omnia, quę per quinquennium in Palestina vidit, & experientia didicit, enumerat. Viuebat ann. 1336.

Lvdovicvs Ord. Minorum (cuius Viri, qui meminere Eisingrenius, & Henricus Villot, cognomen, & Patriam haud indicarunt) scripsit sermones feriales per totum annum. Commune Sanctorum. Sermones centum, ac septuaginta, & vnum ad Religiosos. Sermones extraordinarios. De Beatiss. Virgine. De Angelis, ac de quibusdam Sanctis separatim. Vixit, Eisingrennio ann. 1513. Porrò quòd sępè in huiusmodi Auctores incidimus, quibus cognomen, Patria, tempus, quo scripserint, desunt, crediderim factum ob auitam illam animi demissionem, quæ in Religiosorum cordibus vigebat; Quę etiamnum in plurimis viget, qui cognosci nollent, nisi iustis alijs de caussis, & propter hæreticorum fraudes Sancta Romana Ecclesia mandasset Scriptorum nomina, cognomina, Patrias, Typographos, & loca, vbi cuduntur, ac tempora proferri. NOTA.

Lvdovicvs Auila, cui & alterum cognomen *Zuniga*, Hispanus, Ordinisque militaris Alcantare Præfectus, scripsit duos libros De Bello Germanico, cum iam serperet virus, & hęresis Lutheri Prodierunt autem Antuerpiæ apud Ioannem Stelsium. Viuebat ipse Auctor ann. 1540.

Lvdovicvs Baleo librum emisit Italicè, inscriptum, *Ars Concionandi*, Venetijs apud Andream Turrisanum, ann. 1562.

Lvdovicvs Barbo Abbas Congreg. Italicæ, S. Iustinæ, quæ dicitur de Padua Reformator, quæ nunc Cassinensis, scripsit simplici, sed veraci stylo, de mirabili Reformatione Monasterij Sanctę Iustinæ, initio Congreg. eiusdem, ac de eius progressibus librum cap. 15. diuisum, quẽ absoluit Taruisij ann. 1440. Episcopatus sui tertio, pridie Kal. Iulij.
Prologus sic incipit, *Dilectis Deo, & hominibus.* Tractatus verò sic. *Fratres dilectissimi.* Hic m.s. extat in omnibus fermè Congregationis eiusdem Monasterijs.
Tractatum De forma Orationis, & Meditationis pro ipsa Congregatione. Incipit, *Omnibus fratribus Domino fideliter seruientibus, de obseruantia S. Iustinæ.* est m. s. apud Constantinum Siracusanum, monachum.
Epistolas duas, alteram ad RR. PP. Annui Capituli, in Concilio Basileensi scriptam, cuius initium, *Dilectissimi, & carissimi Patres.*
Alteram ad futurum suum successorem Abbatem S. Iustinæ ab eodem Concilio missam, quæ incipit, *Fili carissime.* Sunt m. ss. apud eundem Arnold. Vion.

Lvdovicvs (quem alij *Lupoldum*, alij *Ludolphum*, & quidem, vt opinor, rectius) Bebenburgius. Vide in verbo, Ludolphus Bebenburgius.

Lvdovicvs de Beia Palæstrelus, Lusitanus, Ord. Eremitarum, Theologus, publicus in Bononiensi Gymnasio Sacrę Scripturæ Professor, quique Casuum conscientiæ fuit

fuit in Cathedrali Ecclesia lector, cum antea librum edidisset, prænotatum, *Responsiones Casuum conscientiæ*, Bononiæ ann. 1587. apud Alexandrum Benacium, postremam emisit editionem ann. 1591. Venetijs apud Iacobum Cornetum, auctam duobus breuibus, ac perutilibus Tractatibus. Altero, *De contractibus Liuellarijs*: Altero, *De Venditione rerum fructuosarum ad terminum*. Brixiæ autem ann. 1589.

LVDOVICVS Benedictus, Gallus, (qui & Gallicè *Benoist*, Ord. Minorum, vertit è Gallica in Latinam linguam Gabrielis Flammę Canonici Lateranensis regularis, qui deinceps fuit Episcopus Clodiensis, Sermonem vberem super Euangelium D. Lucę, *Missus est Gabriel*. Parisijs autem prodijt ann. 1587.

LVDOVICVS Bicus Pistorius, quem alij *Bigum Victorium*, scribunt, quique Angeli Politiani iudicio inter Christianos Poetas eminuit, scripsit Meditationem De Oratione Dominica. Precationes item duas. Alteram ad Christum Dei filium. Alteram ad Beatissimam Virginem eius Matrem, quæ Venetijs fuerunt excusæ ann. 1502. Hymnos, atque Epitaphia ad cęlites: Libros duos Epigrãmatum, qui Ferrariæ prodierunt an. 1514. Satyrica Sacra, Epigrammata, Elegias, Epitaphia libris duobus, eodem ann. Ferrariæ apud Ioannem Mazochium. Hypolytam, Ferrariæ quidem, sed & Venetijs ann. 1516. editam, quam perelegãti carmine scriptam ferunt. Nimirũ eam ipse non vidi. Eiusdem Coricea, sex item libros aliorum carminum, ibidem impressos: atque Orriciorum Poematum libros tres excusos Venetijs ann. 1522.

LVDOVICVS Blosius Belga, Abbas Lętiensis, nobili Blosiorũ stemmate apud Hannonios natus, ab ingenua educatione, & Nicolai Clenardi institutione bonas artes, ternasque linguas eruditus imbibit. Louanij studiorum gratia agens, sacras vt litteras hauriret, virtutis nomine, absens Ægidij Gippi decrepiti Abbatis Vicarius communi sodalium suffragio, & Rom. Pont. approbante ętatis anno secundo, & vicesimo deligitur. Biennio post demortui locum excipiens collapsam apud suos veterem disciplinam instaurare, ac reuocare animum induxit. Vsus est etiam B. Ignatij Loiolæ in ipsis Societatis initijs per litteras familiaritate, eundem in pietatis negotijs identidem consuluit, & ab omni ambitione remotus Cameracensem Archiepiscopatum à Carolo V. Cęsare, cui ab Eleemosinis olim fuerat oblatum, constanter repudiauit. Scripsit *Ascetica*, quibus nihil ad homines à cura mortalium rerum abducendos, atque ad cęlestis patriæ amorem inflammandos inueniri potest ardentius, è B. quoque Augustini in Psalmos Commentarijs Psychagogiam concinnauit, quæ omnia Iac. Froius discipulus eius, & post Abbas Hasnoniensis commodo publico à se collecta, luce donauit, pleraque vernaculè reddidit. Ceterum innocentissimæ vitæ Blosius, annos natus vnde sexaginta in beatorũ sedes, commigrauit ann. 1566. vij. Id. Ian. Lętijs sepultus. Hæc ferè V. C. Aubertus Myręus.

Etsi vero eius Opera omnia, quòd sciam, simul prodiere Louanij ann. 1568. Coloniæ autem ann. 1572. atque iterum ann. 1589. apud Materni Cholini hæredes, separatim tamen aliqua, (& quidem etiam Germanicè, Italicè, ac (si rectè memini) Gallicè quoque nonnulla) impressa fuerunt. Ea verò ferè sunt.

Speculum monachorum sub nomine Dacriani Abbatis, Qui primus fuit eius fętus Antuerpiæ, Louanij, atque Venetijs editus, Italicè ann. 1570. & alibi.

Conclaue Animæ fidelis, Antuerpiæ apud Martini Nutij viduam ann. 1558.

Consolatio pusillanimum ex antiquis Patribus collecta. Venetijs apud Guerræos fratres ann. 1571.

Canon Vitæ Christianæ, Euchologiæ, Preces, ac Meditationes diebus Hebdomadæ septem accommodatæ. Ingolstadij ann. 1585.

Margarita Spiritualis, Monile, atque huiusmodi alia Louanij, & alibi sępe. In his autem continentur Epitome Vitę Christi ex Euangelistis concinnata, Dominicę Passionis explicatio ex Exercitijs Io. Tauleri desumpta. Farrago vtilissimarũ Institutionum decerptarum ex Ioanne Rusbrochio. Louanij apud Ioannem Vuaeu. 1555.

Regulę spiritualis Vitę Germanicè redditę à Philippo Dobereino Dillingę ann. 1569.

Thesaurus, & Speculum spirituale, & preces ab eodem Germanicè, anno 1571.

Eius-

Eiusdem Ludouici Blosij Opuscula quædam Spiritualia, ann. 1596. apud Balth. Bellerum Duaci.

LVDOVICVS Bologninus Bononiensis De Indulgentijs. Tomo 14. fol. 141. inter Tractatus Iuris postremo editis Venetijs.

LVDOVICVS Boroius Dialogum edidit Italicè, De Sancta oratione, Tridenti apud Io. Baptistam Gelminum am. 1590.

LVDOVICVS Carbo, è Costaciaro ditionis Pontificiæ ciuitate, sacrę Theologiæ olim publicus Professor in Gymnasio Perusino, deinde autem Venetijs aliquot annos nobiles adolescentes docens, magnæ vir integritatis, ac doctrinę, reliquit abs se conscripta, & edita.

Librum De pacificatione inimicorum, Deque dilectione, ac remissione Iniuriarum, Florentiæ apud Bartholomęum Sermartellium ann. 1583. Qui etiam extat inter Tractatus Iuris, Venetijs editos. To. 12. fol. 249.

Centuriam de laudibus Christiani hominis, Qua è Diuinis litteris monstratur, quanta sit Viri Christiani Iusti, ac serui Dei magnitudo, atque felicitas: Impij verò vilitas, atque miseria: Peccator item ad pie viuendum inflammatur. Venetiis ann. 1585. Qui liber deinceps è Latino in Italicum sermonem conuersus à Leonardo Cernotio Veneto Canonico S. Saluatoris prodiit ibidem ann. 1594. apud Iacobum Ant. Somascum.

Interioris hominis, vel De sui ipsius Cognitione Opus nouũ, in quo modus, quo quisque ad sui cognitionem facilè venire possit, traditur; dum interior, siue spiritualis, & nouus homo, per ea, quæ sunt in exerno homine, ex sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum doctrina allegoricè explicatur. Venetiis ann. 1585.

De locis communibus ibidem apud Io. Variscum ann. 1589.

De Oratoria, & Dialectica Inuentione, siue de locis cõmunibus ibidem, eodem apud Damianum Zenarum.

Librum pręnotatum, *Fons Vita, & Sapientia.* ibidem, apud eundem, eodem anno.

Introductionem ad Sacram Theologiam sex libris comprehensam, In quorum quinque Sacrę Doctrinæ Natura, Caussa, Principia, Attributa, Conclusiones, ac Loci omnes explicantur: In sexto autem Auctores à Theologis, & Concionatoribus legendi citantur, quamuis aliqui cauendi sint ex iis, quemadmodum suis in locis obseruauimus. Venetiis eodem anno. De Quęstionibus Oratoriis libros duos, ibidem apud Damianum Zenarum. ann. 1593.

Opus inscriptum, *Diuinus Orator,* siue *Rethorica Diuina* libris septem. Ibidem apud Societatem Minimam ann. 1595.

Introductionis in Logicam, siue totius Logicę Compendii, (vt ille vocat) absolutissimi, libri sex. Ibidem ann. 1597. apud Io. Baptistam, & Io. Bernardum Sessam.

De Institutione puerorum in Doctrina Christiana, Quamve omnibus, & Christianę reipublicę ea sit necessaria, & vtilis. Italicè, Venetiis apud Ioannem Guariliũ ann. 1596.

Tractatum de legibus amplissimum, ibidem apud eundem ann. 1599.

LVDOVICVS Carrerius De Hęreticis Tomo 2. p. 2. fo. 42. Inter Tractatus Iuris postremę Venetę editionis.

LVDOVICVS Carretus vberem, & eruditam scripsit Epistolam ad Iudęos, qua validissimis rationibus Christianam asserit veritatem, Hebraicè, ac Latinè Parisiis, ex Officina Vuecheli ann. 1554.

LVDOVICVS Caruaialus Bęticus, Hispanus, Ord. Minorum edidit Epistolam Salmanticę Kal. Augusti ann. 1528. ad Laurentium Suarem Ferię Comitem, & Apologiã Monasticę Religionis diluens nugas Erasmi, ann. 1529. Ea inscripta est, *Dulcoratio amarulentiarum Erasmicæ Responsionis ad eiusdem Apologiam.* Scripsit item librum De restituta Theologia. Quę Colonię prodiit, ex Officina Michaelis Nouesiani, ann. 1545. Quę incipit. *Non me fugit Viri Christiani.*

LVDOVICVS Cianeus Gallus è Latina in Gallicam linguam vertit Historiam Ecclesiasticam tripartitam. Parisiis apud Aegidium Gorbinum ann. 1568.

LVDO-

LVDOVICVS Donatus Venetus Patricius, & Bergomensis Episcopus, scripsit Commentarium in quattuor libros Sent. Petri Lombardi ad Paulum Secundum Pont. Maximum, Orationẽq́ De laude Diui August. Romæ habitã, & excusãm. Viuebat ann. 1584.

LVDOVICVS Fidelis Neruius, Theologiæ professor scripsit De Mundi statura Opusculum vndeuiginti capitibus cõstans, quod Parisijs à Gulielmo Morellio fuit impressum ann. 1566. cum ibidem ann. 1540. prodijssent à Iodoco Tiletano libri eiusdem quattuor de Militia spirituali.

LVDOVICVS Filicaria, Florentinus, Ord. Minorum, edidit Vitam S. Francisci carmine Etrusco.

LVDOVICVS à S. Francisco, Lusitanus, Ord. Minorum, scripsit ad Ferdinandũ Medicem tunc Cardinalem, postea Magnum Etruriæ Ducem, librum prænotatum, *Globus, & Canon Arcanorum lingua Sanctæ, ac Diuinæ Scripturæ*. Romæ ann. 1589.

LVDOVICVS Goudays, Gallus, Patria Andegauẽsis, Cartusiæ Diuionensis Præfectus, Græcè, Latinè, Hebraicè doctus, D. Dionysij Areopagitæ Librũ De Mystica Theologia à se Latinè versum è Græco, scholijs illustrauit. Claruit Rodulpho II. Cæsare.

S. LVDOVICI Galliarum Regis Christianissimi, Pragmatica Sanctio, eiusdem, memorabile cum Raimundo Tolosarum Comite, fœdus. To. 6. Bibl. SS. PP. edit. 2.

LVDOVICVS Granata, Hispanus, Ord. Præd. Theologus summè pius, Orator, & Ecclesiastes insignis, suis Operibus Christi Ecclesiam ita ditauit, vt vberrimos fructus in animis cuiuslibet eos versantis ediderit. Scripsit Latina lingua.

Primo Tomo. Sermones De Aduentu Domini vsque ad Quadragesimam. Adiectę sunt in fine Conciones De Pœnitentia excusæ apud Christophorum Plantinum, ann. 1577. Antuerpiæ.

Secundo Tomo. Conciones, quæ Quartis, & Sextis Feriis, ac diebus Festis Quadragesimæ. Item quæ de præcipuis Sanctorum festis habentur. Ibidem apud eundem ann. 1581.

Tertio Tomo. Conciones à Paschate Resurrectionis, vsque ad festum sanctissimi Sacramenti Corporis Christi. Ibidem apud eundem ann. 1579.

Quarto Tomo. Conciones De Tempore. Ibidem apud eundẽm ann. 1582. Qui item recusi sunt Parisiis ann. 1585.

Ludouici autem Granatensis Concionum in Epitomen redactarum Tomi duo: Quorum Prior Postillas, & Homilias in totius anni Euangelia De tempore, Posterior vero in pręcipua Sanctorum Festa continet, opera Religiosi Viri Petri Mersei Colonię, apud Sibyllam à Porta ann. 1591. Extant quoque,

Index locuples omnium Concionum tam De Tempore, quàm De Sanctis editarum à Ludouico Granatensi, Salmanticæ ann. 1581.

Libri sex Ecclesiasticæ Rhetoricæ, siue de ratione Concionandi. Coloniæ apud hæredes Arnoldi Birckmanni ann. 1578. & 1582.

Sylua locorum, qui frequenter in concionibus occurrere solent omnibus Diuini verbi cõcionatoribus perutilis. Lugduni ann. 1585.

Collectanea moralis Philosophię, in tres Tomos distributa: Quorum Primus selectissimas sententias ex omnibus Senecę Operibus. Secundus ex Moralibus Opusculis Plutarchi. Tertius clarissimorum Principum, & Philosophorum insigniorum Apophtegmata cõplectitur. Parisiis apud Gulielmum Chaudiere.

Hispanicè quidem, quę tamen fermè omnia, siue in Italicam, siue in Latinam, & alias linguas conuersa, & excusa sunt.

Manuale continens exhortationes ad Pęnitentiam, & piam vitam: Quas in Germanicam linguam conuertit Philippus Doberiner.

Memoriale Vitę Christianę, duobus Voluminibus, Hispanicè, Antuerpiæ apud Christophorum Plantinum ann. 1572. Item Additiones ad Memoriale Vitę Christianę. Salmanticæ ann. 1574.

Libri De Oratione, atque Meditationibus, tum de pręcipuis Articulis, atque Mysteriis Vitę Christi Domini à conceptione ipsius vsque ad Ascensionem, tum de Exercitijs in se-

ptem

ptem meditationes matutinas, ac totidem vespertinas distributis, primum Hispanicè conscripti, deinde Italicè redditi, denique Latini facti à Michaele ab Yſſelt Amosortio, & editi Coloniæ ann. 1586. & 1591.

Dux Peccatorum primò Hispanicè, mox Italicè, Venetijs apud Iolitos ann. 1577. deinde item Latinè ab eodem Michaele ab Yſſelt cōuersus. Coloniæ apud Geruinum Caleniū, & hæredes Ioannis Quentelij, ann. 1587. & 1590.

Flores ex omnibus Spiritualibus Ludouici Granatæ Opusculis Hispanicè scriptis, Italicè excerpti, ex Italica verò lingua in Latinam conuersi ab Henrico Cogmanno Harlemensi, & Coloniæ editi ann. 1585.

Libellus de frequenti communione, Hispanicè primum, mox Italicè redditus, & cum Bonsignorij Cacciaguerræ Tractatu eiusdem argumenti coniunctus à Michaele ab Yſſelt Amosortio in Latinum conuersi, & excusi Coloniæ ann. 1586.

Libri quattuor Introductionis ad Symbolū egregij, in quibus De admirabili Opere Creationis, ac de Christianæ Religionis dignitate, Misterijsque nostrę Redemptionis, atque articulis agitur. Italicè quidem ex Hispanico idiomate redditi, sed & latinitate donati à Ioanne Gallutio Salodiensi. Venetijs ann. 1587. Colonię autem apud Geruinum Calenium, & hæredes Ioannis Quentelij ann. 1589.

De deuotione, præstantia, Vtilitate, ac Necessitate Orationis, De Ieiunio item, & Eleemosyna; Speculum quoque vitę, ac De Eucharistia libri tres; Expositio etiam in Psalmum Miserere, & Confessionale Francisci Euię, ex Hispanico in Italicum, deinde à Michaele ab Yſſelt ex Italico in Hispanum idioma. Colonię apud Birckmanum ann. 1592.

Transtulit autem idem Granatensis Ioannem Climachum ex Latina in Hispanicā linguā.

Historiam verò Ecclesiasticam è Latina vertisse in eandem Hispanicam ex aliorum relatu se didicisse scripsit Antonius Senensis dictus de Conceptione.

Tractatum de Peregrinationibus, qui & deinceps fuit Italicè redditus. Flores Coronę Spiritualis Venetijs quoque Italicè sunt excusi à Gabriele Iolito ann. 1574.

Sed & Albanus Dux, dum Prorex Catholici Regis Belgio pręesset omnia Granatæ Opera, quæ eatenus prodierunt in lucem, imprimi, Hispanica lingua, Antuerpię mandauit Christophoro Plantino, id quod fecit accuratè 14. voluminibus omnia complexus. Viuebat ipse Granata adhuc ann. 1585.

LVDOVICVS Hanstamus, edidit Disputationem De Sacramento Pœnitentiæ. Gręcij apud Georgium Vuidmanstadium ann. 1589.

LVDOVICVS Hellesenius Andernacensis, scripsit libros tres De consolatione Iustorum. Eiusdem elegia de morte hominis iusti consolatoria. Colonię ann. 1572.

Eiusdem Meditationes rerum Diuinarum in Psalmos quindecim: Quibus accessit Alcuinus de Psalmorum vsu hominum necessitatibus accommodato. Coloniæ apud Maternum Cholinum ann. 1572. Quin & monumenta sacrarum Antiquitatum, Patriarcharum, Regum, Prophetarum, & Virorum illustrium Vet. Test. imaginibus ex ęre expressis, & elogijs illustrauit. Antuerpię apud Plantinum.

LVDOVICVS Hurtadus, è Penalosa, Ord. D. Augustini, Vir eruditus & pius, Mexici in noua Hispania scripsit ad Christophorum Ordinis Priorem Generalem, De incremento, & vtilitate Ordinis Augustiniani in India nouę Hispanię, qui sic incipit, *Et si mihi longè*. Ioseph Pamphil.

LVDOVICVS Imolensis, Ord. Minorum, Prouincialis Bononiensis, edidit Orationes; alteram De S. Stephano Protomartyre coram Sixto IIII. Pont. Max. alteram De nomine Iesu coram Innocentio Octauo, habitas.

LVDOVICVS Imperator, qui dictus est Pius, Caroli Magni Filius, Pipini nepos, qui Aquitaniæ viginti septem, Imperio triginta septem annos præfuit, quique sanctè ex hac vita decessit ann. 840. ætatis verò suę sexagesimo quarto, sub quo Concilia sunt habita Aquisgranense, Moguntinum, Parisiense, Lugdunense, Tolosanum, Parisiense, apud Compendium, Aquisgranense secundum, Lugdunense secundum, Cabilonense autem, siue Concilium, siue conuentum; plures Constitutiones, atque edicta tum ad Ecclesia-

rum immunitatem, tum ad sartam tectam ipsius Ecclesiæ dignitatem, ac disciplinam tuendam spectantia edidit, de quibus tum acta ipsius, scriptoresque eius æui, tum præsertim Baronius Card. egit accuratè in nono Annalium Tomo: Quem legi à Principibus, horumque Consiliarijs, & hos illũ imitari magnum esset operæpretium. At scio Ludouici huius Imperatoris nomine, ad Eugenium Pont. Max. Epistolam, & alteram eiusdem Imperatoris ad Ieremiam, & Ionam Episcopos, citari ab hæreticis in conficta ab illis Synodo Parisiensi, quam & edi curarunt ann. 1596. Francofurti ad Mœnum: Sed eam tum Veritas, tum Robertus Card. Bellarminus confutarunt in Appendice vltima ad suum Tractatum de Imaginibus. *Et rectè totius illius Synodi* (vt verbis vtar Bellarmini) *Titulus falsus, dictio barbara, sententia insulsa, Ordo peruersus, eorundem testimoniorum crebra repetitio, facile potuissent persuadere Typographo, si is commune commodum, & non proprium lucrum spectasset, vt sibi ab edendo eiusmodi Opere temperaret.*

LVDOVICVS Kaerlion Britannus, Theologus, & Mathematicus, scripsit Lecturam Sententiarum libris quattuor. Lecturam item alteram Theologiæ libro vno. Quin & de Ecclypsi Solis, & Lunæ librum. Tabulas Ecclypsium libro altero. De Tabulis vmbrarum, libro alio. Fragmenta Astronomica, alio. Obijt ann. 1369.

LVDOVICVS Laertius Sacerdos Gallus, qui docuit Parisijs in Collegio Nauarræ ann. 1541. Gallicè emisit vitas D. Hieronymi, B. Paulæ, & S. Ludouici, apud Charlotam Guillardam, Viduam Claudij Cheualonij.

LVDOVICVS Legionensis (siue *Luysius de Leon*) Hispanus, Ordinis D. Augustini, Diuinorum autem librorum primarius Interpres, apud Salmanticenses, scripsit nitidam, & elegantem Latinam Explanationem in Canticum Canticorum Salomonis, & in Psalmum 26. ann. 1580. Salmanticæ excusam. Quæ recusa est ibidem ann. 1585. Et Venetijs tandem prodijt apud Ioannem Guerilium, ann. 1603. At is, qui fratris Hieronymi Almonacirij Expositionem eiusdem Cantici Canticorum, quæ ann. 1588. Compluti prodijt, apud Ioãnem Inniguez, siue Ignatium à Lequerica contulerit, cum Explanatione Ludouici Legionensis, intelliget aut eundem in vtroque fuisse sensum, aut alterutrum ab altero non pauca mutuasse.

Ceterum Ludouicus Legionensis Hispanicè quoque tres libros emisit De Nominibus Christi Domini. Qui verò fuere in tertio editi Salmanticæ, hoc est ann. 1587. apud Gulielmum Foquelum, ij sunt emendatiores, & auctiores. Additus est autem ijs Libellus De Perfecta coniugata, Hispanicè, *De la Perfecta Casada*) Sed & Veneti Typographi versos hosce libros Italicè excuderunt.

LVDOVICVS Lopez Hispanus, Ordinis Prædicatorum, & Theologus, qui & in Hispania, & in Occidentali India strenuam operam conuertendis ad fidem gentilibus, siue docendis Christianis adhibuit, duos, qui ad meas manus peruenerunt, libros edidit eruditos. Alterum qui inscriptus est Tractatus de contractibus, & negociationibus, siue Instructorium negociantium, quem Lugduni Iuntæ Typographi recuderunt ann. 1593. locupletatum opera Matthæi 1. c. cui ad calcem accessit Lectio de Iudicibus. Alterum, qui Instructorium Conscientiæ dicitur. Lugduni editus anno 1588. & 1592. ac Brixiæ in Italia apud Petrum Mariam Marchettum ann. 1594. & 1596. quo testatur se ceteros penè omnes Auctores euoluisse, qui de Casibus Conscientiæ scripserunt. Expendit verò cum aliorum, tum sæpè Doctoris Nauarri Sententias, siue Opiniones, quibus & non semel aduersatur.

LVDOVICVS Lucretius, siue de *Luere* Brixienxis, Ordinis Prædicatorum, scripsit Sermones super Euangelia, & Epistolas De Tempore: Item de Sanctis per annum. Obijt ann. 1572. Ant. Senensis.

LVDOVICVS è Lyrano, Ord. Minorum, edidit Feriales Sermones per totũ annum, Commune Sanctorum, & alia. Franc. Gonzaga Episc. Mant.

LVDOVICVS Machiauellus, Bononiensis, Ord. Seruorum, scripsit De vero Dominio, & varias morales, ac pias Orationes.

LVDOVICVS, siue Aloysius, Marsilius, Florẽtinus, Ord. D. Augustini, de quo Franciscus

ciſcus Petrarca in lib. 15. ſenilium Epiſtolarum aſſerit, ſæpe ſe, & poſtea cum amicis dixiſſe, *Puer iſte, ſi vixerit, aliquid magni erit*; ſcripſit Quæſtiones Theologicas. Vetus item, ac nouum Teſtamentum carmine Heroico. Quod in Bibliotheca Sancti Spiritus Florentiæ aſſeruatur. Reliqua interijſſe, quæ pauca non fuerāt ſcribunt Ioſeph Pamphilus, & Michael Pociantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

LVDOVICVS Maioranus, Grauinas, Canonicus Regularis Lateranenſis, qui deinceps Epiſcopus Caſtelli à Mare, in Regno Neapolitano, ſcripſit, atque habuit Orationem De Repub. bene conſtituenda ad Patres Concilij Tridentini, quæ ann. 1563. Dilingæ in Auguſtana Diœceſi fuit excuſa. Lib. itē tres De vero Dei cultu, quem inſcripſit, *Clypeus militantis Eccleſiæ*, ſiue *Scutum fidei*, ideſt *veræ, catholicæ, atque orthodoxæ religionis aduerſus hæreticos ſolidiſſima defenſio*. Qui Romæ prodierunt anno 1575. apud Vincentium Accoltum, & Valentem Panitiam Socios: atque Antuerpiæ anno 1589. apud Petrum Bellerum.

LVDOVICVS Michaelius, nobilis Venetus, Ordinis Prædicatorum, ſcripſit Summam Caſuum Conſcientiæ, quæ dicta eſt Michaelina. Viuebat anno 1512. Leander libro 4.

LVDOVICVS Molina, Societatis Ieſu Theologus, primarius olim in Eborenſi Academia Theologiæ Profeſſor, ſcripſit Tomos duos, & Partem priorem tertij Tomi De Iuſtitia, & iure, qui in Hiſpania, & Coloniæ, atque Moguntiæ, in Germania editi fuerunt, apud Balthaſarem Lippium ann. 1601. & 1603. & Diſputationes De contractibus, Venetijs ann. 1601. apud Matthiam Colloſinum, & Baretium Baretium. Commentaria verò in primam Partem D. Thomæ, quibus eius Auctoris Diſputationes adiectæ ſunt, ex libro Concordiæ Liberi Arbitij, cum Gratiæ Donis. Ibidem apud Franciſcios Senenſes, anno 1602. Librum item Concordiæ liberi arbitrij, cum Gratia, ſiue Diuinis Donis, Diuina Praſcientia, Prouidentia, Prædeſtinatione, & Reprobatione. In Luſitania, & Antuerpiæ apud Ioachimum Trognęſium ann. 1595. atque alibi editum.

LVDOVICVS Montaltus, Syracuſanus, Siculus, De reprobatione ſententiæ Pilati extat inter Tractatus Iuris To. 14. fol. 8. Venetijs poſtremò excuſos.

LVDOVICVS Montioſius, ſiue, quoniam Gallus erat *De Montioſieu*, ſcripſit Gallicè Librum prænotatum *Hebdomadæ Danielis, & Dies Ezechielis, De tempore, & Annis, quibus Dominus Ieſus futurus erat in hoc mundo*. Pariſijs apud Iacobum de Puteo, ſiue, *du Puys*, ann. 1582. Viuebat adhuc ann. 1584.

LVDOVICVS Mōtoya Regni Caſtellæ in Hiſpania, qui diu Ordinis ſui vices Prioris Generalis in Luſitania obiuit, Vitam Chriſti Domini è quattuor Euangelijs per modum Soliloquiorum Animę ad Deum, Hiſpanicè ſcripſit. Obijt Vlyſſippone. Quem alia Spiritualia reliquiſſe Opuſcula inquit Ioſephus Pamphilus.

LVDOVICVS Orianus, De Poteſtate Summi Pontificis. De Fide, & Operibus, ac De libero Arbitrio aduerſus Martinum Lutherum ann. 1534. Venetijs.

LVDOVICVS Pariſetus Regienſis iunior, ſcripſit tres Orationes De Diuina erga hominem beneuolentia, & beneficentia, quæ Venetiis apud Aldum ann. 1552. prodierunt. Libros ſex carmine De Theopęia. Ibidem apud eundem ann. 1550. & 1553. Totidem libros Epiſtolarum priorum, ac poſteriorum carmine. Ibidem, apud eundem, eodem anno 1553.

LVDOVICVS Patricius Romanus, ſcripſit nouum Itinerarium Aethiopiæ, Aegypti, vtriuſque Arabiæ, Syrię, atque Indię, intra, & extra Gangem. Mediolani ann. 1511. apud Iacobum, & fratres de Lignano.

LVDOVICVS Pictorius, Ferrarienſis, Poeta non ignobilis, vt habet Sixtus Senenſis, edidit ſoluta Oratione Paraphraſim in Pſalterium ann. 1510.

LVDOVICVS Prutenus, dictus *de Pruſſia*, Ord. Minorum, ſcripſit, atque edidit Trilogium Animę, Opus videlicet tripartitum De Animę Potentiis, Paſſionibus, & Habitibus. Norimbergę apud Ant. Rebergerum ann. 1498.

LVDOVICI Regis Galliarum Sancti, memorabile cum Raymundo Toloſatum Co-

mite Albigensi, fœdus extat, in Tomis Bibliothecæ Sanctorum Patrum à Margarino Bigneo collectę.

LVDOVICVS Seneschal, siue *Senescalius* Gallus, Sacerdos, emisit Expositionem omnium Euangeliorum Quadragesimæ, Dominicarum item anni, atque Epistolarum Gallicè. Parisijs apud Gabrielem Bonum ann. 1559.

LVDOVICVS Soto Maior, siue *è Soto Maiori*, Lusitanus, Ord. Prædicatorum, Theologiæ, ac Diuinarum Litterarum Conimbricæ in Lusitania Professor, scripsit volumine sat grandi Commentaria in Canticum Canticorum, quæ Vlyssippone prodierunt apud Petrum Crasbeek ann. 1599. At Ant. de Cõceptione, Senensis, qui Operis istius haud meminit, scripsit ab eo varia fuisse elucubrata, in librum Iob, in Psalmos, in Euangelium D. Lucæ, Euangelium D. Ioannis, in Epistolam D. Pauli ad Timotheum, & pleraque alia, quæ lucem essent aspectura. Viuebat paucos ante annos, Vir doctus, probus, & mitis.

LVDOVICVS Tifernas, cognomento Philosophus, Ordinis Minorum, edidit Hortulum Religionis, Italicè. Franc. Gonzaga Episc. Mant.

LVDOVICVS à Turre, Veronensis, Ordinis Minorum, scripsit De Conceptione Beatissimæ Virginis. Extat Coloniæ in Bibliotheca Franciscanorum. Henricus Villot.

LVDOVICVS de Torres, Archiepiscopus Montisregalis, Cameræ Apostolicæ Clericus, Decanus, Pij Papæ Quinti, ad Philippum Hispaniarum Catholicum, & Sebastianũ Lusitaniæ Reges grauissimis de rebus Nuncius, Principibus in sacro fœdere contra Turcos colligandis, bene de Christiana Republica meritus, Dįcesanam Synodum anno Iubilei MDLXXV. habuit, typis Maidæ Panormi, eodem anno excusam, quam Martinus Azpilcueta Doctor Nauarrus, datis ad eum litteris, mirificè commendauit. Præterea regulam Sancti Benedicti è Latina lingua, in Italicam ad vsum Monialium suæ diœcesis vertendam curauit, additis explicationibus, constitutionibus summorum Pontificum, decretis sacri Concilij Tridentini, ac reformationibus suis, & Panormi, apud hæredes eiusdem Maidę MDLXXXII. imprimendã mandauit, hic labor viã aperuit Damiano Zenario Bibliopolæ Veneto, qui idem præstitit anno MDVIC. Extat & insignis liber manuscriptus apud eius hæredes, qui omnem sacri fœderis tractationem continet, è quo depromptas litteras eiusdem ad Michaelem Bonellum Cardinalem Alexandrinum, Constantinus Molinus patricius Venetus libro tertio litterarũ Principum à Ziletto collectarum curauit excudẽdas.

LVDOVICVS de Torres, qui priori de quo diximus successit Archiepiscopus Montis regalis, & antea in vtraque signatura Referendarius multa scripsit quæ à pyratis anno MDIXC. cũ parte suæ Bibliothecę direpta fuerunt, quã tamen plurimorum, atque optimorum librorum copia, atque insignium virorum imaginibus refertam, & quotidie auctam, seminario Clericorum à se in eadem Ecclesia erecto, donauit, ad cuius Seminarij vsum regulas diligenter conscripsit, atque euulgauit, Romę typis Aloysij Zanneti MDC. impressas. Historiam etiam Montisregalis à se collectam è veteribus tabularijs, sub alieno Ioannis Ludouici Lelli nomine, edendam curauit, quam ab eodem Zanetto editam ita distribuit, vt primo Regium illud templum graphicè describat, secundo Antistitum eiusdem Ecclesię vitas persequatur; tertio priuilegia omnia illi Ecclesiæ à Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Præsulibus, atque alijs concessa recenseat. Præterea Archiepiscoporum insignia, & elogia diligenter in ære, ac ligno incidenda curauit, vt & vniuersæ ditionis spiritualis, ac temporalis Archiepiscopatus imaginem, atque etiam Ecclesiæ, Palatij, & Monasterij. Pontificali, Missali, & Cęrimoniali restituendo operam pro sua parte Romę præstiterit.

LVDOVICVS de Torres in Antiphonam, *Salue Regina* Romę apud Ascaniũ Donnangelum ann. 1592.

LVDOVICVS Vicentinus, Ord. Minorum, renunciatus ann. 1461. Auximi, in Comitijs Ordinis sui, Vicarius Generalis, redegit in breuiorem, ac magis commodum rationem Constitutiones suę familiæ sanctas. Vitam item S. Bernardini Senensis, scripsit ad Cardin. Agriensem.

LVDOVICVS Villapandæus, Ordin. Minorum, linguam Indicam, vt vsui posset esse

ijs,

ijs, qui in vinea Domini per ingentes illos noui Orbis tractus laborant, in Methodum redegit, certasque Regulas præscripsit, quibus facile possit addisci. Henr. Villot.

LVDOVICVS Viualdus. Vide in verbo, Ioannes Ludouicus Viualdus.

LVDOVICVS Ystella, Valentinus, Hispanus, Ord. Præd. & Theologiæ Professor, scripsit Cõmentaria in Sacram Genesim, distributa in Parengraphum, Expositionem, & Scholia. Additus est Elenchus ad Euangelia, quæ per anni circulum solent recitari in ecclesia. Romæ apud Stephanum Paulinum, ann. 1601.

LVDOVICVS Zibramontius, Mantuanus, vir licet laicus, & nobilis, politioribus tamen litteris excultus, pias Meditationes, & Contemplationes Latinè, atque eleganter scriptas reliquit, quæ repertæ inter sua, triennio post eius mortem editæ sunt ann. 1600. apud Andream Muschium, Venetijs, Eæ sunt in quattuor partes distributæ. Primę ad Sanctiss. Trinitatem. Secundæ ad Beatiss. Virginem. Tertiæ ad Sacrosanctũ Eucharistiæ Sacramentum & ad venerabile Lignum Crucis. Quartæ ad Sanctos, Sanctasque pertinent. Vt autẽ si vixisset, aliquas earum limasset (quãquam profecto in plerisque pium, feruidumq; affectum, & acre cum eloquẽtia iudicium exeruit,) sic spero fore, vt cũ iterato cudendę fuerint, non solum menda typographiæ tollantur, verum etiam quædam demantur. Quale illud est, cum post contemplationem Orationis Dominicæ, quę est prima, & in qua aliquid interserendum erat de Sanctiss. Eucharistia, nonnullaque alia planius explananda, inuocans D. Sapiẽtiam, hæc subdit verba: *O numen D. Sapientia, quod Phocioni probitatem, Catoni integritatem, Diogeni paupertatem, Regulo fidem, Pithagoræ castitatem, Euripidi continentiam, Numæ religionem tribuisti, transfer me de infidelium in Christi fidelium sapientiam, &c.* Ecqua enim ista Numæ fuit religio, cum Ethnicus, & idololatra fuerit, quique fictam religionem souerit? Idem dicendum de alijs, quas tribuit, tãquam virtutibus Phocioni, Catoni, Pithagoræ, ac reliquis. Reguli fidem excipio, nisi de Attilio Regulo intelligat. Oculatus igitur inspector similia, si quæ sunt alia eradet; cetera, in quibus sunt optima, relinquet, ecclesiæ iudicio iterum ista subijciens omnia.

LVGDVNENSE Primum Concilium, anno Dom. 570. Io. Papæ XI. Guntheramno Galliæ Rege vrgente contra Salonium, & Sagittarium Episcopos. Interfuere Episcopi 14. adnumerati, ijs qui per Legatos egerũt. Extant sex illius Canones. Vide Gregorium Turonensem hist. Francorum, lib. 5. c. 20. & antea lib. 4. c. 37.

LVGDVNENSIS Secunda Synodus, anno Do. 887. Gunthcramni autem Regis Galliæ xxij. quę Synodus innouauit sancitas antea Regulas Ecclesiasticas habuit, qui subscripsere Episcopos octo, Vicarios verò Episcoporum duodecim. Eminebant inter Episcopos Syagrius Episcopus Augustodunensis Sanctis adnumeratus. Extant sex Canones.

LVGDVNENSIS prima Generalis Synodus, quę fuit in ordine tertiadecima à Generalibus ann. 1245. contra Imp. Fridericum, & pro terra Sancta Innoc. IIII. Pont. Max. & Friderico Secundo Imp. Matthæus Palmerius, Platina, Onuphrius. Extant huius Synodi aliqua Decreta in sexto Decretalium.

LVGDVNENSIS secunda Generalis Synodus, quæ est XIIII. Patrum penè mille, è quibus Episcopi erant D. ann. 1274. contra errorem Gręcorum, Gregorio X. Pont. Max. Rodulpho Imp. Matthęus Palmerius, Platina, Onuphrius. Extant huius Concilij quædam in sexto Decretalium.

LVGDVNENSE Concilium, in quod extat Commentariolus Gulielmi Duranti, qui Rationale Diuinorum Officiorum composuit.

LVITPRANDVS, quem Sigebertus & Moguntina Albini editio ann. 1602. Luitbrandum: Codex autem m.s. Viridis Vallis in Belgio, *Eutrandum*, (quemadmodum & Tritemius habet) At Basileensis editio ann. 1532. apud Heruagium, *Liudbrandum*, vocant, primo Ticinensis Diaconus, deinde (vt valde probabile est) Cremonensis Episcopus, scripsit *luculento, & alterno stylo* (vt verbis vtar Sigeberti) *ad Sigismundum Episcopum Libertiana Ecclesia Hispanorum De Gestis Regum, & Imperatorum suis temporibus, quem attitulauit Antapodosim, id est Retributionem.*

Opusculum item De vitis Pontificum, quod vnà cum Albonis Floriacensis Abbatis

Epitome de vitis eorundem ex Anastasij historia excerptum ex membranis m. s. Moguntiæ prodijt ann. 1602.

Deinde Legationem, quam Episcopus habuit ad Nicephorum Phocam Imp. Constantinopolitanum pro Othonibus Augustis, & Adelhaida, ad illorum tẽporum vsum, ac Græcorum mores noscendos. Quæ legatio digna lectu, cum primò sit in lucem edita Ingolstadij apud Andream Angermarium, ann. 1600. ex codice m. s. Biblioth. primariæ Aedis Treuirensis, opera V. C. Henrici Canisij, Prælegendum est autem, quod de ipsius legationis vtilitate ante ipsam idem Canisius cordatè scribit ad Lectorem. Et quidem Luitprandus ait, bis se functum fuisse legatione Constantinopolim. Prima Diaconum, auctoritate Berengarij, Constantino Græcis imperante. Secunda mandato Othonis Magni, & Filij eius, atque vxoris Adelheidæ, ad Nicephorum Phocam, qui mortuo Romano eiusdem Constantini Filio, Imperium Constantinopolitanum inuaserat.

Quoniam verò diximus supra, valde esse probabile, vnum & eundem fuisse, qui Diaconus Ticinensis, & Episcopus Cremonensis fuit, propterea velim sciant, quibus non innotuit, Luitprandum Ticinẽsem Diaconum, & Historicum (quod item monuit Henricus Canisius) ab eodem Berengario Italiæ Tyranno potius quàm Rege, se Constantinopolim ad Constantinum Imp. Legati nomine missum testari lib. 6. hist. c. 1. & seq. vbi describit, quo modo à Constantino Constantinopoli exceptus fuerit, & quæ spectacula ibidem viderit: vnde conijcere licet & eundem esse hunc, qui pro Othonibus legationem iterum Constantinopoli obijt, cum & historicus sub Othonibus claruerit, nec temporis diuersitas obstet. Id tamen vnum inijcit scrupulum Canisio, quòd c. 6. lib. 6. Luitprandus mentionem fecerit Luitprandi Episcopi Cremonensis, quem ait, cum Landoardo Saxone, Episcopo Numedensi, ab Othone Magno Romam missum esse ad Ioan. Pontificem, & in Concilio Romæ in caussa eiusdem Ioannis celebrato (cum Otho Romam occupasset fugato Ioanne, & Adelberto) inter Italiæ Episcopos, qui Concilio interfuerũt, numeratur Luitprandus Cremonensis Episcopus, qui & eiusdem Othonis in eodem conuentu interpres fuit. Nam quę Otho Saxonica lingua loquebatur, hæc Luitprandus Cremonensis Episcopus Latinè reddebat ceteris Episcopis. Adeo vt vix credibile videatur Luitprandum Historicum de se, quasi de alio locuturum fuisse, si ipsemet fuisset; cum longe minutiora de se, rebusque à se gestis, absque ambagibus cõmemorare soleat. Hęc Canisius. Veruntamen Baron. Card. existimat capita illa à sexto ad vndecimum sexti libri esse potius appẽdicem ad Luitprandum ab Auctore adhuc incerto elaboratam, quàm Luitprandi opus continuatum. Styli in primis (ait) id opinari facit diuersitas. Sed illud magis persuadet, quòd eadem capita extra terminos certos Operi suo ab ipso Luitprando præscriptos, posita esse inueniuntur, sic que eius assertione, & auctoritate suos esse negari penitus. Ipse enim in Præfatione præposita libro tertio, vbi de nomine Operis, *Ἀνταπόδοσις*, (Antapodosim dicit Sigebertus) & de termino, quo clauditur Opus, nempe legatione sua Constantinopolim agit, asserit scriptioni illi se finem imposuisse in Paxo Insula, iam legatione, de qua ipse agit in fine, ad Constantinum Imperatorem functus, cum regnaret adhuc Berengarius. At illa, quæ scribuntur postremis capitibus illis de Ioanne XII. Romano Pontifice, longè postea contigisse noscuntur; adeo vt si esset istud eiusdem Auctoris Opus; illud planè aliud à priori ab eo elucubratum esse diuersum necesse sit affirmare. Insuper, alterius potius Auctoris esse concipio, quòd cum Auctor illorum Capitum in illis mentionem habeat Luitprandi iã non amplius diaconi Ticinensis, sed Episcopi Cremonensis, alium, diuersumque ab eo se esse Auctor ostendit. Cum alioqui Luitprando moris fuisse noscatur, nomen suum in scriptis suis non quasi alicuius obiter præterire, sed gloriæ titulis benè exornatum relinquere. Fuisse autem eundem Luitprandum Diaconum postea creatũ Cremonensem Episcopum, tum nomen, tum munus iteratum, Græcarum item litterarum par eruditio, & Poeticæ, ceterarumque disciplinarum facultas eadem hoc sęculò haud adeo inuentu facilis, planè tãquam ex multis lineamentis eundem esse senties hominem, Auctorem autem appendicis capitum illorum esse diuersum, eumque addictissimum Ottoni Imp. & priuato studio ea scripsisse in ipsius gratiam, odium verò Ioannis. Hæc Baronius Card.

LVNDONENSE Concilium in Transmarina Saxonia habitum à discipulis S. Gregorij Magni, Augustino, Laurentio, Iusto, Mellito Archiepiscopo, prohibuit coniugia in tertio gradu. Eius meminit S. Bonifacius in Epist. prima ad Zachariam Pont. Max. data ann. Dom. 741. quę perdigna est lectu.

LVPERCIVS de Guete, Valentinus, Ord. Præd. Magister Prouinciæ Aragonię, Valentiæ anno 1589. edidit metaphrasticam, sed vberem, expositionem in primum caput Geneseos ex SS. Patribus, & Sacris Doctoribus.

LVPOLDVS. Vide in verbo, Ludolphus.

LVPVS, qui res gestas S. Maximini Treuirorum Episcopi contexuit, perperam interpretatus est verba Hieronymi in Chronico, dum putat tunc Treuiros Athanasium concessisse, cum fuga lapsus à Constantio ad pęnas expeteretur. Baron. Card. pag. 419. To. 3. Annal. primę editionis.

LVPVS Abbas, Ferrariensis Monasterij in Senonibus Cong. Floriacensis, Caroli Martelli gesta aliqua scripsit, & Epistolam ad Ionam Aurelianensem. Postea verò Episcopus Conc. Rom. sub Eugenio II. Papa interfuit. Claruit sub Ludouico Pio Imp. ann. 890. Eiusdem Epistolæ ad Lotharium, & ad Carolum Reges Galliæ, ad Hincmarum Archiep. Rhemensem, & ad alios leguntur in Annalibus Baronij Card. To. 10. sub ann. 846. & 850. plenę querelarum, cum suam Abbatiam quidam Princeps inuasisset. Et quidem liber eius Epistolarum primò editus fuit Papirij Massoni beneficio, atque opera, Parisijs apud Marcum Orry, ann. 1588.

LVPVS Cauiez, Gallus, Ord. Minorum, è Latina Gallicam fecit fidei catholicæ Professionem Sebastiani Flauij, qua duę & viginti rationes afferuntur, quibus ad catholicam Romanam Ecclesiam ab Lutherana, & reliquis hæresibus redijt. Parisijs apud Ant. Houinum, ann. 1576.

LVPVS de Olіueto, Hispanus, Ord. D. Hieronymi Prior Generalis, B. autem Vincentij Ferrerij Valentini, & Ord. Præd. frater, Regulam Ord. sui condidit. Sermones item de Tempore, ac de Sanctis. Viuebat ann. 1420. sepultus est autem Romę ante maius Altare SS. Bonifacij, & Alexij, ac in Epitaphio, *Præpositus* nominatur.

LVPVS Seruatus, Presbyter, ad quem Rabanus Abbas Fuldensis, octo libros in Epistolam Pauli ad Romanos scripsisse legitur, quique interfuit Moguntino Concilio ad Ecclesiam S. Albani conuocato sub Rabano Contra Godschalcum presbyterum, De libero Arbitrio, De Prædestinatione, De Sanguine Christi, male sentientem, scripsit doctè De tribus Quæstionibus aduersus eandem hęresim. Viuebat ann. 852.

LVYSIVS de Leon. Vide in verbo, Ludouicus Legionensis.

LVYSIVS Marsilius. Vide in verbo, Ludouicus Marsilius.

LVX Intellectus, ita liber prænotatus in classe librorum Hebræorum, Chaldæorum, Arabum, Aethiopum, in Bibliotheca Sfortiana, Romę. Sed videndum, ne quid aduersus Christianam fidem sapiat.

LYSIAE, qui fuit Antiochi Regis Syriæ familiaris, Epistola ad populum Iudæorum extat in secundo libro Machabęorum, cap. 11. Vide ibidem Nicolai Serrarij Commentarios in libros Machabæorum.



M A

a Socr. lib. 4. cap. 18. Gennad. c. 10. & 11. Pallad. ca. 18. & 19. in hiſtoria Patrum. Niceph lib. 9 hiſt. eccl. c. 14.



ACARIVS, Aegyptius, Abbas,[a] diſcipulus B. Antonij Aegyptij, ac Pręceptor Euagrij, dictus *Senior,* vir ſanctitate celebris, & antea quoque *παιδαριογέρων*, ideſt *in puerili ætate Senex* vocatus; qui è nonaginta annis, quibus vixit, ſexaginta egit in intima ſolitudine, quæ *Scete* nominabatur, ſignis, & virtutibus clarus, *vnam tantum* (vt habet Gennadius) *ad iuniores profeſſionis ſuæ ſcripſit Epiſtolam, in qua* (inquit) *docet illum perfectè poſſe ſeruire Deo, qui conditionem creationis ſuæ cognoſcens, ad omnes ſemetipſum inclinauerit labores, & luctando, atque Dei auxilium aduerſum omne, quod in hac vita ſuaue eſt, explorando, ad naturalem quoque perueniens puritatem, continentiæ, velut naturæ debitum munus obtinuerit*. Sic quidem Gennadius, cuius verba videntur Macario apathiam aſcribere, non obſcurè indicantis, quod alij de Gennadio ſunt ſuſpicati, nimirum ad Pelagianiſmum propendiſſe. At alij ſcripſiſſe plura teſtantur: Sanè Homiliæ quinquaginta ſpiritualis ſucci plenę ab eo Gręcè conſcriptæ extant, quas è Regia Galliæ Bibliotheca Latinè redditas à Ioanne Pico in Senatu Pariſienſi Claſſium Inquiſitoriarum Præſide, atque Pariſijs antea ſeparatim excuſas Margarinus ſuę SS.PP. Bibliothecæ Tomo ſecundo intexuit. Quibus, cum agatur de integritate, quæ non tantum monachos, ſed omnes quoque Chriſtianos decet, expedit, vt eę à pleriſque omnibus verſentur, & legantur attentè. Porrò item legatur quod Baronius Card. ad 2. diem, hoc eſt ad quartum nonas Ianuarij de ipſo ſcripſit. Quid verò quæque Homilia contineat, ſequens Catalogus oſtendit.

Hom. 1. Interpretatio allegorica viſionis apud Ezechielem deſcriptæ.
2 De Regno tenebrarum, hoc eſt, Peccatò, & Hominem ſolius Dei beneficio liberari ab eo.
3 De quieta fratrum inter ſe conuerſatione, & prælio interiori.
4 Qua ratione promouendum in vita Chriſtiana.
5 Quantum diſcrepat vita Chriſtianorum à reliquorum hominum vita.
6 De modo precandi.
7 De clementia Chriſti erga homines: continet etiam reſponſiones ad quaſdam interrogationes, fortè curioſas.
8 De his quę contingunt Chriſtianis inter orandum.
9 Promiſſiones ac Prophetias Diuinas, per varios ſucceſſus, & tentationes impleri, & ſoli Deo, adhærendo liberari nos ab infeſtationibus Dæmonum.
10 Humilitate & alacritate retinentur, & augentur dona gratię Diuinæ, ſuperbia autem, & ignauia perduntur.
11 Virtutem Sancti Spiritus in corde hominis, ſe habere inſtar ignis.
12 De ſtatu Adę, poſt imaginem Dei perditam.
13 Quem fructum à Chriſtiano Deus exigat.
14 Qui ſe dedicant Deo, non ſine ſpe remunerationis id faciunt.
15 Quàm ſanctè, & caſtè ſe gerere debeat anima Chriſtiani erga Chriſtū ſponſum ſuum.
16 Spirituales homines obnoxios eſſe tentationibus, & afflictionibus; quarum origo eſt primum peccatum.
17 De Chriſtianorum vnctione Spirituali, & Gloria.
18 De Theſauro Chriſtianorum, qui eſt Chriſtus, & Spiritus ſanctus; varijs modis exercens ad perfectionem aſſequendam.
19 Chriſtianus proficere volens, ad omne id quod bonum eſt, ſe vi compellere debet.
20 Solus Chriſtus ſanauit animam, quam ornamento gratiæ ſuæ veſtiuit.
21 Homini Chriſtiano duplex incumbit bellum, externum, & internum.
22 De duplici ſtatu decedentium.
23 Hi ſoli Diadema regium geſtare poſſunt, qui ſunt è ſemine Regio.
24 Chriſtianorum ſtatus mercaturæ, & fermentationi ſimilis eſt.

Per

25 Per inobedientiam redacti sumus in seruitutē, à qua per mysterium Crucis liberamur; item de lachrymarum, & ignis Diuini efficacia.
26 De dignitate, facultate, & operationibus animæ, & qua ratione tentetur à Diabolo, & ab eo liberetur.
27 Dignitatem & statum hominis Christiani prosequitur, eiusque liberū arbitrium; permixtis interim vtilibus quæstionibus.
28 Describit, ac deplorat calamitatem animæ, in qua propter peccatum non habitat Christus.
29 Duplici ratione gratiam suam largitur Deus, cuius fructum tandem studio ac iudicio repetit.
30 Ex Spiritu Sancto renasci debet anima, Dei regnum ingressura; & quonam modo hoc fiat.
31 Fidelis animo mutari debet, & in Deum colligere cogitationes omnes, à quibus verè dependet obsequium Diuinum.
32 Gloria Christianorum modò latet in animis eorum; quæ resurrectionis tempore emerget, & illustrabit corpora, pro suo quodque modo.
33 Quàm attentè diligenterque precandum sit.
34 De gloria Christianorum illis non ignota.
35 De Sabbatho antiquo, & nouo.
36 Diuersa est resurgentium gloria.
37 Cuius argumentum est; De Paradiso, & Lege Spirituali, hoc loco prętermissum est, quòd integra habeatur inter Marci Eremitæ Opuscula in SS. Patrum Biblioth. Tomo 6. edit. 2.
38 Exacto Opus est iudicio in discernendis veris Christianis; & quinam sint illi.
39 Ad quid Scriptura Diuina nobis donata sit à Deo.
40 Virtutum inter se colligatio, vt itidem vitiorum.
41 Quàm profunda sint animę penetralia, quę paulatim incrementa gratiæ, aut vitiorum accipit.
42 Non externa, sed interna promouent, aut lędunt hominem: veluti spiritus gratię, aut spiritus nequitiæ.
43 De progressu viri Christiani, cuius tota vis depēdet à corde, sicut hic variè describitur.
44 Quantam in homine Christiano mutationem, ac renouationem faciat Christus, qui morbos animę sanauit.
45 Nullis artibus, aut opibus huius mundi, sed solo Christi Aduentu sanatum esse hominem; cuius magnam cum Deo cognitionem refert hęc Homilia.
46 De differentia inter Verbum Dei, & verbum Mundi, & inter filios Dei, & filios huius Mundi.
47 Explicatio allegorica quorundam sub lege factorum.
48 De perfecta fide in Deum.
49 Non satis est, huius seculi delicias reliquisse, nisi quis alterius seculi beatitudinem consequatur.
50 Deus est, qui per Sanctos suos, & creaturas edit miracula.

MACARIVS Alexandrinus, & hic quidem Aegyptius, at dictus *iunior*, ad quem tanquam discipulum suum Ruffinus Translationem Periarchon Origenis inscripserat, & Apologiam pro Origene, non fuit Catholicus, sed in Origenismum lapsus deploratur à Hieronymo in Epistola ad Ctesiphontem 16. dicente: *Tunc discipulus ὄλβιος, & verè nominis sui, si in talem magistrum non impegisset.* Quamobrem si quid de eo extaret, aut reijciēdum est, aut circunspectè legendum: sicut & Macarij alterius Theupoleos, siue Antiochię Episcopi, qui cum fuisset Monothelita, & aliqua pro suis erroribus scripsisset, citatur in sexta Synodo Constantinopolitana.

MACARIVS alius monachus (ait Gennadius) *scripsit in Vrbe Romana aduersus Mathematicos Librum, in quo labore, Orientalium quæsiuit solatia scripturarum.*

MA-

MACARIVS Chrysocephalus Archiepiscopus Philadelphiensis Græcè scripsit Homiliam in Exaltationem venerandæ, & viuificæ Crucis; quam in Latinum conuersam Iacobus Gretserus Theologus noster, secundo suo Tomo de Cruce tam Latinam, quàm Græcam inseruit, in qua etiam obseruauit pleraque de plagis Aegyptijs, quæ Macarius hic disputat, descripta esse ex Commentarijs Theodoreti in Exodum. Qui autem dicuntur Romæ extare in Bibliotheca Card. Columnæ quattuordecim huius Macarij sermones, dubitat prudenter, num hi omnes sint vna tantum homilia, quãdoquidem hæc quoque, de qua locuti sumus, in quattuordecim partes est distributa.

MACARIVS Mutius, Camers, Italus, & Ordinis equestris, libellum aureum ante annos centum, scripsit De recta Poeseos ratione, cui adtexuit Carmen Heroicum De Triumpho Christi in cęlum ascendentis. Is verò tunc editus, Venetijs autem ann. 1567. recusus, à nobis insertus est nostræ Bibliothecæ Selectæ in libro 17. editionis Venetæ. Qui est De Poesi, & Pictura ethnica, humana, & fabulosa collata cum vera, honesta, & sacra. Ceterum Epistola eius ad Angelum Politianum extat in libro septimo eius epistolarum.

MACARIVS Scotus, & primus apud Herbipolim Abbas in Franconia, scripsit De laude Martyrum. Viuebat ann. 1139. Eisingren. Porrò Macarij, Maximi, Vrbani, & Sidonij Epistola breuis, lib. 3. ep. 14. extat apud ipsum Cyprianum.

MACCAEVS, qui dicitur fuisse D. Patricij discipulus, & natione Britannus, ac Vates, cum ad manus meas haud peruenerit, non debeo de illo ferre iudicium. Quòd autem asserant, ipsum edidisse librum De fide perseuerante: alterum verò de Iudicijs natiuitatum, illam si rectè probauerit, hęc autem si improbauerit, potuit scribere commodè, atque orthodoxè; sed in Auctore ignoto nihil pręscribo. Vixisse ferunt ann. 460.

MACEDONII Epistolę duę ad Augustinum extant inter huius Epistolas num. 51. & 53. At iste non est Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, qui hæreseos aduersus Spiritum sanctum vnà cum suis Macedonianis fuit damnatus in Synodo Constantinopolitana.

MACHABAEORVM, (siue *Maccabaeorum*) libri, qui in Biblijs leguntur, duo ex quattuor, qui circumferuntur, canonici sunt, atque ita ab Ecclesia catholica agniti. De eorum inscriptione, Auctoribus, partitione, harmonia, cum plerique antiquitus, & adeo nostra ętate diligẽter egissent, postremus fuit, qui id accuratissimè præstitit, Nicolaus Serarius Theologus Societatis nostræ, suo in sacros Diuinorum Bibliorũ libros, Tobiam, Iudith, Esther, Machabæos Commentario, quem ann. 1590. emisit Moguntiæ ex Balthasaris Lippij Officina. Itaque ad eum amandamus Lectorem, qui simul, quęcumque aduersus quisquilias Caluinianorum, & aliorum hæreticorum dicenda fuerant, sic attigit, vt eas penitus profligauerit.

Et Hebraica quidem est inscriptio, vt apud Eusebij librum 6. cap. 25. inquit Origenes fuisse Σαρβὴθ σαρβανὲλ, hoc est, siue, *Princeps domus: Princeps Filiorum Dei*, siue, *Princeps in angustia Filiorum Dei*, siue *Sceptrum rebellium Dei*, siue *Flagellum Rebellium Dei*. Quòd verò libri *Machabaeorum* apud Gręcos, & Latinos inscripti fuerint, id factum est ob pręcipuũ antiquæ religionis vindicem, & sacrorum bellorum Ducem; qui cũ Iudas vocaretur, *Machabai* cognomen habuit: de quo maxima horum librorum pars agit: quandoquidem ab ipso ad eius fratres, & alios, qui fortiter ijs temporibus sese gesserunt in bello, eadem manauit appellatio, vt scribit Nicetas in vigesimamsecundam Gregorij Nazianzeni orationem. Porrò cognomen hoc *Machabai*, siue à *Cabà* verbo, & radice Hebraica, idest, *extinxit*, vt *Machabi*, sit *extinctor*. Machabęorum enim cap. 9. verba illa Matathiæ sunt; *O fili mi Iuda, qui ob robur vocaris Machabaus*, siue quòd quattuor litteris Symbolicis M.C.B.I. quę sunt apud Hebręos, initia illius sententiæ Exo. 15. *Mi camocah baelim Iehouah?* hoc est, *Quis similis tui in fortibus Domine?* consueuerant victorię cęlitus obtinendæ omen sibi pręsagire; quemadmodum apud nos factum est interdum illo, quod de cęlo apparuit Constantino Magno Imp. *In hoc signo vince*, ἐν τούτῳ νίκα.

Ad Auctorem istorum librorum quod attinet, non idem & vnus est vtriusque. Qui Iosepho Flauio eos ascribunt, falluntur. Scripsit enim ille libellum, qui in *Machabaos* inscribitur,

bitur, siue *De ratione Imperatrice*, cuius meminit Hieronymus libro 2. contra Pelagianos, & ante illum Eusebius, libro 3. capit. 10. Quin & Iosephus Gerionides, libro quarto, cap. secundo, Basileensis editionis citat librum Machabæorum, & alium quendam librum Romanorum.

Auctorem itaque fuisse *Iudam potius Essenum*, putat idem, quem diximus, Nicolaus Serarius.

Cum autem duo ex quattuor libris Machabæorum sint Apocryphi, videat cui cordi, vel otium fuerit, quæ de his Sixtus Senensis libro primo Sanctæ Bibliothecæ, Bellarm. Card. c. 15. lib. 1. De Verbo Dei. To. 1. fusè, & solidè pro duobus primis libris scribit. Medina, lib. 6. de fide cap. 13. Genebrardus Chronol. fol. 102. Baronius Cardin. To. 2. ann. 102. & quem diximus, Nicolaus Serarius.

Quinam scripserunt in Libros Machabæorum.

Qui vniuersæ Diuinæ Scripturæ fuerunt Interpretes.

Qui eos canonicos esse aduersus hæreticos propugnarunt. Præterea Gregorius Nazianzenus. Gregorius Nissenus. Ioannes Chrysostomus. Marius Victorinus D. Bernardus. Nicolaus Serarius. Simon Anglus. Georgius autem Ederus, post Aureolum Partitiones ipsorum, ac Methodum posuit ob oculos. Cum autem hæreticus quidam Io. Drusius libellum emiserit de Hasidæis, in quo tuetur sententiam, quam in suo Commentario Nicolaus Serrarius in Machabæorum libros reprehenderat, eosdem scilicet esse Hasidæos, & Pharisæos, cum illi potius Hessæi, vel Esseni sint; ideo is ipse Serarius libris tribus prænotatis, *Triharesium, seu de celeberrimis tribus apud Iudæos, Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum sectis*, Drusium confutauit. Moguntiæ ann. 1604.

Macrobius Donatista cur inter Ecclesiasticos Scriptores numeretur à Gennadio, mirum videri posset, nisi illum ostendens ex scriptis Optati (vt facit) Donatistam hæreticũ, ac suorum postea in Vrbe Roma fuisse occultum Episcopum, addidisset hæc verba: *Scripsit cum adhuc in Ecclesia Dei presbyter fuisset ad Confessores, & ad Virgines librum vnum moralis quidem, sed valde necessaria doctrina, & pracipua, ad custodiendam castitatem aptissimis valde sententijs communitum. Claruit inter nostros primum Africa, & inter suos, idest Donatianos, siue Montenses, postea Roma.*

Magdalius Iacobus, natione Flander, Patria Gandauensis, Ordinis Prædicatorum, edidit librum à se conscriptum, ac prænotatum, *Correctorium*, siue *Epitomen Bibliorum* cum quarundam difficilium dictionum luculenta Expositione, ad Magistrum Bogardum Theologum. Coloniæ apud Quentelium, ann. 1500. Quo viuebat.

Magiae illius, quæ meritò improbata est, & à Christianis finibus, imò item ab orbe toto Terrarum debet explodi, caussas, & Scriptores expedit nosse; illas, vt damna anteuertantur; hosce, vt arceantur, & comburantur. Et causæ quidem cum sint vniuersè peccata, tum præcipuè sunt hæreses, quibus Satanas vtitur ad suum Regnum propagandũ. A Simone enim Mago, à Marco illo, quem confutat Irenæus; A Carpocratianis, in quos inuehitur Epiphanius; A Priscilliano, qui Gnosticorum vesaniam in Hispanias intulit, de quo Hieronymus ad Ctesiphontem contra Pelagianos; A Mahomete, qui & hæreticus fuit, & magus, quod Zonaras, & Paulus Diaconus scribunt, ac deinceps ab alijs plerisque omnibus, lues ista Prouincias, & Regna peruasit. Nos vbere Epistola, quam Stephano Batoreo Poloniæ Regi aduersus Andream Volanum Caluinianum inscripsimus, atque emisimus, de Geneuensi Ciuitate, in qua illuuio hæc non ita multos ante annos inualuit, aliquid egimus. Egit & Ioannes Maldonatus noster, cum de Dæmonibus publice Parisijs profiteretur. Subsecutus est postea Martinus Delrius noster, verè eruditissimus, qui cum easdem caussas è Maldonato in Proloquium Operis sui Disquisitionum Magicarum, primæ, ac secundæ editionis inseruisset (nam Moguntinæ, licet postremæ, & auctiori editioni Proloquium illud deest) quidquid hoc de argumento fermè potest excogitari, persecutus est accuratissimè.

Iren. lib. 1. c. 21. 24. Epiph hær. 17. Zon. To. 3. Paul. Diacon. lib. 18. hist.

Quin & cum Scriptores, qui de pestilenti, ac superstitiosa Magia scripserunt, ita notauerit, vt cauendos esse docuerit, id huc inferre, tanquam & in huius Apparatus proprium locum, operę pretium erit.

Alchindus igitur Rogerius Bachonus, & Geber Arabs, multis scatent superstitiosis, & perniciosis.

Raymundus Lullus, & Arnoldus Villanouanus sunt ipsi, qui in nonnullis hæreseos notati. Vide Directorium Inquisitorum Eimerici, & Indicem librorum prohibitorum Romæ editum.

Ponceti, & Ardoini libri de Venenis legendi non videntur, nisi à Medicis conscientię (vt aiunt) timoratę, ac pię. Ceteris ea lectio non est tuta.

In Cardani de Subtilitate, & de Varietate libris, passim latet iste anguis in herba.

De Antonij Mizaldi Naturalis Magię libro, non habeo (inquit Delrius) quod dicam, quia nondum legi: suspicor, quod facit in Centurijs memorabilium, superstitiosa illum à naturalibus non secreuisse.

Ioannes Baptista à Porta, specioso Magiæ naturalis titulo, cum superstitiosa multa, & illicitæ magicæ velare nixus esset, iustissimè à Sancta Sede Apostolica proscriptus fuit in Romano Indice.

Alberto Magno tributus liber de Mirabilibus, vanitate, & superstitione refertus est, sed magno Doctori partus suppositius.

Ciccus de Esculo Commentario in Sphęram Sacrosancti inter superstitiosa scripta collocandus.

Pomponatius de Incantationibus, cum & ab Ecclesia damnatus sit, ostendit, quidnam de eius reliqua Philosophia sit sentiendum.

Reliqui Dęmoniaci, Magi, Picatrix, Hispanus, Anselmus Parmensis, Petrus de Abano, Cornelius Agrippa, & auctor pestilentis libri ארבהאל innominatus, sed mirus hypocrita; eo in numero, quo reliqui habendi sunt, de quibus in Romano Indice generatim pręfixa est Regula.

Sub nominè Fräcisci Pici, Comitis Mirandulani, Positiones Magicę editæ fuerunt, in quibus certe sunt plura noxiæ superstitionis: sed quę viri illius & nobilissimi, & doctissimi, numquam fętus fuerunt.

Iam cum Bodinus Dęmonomaniam suam multis erroribus refersisset, nec qui postea edidere, vt emendatam, Antuerpienses, vti par erat, expurgassent, cum Sancta Apostolica Sedes omnino proscripserit, nullo modo legenda est. Nos eam, vt aliquos alios libros Bodini, proprio Opere refutauimus Romę, ac Lugduni edito.

De Theatro vniuersæ naturę eiusdem Bodini (ait Mart. Delrius) si Deus vitã dederit, ostendam aliàs plus in eo opere Rabbinicorũ esse deliriorum, quàm solidæ philosophię, multaque cum Theologicis placitis adeo pugnantia, vt qui lenius de illis loqui velit, erronea, & prorsus temeraria cogatur vocare.

Contra hos autem omnes, vt plurimi scripserunt, pręsertim qui Malleum maleficarum; qui de Sagis, vt Paulus Grillandus: qui aduersus iudiciariam Astrologiam, & Ioannes, & eius Fratris F. Franciscus Picus: qui de falsa magia, vt Benedictus Pererius proprio libro, & alij; sic Martinus Delrius absolutè (vt diximus) tribus Tomis Disquisitionum Magicarum & Petrus Thyręus, qui & ipse Societatis nostræ Theologus insignis, duobus Operibus, altero Coloniæ edito ann. 1598. De infestis, ob molestantes Dęmoniorum, & Defunctorum hominum spiritus, locis, cui accessit libellus de Terriculamentis nocturnis, quę hominum mortem solent portendere. altero de Apparitionibus spirituum. Ibid. ann. 1600. Vide autem omnino in verbo, Petrus Thyreus.

Huc verò etiam faciunt, quæ nos in lib. 15. nostrę Bibl. Selectæ, capitibus 10. 11. 12. 13. 14. 15. aduersus Astrologiam iudiciariã ante istos nostrę Societatis Theologos emisimus.

MAGISTER Sententiarum. Vide in verbo, Petrus Lombardus.

MAGNETES peruetustus Auctor ante mille, & trecentos annos Euangelicę Apologię libros Gręcè scripsit ad Theostenem aduersus Gentiles Euangelij calumniatores.

MAGNETIVS Rabanus Maurus. Vide in verbo, Rabanus Maurus.

MAGNVS (inquit Tritemius, lib. 3. de viris Illustribus) Ord. Sancti Benedicti, c. 107. monachus, & discipulus Sancti Galli, Abbas, (vt fertur) in Faucibus, vir sanctus, & Deo dilectus, multis in Vita miraculis claruit, sicut in Gestis eius, quæ diligenter scripta sunt, legitur. Magnam prædicandi gratiam à Deo consecutus, multorum corda populorum ad Diuinum amorem conuertit. Claruit anno Domini 660. mortuus est autem anno ętatis suæ 70. octauo Idus Septembris. Hucusque Tritemius. Vitam autem ipsius scripsit, Theodorus Abbas Campedonensis eius discipulus, quæ in Tomo 5. antiquæ lectionis extat. Ingolstadij edita.

MALACHIAS, idest *Angelus*, siue *Nuntius Dei*, siue *Nuntius meus*: ab officio enim hoc nomen sortitus est, vt inquit Cyrillus; ex tribu Zabulon, natus in Sopha, quod erat oppidum eiusdem tribus, vt Epiphanius ait in libro De vitis Prophetarum. Vitæ Sanctimonia, & mansuetudine tanta, vt etiam ideo Angelus fuisse dictus putetur ab aliquibus, ceteris prophetis posterior. Vide Augustinum de Ciuitate Dei, libro 18. cap. 35. & libro 20. cap. 25.

At Hesychius, cuius Græcè extant στιχηρὸν, siue κεφάλαια in duodecim Prophetas Minores, & in Isaiam ex membranis Augustanæ Bibliothecæ, Augustæ Gręcè excusi anno 1602. ita habet de Malachia, quod nos è Gręco Latinè hic reddimus. *Malachias exponitur Angelus. Hic post reuersionem natus est in Sophira ex genere Leuitico, & adhuc valde iuuenis vitam rectè gessit. Ac postquam populus vniuersus in honore illum habuit, tamquam irreprehensibilem, & mansuetum, vocauit illum Malachiam, hoc est Angelum. Erat enim item specie decorus. Quin etiam, vt ipse dixit in Prophetia, eadem die Angelus Dei apparens ipsi dictauit ipsius sermones. Nemo autem, qui sit indignus, Angelum intuebatur, sed vocem ipsius tantummodo audiebat: digni verò & speciem ipsius intuebantur, sicut factum est in diebus Interregni, quemadmodum scriptum est in Ephar thotim, hoc est, in libro Iudicum, & adhuc iuuenis appositus est Patribus suis, in bona vita, & sepultus est cum Patribus suis.*

Hic ergo circa annum ab orbe condito ter millesimum quadringentesimum (scribit Sixtus Seniensis) anno ante Christum Dominum fermè quingentesimo, edidit Prophetiam, quæ extat in Biblijs, quattuor capitibus comprehensam. Quorum,

Primo Deus ostendens amorem erga Iudæos suum ex electione Iacob, & generis eius, ac reprobatione Esau, Sacerdotibus improbis Veteris legis minatur abiectionem illorum Sacerdotij, futuram autem in toto Terrarum Orbe mundam oblationem Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi incruentam.

Secundo autem capite increpat iterum eosdem Sacerdotes, tum ob Vitam eorum, tum quòd Deum ipsum auderent arguere.

Tertio vaticinatur missionem Ioannis Baptistæ: Primum Christi aduentum. Puritatem Sacerdotum nouæ legis, & eorum sacrificium. Hinc pœnas dicit se esse sumpturum de peccatoribus illius populi, & vehementer reprehendit eos, quòd decimas, & primitias integrè non soluerent; magnaque promittit soluentibus, bona. Postremò inuehitur in eos, qui dicebant malos Deo placere, atque eius prouidentiam accusabant: & bonos laudat, qui eam defendebant.

Quarto annunciat extremum Iudicij diem, eius terrorem, malorum perditionem, & cruciatum, iustorum autem exultationem, qui dote agilitatis ornati, in occursum prodibunt Christo venienti, & cum eo iudicabunt nationes, & calcabunt impios. Deinde hortatur eos ad legem obseruandam, & pollicetur aduentum Eliæ ante diem Iudicij, vt per eius prædicationē Iudæi conuertantur. Hæc ferè Franciscus Ribera, cuius maluimus argumentum inserere, quòd & rem liquidius attingit, quàm quidam alij; & hæreticos, veritatem huius prophetię mirificè ob Sacrosanctum Altaris sacrificium, distorquentes eadem opera confodit.

Scripserunt autem in Malachiam, tum qui in vniuersam Scripturam, tum qui in ipsos duodecim Prophetas. Quorum nomina Interpretum, vide in Apparatus huius ini-

tio in verbo, Abacuch. Partitionem verò ipsius vide adhuc, si lubet, in Aureolo, & in Georgio Edero.

MALACHIAS Cęlebs, Episcopus Conerethensis, scripsit Librum Institutorum communium. Alterum, De cęlibatu. Alium, De nouis traditionibus. Epistolas plures ad D. Bernardum. Obijt ann. 1148.

MALACHIAS Hyberniæ Primas, qui sanctissimè vitam egit, & sanctissimè in monasterio Clarçuallensi obijt, clarus prophetia, & miraculis, meruit vitæ suæ Scriptorem habere Diuum Bernardum, quæ sanè & legenda, & dignissima est, quam imitemur. Quæ vt legatur auidius, liceat mihi hic ad Domini Dei gloriam tantillum adtexere, quod de eius obitu Sanctus Bernardus attigit. *Non est mutatus vultu Malachias, sed ipse mutauit omnes: mirum in modum gemitus, & luctus omnium subito conquiescit: mutatur in gaudium mæror: Planctum cantus excludit: effertur, feruntur in Cælum voces: infertur Abbatum humeris: vicit fides: triumphat affectus: res in suum deuenit statum: cuncta geruntur ex ordine: cuncta ex ratione procedunt. Et reuera, quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors eius, quasi non sit somnus magis, quam mors, quasi non sit mortis portus, & porta vitæ? Ego ne fleam, qui fletum euasit? ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus in domum Domini sui, & ego eum plangam? Cupio mihi hac, non illi inuideo.*

MALACHIAS alter Hybernicus, Ordinis Minorum, Theologus, scripsit Libellum De veneno Peccatorum mortalium, deque remedijs ipsorum. Parisijs autem prodijt anno 1518. Ex officina Henrici Stephani, eius, qui erat Catholicus: nam alter Henricus, qui nostra fuit ætate, obijt Caluinianus Geneuę Allobrogum. Vixit ann. 1310. At Malachiam hunc non Ordinis Minorum, sed Prędicatorum facit Antonius Senensis in Catalogo Scriptorum sui Ordinis: cuius libelli Malachiæ meminit quoque Garetius, in libro De sacro Corpore, & Sanguine Christi.

MALCHION disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, quippe qui in eadem Vrbe Rhetoricam florentissimè docuerat, aduersum Paulum Samosatenum: qui Antiochenæ Ecclesię Episcopus dogma Artemonis instaurarat, excipientibus notarijs disputauit, qui Dialogus vsque hodie extat; sed & alia grandis Epistola ex persona Synodi ab eo scripta ad Dionysium, & Maximum Romanæ, & Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopos dirigitur. Floruit sub Claudio, & Aureliano Principibus. Hieron. in Catalogo.

MALCHVS, quem in Bibliotheca Græca Photius Sophistam professione, & ad summum artis Rhetoricæ apicem peruenisse, cultu autem Christianum extitisse indicat, *καὶ θρησκείαν* (ait) *οὐκ ἔξω τοῦ χριςιανικοῦ θιάσου*, Historiam Byzantinam septem libris conscripsit, quamuis septimum haud potuerit perficere. Incipit à Leone Imperatore vsque ad Theoderici Malamiri, & Nepotis mortem. Cum verò tantopere Historicum hunc Photius commendet, fit, vt sicunde erui posset is, expediret, vt in lucem emitteretur. Verba Photij hæc sunt: *ἐςὶ δὲ ὁ συγγραφεὺς φιλαδελφεὺς εἴτις ἄλλος κατὰ συγγραφὴν ἱςορίας ἄριςος, καθαρὸς, ἀπέριττος, εὐκρινὴς, λέξεων ταῖς ἀνθηροτάταις, καὶ ἐν σήμοις, καὶ εἰς ὄγκον τινὰ ἀνηγμέναις χρώμενος, καὶ οὐδὲ αἱ καινοπρεπεῖς αὐτῷ, ὅσαι τὸ ἐμφατικὸν, καὶ εὔηχον, καὶ μεγαλεῖον ἔχουσι, παραβλέπονται, καὶ ὅλος κανὼν εἰμὶ ἱςορικοῦ λόγου.*

Atqui, cum de ijs temporibus, & Imperatoribus scripserit, qui Christiani fuerunt, nos eius hic meminimus, tamquam res etiam Ecclesiasticas, quadantenus saltem, vt opinamur, attingentis.

MALLEI Hæreticorum, De varijs falsorum dogmatum notis, atque censuris, libri duo: in quibus vniuersa penè hæreses, & cognoscendi, & fugiendi ratio continetur. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium, ann. 1580.

MALLEVS Maleficarum, maleficas, & earum hæresim, vt phramea conterens. Coloniæ.

MAMERCVS Viennensis Episcopus, qui Leone Primo Pontifice Maximo, doctrina, & Sanctitate claruit in Gallia, Litanias, quas Græci vocant, siue publicas preces, hoc

hoc est supplicationes primus instituit ob frequentes Terræmotus, qui tum maxime Gallias vexabant.

MAMMOTREPTVS è Regio Lepidi, quæ Ciuitas propè abest Mutina, Ordin. Minorum, sic ab inscriptione Dictionarij à se editi nominatus; Dictionarium enim vocabulorum Bibliorum, Latinarum vocum prolationem, accentum, & significationem, crassa & rudi minerua explicans, edidit. Quod quia rudibus Clericis, & adhuc in Latina lingua infantibus, veluti mammam sugendam, & manibus puerilibus tractandam, instar piæ nutricis, exhibuerat; *Mammotrepton* inscripsit, tacito ob humilitatem suo ipsius nomine, pro quo postea *Mammotrepti* nomen sortitus est. Opus incipit, *Impatiens propria imperitia*. Vixit anno 1450. Sixtus Senensis.

MANASSIS Regis Hierosolymitani Oratio, qui post multas vexationes, sed & ob plurima scelera petijt, & obtinuit veniam à Deo, extat in Biblijs, digna, vt quo spiritu dicta fuit, eodem à resipiscentibus quibusque dicatur. Vide Appendicem ad secundum librum Paralipomenon. Latini Patres, vt Sixtus inquit Senensis, eam inter sancta scripta receperunt, & quemadmodum ex glossa ordinaria apparet, adhibitis annotationibus illustrarunt. Lib. 1 Bibl. Sanctæ

MANASSIS alterius Fragmentum Historicum Grecè manuscriptum extat in Bibliotheca Bauarica.

MANASSES. Vide in verbo, Constantinus Manasses.

MANEGANDVS, quem alij codices *Manegundum*, *ingenij sui monimenta* (vt scribit Henricus de Gandauo) *in Expositione Psalmorum, & Epistolarum Pauli reliquit*. In Catal.

MANFREDVS Manfredius, Rector Sanctę Crucis in Oppido Tractus Patauini, quod vulgo vocatur *Piaue* Librum Italicè edidit, inscriptum, *Discursus xx. prædicabiles super Hymnum Beatissimæ Virginis, Aue Maris stella*. Addidit alterum, *De Elia, & Paradiso terrestri*. Venetijs anno 1602. apud Hieronymum Polum. Italicè, ac sine fuco eleganter, & eruditè. Ceterum, quòd putat Paradisum Terrestrem adhuc extare, legat qui sapit, quæ hac de re scripsit accuratè Vir doctissimus Benedictus Pererius in Genesim, & forsan aliud sentiet.

MANICHAEI, præter illa, quibus de sua hæresi pessima conuicti sunt à Patribus antiquis, potissimum Augustino, & alijs; præter item ea, quæ Alphonsus à Castro, Prateolus, & Scholastici contra illos tradiderunt. Vide omnino in verbo, *Felix Manichæus*. Et in verbo, *Didymus*, & in verbo, *Paulus Siculus*, vixque erit, quod amplius desideres ad eam hæresim noscendam, atque confutandam.

MANIPVLVS Curatorum: Vide in verbo, Guido de Monte Rochen.

MANLIVS Theodorus, qui gessit Consulatum Arcadio, & Honorio Impp. anno Domini 399. vnà cum Flauio Eutropio Eunucho, Christianus fuit, & valde eloquens, & eruditus, atque adeo (vt Augustinus loquens cum sua matre inquit) mente præstantissimus, quem & nouit. Ac tamen Augustinus ipse libro primo retract. cap. secundo, cum librum de Beata vita illi Theodoro scripsisset, *Displicet autem* (inquit) *quòd Manlio Theodoro, ad quem librum ipsum scripsi, quamuis docto, & Christiano Viro, plus tribui, quàm deberem*. Claudianus quoque, qui licet ethnicus Panegyrim de eius Consulatu cecinit: *Virum omnibus scientijs eruditum, & omnium eloquentissimum asserit*: qui & Theodori *excultissimas fuisse lucubrationes*, inquit, & inter alia, *de Genesi, & partibus Animæ*. Interierunt tamen eius scripta. Aug. de Ord. lib. 1. c. 11.

MANTANEVS Epistolæ apud D. Cyprianum cum alijs Coepiscopis Scriptor.

MANTIVS Hispanus, Ordinis Prædicatorum, summus Theologus, qui Compluti, atque Salmanticę publicè, ac diu professus est, solicitus magis in docendis ijs, qui deinceps Scriptis suis posteros erudirent, quàm in euulgandis Operibus suis, dictauit tamen Lecturas, vt vocant, super D. Thomã, refertas eruditione, ac perspicuitate, quæ apud plures in Hispania, præsertim Ord. sui, extant m.ss.

MANTVA Patauinus I. C. Vide in verbo, Marcus Mantua.

MANTVANVM Conciliũ Alexandro Secundo, huius nominis Pont. Max. indicatum

est De Ecclesię salute, ac tutela. Henricus IIII. Imperator, qui vexauerat Ecclesiam, errore agnito in gratiam Pontificis redijt.

MANTVANVM Concilium sub Eugenio celebratum De controuersia inter Gradensem, atque Aquileiensem Patriarcham, anno Dom. 605. vt habet Card. Baronius. Quod quidem Concilium optandum est, vt è latebris erutum proferatur in lucem. Sed quod ibidem dicitur, Anno videlicet quarto Eugenij fuisse coactum, non omnino (inquit) assequor, quonam modo consentiat cum eo, quod deinceps subditur anno Domini 655. Ait enim, Eugenium ab eo tempore, quo ille iniquè in locum D. Martini absentis subrogatus est, duos annos, & menses quattuor (debuit forte scribi, *decem*) sedisse. Post mortem verò ipsius D. Martini, cum tunc legitimè ei esset suffectus, menses sex & dies 23. pręfuisse. Atqui si dicamus (quod idem habet) Eugenium S. Martino pulso à Romano Clero, nona die Augusti, anno Domini 652. Pontificem fuisse creatum; eundem secunda Iunij, anno Domini 655. morte sublatum, vt est apud eundem, non erit difficile quartum eius Pontificatus annnm reperire, si primus, & vltimus sedis annus integrum annum per se faciant.

Sed & Pio Secundo Pontif. Max. conuentus indictus Mantuę fuit frequentissimus, in quo ex tota Europa Principes, siue Legati De bello Turcis inferendo egerunt. Vide in verbo, Mattilda.

MANVALE Catholicorum ad vsum piè precandi collectum à Petro Canisio nostro figuris æneis, & simplicibus, anno 1589. Sed & antea Friburgi Heluetiorum, anno 1587.

MANVALE Chorile, vnicuique hebdomadario, in quolibet choro apprimè necessarium, &c. ex Breuiario Romano reformato. Venetijs ann. 1585.

MANVALE Parochorum, & aliorum curam animarum habentium, complectens omnium Sacramentorum rationem, naturam, & administrationem, cum instructione pręsentibus temporibus conueniente, ac pleraque alia Christianis hominibus necessaria ex sacris canonibus deprompta, & ad Concilij Tridentini Decreta accommodata. Ingolstadij anno 1582.

MANVEL Caleca, De elementis Catholicæ fidei secundum traditionem Sacræ Scripturę, & Catholicorum Doctorum. Extat m.s. Græcè in Bibl. Bauarica.

MANVEL Chrysostomus, scripsit Orationem demonstratiuam, quòd Deipara magis honoranda sit, quàm Cherubim. Extat m.s. in Regia Galliæ Bibl. Græcè.

MANVEL Palęologus Imp. in Gallia siue peregrinus, siue exul, scripsit Apologeticum centum quinquaginta sex capitibus comprehensum, ad Latinum quendam Parisijs agentem, qui in figura Syllogismi ad eum scripserat; quibus Manuel ostendit, Syllogismum illius physicum esse, atque à Theologica ratione alienum. Extabat Romæ in Bibl. Vaticana, cum eiusdem Epistolis.

MANVELIS Moschopuli Schedæ, idest, enarrationes vocabulorum. Extant Græcè m.ss. in Bibliotheca Bauarica. At & alia eius, tum edita, tum manu scripta extant, ac pręsertim in Bibliothecæ Imperatoris Viennę, sed quæ fere omnia spectant ad litteras humaniores.

MANVELIS Philę poemata, & versus ad Michaelem Palęologum Imperatorem. Gnomæ ex libro Constantini Manassæ. Extant m.s. in Bibl. Bauarica Gręcè.

MANVELIS Raul, Epistolę extant m. ss. Gręcè in Bibl. Bauarica.

MAPHAEVS Vegius, Laudensis, Italus, Martini Quinti Pontif. Max. Datarius, quem Sixtus Senensis ait in vltima sua senectute, versu elegiaco in septem Psalmos Dauidis scripsisse elegantem, & verè Cigneam Paraphrasim, pleraque alia edidit: nimirum vitam, & laudes B. Monichę Matris S. Augustini, vitam quoque B. Antonij Anachoretę. Dialogum pręnotatum *Philalethes*, hoc est, *De Amore veritatis*. Libros septem De perseuerantia. Libros sex de educatione puerorum, & claris eorum moribus, qui Basileæ fuerunt excusi apud Robertum Vuinter, anno 1541. vnà cum L. Vitruuij Roscij, & aliorum eiusdem argumenti Opusculis. Librum Hymnorum. Epistolas plures. Epigrammata plura.

Librum

Librum De re Militari; preterquam quòd Aeneidi Virgilianæ lib. tertium decimum addidit, quo ingenij sui specimen præbuit. Extat item eiusdem liber De significatione verborum in Iure Ciuili, excusus Vicentiæ anno 1477. Viuebat anno 1430.

Marbodus Anglus, quem Sixtus Senensis, *Marbadum* nominat, Monachus Cœnobij D. Albini Andegauensis, ac deinceps in Britannia Armorica Ditionis Regiæ Galliarũ Redonensis Episc. (*Redonensem* Sigeb. *Redensem* Eisingr. dicunt, sed nõ rectè) Quem Trit. inquit vixisse ann. 1050. alij autem ann. 1123. siue ann. 1150. *Poeta suorum temporum* (ait Sixtus Senensis) *& Sacrorum eloquiorum professor insignis, edidit eleganti carmine pulcherrimam Explanationem in Canticum Salomonis iuxta triplicem sensum Anagogicum, Allegoricum, Moralem.* Quin etiam metricè Passionem S. Laurentij, & Passionem Thebęorum, *quasi pedibus* (scribit Sigebertus) *vadens in sententiam Eucherij Lugdunensis, qui eam vrbana prosa scripserat ad Syluium Episcopum.*

Vitam Sancti Magnobaldi Andegauensis, quæ affertur à Renato Benedicto in vitis Sanctorum Galliæ, Gallicè, quàm Latinè reddidit Pasqualis Robinus Dominus *du Foux*. De lapidibus item & vnionibus, siue gemmis preciosis librum, Francofurti excusum. Lilius Gyraldus eum inter Poetas non incelebres numerat. Obijt Andegaui, cui Epitaphium insigne Ogerius quadragesimus quartus Episcopus Andegauensis adiecit. De monachatu ipsius egit Renatus. De Episcopatu plerique omnes. Arnoldus item Vion in Ligno Vitæ.

Marcellinus Brigantius, Anglus, monachus S. Saluatoris Traiecti, Congregat. Gallicanæ Floriacensis, circa annum Domini 740. scripsit vitam Sancti Suiberti Episcopi Verdensis, excusam in vitis Sanctorum Surij Tomo secundo, die primo Martij. Viuebat ann. 780.

Marcellinus *Comes* quattuor libros de temporum qualitatibus, & positionibus locorum pulcherrima varietate conficiens, itineris sui tramitem laudabiliter percurrit. hæc Cassiodorus de Instit. Diuin. lect. cap. 17. & paulo post, vbi de Eusebij Chronico fecit mentionem, ista subiungit: *Hunc subsecutus est supradictus Marcellinus Illyricanus, qui adhuc Patricij Iustiniani fertur egisse cancellos, sed meliore dictione deuotus à tempore Theodosij Principis vsque ad fores imperij triumphalis Augusti Iustiniani, Opus suum, Domino iuuante, perduxit, vt qui antefuit in obsequio suscepto gratus, postea ipsius imperio copiosè amantissimus appareret.* Hæc Cassiodorus de Marcellini Chronico, cuius & aliam refert inferius lucubrationem, cum ait: *Marcellinus, de quo dixi, pari cura legendus est, qui Constantinopolitanam Ciuitatem, & Vrbem Hierosolymorum quattuor libellis minutissima narratione conscripsit.*

Ceterùm hic non est is, qui dicitur Ammianus (nàm hic plus minus ducentos annos hunc alterum, qui Iustiniano Imp. vixit, precessit) Chronicon autem, vt diximus, scripsit, quo rerum Orientalium historiam Eusebij, & Diui Hieronymi vsque ad Iustiniani tempora vberius (pręsertim de rebus Orientalibus) quã Prosper Aquitanius fecerit, prosequitur. Ac multa quidem in eo sunt, quæ ab alijs Chronographis discrepant, quę item Antonius Sconhouius adnotauit ea in hunc librum præfatione, quàm Gerardo ab Hamericourt, Abbati S. Bertini scripsit: quæ & doctorum iudicio reliquit: cum antea dixerit, non futurum opus posthac magna parte operis vtriusque Palmerij, aut Hermani Contracti, qui Prospero continentem historiam adtexuerunt. Quin & Baronius Card. in hoc aliqua notat sub inde aliena à veritate. Vide To. 5. Annal. pag. 110. D. & alibi, primæ editionis. Parisijs autem à Vuechelo excusus est ann. 1546.

S. Marcellinus Frisius, qui & Marchelmus à quibusdam dicitur, ex Anglia Sancto Villibrotdum in Frisiam comitatus est; cunctisque sodalibus suis superstes fuit, vtpote quem S. Ludgerus testatur vltra septuaginta annos Frisijs Euangelium prædicasse, maximè in partibus Transinsulanis, Trenta, Tuenta, Oudensel, & Dauentria. Floruit igitur sub Rege Radbodo, ac deinceps. De scriptis eius hęc inueniuntur hactenus. Vita Sancti Suiberti. De Tyrannide Radbodi Regis. Epistolę diuersæ. Conciones variæ, & quędam alia quæ non peræquè celebrata sunt. Hæc Suffridus Petrus in libro de Frisiæ Scriptoribus.

MARCELLINVS Diaconus,& Faustinus in eo libello, quem vnà obtulerunt Theodosio Imperatori,mendacij redarguuntur cum dicunt,primò Vrsicinū, ac subinde Damasum post dies septem esse creatum Romanum Pontificem. Sed cū constet eos fuisse schismaticos adhærentes Vrsicino pseudopontifici,ea in hac causa fides illi adhibenda est, quæ solet latronibus adhiberi accusantibus eos, quos ipsi fuerint deprædati. Vide Card. Baron. Tom.4.pag.199. primę editionis.

MARCELLINVS, Ord.Minorum. Vide in verbo,Euangelista Marcellinus.

MARCELLINVS Pont.Max. Concilium centum, & octoginta Episcoporum in Vrbe Campaniæ Sinuessa habuit, in quo cilicio indutus, & squalidus petijt, vt sibi pœna imponeretur,quòd ad sacrificia gētium ductus,cum minis instarent carnifices, vt thura Dijs exhiberet, Diocletiano Imperatore,Deos alienos adorasset,sed cum ne vnus quidem è tot Episcopis fuisset inuentus,qui illum damnasset,cum dicerent omnes,ea fermè ratione Petrum peccasse, ac flendo peccati pœnam luisse,reuersus est Romam Marcellinus,qui Diocletianum adiens, increpuit, quòd se impulerit Dijs gentium immolare. Quamobrem martyrium illustre passus est. Extant eius Decreta cum reliquis Pontificijs impressa Coloniæ.

MARCELLINVS alius Epistolam ad D. Augustinū de rebus ad Christianam fidem spectantibus scripsit, quę numero quarta est inter ipsius Augustinis Epistolas.

MARCELLVS Ancyranus Episcopus,(vt Hieronymus scribit in Catalogo)sub Constante,& Constantino Principibus floruit,multaque diuersorum ὑποθέσεων,scripsit volumina,& maximè aduersus Arianos. Feruntur contra hunc Asterij,& Apollinarij libri, Sabellianæ eum hęresis arguentes: sed & Hilarius in septimo aduersum Arianos libro, nominis eius,quasi hęretici meminit. Porrò ille defendit se non esse dogmatis,cuius accusatur, sed communione Iulij, & Athanasij, Romanæ, & Alexandrinę Vrbis Pontificum se esse munitum.

MARCELLVS Bonus,collegit Glossas ad Sacras Constitutiones Regni Sicilię,atque ad Ritus Magnæ curię Vicariæ, & ad Singularia 151.super ff.& Cod. Lugduni ann.1556.

MARCELLVS Francolinus, Bodianus, hoc est, è Monte Albodo,in Piceno, Presbyter, & Doctor, volumen sat grande edidit Romę ann.1581. apud Ioannem Osmarinum. De Tempore Horarum Canonicarum,ad Gregorium XIII. Pont.Max. ad Carolum Cardin. Borromęum,ad Cęsarem Costam Archiepiscopum Capuę. Quòd Opus non tā meo, quàm doctissimorum virorum iudicio plenum est eruditionis,atque pietatis. Inter alios de illo testimonium honorificè ferunt Cęsar Cardin. Baron. primo Tomo Annal. sub anno Christi 34. Robertus Card. Bellarminus 3. Controu. generali 2.Tomi, vbi de Eucharistia. Martinus ab Azpilcueta in libro Miscellaneorum. Simon Maiolus Episcopus Vulturariensis in secunda editione, lib.de Irregularitatibus,lib.3.cap.24. Hugolinus Martellus Episcopus Glandatensis in Claui Kalendarij,cap.51. Hieronymus de la Rua,in prima p.controu. Theol.4.controu.positiua. Marcus Antonius Massa in Notis ad librum, qui inscriptus est Vitas Fratrum, & à B.Iordano de Saxonia compositus,libro 2.cap.4. Quos ego lubens huc affero, ne quem pigeat versare viri huius vtilissima scripta. Quæ si recudantur,sciant Typographi ab eo paullo ante mortem ita fuisse recognita,& aucta, vt mandauerit ijs additionibus, quæ apud nos m.ss.extabant,esse recudenda. Addidit item Disputationem,quæ nondum fuit edita, De Matrimonio Spadonis vtroque testiculo carentis, perdoctè, atque accuratè tractatam.

Porrò Additiones hæ sunt:

Indicis prima Pars Testimonium Sacræ Scripturæ, quæ citantur, vel insinuantur in Decreto Gratiani.

Indicis secunda Pars Auctoritatum,quæ ex Concilijs referuntur in Decreto Gratiani.

Indicis Pars tertia Summorum Pontificum, Patrum, reliquorumque auctorum, ex quibus ea confirmantur, vel emendantur, quæ in Gratiani Decreto afferuntur.

MARCELLVS Marci prefecti Vrbis Romę filius(vt ait Sigebertus)ex discipulo Simonis Magi,discipulus B.Petri Apostoli, Conflictum Apostolorum Petri, & Pauli, cum Simone

mone Mago, cui assiduus interfuit, rogatu Christianorum, qui non interfuerant, fideliter scripsit, & Ecclesijs Dei propè, vel procul positis legendum concessit. Ad Sanctos Nereũ, & Achilleum pro Christo in Pontiana Insula relegatos, scripsit De mirificis rebus, & actibus Beati Petri, & Pauli, & de magicis artibus Simoni Magi. Anno Domini. 50. Trit.

Scripsit De obitu Sanctę Petronillæ Virginis, filiæ Beati Petri Apostoli. De Passione S. Feliculæ Virginis, & Martyris. De Passione Sancti Nicomedis Presbyteri Martyris. Hęc Sigebertus.

MARCELLI Papæ, qui sedit Constantino imperante, Acta (quę sunt apud Surium To. 1. ad diem 16. Ianuarij, aliquibus in locis mendosa sunt emendata. Id quod Baron. Card. præstitit, ac præsertim sub ann. eius Pontificatus Sextum, Domini vero 309. To. 3. Annal. vbi inquit, De tempore, quo *Marcellus* passus, loco *Maximini, Maxentius* restituẽdus est. Rursum vbi de Cyriaco diacono, cum Largo, & Smaragdo misso à Diocletiano, ad Saporem Regem Persarum, Iuniori Sapori Regi potius ea, quæ scribuntur in actis Marcelli putat aptanda.

MARCELLVS Taruisinus, Ord. Seruorum, à Iacobo Sanazario, atque à Saxoferrato tamquam Poeta egregius, & linguarum Parens, commendatus, Hymnos, & carmina de Sanctorum Gloria edidit. Chron. Seruorum.

MARCERIVS Anglus, Historiographus, scripsit Chronicon, cuius meminit Ioannes Bachontorpius in Prologo Quarti libri Sententiarum, Quæst. 10.

MARCHESINVS Petor, Ord. Minorum, edidit Tractatum De Pœnis Peccatorum. Incipit, *Pœna debita*. Alterum item De Passione Christi, cuius initium, *Passio Domini nostri*, Henr. Vuillot.

MARCIANVS Barchinonensis Episcopus, scripsit contra Nouatianos. Viuebat anno 409. Eisingren.

MARCIANVS Imp. Thrax genere, ex Patre militiam exercente eundem artis militaris spiritum hauriens, cum Romanis copijs ascriptus fuisset, successit in Constantinopolitano Imperio, Arcadij Filio Theodosio, qui quadraginta tres annos impetrauit. idque Diuinitus, cũ Theodosio Deum de successore paullo antequàm moreretur, precanti, reuelatum fuisset. Ac quidem Marcianus ann. 450. renunciatus est Imperator, cum demum anno ineunte quadringentesimo quinquagesimo septimo, ex hac vita decessit, vir omnibus virtutibus, pietate, liberalitate, castitate commendatissimus. Vide Nicephorum, Theodorum Lectorem, & alios, ac ipsius Baronij Cardin. Annalium Tomum sextum sub eundem annum 457.

Biduo autem, siue triduo à sua electione sanctum promulgauit edictum aduersus hæreticos Apollinaristas, & Eutychianos. Quod quidem specimen fuit eius zeli, & inuiolatę religionis, quàm perpetuo seruauit. Nam & postea, quæ cũ omni demissione animi scripsit de cogenda Synodo Chalcedonensi, ad Leonem Primum Pont. Max. Quæve de alijs rebus rescripsit, aut adeo pro catholica fide ad quosdam monachos hæreticos misit, ea omnia spirant summam pietatem, & integritatis, atque iudicij summum argumentũ. Vt quitam paucos eius Imperij annos, cum pluribus eorum, qui vel præcessere, vel successere, cõtulerit, intelligere possit, Principem vnumquemque probum, breuissimo licet tempore, posse Reipublicę quàm maximè commodare. Nos libro nostro, qui prænotatus est, Miles Christianus, quique cum veri Principis Forma recusus Venetijs prodiit ann. 1604. breuissimè istius Imperatoris virtutes pręfiximus post alterum insigne Alphonsi Sãcti Primi Lusitaniæ Regis exemplum.

MARCOCVS Toniolensis inter illos Scriptores memoratur, è quorum libris Baptista Fulgosus sua deprompsit exempla.

MARCVS Abbas, cuius de Paradiso, & Lege Paterna, Responsio ad dubitantes De Baptismate, & alia Opuscula, extant in Gallię Regia Bibliotheca, Grecè m.s.

MARCVS Adamus, Canonicus, Historiam Ecclesiasticã à Caroli Magni temporibus vsque ad Henricum IIII. Imp. scripsit ante quingẽtos annos. Quæ quoniam, vt audio, apud hæreticos fuit excusa, videndum est, nequid labis asperserint, vt solent.

MARCI

Marci Alexandrini Patriarchę Interrogationes, & Patriarchę Theodori Balsamonis Responsiones Gręcè m.ss. Extant in Bauarica Bibl.

Marcvs Antonius Cucchus scripsit, atque edidit Institutiones Iuris Canonici. Quarum extat primus Pentateuchus, duos autem reliquos pollicitus edere, nescio an praestitit. Expedire autem puto, vt huius methodus, & labor conferatur cum alijs eiusdem argumenti, Institutionibus à Lancelotto cōscriptis. De quibus vide in verbo, *Ius canonicum.* Sanè quod huc inde in gratiam Studiosorum, ac iuuentutis breuissimè inferendum est, Dignitas, Auctoritas, Vtilitas, Delectatio è studio Iuris Pontificij cerni possunt. Dignitas & Auctoritas, quòd Pontificem Maximum Christi Domini Vicarium habeat Auctorem, cum de Sacramentis Ecclesiae, sacrisque omnibus, & sacrificio Altaris Sacrosancto, ac de cultu cęlitibus exhibendo, ita in eo agatur, vt hominibus viam monstret ad Cęlum; Vtilitas, quòd sinus Theologiae omnes penetret, vt certa omnibus praecepta praebeat absolutis Summorum Pontificum sanctionibus, vel Concilijs, vel Constitutionibus definita. Quamobrem haud rarò ipsi Iuris Caesarei insigniores Interpretes in arduis altercationibus ad Leges Pōtificias, vti certiores, atque aequiores suarū litium arbitros, adeunt, atque horum definitionibus libenter acquiescunt. Delectatio, quòd variae temporum mutationes, inuersique toties hominum mores; Patrum autem, qui omni seculo claruere singularis doctrina, & spectata sanctitas; Et Synodorum Generalium caussae; earundemque Synodorum irrefragabiles Decisiones in maximis quaestionibus; tot Summorum Pontificum inter magnos, ac potentissimos Reges de grauissimis negocijs, Responsa, & Constitutiones cognoscantur, & habeantur in promptu.

Marcvs Antonius, Georgius, Bononiensis Archipresbyter Sanctae Mariae Rotundae ad Martyres, congessit quaedam ex D. Ioannis Apostoli, & Euangelistae, & aliorum Apostolorum, ac Martyrum, & Virginum vitis, Romę Apud Antonium Bladum, anno 1570.

Marcvs Antonius Marsilius Columna, De Ecclesiasticorum Redituum Origine, ac iure. Venetijs apud Franciscum Senensem, ann. 1575.

Marcvs Antonius Muretus Gallus, sacros hymnos cecinit, cuius tamē pij nō libenter ferunt sordida quędā, & amatoria carmina mixta cū sacris. Nam & ille, si viueret, deleret omnino, ac de huiusmodi miscellaneis dici illud potest, quod vir doctus pron unciauit.

Quàm malè conueniunt, & in vna sede morantur,
Iuppiter, & Christus, Cypris cum Virgine Sancta.

Ceterum ipse Muretus cum fuerit eruditissimus pleraque ad Humaniores litteras pertinentia monumenta reliquit, Senecam item illustrauit, & sanctè obijt Romae.

Marcvs Antonius Mocenicus, nobilis Venetus, librum edidit De transitu hominis in Deum, quem sedulo expendit Martinus Delrius, lib. 2. Disquisitionum Magicarum Q. 25. Librum item Theorematum, *De eo, quod est,* edidit ann. 1578. Venetijs, & De Anima, Diuinoque eius ad Deum raptu: Ibidem apud Franciscum Ziletum ann. 1581. sed hunc puto eundem esse, qui est *De transitu hominis in Deum.*

Marcvs Antonius Natta, Astensis, I.V. C. quem aliquando Senatorem in Mantuana, quae dicitur Rota cognouimus, edidit libros septem De Passione Domini per Dialogi modum conscriptos. Qui in Monte Regali Subalpina Italiae ciuitate ann. 1570. prodierunt è prelo. Libros item quinque De Immortalitate Animae. Orationem in Domini nostri Natalem diem. De Ieiunio Quadragesimali. Dę Poenitentia. In diem Paschatis festum. De fuga sęculi. De studio religionis ad Nouitium monachum. De perfecta virtute Poeseos. Metra Poetica. Quę omnia excusa sunt Venetijs apud Aldum ann. 1564. Scripsit etiam Consilia Iuridica, seu Responsa.

Marcvs Antonius Surgens I. V. D. Patricius, & Eques Neapolitanus, vir sine dubio doctissimus, Tractatum edidit De Praefecto Praetorij, reliquorumque antiquorum Magistratuum cum Vicerege, alijsque Magistratibus nostri temporis comparatione: Quo simul agit de omnibus Tribunalibus Regiae Neapoli caussas definientibus; additae sunt Annotationes I. V. D. Mutij Surgentis, Fratris ipsius Auctoris, ac Praesidis Camerae Summariae.

mariæ. Neapoli ex typographia Tarquinij Longi ann. 1602. confert autem ad noscendam distinctionem iurisdictionum etiam Ecclesiæ.

MARCUS Attilius, Serranus, librum edidit eruditum De septem Vrbis Romæ Ecclesijs, vnà cum earum Reliquijs, Stationibus, Indulgentijs. Romæ apud hæredes Ant. Bladum, ann. 1575.

MARCUS Aurelius Cassiodorus, vide in verbo, Cassiodorus.

MARCUS Barbus Patricius Venetus, Pauli Secundi Pontif. Maximi, Patruelis, qui & Episcopus fuit Vicentinus, deinceps Patriarcha Aquileiensis, & S. R. E. Cardinalis, scripsit De Cœlibatu duos libros; Latinè autem reddidit, è Græco Eloquium Patriarchæ Constantinopolitani, ac Responsum De fide Catholica ad quæstiones Mahometis magni Turcæ. Et D. Dionysij Areopagitæ Opusculum, quod ad Arnoldum Bostium ipse Marcus Barbus misit. Viuebat ann. 1475. Eisingren.

MARCUS Brixianus, monachus, & Abbas, Congregationis autem Cassinensis, quæ dicitur S. Iustinæ de Padua, scripsit Orationem de Purgatorio in Synodo Tridentina habitam, quæ prodijt Brixiæ ann. 1557. Alteram in Translatione è vetere in nouum Tẽplum sanctorum corporum, quæ in sacra æde S. Iustinæ Patauij quiescunt. ea verò Patauij excusa est ann. 1562. Cum antea cœnas amoris octo composuisset, quarum prima edita est in lucem Brixiæ ann. 1556. Sermones item tres de Passione Domini. ibidem ann. 1557. Carmen denique in Matriculam Monacharum Congregationis Cassinensis, quod extabat, apud Arnoldum Vuionem. Viuebat ann. 1550. & sequentibus.

MARCUS Cassinensis monachus, D. Benedicti discipulus miracula eiusdem Patris à D. Gregorio Magno omissa scripsit carmine, quæ diu delituerunt. At demum in Cœnobio D. Benedicti Mantuani reperta, Romæ emissa sunt in lucem, vnà cum tertio Poematum libro Prosperi Martinengi ann. 1590. Atqui & Opuscula eiusdem Marci quædam à Io. Pico versa Parisijs ann. 1563. Gnomæ autem ann. 1531. in Germania prodierant. Arnold. Vuion. Viuebat ann. 610.

MARCUS Dandulus, nobilis Venetus, scribitur à Francisco Sansouino, è Græco in Latinum vertisse Catenam Græcorum Patrum, in quinquaginta Psalmos Dauidis. Quam ipse versionem haud vidi, cum tamẽ extet versio illa Danielis Barbari, de qua locuti sumus in Verbo, Daniel Barbarus. Quin & scripsisse dicitur ab eodem Sansouino tum Orationem, quam composuit in laudem Sanctæ Crucis, dum è capta à Gallis Brixia, captiuus ab ijs detineretur; tum alias, quas varijs in legationibus habuit. Viuebat ann. 1520.

MARCUS Diaconus res gestas S. Porphyrii martyris scripsit.

MARCUS Doringus, Ord. Minorum, pro Nicolao Lyrano, cuius fuerat auditor, scripsit, atque edidit Apologiam aduersus Paulum Burgensem. Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus.

MARCUS Eremita, qui & *Excitator* dictus est, scripsit Opuscula Theologica Græcè, quæ postea etiam nostro tempore Latinè sunt versa. De his, qui putant se ex operibus duntaxat iustificari. De pœnitentia. De baptismo. Præcepta salutaria. Capitula Temperantiæ. Disputationẽ cum seculari quodã caussidico. Cõsultationem intellectus cum sua ipsius anima. Addit octauũ Photius Nicolao cuidã monacho scriptum, qui omnes ascetici vocantur, mẽtionem autẽ huius facit Palladius in Lausicana historia. Sozomenus itẽ, & Nicephorus, ac Zonaras tale de eo, eiusque scriptis testimonium fecerunt. *Marcum* (Sozomenus inquit) *ferunt etiam in ætate iuuenili admodum fuisse placidum, prudentem, & sanctarum Scripturarum memorem: denique vsque adeò Deo charum, vt Macharius affirmauerit, quòd cùm Presbyter Cellinorum esset, abs se numquam acceperit, quæ Sacerdotes initiatis ad mensam sacram dare decet, sed Angelus ei dederit, cuius se manum ad iuncturam vsque tantùm vidisse dixit.* Nicephorus verò, *Ipse quoque*, inquit, *Marcus in Monastica vita priùs versatus multa post se reliquit scripta. Eorum, qui ad nos peruenerunt, libri octo sunt, vniuersalium affectionum numerum æquantes, & alij triginta & duo, in quibus vias totius Ascetica vitæ omnes persequitur. Ad quæ loca secedendum, & quomodo ad voluntatem Dei, gressus dirigendi sint: Quomodo etiam homo Dæmonum tentationes superet, mentemq́ repurget, atque ad vete-* rem

Eccl. hist. lib. 6. cap. 29.

Eccl. hist. lib. 14. cap. 54.

In Vita Leon. Imp.

rem dignitatem progrediatur, & cum Deo, cæleste institutũ sectatus, viuat. At Zonaras, *Marcus,* inquit, *Monachus, qui Tetraodium magni Sabbathi suppleuit, tum præsens: Imperator* (ait) *istud à Dauide prædictum est his verbis: qua hostis tuus in sancto improbè egit, & qui te oderunt, in medio festiuitatis gloriati sunt. Scito igitur, te ab hoc tempore, decem annos regnaturum. Quemadmodum dixit, ita factum est. Nam Leo post decennium ea ipsa die, qua caput ictus fuerat, est mortuus.* Et hæc quidem illi. Habetur autem Grçcè hic liber in Bibliotheca Regia Galliæ, versus autem in Latinum extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum à Bignæo collecta.

Hieronymus in prologo in D. Marci Euãgel.

MARCVS Euangelista (vt inquit Hieronymus) Dei electus, & Petri in baptismate filius, atque in Diuino sermone discipulus, Sacerdotium in Israel agens, secundũ carnem Leuita, conuersus ad fidem Christi, Euangelium in Italia scripsit, ostendens in eo, quid & generi suo deberet, & Christo &c.

At & idem Hieronymus in Catalago Scriptorum Ecclesiasticorum, Marcus, inquit, discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quod cum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit, sicut scribunt Clemens sexto Hypotyposeon libro, & Papias Hierosolymitanus Episcopus.

Eusebi Chronica.
Ireneus lib. 3. cap. 1.
Baron. To. 1. Annal. Eccl.
Driedo de scriptor. Eccl. lib. 1. cap. 4.

Hunc cum auctoritate Eusebij liqueat, anno tertio Claudij, Olympiadis ducentesimæ quintæ tertio, Christi autem Domini quadragesimoquinto, Alexandriæ Euangelium annunciare cçpisse, antea verò Euangelium conscripsisset, hoc anno post scriptam à D. Petro priorem Epistolam, à Marco id fuisse præstitum, intelligendum est, quod & Euthymius, & alij tradunt, cùm post annum decimum à Christo Domino passo, tradāt, Euangelium hoc fuisse scriptum; quidquid secus senserit Irençus; cui etsi omnes in hoc aduersari dicat Baronius Card. Driedo tamen nodũ hunc sic expedit: Nil repugnarę inquiens, Marcũ, quod ex ore Petri, siue vt à Petro audiuerat, scripsisse Euangelium, & hoc ipsum vbi Petrus approbasset, eo demum mortuo, legendum obtulisse.

Eusebius lib. 2. c. 14. histor. Eccles.
Euseb. cap. postremo. 3. hist. Eccl. libri.

Scripsit autem non in Aegypto (quod putauit Chrysostomus) sed Romæ; quod in Synopsi ad Constantem Augustum habet Athanasius, & ante eum Papias, & Clemens Alexandrinus, vt Eusebius scripsit. Quomodo autem Euangelium scripserit, ab Eusebio scriptum est ex Papia, cuius hæc sunt verba. Illud Presbyter mihi dicebat: Marcus, qui fuit interpres Petri, quęcunque tenebat memoria, scripsit quidem accuratè, sed tamen non eo ordine, quo erant à Domino dicta, factave. Neque enim Dominum audierat ille quidem, neque erat eum comitatus, sed postea, vt dixi, comes Petri fuit: qui quidem non Domini sermones, & præcepta, ea narrandi serie, quam Dominus in illis tradendis tenuisset, dicebat: sed eam in prædicando rationem sequebatur, quam ad auditorum animos instituendos opportunam, accommodatamque censuit. Quare in eo neutiquam errauit Marcus, quòd quædam, sicut memoriæ ea ante mandauerat, litteris prodidit, quandoquidem hoc vnum mente, & cogitatione sedulò prospexit, vt nec quicquam eorum, quæ audiuisset, prętermitteret, nec falsi aliquid iisdem omnino interponeret. Ista quidem à Papia narrantur de Marco.

Beda in pem. Comment. in Matth.

Et vnum fuisse è Septuaginta duobus Discipulis, putat Epiphanius, à quo Papias, & Beda dissentiunt, dicentes, Marcum natione Hebræum, fuisse vnum è Sacerdotibus illis, qui Domino credidere post eius Ascensionem, de quibus Lucas ait: *Multa turba Sacerdotum obediebat fidei.*

Interpres autem dictus est Petri, quòd hic loquens alicui genti, vbi externi essent, habebat præter donum ipsum linguarum, etiā Lucam & alios, qui alijs interpretarentur, quod dicebat, vel quòd quæ aliquibus erant captu difficilia, eadem planiùs interpretarentur: vel denique quòd Epistolas, quas populis scribebat, hi varias in linguas vertebant, vt essent communiores.

To. 1. Concil. in Petro.

Scripsit autem Latinè Euangelium, quæ lingua Romanis (vbi Græca incipiebat exolescere) erat conuenientior, sic enim libro de Romanis Pontificibus, qui fertur nomine Damasi, & apud Grçcos, & Syros (vti notat in sua Chronographia Genebrardus, & Grego-

rius

rius Nazianzenus Carmine de quattuor Euangelistis) habetur; quamquam Græcè scripsisse, & Hieronymus, & Augustinus videantur sensisse, cùm præter Matthæum, reliquos Euangelia sua Grecè exarasse dicant. Et verò Sirletus Cardinalis vir eruditissimus Græcas nonnullas voces improprias adnotarat in Græco Marci Euangelio, quæ apparent ex Latino exemplari, siue (vt aiunt) originali, in Grçcum semilatinè esse translata. Atqui ferunt, Venetijs ipsum Marci Euangelium asseruari, quod dum Aquileię demoraretur, scripserit, quò à Petro fuisse imissum ad fundandam eam Ecclesiam aiunt.

Hieron Epist. 124.
August de cōsensu Euangelistarum lib. 1. cap 2.
Petr Episcop. Aquil.in Catal.lib.4.c.96
Act. 12 col 4.
Act. 13.
Rodulphus Armacan lib. 9. de q̄st & Voragin. Sermone de S. Marco.
Alexan. Apud Metaph die 2. Iunij.
Basil. aduers. Eunom. lib 5.
Isid de vita, & obitu SS.

Porrò non esse hunc Marcum eundem illum, quem Ioannem fuisse nomine, cognomento autem Marcum, & Mariæ filium, quique Barnabæ consobrinus, & Paulo adhærens, atque ab hoc semel digressus iterum ad eum redijt, varijs argumentis conatur euincere Baronius Card. in suis Annalibus Ecclesiasticis; qui & errasse inquit Alexandrum quendam, qui de Barnabæ Actis scripsit apud Metaphrasten die vndecima Iunij, dum eum annis tantum nouem Alexandriæ sedisse testatur. Nam ex Eusebij Chronico, ab hoc anno quo Alexandriam profectum esse dicit vsque ad octauum Neronis annum, quo Martyr factus est, vndeuiginti anni interiacent. Quin & Nicephorum Baronius haud probat dicentem, ex Petri sorore Marcum Euangelistam fuisse prognatum, quare, & filium à Petro vocatum.

Neque verò Marcus Euangelista is est, de quo quidam scripsere pollicem sibi præcidisse, ne Episcopus, aut Sacerdos fieret, hoc enim Marco Anachoretæ contigit, nō Euangelistæ. Atqui Sixtus Senensis ex Iacobo Archiepiscopo Genuensi, refert, à Marco Euangelista, præter Euangelium, breui volumine scriptam fuisse Barnabæ Apostoli, & consobrini sui vitam, quam Beda Presbyter è Græco in Latinum vertisse dicatur.

Die 25. Aprilis.
In Lybia & Pentapoli Euangelium prædicauit. Athanas. in Synopsi.

Martyriū porrò Marci percelebre, Romanum Martyrologium his verbis describit. Alexandriæ Natalis B. Marci Euangelistæ. Hic discipulus, & interpres Apostoli Petri, rogatus Romæ à fratribus scripsit Euangelim, quo assumpto perrexit in Aegyptū, primusque Alexandrię Christum annuncians, Ecclesiam constituit, ac postea pro fide Christi centus, funibus vinctus, & per saxa raptatus, grauiter afflictus est, deinde reclusus in carcere, primò Angelica visitatione confortatus, & demum ipso Domino sibi apparente, ad Cęlestia Regna vocatus est, octauo Neronis anno. Hæc eadem Gelasius, cū ait: Marcus Euangelista à Petro Apostolo in Aegyptum directus, Verbum veritatis prædicauit, & gloriosè consummanit martyrium. Sic etiam Nicephorus, Metaphrastes, Procopius, & Surius. Anno autem à Christo nato octingentesimo vigesimo septimo, Martyris huius, & Euangelistę corpus, Alexandria delatum est Venetias à mercatoribus, vbi nunc summa religione seruatur, ędificata in celebriore Vrbis loco æde, Gregorio Quarto Pontifice Maximo.

Gelas in Roman. Conc. in decret. de lib. auctem & apocryph.
Nicephorus hist. lib. 2. cap. 43.
Metaphr. die 25. Aprilis.
Procop. Diaconus in Encomio de codē, qd recitat Lipoman. To. 7. Surius To. 2.

Ceterum partitio totius Euangelij Marci extat in Ederi tabulis à 37. vsque ad 57. Porrò quod addubitatum fuerat quondam de parte Euangelij Marci, sapienter soluit Bellarminus Card. lib. primo, de Verbo Dei, c. 16. col. 57. Vltimum (inquit) caput Marci tempore B. Hieronymi non fuisse ab omnibus receptum, vt Canonicum, patet ex Epist. ad Hedibiam, quæst. 3. Caussa dubitationis erat, propter quædam verba apocrypha, quæ in isto vlt. cap. inserta erant, vt patet ex Hieronymo lib. 2. contra Pelagianos, ante medium. Hæc enim inserta erant verba, quæ satis apertè Manichęismum redolent. *Et illi satisfaciebant, dicentes, seculum istud iniquitatis, & incredulitatis substantia est: qua non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco, iam nunc reuela iustitiam tuam.*

Nunc nobis dubitare non licet; nam imprimis Concil. Trid. Sess. 4. iubet integrum recipi cum omnibus suis partibus, vt in Ecclesia Catholica legi consueuerunt: legitur autem caput hoc in diebus celeberrimis Resurrectionis, & Ascensionis, Et idem exponitur à Beda, & à B. Gregorio homil. 21. & 29. in Euangelia. Athanasius etiam in Synopsi; Euangelij secundum Marcum hoc caput, vt verè Marci agnoscit, & similiter Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 24.

Denique incredibile est Marci Euangelium ita mutilum, & truncum esse, vt nihil de Resurrectione contineat.

Quæ verò alia siue huiusmodi, siue alterius generis, in sex Marci loca, Sixtus Senensis adnotauit, licet intueri in lib. 6. eius Bibliothecæ Sanctæ.

Inter-

Interpretes in D. Marcum Euangelistam.

Agrippa.
Ammonius.
Antonius.
Apollinarius.
Arnobius.
Asterius.
Aurelius Augustinus.
Bruno Archiep. Colon.
Catena Græca.
Conradus. Cęsarius.
Cornelius Iansenius.
Diodorus.
Dominicus Nanus.
Efrem.
Eusebius Cæsariensis.
Euthymius.
Fortunatius.
Gregorius Papa.
Georgius Acderus.
Guido Perpinianus.
Guttierus.
Henricus Arnoldi.
Hieronymus Vida.
Innocentius Papa.
Ioannes Abbas.
Ioannes Arboreus.
Ioannes Balbus.
Ioannes Castellensis.
Ioannes Christophori.
Ioannes Gauuer.
Ioannes Isdinius.
Ioannes Maldonatus.
Iuuencus.
Ludolphus Cartusianus.
Marianus.
Petrus Aliacus.

MARCVS Fuggerus, Baro Kirchbergæ, & Veissenhorni Augustę Vindelicorũ, Duumuir, ex lingua Latina in Germanicam vertit Nicephori historiam Ecclesiasticam, & primũ Tomum Annalium Cæsaris Card. Baronij præter alios quosdam pios libellos. Libri, quos de re equestri scripsit non sunt huius loci. Sed est, quo Diuinę bonitati gratiæ agantur, quod Vir Reipublicæ alijsque rebus grauissimis distentus, his etiam sacris ob publicum bonum operam dederit.

MARCVS è Grandual, Gallus, Canonicus Regularis D. Augustini, scripsit De vnica Magdalena ex sententia Catholicæ Ecclesiæ. Prodijt autẽ Parisijs apud Iodocum Badiũ.

MARCVS Hieromonachus, scripsit Epistolam ad Metropolitem Russiæ. extat Græcè m. s. in Vaticana Bibliotheca.

MARCVS Hieronymus Vida, Cremonensis, Albensis Episcopus, propè Subalpina, cum pleraque Poemata, quæ heroicum spiritum sapiunt scripsisset, edidit præcipuũ quod Christiadem inscripsit. Ea verò cum sæpe fuerint edita; tum omnia simul apud Vincentium Sabium Brixiæ prodierunt ann. 1586. Ea verò sunt, Christiados lib. 6. De arte Poetica lib. 3. De Bombycum cura, & vsu lib. 2. De ludo scachorum lib. 1. Hymni. Odæ, Bucolica, Epistola ad Io. Mattheum Gibertum. Constitutiones item Synodales. Cremonę apud Vincentium Conctam ann. 1562. ac librum De Magistratu, quem mihi dum scriberet, viuens ostendit suo in Albę Episcopatu.

MARCVS Mantua Benauidius, Patauinus, I.C. celebris, qui publicè Patauij professus est legum humanarum expositionẽ, cum plerasque ediderit in varios Titulos Digestorum, & Codicis lucubrationes, scripsit item Dialogum de Concilio. Qui extat in Tomo quartodecimo Tractatuum Auctorum, qui nouissimè Venetijs prodierunt. Centuriam quoque Styli sacri Palatij Apostolici, & Curiæ Romanæ. Et consiliorum duo magna Volumina, & vitas recentiorum Iurisconsultorum. Inter quos cum floruerint, qui vtriusque Iuris peritiam calluerunt, ideò horum Operum hic meminimus. Vixit ætate nostra, nimirum dum nos iuniores Patauij Philosopiæ Operam daremus. Sepultus autem est in ęde Eremitanorum in eadem Ciuitate, in sepulchro insigni, quod sibi viuens condiderat. Sed eo iam demortuo prodijt Patauij ann. 1581. apud Paulum Meietum eius liber, quem inscripsit, ***Aequilibrium Scholasticum***, in Primam, & Secundam Decretalium Partem.

MARCVS Marinus, Brixianus Canonicus, Regularis, Ord. S. Saluatoris, scripsit Commentaria in Psalmos, Grammaticam linguæ Sanctæ, ac Thesaurum linguæ Sanctæ, quem prænotauit *Arca Noe*. Qui Venetijs editus fuit apud Ioannem Degarum ann. 1593. Ar Grammatica prodijt Basileæ apud Frobenium ann. 1586. sed cum ea Ciuitas hæreseos, labe dudum infecta fuerit, cauendum est, nequid illi editioni fuerit inspersum, quod & Ca tholicam Religionem conuellat, & ab Auctoris mente sit alienum.

De Thesauro autem linguæ sanctæ hoc primò dicendum est, ingentis laboris fuisse collectionem illam, quę item perspicacibus ingenijs sit futura perutilis, si sese inter cancellos Orthodoxę, & Catholicæ fidei contineant, neque hinc vergant ad peruersas Rabbinorum

curiosita-

curiositates. perutilis inquam & propter illa quæ complexus est; & quoniã opus iam non est, vt Rabbini illi non sine periculo versentur, quibus idem fuit argumentũ in suis Operibus. Nimirũ Rabbi Iudę Hyug, Rabbi Ionę filio Ganah, Rabbi Salomoni filio Abrahami filij Perahonis, qui de radicib. scripsit, Rabbi Chimchi, Rabbi Moysi Anglico, Rabbi Ioseph Caspi, Rabbi Ioseph, & Rabbi Almelio, qui sæpe refellit Rabbi Kimchi, quemadmodũ, & alij Hebræi faciunt. Et noster igitur Marcus Marinus cum illos legerit, eorumque errores obseruauerit, elicuit è Biblijs Sacris, quę solę in gratiam Christianorum seruatæ sunt Diuinitus incorruptę, bis mille, ac ducentas radices (tot enim duntaxat ferunt esse, è quibus subinde plurimę verborum, & nominum formę deriuantur; additis, vel detractis nonnullis consonantibus, vel certè mutatis punctis vocalibus) quibus radicibus sigillatim per alphabeti seriem omnia deriuatiua subiecit: quæ postea non ibidem, sed alibi ordine item Alphabetico declarauit: quando tyronibus initio non minimus est labor in ipsis radicibus excipiendis.

Veruntamen & aliud ex hoc Thesauro commodum existit: nimirum, quod in primis agit de laudibus linguę sanctę. mox de Trãslationibus, & an Hebręa Bibliã corrupta sint: deinde quot puncta vocalia vnà cum litteris apud Hebræos semper extitisse verò similius sit: demum de Titulo Operis, & vtilitate Lectionis Scripturæ sanctę.

Iam verò cum hunc Auctorem assecuti simus, ei autem addere possimus Sanctis Pagnini Thesaurum, cuius laus est apud peritos, non erit cur Catholici Latinos alios Scriptores, ac pręsertim hæreticos, qui in hoc argumento laborarunt, amplectantur.

Scio autem Hebręorum pũcta linguam illam ita distinguere, vt nisi qui peritissimi sunt, sine illorum adminiculo, non possint scripta Hebraicã euoluere. Et hæc quidem post Christum natum, ac post D. Hieronymi versionem à Rabbinis quibusdam adinuentã esse, constans est inter Hebręos & nostros opinio; quare miratus sum Marinum Brixianum, in pręfatione sui Thesauri asseruisse, hæc puncta fuisse ab initio Scripturæ adiuncta. Ex hac sanè punctorum adiunctione factum est, vt plurimum Hebręa & à B. Hieronymi versione, & à septuaginta translatione discedant. Maldonatus autem noster, acerrimi vir iudicij, inter alios librum Hebraicarum lectionum adornabat, in quo lectionem Hebraicam ita emendabat, vt reiectis illis punctis, & alijs substitutis, ipse ostenderet, contextum Hebraicum, & cum Septuaginta Interpretum editione, & cum vulgata nostra consentire, cuius Operis ipse meminit in c. 13. Matth. ad v. 15. explicans verba Isaiæ, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua* secundum nostrã versionem, cũ 70. habeant, *incrassatum est cor populi eius*, & ea prout apud Matth. nos legimus. Quam quidem diuersitatem ille optimè conciliat, ex eo, quod eadem verba alijs punctis affecta septuaginta legerunt, & D. Hieron. nostræ vulgatæ auctor alijs. similis vel maior diuersitas est in Psal. 109. vbi nos legimus illata 70. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Hebręi autem sic hodie legunt. *Populus tuus voluntarius in die exercitus tui*, vel *conflictus*, super quem Psal. ille doctissimum edidit commentarium: quem citat in c. 22. Matth. quem commentarium ego quidem legi, in quo aliquoties Hebraicam lectionem eo modo, quo dixi emendat, sed scriba linguæ Hebraicæ imperitus, hanc emendationem non est assecutus, vel certè non planè expressit.

MARCVS Marulus, Spalatensis pleraque scripsit, quę cum pietatem sapiant, plerumque typis excusa sunt. Et quidem libros sex, de religiosè viuendi Institutione, per exempla ex veteri, nouoque Testamento collecta, è Patribus, & alijs, qui Sanctorum vitas posteritati mandarunt, in cõmunes locos redacta. Basileæ ann. 1513. apud Adamum Petri, cum ea Venetijs excusa fuissent à Bernardino Vitali ann. 1506. ac deinceps apud Petrũ Quentelium Saliniaci, & apud Ioannem Soterem, Colonię ann. 1540. Antuerpię verò à Ioanne Faulero Bristoliensi recognitos ann. tum 1577. & 1579. tum 1593.

Euangelistarum item sub Fidei, Spei, & Charitatis titulis in septem libros partitũ, primum quidem Venetijs ann. 1516. apud Franciscum Lucensem De consortibus, & idem ipsum Opus vnà cũ quinquaginta Parabolis, quæ Parabolæ itẽ ann. 1529. Colonię apud Maternum Cholinum, & ann. 1556. atque antea ibid. vnà cũ Meginardi lib. de Fide, ann. 1536. & Maruli ipsius Epigrammata. At liber eiusdem De Humilitate, & Gloria Christi, Vene

tijs ann. 1519. apud Bernardinum Vitalem, cum denique Antuerpiæ apud Martinum Nutium, ann. 1601. omnia fermè Opera eius Marci Maruli Spalatensis, nūquam antea simul excusa, emissa sunt distributa in duas partes. Quarum Prior Dictorum, Factorumque memorabilium, siue de bene beateque viuendi Institutione ad normam vitæ Sanctorū vtriusque Testamenti libros sex continet. Posterior vero de Fide, Spe, & Charitate libros septem, & Parabolas quinquaginta. Ac Germanicè Hermannus Baumgarter ciuis Augustanus libros illos sex Dictorum, Factorumque memorabilium ab se versos Dilingæ propè Augustam ann. 1582. euulgauit.

Marcvs Mesnartius, alijs *Manartius* in Senatu Parisiensi Aduocatus, edidit abs se conscriptum librum, quem prænotauit *Pentateuchum Legum Pontificiarum*, siue Decretaliū in epitomen arte, ac ordine reuocatum, seruata quadantenus antiquæ legislationis maiestate, ac phrasi. Vide aute m eius Epistolam Dedicatoriam, in qua rationem affert, cur non posuerit, quę de Summa Trinitate habentur in Decretalibus. Parisijs apud Carolum Guillinum, anno 1555.

Marcvs Mercator, Salinensis, Orationes duas Lugduni ann. 1551. apud Matthiam Bonhomme excudit, Alteram De laudibus Diui Lucæ: Alteram funebrem De Aemylio Ferretto.

Marcvs monachus, sermones decē reliquit, qui Grecè m.ss. extāt in Bibl. Bauarica. Vide in verbo, Marcus Eremita. At de altero Marco monacho, vide in verbo, Marcus Cassinensis monachus.

Marcvs Papa huius nominis primus, Prisci filius, & Romanus, ac S. Syluestri Pont. Max. successor, Constantino Magno Imp. Decreta edidit, quę Coloniæ cum reliquis extāt impressa. At cum S. Athanasij Operibus id, quod pertinebat ad missionem Capitulorum Nicęni Concilij Athanasio, & omnibus Aegyptiorū Episcopis. De Epistola vero ipsi Marco Papæ ascripta, quæ & cū Recognitionibus Clementis Basileę olim prodijt, consule Baron. Card. To. Annal. tertio, pag. 428. & seq. primæ Romanę editionis. Quin pag. 676. refellit quorundam recentiorum historicorum de ea commentum.

Marcvs Petri, cognomēto Succhiellus, Florentinus, Ord. Pręd. Codices duos manu sua scriptos Concionum composuit: qui asseruantur Florentię in Bibl. S. Marci. Alter incipit, *Ductus est in desertum*. Alter *Paradisus Terrestris*. Viuebat ann. 1490.

Marcvs Scarsella libros Italicè emisit duos, quorum alter inscriptus est, *De ipso lumine, ac speculo pœnitentiæ*. Venetijs apud Alexandrum Griffum, ann. 1584. Alter, *Hortus* (Giardino) *Summistarum*. Ibid. apud Io. Baptistam Somascum, ann. 1589.

Marcvs è Summa Ripa (id oppidum est in subalpinis Sabaudo Duci subditis) Ord. Minorum Professor Theologię edidit Quadragesimale, quod prenotatum est, *Bonum Quaternarium Summæ Ripæ*.

Marcvs Velserus Matthęi F. Augustanus, vir Patricius, qui etiam in ea nobili Rep. precipuis muneribus, hodieq; summo Magistratu Duumuiratus fungens, non desistit, quà erutis ex omni antiquitate Auctoribus selectioribus, quà scriptis suis Rempub. litterariā, & ipsam imprimis Ecclesiam Catholicā iuuare, pręter celebres illas Historias, quas de Vindelicis, ac de Boicis, deq; Veterum Impp. itineribus, atque alijs rebus scripsit; quarum nos in Apparatu ad Historias nostro meminimus; edidit etiam veram de S. Vdalrico historiā, & Conuersionem, Passionem SS. martyrum Afræ, Hilardæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutrapiæ, qui ante annos circiter 1300. Augustæ Vindelicorum passę sunt. Quæ Venetijs prodiere ann. 1581. apud Aldum Paulli F.

Marcvs Vigerius, Saonēsis, Lygur, Ord. Min. qui & Sennogalliensis Episc. & S. R. E. Card. à Iulio II. Pont. Max. accitus ad Lateranensis Concilij res tractandas, scripsit Apologiam aduersus Pisanum Conciliabulum, quamuis eā inchoatam reliquerit, credo ita, quoniam illud ipsum illico reprobatum est, ac dissipatum. Decachordum autem, qui apud Hieronymum Soncinum, ann. 1507. excusus est, & Controuersiam de excellentia Instrumentorum Dominicæ Passionis, quam Marcellus Siller typographus Romæ ann. 1512. & Iodocus Badius Parisijs emiserunt, ac De dignitate ferri lanceæ Christi, & vestimentorum

eius labores suos posteris idem ipse Vigerius reliquisset. Obijt Leone X. Pontif. Max. ann. 1516. Kalend. Iunij.

MARCUS Vlyssiponensis, Ord. Min. cum iussu ministri sui Generalis Andreæ Insulanos Hispaniarum, Galliæ item, atque Germaniæ monasteria Ord. sui lustrasset, Chronica verò eiusdem Ord. Hispanicè scripta non adeo rectè disposita comperisset, hæc in tria volumina aptius redegit; quæ deinceps ab Horatio Diola Bononiensi Italicè sunt reddita, & edita. Ipse interim Portuensi Episcopatui præfectus est in Lusitania.

MARCUS Vlmensis, Germanus, Ord. Min. collegit, & emisit Dictionarium in vniuersam D. Scripturam. Incipit, *Abstinentia multipliciter sumitur.* Viuebat ann. 1400.

MARCUS à Vueida, Ord. Præd. edidit explicationem Orationis Dominicæ, ann. 1573.

MARES Episcopus Bithyniæ Chalcedonis, Inuectiuas in Iulianũ scripsit. Vide Suidã.

MARGARINUS Bignæus, Theologus Parisiensis ediderat Parisijs ann. 1577. Bibl. SS. PP. de qua primo libro Selectæ Bibl. nostræ egimus. Sed cum eo absente inemendatior prodijsset, quædam autem fuissent inserta, quæ Romanus Index prohibuit, vti Nicolaum Clamegium, ac quædam alia, vir ille è Polonia rediens, ac de Ecclesia benemeritus, tot Scriptores Ecclesiasticos in eam congessit, vt decem & octo Tomos eiusdem Bibl. secunda Parisiensi editione simus consecuti. Inter quos Opera sunt Fortunati multò auctiora, quàm quæ Venetijs edidit olim Iacobus Saluator in octaua parte solij. quæ quidem meliora, & auctiora manuscriptis codicibus inprimis deberi credo, quos Petrus Pithæus Bignæo (vt audiui) commodarat. Quo tempore item Fronto Ducæus noster, Paschasij librum cum manuscripto, & varias lectiones, correctionesq; eidem Bignæo dederat: qui cum eas inter suas chartas amisisset, solam Præfationem correctam edidit, qua tamẽ profitetur totum librum emendatum fuisse. Quòd dictum velim, vt si quis eidem Paschasio iterum operam nauauerit, sciat se actum non acturum, Reip. autem litterariæ commodaturum. Porrò in eadem hac editione Antonij Melissæ, & Maximi loci communes fuere à Frontone Ducæo recogniti, atque collati, in quibus locis Gesnerus, & Ribittus aliqua minus exactè verterant. Sed tum de his Scriptoribus, tum de reliquis omnibus, quæ fuerunt in Opere hoc nostro attingenda, diximus suis cuiusque locis. Sanè qui Auctores in ea Bignæi Bibl. SS. PP. continentur, sequentes sunt, quos iuxta seriem Alphabetica hic subiecimus.

A

Adelmannus.
Ado Viennensis.
Aeneas Gazæus.
Agnellus.
Albinus, siue Alcuinus.
Altius Auitus.
Aldhelmus.
Alexander Quintus Papa.
Alexius Comenus.
Algerus.
Aluarus.
Amalarius Fortunatus.
S. Ambrosius.
Ammonius Alexandrinus.
Amænus.
Amphilochius.
SS. Anachoretarum Apophtegmata.
Anastasius Nicænus.
Anastasius Sinayta.
Anastasius Antiochenus.
Andreas Hierosolymitanus Archiepisc.
Anonymi Historiæ Francorum Appendix.
Anonymus de Lyrinẽsis monasterij excidio.
Anonymus de Almaritianorum hæresibus.
Anonymus de Scriptis S. Dorothei.
Anonymus de Christi mysterijs.
Anonymus de Christi Domini laudibus.
Anonymus de Bebiani baptismo.
S. Antiochus Abbas.
S. Antonius Magnus.
Antonius Melissa.
Antoninus Episcopus Constantiniensis.
Aponius.
Arator.
Aristeas.
Arnoldus Carnotensis.
Articuli damnati à Parisiensibus.
S. Athanasius Archiepiscopus Alexandr.
Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus.
Athenagoras.
S. Augustinus.
Augustinus Valerius Cardin.
Aurelius Prudentius.

Photius Patriarcha Constantinopol.
S. Pius I. Pont. Max. & martyr.
S. Polycarpus.
Potho.
Proba Falconia.
Prochorus.
Proclus Episcopus Constantinop.

Q

Q. Iulius Hilarion.

R

Radulphus de Riuo.
Raphael Bagata.
Remigius Antisiodorensis.
Robertus de Sorbona.
Rusticus Cardinalis.
Rusticus Helpidius.

S

Salo Viennensis Episcopus.
Saluianus Episcopus.
Samonas Archiepiscopus.
Samuel Marochianus.
Sedulius.
Seuerus Patriarcha Alexandrinus.
Seuerus Rhetor, & Poeta.
Sibyllina Oracula.
Sidonius.
Sigibertus.
Simeon Stilita.
S. Sixtus II. Pont. Max. & mart.
S. Sixtus III. Pont. Maximus.
Sophronius Presbyter Hierosol.
Sophronius Archiep. Hierosol.
Stephanus Heduensis Episcopus.
Stephanus Parisiensis Episcopus.
Sulpitius Seuerus.
Symmachus Pontif. Maximus.
Synesius Cirenęus.

T

Tatianus Alexandrinus.
Tatianus Assyrius.
Tertullianus.
Testamenta duodecim Patriarcharum.
Thalassius monachus.
Theodorus Abucara.
Theodorus Presbyter in Raithu.
Theodorus Studites.
Theodulus.
Theodorus Balsamon.
Theodulphus Aurelianensis Episc.
Theophridus Abbas.
Theophanes.
Theophilus Archiepisc. Alexandrinus.
Theophilus Patriarcha Antiochenus.
Theophylactus.
Theorianus.
Timotheus Episcopus Alexandrinus.
Timotheus Presbyter.
Titus Bostrorum Episcopus.
Turtius Ruffus Asterius.

V

Venantius.
Victor Presbyter Antiochenus.
Victor Episcopus Capuanns.
Victor Episcopus Vtinensis.
Victorinus Pictauiensis Episc. & martyr.
S. Vigilius martyr, & Episc. Tridentinus.
Vincentius Lyrinensis.
Vrbanus Quartus Pont. Maximus.
Vualafridus Strabo.

Z

Zacharias Episcopus Mitylenensis, De creatione vniuersi, contra Philosophos.
S. Zeno Veronensis Episcopus.

At quoniam quæ apud quos eiusdem Bibliothecæ Sanctorum Patrum editio prima extat, libenter eam retinere, sed expurgatam cuperent, ideo hæc, quæ ad eius expurgationem Hispani Theologi emiserunt, hic ita adijcio, vt si quid aliud expurgandum sit, id etiam ab ijs, quibus hoc per Sanctam Apostolicam Sedem licet, peti possit. Porrò hæc illa sunt.

Ex Tomo Primo.

In libro B. Gregorij Neocæsariensis in Ecclesiasten c. 9. col. 88. deleatur gloss. marg. quæ ait: Sed verè sentiunt qui sublatas volunt preces pro defunctis.

Ex libris Antonij Abbatis, qui inscribuntur Melissa, siue sermones, & ementito titulo adscribuntur Antonio Magno, Sermone 1. col. 116. circa fin. in illis verbis: Eam verò solummodo naturam, quæ creata est, colere & venerari didicimus, *deleatur dictio,* solummodo.

Serm. 2. col. 119. deleantur illa verba: Præsertim cum nulla sit regeneratio, vel reformatio, neque aliqua antiquæ conditionis restitutio.

Serm.

Serm.3.col.121. deleatur totus versic. Deus non omnium. *vsque ad,* coniuncti sunt.
Serm.5.col.123.deleatur: Illi nimirum, qui nulla incurabilia patrauissent facinora.
Serm.16.col.136. deleatur ab illis verbis: Et pollicere innouationem vitæ, *vsque ad,* Deus requisiturus sit.
Serm.17.col.139. deleatur: Sic ille, qui secum, *vsque ad,* indubie perueniet.
Ead.col.in fine, deleatur ab illis verbis: Vera pœnitentia est, *vsque ad,* se morte dignum iudicauerit.
Col.140, in illis verbis: Pœnitentiæ opus in tribus hisce virtutibus absolui iudico. *deleatur verbum,* absolui, *& ponatur,* adquiri.
Serm.19. col.141. deleatur totus versic. Qui intricati peccatis, *vsque ad,* ipsorum memoriam excitantes.
Serm.26.col.149.deleatur ab illis verbis, Deus non omniũ Deus est, *vsque ad,* conciliauetit.
Serm.26.col.151. deleatur: Et peccatori ne succurras.
Serm.30.col.157.ibi. Et iurem per nomen Dei mei, *legatur:* Et periurem nomẽ Dei mei.
Serm.39.col.171.deleatur: Ingurgitationis occasio.
Serm.50.col.180.deleatur: Quantum Deus ab hominibus.
Serm.55.ad fin.col.185.versic. Vnumquemque. *deleatur:* Non colitur ab homine malo.
Serm.58.col.188.in principio, deleatur versi. Qui exeundi tẽpore, *vsque ad,* patrona, adiutrix.
Lib.2.Serm.1.col.204.in illis verbis. Est autem in Dei manu non quiuis, sed, *deleatur,* non quiuis, sed.
Col.207.versic. Rex meminisse. *in illis verbis:* Potestatem cum Deo parem accepisse, *legatur,* Potestatem à Deo accepisse.
Col.208. deleantur illa verba: Non enim habet in terris se quidquam excelsius.
Serm.3.col.209.deleantur illa verba: Prudentia, & vita, & pietas sacerdotem efficit.
Serm.45.col.252.deleantur illa verba: Vt sui causa quis sollicitus sit, & opus faciat, interdictum est omnino.
Serm.53.col.257.in illis verbis: Non enim vbi ira fuerit. *legatur,* vbi ira furit.
Serm.64.col.266.deleatur versic.vltimus, Frustra iurantem, *&c. vsque in finem Sermonis.*
Serm.72.col.273. deleantur illa verba: Non potest animus iniquus iustificari.
Serm.77.in fine, col.282.deleatur vlt.versic. incipiens: Difficile est, vel potius &c.
Serm.93.in fi. col.295. deleatur ab illis verbis, Intelligere debemus, *vsque ad,* in regnum cœlorum ingredi.

Ex Tomo Secundo.

In tractatu de transitu sanctæ Mariæ, qui falsò adscribitur B. Melitoni, cap.6. deleantur illa verba: In solatium ferendum angustijs, quæ superuenturæ sunt mihi. *Deleatur etiam à cap 8. vsque in finem tractatus.*

In Tomo Tertio.

Ex lib.2.Hermetis, col.16. post principium, deleatur: Rectè audisti. *Et paulo post:* Qui enim crediderunt, aut crediturі sunt, pœnitentiam peccatorum non habent, sed remissionem.
Ad medium eiusdem columnæ, deleatur ab illis verbis: Et ideo dico tibi, quòd post vocationem illam, *vsque ad,* viuet Deo.
In lib.S.Marci Eremitæ deleatur ex gloss. marginali col.93. Quidquid dicat auctor. *& statim deleatur:* Quidquid hic, & alibi dicat auctor.
In lib.Beati Dorothei cap.9. deleatur ex margine col.202. in initio glo. qua ait; Mendacium licitum, *& scribatur,* Numquam licet mentiri.

In Tomo Quarto.

Col.103. expungatur liber, cui titulus est: Extremum lugentium officium, ex libro precationum Hebraicarum, qui inscribitur Mahzir sanctæ Synagogæ Romanæ, *cuius initium est:* Benedictus Dominus Deus noster Rex sæculi. *& finit,* Et post eum semen ipsius.

Ex

Ex Tomo Quinto.

Ex libro Nicolai Cabasila, qui inscribitur, Compendiosa interpretatio in diuinum Sacrificium. *deleantur cap. 29. & 30.*

In libro Vualafridi Strabonis de rebus Ecclesiast. cap. 21. scribatur in marg. Loquitur iuxta consuetudinem sui temporis.

Item deleatur Marci Archiepiscopi Ephesini tractatus col. 661. Quòd non solum à voce Dominicorum verborum sanctificantur diuina dona, verum à consequenti oratione, & benedictione, *&c. cuius initium est:* Nos, qui à sacris Apostolis, & eorum successoribus.

In Tomo Sexto.

Col. 125. ad medium, deleatur glos. marg. qua ait: Qui mandata non seruat, nō rectè credit.

In quaestionibus Anastasij, quaest. 87. col. 230. deleatur glos. marginalis, qua ait: Latro ingressus est paradisum sententia, non experientia, *& scribatur in eadem margine:* Haec intelligenda sunt de gloria corporis, quam adhuc beatorum animae expectant.

Col. 240. deleatur glos. qua ait: Sola Trinitas est propriè incorporea. *Et alia quae ait:* Angeli non sunt omnino incorporei.

Col. 241. ante medium, deleantur illa verba: Mali ergo viri precatio, *&c. vsque ad,* est diaboli inuocatio.

Col. 243. deleatur gloss. marg. qua ait: Mentem immundam non iuuat spiritualis oratio.

Col. 246. deleatur glo. marg. qua incipit: Oratio sanctorum, &c.

In Tomo Octauo.

Ex opusculis Nicolai de Clamengijs, col. 582. deleatur, Disputatio prima eiusdem Nicolai, habita per scriptum super materiam Concilij, &c. *cuius initium est:* Ob eam rem dixi, *vsque in finem, ibi,* Catholicaeque sinceritati. Vale, apud Fontem.

Item in Collatione super eadem materia ad eundem Scholasticum, col. 588. ante medium, deleatur ab illis verbis; Per te igitur (nisi molestum est) informari cupio, *vsque in fin. eiusdem collationis ad principium col. 599.* Aut ad lineam rectitudinis lima exactiori emendare.

Deleatur etiam eiusdem Nicolai libellus qui inscribitur; De praesulibus simoniacis. *cuius initiū est:* Multa mihi in praesulibus nostris.

Non est hic ille Nicolaus Clemangis, cuius omnia opera prohibentur in Catalogo.

In quibusdam alijs huius Bibliotheca Sancta Opusculis reperiuntur nonnulla, qua quo tempore scripta fuerunt, nondum erant ab Ecclesia declarata: ea vbi lector repererit, cautè legat.

Porrò Index Romanus à Clemente VIII. Pont. Max. emissus habet. Opera Nicolai Clemengis illa tantummodo permitti posse, quae iuxta Censuras Patrum Deputatorum emendata excudentur. Et quidem aliqui hunc Nicolaum Clemengis videntur alium facere, quàm Nicolaum de Clamengijs.

MARIA Virgo Beatissima Domini Mater scripsisse fertur, breuissimam Epistolā Ignatio Martyri Antiochiae Episcopo, qui ad eā scripserat, vt illā visere posset. Extat vtriusque Epistolae exemplum apud Michaelem presbyterum Cortonensem in lib. de Viris illustribus. Meminit porrò Ignatij Epistolae, ad ipsam D. Bernardus in Psalmū nonagesimum, Sermone septimo. Quin & Sixtus Senensis vtriusque Epistolae exemplum inseruit in secundo libro suae Bibl. Sanctę in verbo Maria. Extat autem in Euangelio dulcissimus ille hymnus, quem ipsa corā Elisabeth decantauit *Magnificat Anima mea Dominum,* ad quem Hymnum plurimi scripsere Paraphrases, siue Commentarios, & alia.

Librum autem de transitu S. Mariae Virginis, praeterquam quod Gelasius inter Apocrypha scripta reiecit, sicuti fecit de altero, inscripto De Ortu Mariae, qui falsò tribuebatur ab haereticis Matthęo Apostolo. Hieronymus item, siue potius Hieronymi comes Sophronius in sermone De Assumptione Virginis, reprobat vt apocryphum: quod & Augustinus Serm. 35. de Sanctis fecit. Tritemius verò, licet in catalogo numeret hunc librum inter Opera Melitonis Sardensis Episcopi, cuius initium est. *Melito Christi seruus*; Hieronymus

nymus tamen inter Melitonis scripta non posuit. Improbauit verò hunc librum sub nomine Melitonis editum ipse quoque Beda in Retractationibus exponens illud Act. 8. *Omnes dispersi erant per regiones Iudea, & Samaria.*

Ceterum quę item dicuntur de vita & morte ipsius è Nicephoro, è Damasceno de dormitione eius, ex Athanasio de Assumptione, vbi itē agitur de Apostolis ad mortem illius conuolantibus, ex Dionysio de Diuinis nominibus, è Hieronymo de transitu Mariæ, & de plerisque eiusmodi, ea probat Baronius Cardinalis esse aut commenta, aut apocrypha mera, neque verò Athanasij, neque Hieronymi vnquam illa scripta fuisse. Annal. To. 1. Sub anno Domini 42.

Quinam scripsere De beatissima Virgine Deipara Maria, siue celebrarunt, aut celebrant.

Primò Prophetæ, quique reliquum Vetus Testamentum condiderunt. Tot enim vel figuris, vel dictis, vel factis ab initio vsque Mundi prænunciata est, vt post tres Diuinas Personas, ac Dominum Iesum Dei Filium, & hominem, Angeli, ac veteres illi Patres eo dem Dei spiritu acti collinearent ad ipsam Virginē Sanctissimam optandā, & prædicandā.

Deinde adueniente Christo Domino Angelus adhuc clarius, & Euangelistę, atque Apostoli, ac Discipuli omnes Domini, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes omnium Christianorum, vtriusque sexus linguæ.

Præterea, quicunque vtrunque Testamentū sunt interpretati, ac Theologi quique præstātissimi Scholastici, & reliqui innumeri linguis innumeris, Scriptis, Imaginibus, Statuis, Sacris Aedibus, Diebus Festis, Litanijs, Historijs, & Tabellis miraculorum passim appensis, & adeo Deus ipse tot per eam continentur miracula edens in Vniuerso Orbe Terrarū, nouissimè autem in nouo Orbe, atque Indijs, vt noui semper honores Ancillę Domini, qui eius humilitatem respexit, deferantur.

Ecclesia ipsa omnis, quæ sub Cælo passim propagata est, ac propagatur identidem, dū item die noctęque Officium ipsius Beatissimę Virginis decantat, eius Gesta recolit, è suggestis prædicat, Ieiunijs, tum indictis, tum sponte susceptis, atque alijs mortificationibus, Rosarijs, & precationibus, atque hymnis demereri conatur.

Synodi omnes, ac præsertim Ephesina.

Campanæ è turribus ter in die, sæpe in anno. Organa, ceteraque musica instrumenta, varia cum ipsis Cantoribus, qui concentus varios conquirunt sine intermissione ad eam inuocandam, & collaudandam.

Virginum septa, siue Sanctimonialium Monasteria, vbi sese vsque ad mortem ipsę addicunt, vt secularibus curis solutæ eius Deiparæ Virginis laudibus liberius vacent.

Sodalitates & Virorum, & Mulierum, & aliarum Virginum, atque adeo Scholasticorum. Quorum leges, & statuta, siue in Congregationibus Rosarij (apud Dominicanos potissimum, Carmelitas, & Seruitas) siue item in Collegijs Societatis nostræ à Sede Apostolica fuere approbata, & Indulgentijs, Gratijsque aucta, quæ quidem cum sępe alibi, tum in Belgio Duaci, apud Ioannem Bogardum prodierunt ann. 1590.

Argentum, aurum, gemmę, marmora, flores, colores, quibus ipsius Virginis pietas, humilitas, virginitas, & ceteræ dotes exprimuntur, atque exornantur. Et quidem Romę (vt taceam quinquaginta nouem alias Aedes Sacras ipsi vni Deiparæ in vna ipsa Vrbe dicatas) Basilicam S. Mariæ maioris diuersis historijs, sacrisque decoratam fuisse imaginibus à Xysto III. Pont. Max. Cęlestini successore testatur Hadrianus in Libro De Imaginibus ad Carolum Magnum. cap. 19. Eas verò Imagines Xysti non alias fuisse, quàm quæ hodie visuntur musiuo opere in fenestrarum interstitijs docet Onuphrius, Panuinius, in libro de septem Ecclesijs, ex duplici eiusdem Xysti inscriptione, quæ etiamnū superest in arcu maiore his verbis *Xystus Episcopus Plebi Dei.* Et supra portā, *Virgo Maria tibi Xystus nouat. &c.*

Omnes denique Generationes, vt perenni preconio celebretur id, quod eadem Virgo Beatissima prophetauit concinens hymnum, *Magnificat anima mea Dominum,* dum diceret. *Ecce enim Beatam me dicent omnes Generationes.*

Denique

Denique in Terris omnes hæretici,& turpes homines,sub Terris autem Satanas, & Infernus quantus est cum horreant, & paueant nomen tantæ Virginis, sanè velint, nolint, eius potentiam & virtutes indicant, & prædicant.

Legat cui cordi est suam cum tot sanctis vocibus, vocẽ iungere,quæ Bustus in suo Mariali, Petrus Canisius in suo Mariano, Franciscus Costerus in suis Meditationibus de Beatissima Virgine, Capoleo Guelfucius in extrema parte librorum sui Rosarij de tanta Virgine, præter alios plurimos scripserunt. Eidem ergo Virgini Beatissimę,laus in æternum.

MARIA Aegyptiaca. Vide in verbo, Paulus Diaconus.

MARIANVS Florentinus, Ord. Minorum,Chronicon sui Ordinis,etsi (vt inquit Michael Poccianitius, qui eius meminit in Catalogo Scriptorum Florentinorum) succinctè, fideliter tamen descripsit. Id manuscriptum Florentiæ extat,apud S.Saluatorẽ, quę olim erat Domus dicta omnium Sanctorum. Quin & plures sermones edidit, & vitas centum quinquaginta nouem mulierum secundi Ordinis collegit,quæ in eadem Ciuitate asseruantur in Bibl. S. Crucis.

MARIANVS Romanus, qui fuit Archiepiscopus Rauẽnas, dicendus est, *Marinianus*. Vide in verbo, Marinianus.

MARIANVS natione Romanus, patria Zinizanensis, Ord. D. Augustini, Theologus, scripsit Sermones varios. Orationum librum. Epistolarum alterum. Viuebat ann. 1560.

MARIANVS Scotus, monachus primũ S. Martini maioris Coloniæ,deinde Fuldẽsis, Cõgregationis Cluniacensis,scripsit libros tres Chronicorũ,qui cum aliquoties alibi prodijssent, exierunt denuo in lucem ann. 1583. Francofurti ad Męnũ. De Concordia item Euangelistarum librum. De Computo alterum. Emendationes Dionysij. Annotationes Scripturarum. De Cyclo Paschali. Algorithmum. Breuiarium in Lucam. Epistolas hortatorias. Obijt Moguntiæ ann. 1086. De hoc autem Mariano, cum Sigebertus in Catalogo scribat ab eo Chronicon à Christo nato conscriptum fuisse vsque ad annum millesimum octogesimum secundum, ita vt Chronographorum aliorum errores notauerit, ponentium Domini nostri Natiuitatem cum tempore eius Passionis, quod veritati Euangelicæ non respondeat,eum à mira subtilitate cõmendat. Veruntamen Baronius Cardinalis Tomo Annalium Decimo,sub annum 891. inquit hęc verba: *Marianus Scotus post Marinum Papam Agapetum eius successorem somniat; & post Hadrianum Basilium nunquam visum, vel auditum collocat, & post Basilium ponit Stephanum. Quin & idem ipse Sigebertus eodem errore de Agapeto, & Basilio imaginarijs Pontificibus abducitur.*

MARIANVS Victorius, Reatinus,& Patriæ suæ deinceps Episcopus,ac demum Amerinus,Opera D.Hieronymi Stridonensis accuratissimè ab se recognita,& pereruditis Scholijs illustrata emisit Romæ ann. 1578. Pio Quarto Pont.Max.dicata, sub quo floruit. Edidit item librum De antiquis Pœnitentijs. Vide in verbo Hieronymus Stridonensis, vbi de illo planius, & in verbo, Historia.

MARIANVS Socinus, Senensis,senior (nã de altero Iuniore eiusdem F. filio mox dicemus) cum pleraque Vir Iurisconsultissimus ad leges spectantia conscripsisset, nempe Fallentias, Repertorium nouum, Consiliorum quattuor Volumina, in 2. Inforciati de legatis 1.l.sciendum super 1.ff. Vet. scripsit item Lecturã ad Decreta. De iuramento calumniæ. De foro cõpet. in 2. Decret. super Rub.& necler. vel mon. c. sententia Maria in 5. de accusatione. Vide Aeneam Syluium ad finem capitis 55. Descriptionis Europę. Quin & eiusdem Mariani Socini nomine Repetitiones multorum Capitulorum varia doctrina refertas in vnum Volumen redacta. Quæ verò scripsit in vniuersum Iuris Canonici corpus, nescio an prodierit adhuc in lucem. Atqui complura emisit Consilia, quæ cum Bartholomæi eius Filij consilijs in primo Volumine extãt. Eiusdem autem in aliquot singulares, quique frequenter in praxim incurrunt, Titulos Decretalium Commentarij, cum Bartholomæi eius Filij Additionibus dati sunt foras ann. 1583. Francofurti apud Męnum. Ceterum Mariani eiusdem, & Bartholomęi filij Volumina quattuor Francisci Pepij Appendicibus, & Annotationibus aucta, emissa fuerant Venetijs ann. 1572.

MARIANVS Socinus, Senensis, superioris Mariani ex fratre nepos, Bartholomæi, autem

autem Filius, qui Bononiæ Senis, Pisis, Patauij, deinde tandẽ iterũ Bononiæ leges publicè, ac quidem honorificentissimè accersitus, cõplures annos est interpretatus, cũ & ipse varia emisisset ad 1. & 2. Infort. Ad 1. & 2. ff. no. satis copiosè per modum Repetitionis. Rub. ff. solu. matr. Rubr. l. 2. & l. cũ filio, de legat. & Para. Cato, & l. stipulatus, ff. de verbor. oblig. edidit duo magna Consiliorũ Volumina Venetijs. Eius autẽ Cõmentarij in quattuor Lecturas Vespertinas in celebrioribus Italiæ Academijs prælecti, prodiere Venetijs ann. 1566.

MARINIANVS Romanus, monachus S. Andreæ Romæ, communi totius populi Rauennatis cõsensu, tergiuersans, ac renitens Archiepiscopus creatus, anno Christi 595. præfuit annis 11. & mens. 1. Vir fuit pius, & doctus, vt testantur nonnullæ eius Epistolæ ad S. Gregorium scriptæ, & S. Gregorij ad ipsum. Obijt Rauennæ ann. 606. die 10. Kal. Nouembris, & extra muros Classis in Diui Apollinaris porticu sepultus est. At vocatur autem hic à Trit. de Viris ill. Ord. S. Benedicti lib. 4. c. 88. Marianus. *Marinianum* tamen legendum esse docent Hieronymus Rubeus lib. 4. hist. Rauen. & S. Gregorius Papa in Registro, cuius ad eum extant Epistolæ: Arbitratur autem Arnoldus Vuion hunc Marinianum eundem esse cum eo, ad quem scribit idem D. Gregorius lib. 2. Indict. 11. Epist. 27. cuius titulus est, *Mariniano Abbati de Panormo*.

MARINVS Baldus, Venetus, Ord. Seru. Italicè librum edidit, quem prænotauit *Confessionale*. Exercitium item Seruorum S. Mariæ. Summam quoque Casuum Conscientiæ.

MARINVS Barletius Scodrensis, Sacerdos, accuratè, atque elegãter libros tredecim scripsit De Vita, moribus, ac rebus gestis, (præcipuè aduersus Turcas) Georgij Castriotæ, Principis Epirotarum, qui ob egregia prælia, quæ pro Christianis inuictus gessit aduersus Turcas, Scanderbergus, hoc est *Alexander Dominus* siue *magnus* est dictus. Scripsit item De expugnatione Scodræ Vrbis. De hoc autem Scriptore egimus in Apparatu ad Historias. Quidque hæretici in Præfatione ad eiusmodi Auctores, quos in hæreticis ciuitatibus cudunt, adiecerint, diximus ibidem, vt lectores anguem in herba latentem præcaueant.

MARINVS Brixiensis. Vide supra in verbo. Marcus Marinus Brixiensis.

MARINVS, è Carantanico, scripsit Glossas ad Constitutiones Regni Siciliæ, & ad Ritus magnæ Curiæ. At cum in his non sint pauca, quæ quadantenus spectant ad ius Ecclesiasticum, expedit vt noscantur ab ipsis Ecclesiasticis ad rectè discernendas caussas; ideo enim Scriptoris huius hic meminimus.

MARINVS Maurus, Venetus, Ord. Minorum, Theologus, Cornelio Musso (de quo supra suo loco) percharus, eius scripta, quarum pars in lucem haud prodierat, tum Latinè, tum Italicè proferens emisit Venetijs. collegit item ipse Summam haud spernendam in D. Thomam Aquinatem.

MARINVS Moguntiæ, ad Rhenum Archiepiscopus, Vir Sanctus, editis libris errores Arianorum confutauit. Viuebat ann. 399. Eisingren.

MARINVS Sanutus, Patricius Venetus, de cuius scriptis Aldus egit in Præfatione ad Opera Angeli Politiani, scripsit Vitas Principum Venetorum, inter quos quoniam extãt, qui pietatem maximè coluerunt, ac pro Republ. Christiana præclarè sese gesserunt, ideo hic alijs adnumeratur; præterquàm quòd librum de Venetis Magistratibus, & alios de Bello Gallico Latinè, atque Italicè scripsit.

MARIVS Acquicolus, siue *Aequicola*, Alscellanus, Italus, Vir nobilis, scripsit pro Baptista Mantuano, Carmelita, notæ Sanctitatis, & Doctrinæ homine, librũ, quem inscripsit, *Defensorium aduersus Sycophantas*. Alterum De opportunitate. Quem item credo esse eum, qui à Baptista Mantuano excusatur in Syluis, dum qui iunior quædam amatoria scripsisset, sanctiora senex scriberet.

MARIVS Aequiuolus, monachus Oliuetanus, qui nostra hac vixit ætate, scripserat libellum, vnde antiquorum Latina, & Catholica Religio incrementum sumpserint. Qui denique cum Epistola Anselmi Stochlij equitis, à quo è tenebris erutus, & recognitus est, prodijt in lucem Monachij, in Bauaria ann. 1584. Orationem item De laudibus triũ Philosophiæ facultatum, ac legum Pontificiarum, atque Cæsarearum, cum Parænesi ad legum studiosos, quæ ibidem est edita ann. 1585.

MA-

MARIVS Galeota, Monasteratij Princeps, vertisse aliquot D. Gregorij Nazianzeni Orationes scribitur.

MARIVS Georgius, Venetus, Ord. Seruorum, Philosophus, atque Theologus scripsit duos libros De libertate Ecclesiastica contra Simoniacos. Vitam verò Philippi Bencij Florentini heroico carmine. Viuebat ann. 1381. Franc. Sansouinus.

MARIVS Niger, Venetus, Episcopus Chersi, & Osseri, scripsit Tractatus aliquot ad Constitutiones Synodales, ann. 1477. Franc. Sansouinus.

MARIVS Salomonius Albertischus, eques Romanus, I. C. Baptistę Caccialupi Auditor, libros De Principatu ad Leonem Pont. Maximum scripsit, præter illa quæ ad varios Titulos legum, & Commentaria de probationibus, & Tractatum De bono, & æquo. Alterum De voluntario, atque inuoluntario scripsit. Vide Ioannem Fichardum in eius vita hæc, & alia de eo commemorantem.

MARIVS Victorinus, quem alij *Caium Marium Victorinum*, alij *Marcum Fabium Victorinum* nominant, Afer, vir Consularis, & Rhetor, atque D. Hieronymi Præceptor, de cuius ad Christi fidem plausibili conuersione plura S. habet Augustinus in lib. 8. Confessionum, cap. 2. scripsit senex libros duos contra Arianos; vnum de Sancta Trinitate. Alterum De Homousio recipiendo: Hymnos de Trinitate: Quattuor aduersus Candidi Ariani Confutatorium De generatione diuina, Carmen de Machabæis, Cõmentaria in Epistolas Pauli, præter Versionem Isagoges Porphyrij abs se factam, & cum Boetij Commentarijs iunctam, & eius Commentarios in Ciceronis Rhetoricam veterem, siue De inuentione, & alios (scilicet mutilos) in Poeticam. Porrò etsi alibi, quæ ipse scripsit ad fidẽ Catholicam tutandam, excusa fuerant, tamen, in Tomo quarto Bibliothecę Sanctorum Patrum à Margarino Bigneo collectę, extant libri quattuor aduersus Candidi Ariani Confutatorium, & Hymni De Trinitate, ac de Homousio, & Carmen De Machabæis, in quo carmine scribit Matrem Machabæorum non perijsse carnificum manibus, sed post necem postremi, ac iunioris filij exanimatam præ gaudio, quod conceperat, ob septem adeptos de morte filiorum triumphos. At, Iosephus in lib. de Machabęis ad Polybium Megalopolitanum acerbissimis tormentis ab Antiocho interfici iussam, gloriosissimè interijsse scribit. Quàm sententiam (inquit Sixtus Senensis) omnes Christiani Patres, obuijs (vt dicitur) vlnis excipiunt. Annot. vltima Quinti libri Bibliothecæ Sanctę. Vide in verbo Victorinus Rhetor.

MARONITAE populi in Oriente, quoniam, & libris, & Alumnorum inde educatione, & nostrorum ad eos transmissione adiuti sunt, res verò tanti momenti inchoata, expedit, vt ad perfectum adducatur, idcirco posteris hic relinquendum putauimus, quod cognitum possit huic toti negocio in Domino commodare.

Maronitæ igitur, qui ita à Marone quodam homine (vt existimant) sancto dicti sunt, Libani Montis in Syria incolę sub eorum Patriarchę pietatem, ac fidem erga Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam, vni ex omnibus Orientis populis sat integram retinuerunt. Eorum Patriarcha, qui dicitur Maronitarum, quique appetit Antiochenus vocari, cùm apud sese extet eius nominis monumentum in antiquis Scriptis aliquod, monachus est, (& monachi enim fiunt, (nisi & antea sint) quicunque ad Episcopatus euehũtur) & octo, nouemve sub se suffraganeos habet Episcopos. In mõte Libano, qui valde protenditur, ac cuius ambitus est septingentorum millium passuum, Patriarchæ est Sedes in Monasterio, seu Cęnobio, in quo paullo plus viginti monachi degunt, quique monachi dicuntur S. Antonij. Abest id cœnobium Tripoli Syrię, (vbi mercatores agunt Turcæ, Iudæi, alij, & paucissimi Christiani, qui sacellum habent domi) viginti quinque passuum millibus. Porrò cum in Monte Libano ciuitas nulla, pagi tantum, & hi frequentes, neque exigui sint, omnes catholici sub vnius Patriarchę spirituali ditione viuunt. Duos Principes, siue Præfectos habent, qui Diaconi (licet Laici) ab ijs vocantur, quique iuri dicundo ijs præsunt, quique Christiani, & pij sunt. Tributa pendunt Turcis plusquam ferre possint. Singuli verò vbi ętatem duodecim annorum excesserint, singulis annis 17. aureos nummos, è solo autem, siue agris, pro singulo spatio, quod sexdecim Spithamas complectitur,

tur, aureum quotannis Turcis Quæstionibus pendunt. Quod tributum nisi certo die persoluunt, agri ijs demuntur, aut iacturam ingentem bonorum patiuntur. Cumque eam ob caussam Turcæ inimici fuissent; incolas sese missuros Turcas, qui partem illam agrorum, quæ vacua maneret, excolerent, duobus millibus alijs aureis in singulos annos pacti sunt Maronitæ, sese vexationem illam, siue Turcarum commercium redempturos, sic integri ab omni Turcarum consuetudine viuunt. Et verò Maronitæ non solum in Montis Libani tractu, verum etiam Damasci, Aleppi, & in aliqua Cypri parte sic vitam agunt, vt Patriarchæ suo obediant, ritum, qui apud eos est, catholicum simplici ductu, & singulari propensione sequantur: excommunicationem, quo vno spirituali gladio Patriarcha sępè vti cogitur, vt homines vel à peccatis arceat, vel in officio contineat, magnopere verentur, ac metuunt.

Cęterum apud Patriarcham diligenter asseruantur Diplomata Pontificia Romanæ Sedis, iam inde vsque ab Innocentio Tertio, ac deinceps à reliquis Pontificibus, qui ad eos vel Legatum aliquando Cardinalem S. Marcelli, vel alios miserunt. cumque in litteris Pōtificijs olim admoniti fuissent Maronitæ, vnà cum Gręcis, ne aliquos errores tenerent, sed abijcerent, factum est, vt à quibusdam, qui eò ex Vrbe commigrauerant, existimaretur ijsdem Maronitas erroribus teneri, quibus plerique Græci, implicarentur, nimirum processionis Spiritus Sancti à Patre dumtaxat, negationis Purgatorij, & aliorum eiusmodi dogmatum. At Maronitæ ingenuè non solum testati sunt ab ijs erroribus sese esse alienissimos, verum etiam plura in suis libris, ac liturgijs demonstrarunt, quibus & Catholica dogmata constanter tuentur, & re ipsa in anniuersarijs, ceterisque Defunctorum officijs crebri sunt.

Quin etiam cum astu Iacobitarum, apud quos non paucæ sunt hæreses, varij libri disseminati fuissent inter Maronitas, accidit vt qui eos repperit, dum ex Vrbe missus est, putaret Maronitarum esse errores, qui reuera sunt Iacobitarum. Quamobrem conquesti, sese purgarunt, & nouissimè professi sunt omnem fidem, atque obedientiam Clementi VIII. Pontif. Max. qui ad eos allegauit duos Sacerdotes è nostris, quorum primus fuit Hieronymus Dandinus Theologus doctus, & perspicax, qui etiam generalem Confessionem per Interpretem excepit vnius ex illis 2. Diaconis, cui & Eucharistiam sub vna specie porrexit, cum sub duabus soleant communicare.

Huius autem missionis à Pont. Max. ad Montem Libanum, ea fuit caussa, vt oculis ipsis cerneretur, num qui sumptus in Vrbe alendo Seminario Maronitarum fierent, bene ponerentur: quæve spes aut restituendæ, aut propagandæ religionis Christianæ in eo esset tractu.

Missus à Pontifice per eundem Dandinum ad Patriarcham apparatus integer holosericus aureus ad Sacrum Patriarchali cerimonia & indumentis faciendum: Missæ item variæ cistæ librorum Chaldæa lingua cusorum in Vrbe, quibus eę Liturgiæ, quas habent Sancti Iacobi, Sancti Petri, & Sancti Sixti Pontificis Maximi, recitari possent, cum in eo tractu nulli essent libri, nisi manuscripti, & hi vel lacëri, vel erroribus forte aspersi: missa item quæ dicuntur, Officia, eadem lingua, ad Deum; ac Beatissimam Virginem orandam. Nam Chaldæa tantum lingua sic in sacris vtuntur, quemadmodum nostri Sacerdotes Latina: Ijque habentur inter eos docti, qui Chaldaicam linguam callent, licet alijs disciplinis exculti non sint, præter eos Alumnos Sedis Pontificiæ, qui ex Vrbe eò missi sunt, quorum alter iam huius Patriarchę coadiutor est creatus, & factus Episcopus, uti & alter alterius Episcopatus. Communis porrò eorum lingua est Arabica. homines robusti, & magno animo, & qui non minimi momenti futuri sperantur ad rem Christianam bene gerendam.

Abusus autem potius quidam, quam errores in dogmatibus irrepsere apud Sacerdotes illos Montis Libani, qui vt efficacius, atque suauius amouerentur, rogauit Patriarcha, vt id mandato Summi Pontificis fieret: Hoc enim nomen summo apud eos est in honore, vt facile omnes essent obtemperaturi.

Et verò argentei calices à Pontifice Maximo, & instrumenta ferrea ad conficiendas ho-

 stias,

stias,& vestes aliæ sacræ pro alijs Sacerdotibus missę sunt,ac per eundem P. Dandinum illatæ, quæ omnia gratissima fuerunt.

Commoratus est duobus mensibus in monasterio Patriarchæ ipse noster cum Socio Sacerdote; quo tempore cum Senex Patriarcha,qui iam professionem fidei, & obedientiam Summo Pontifici ediderat, diem obijsset, alter per Synodum, vt solent, suffectus est, qui eandem fidei professionem,& obedientiam præstitit. Nostris autem officium quod poterant humanitatis exhibuere Patriarchę, & monachi, licet hi viuant paricè, vixque obsonijs vtantur alijs, pręter Oryzam, iuscula, herbas, vinum autem bibant tantummo-stis,aquam profestis, humi edant; noctu verò & interdiu cum matutinas, & reliquas hodo diebus feras recitant, confluunt populi. Sacerdotes castè, ac cęlibes viuunt, sed nullis studijs litterarum addicti, quod reliquum habent temporis id pręstant culturæ in agris, siue vt operas ad laborem hortentur, fitque vnde & cibus percipi, & tributum persolui possint.

Hæc ferè sunt huius missionis excepta è colloquio à me habito cum P. Dandino, capita, quæ occasionem præbent tum Summo Pontifici, tum Patri nostro Generali, vt Romæ in Seminario Maronitarum inprimis Alumni exercitijs nostris spiritualibus, & quidē integrum mensem, sic excolantur, vt simul instituantur ad eadem exercitia alijs Sacerdotibus & Episcopis Montis Libani danda. Nam hoc vno armorum genere latius Catholica res propagari,per Orientem poterit, nostrique, quod Summum Societati traditū est Diuinitus remedium ad vniendas cum Deo animas, in rem summo animarum lucro pergent quoque cum Maronitis, vt faciunt, alacrius conferre. Id quod concedat Dominus Iesus, Amen. Porrò quæ ibidem ab eodem P. Dandino fuere constituta priusquam inde discederet, hæc fermè sunt.

Nullus saltem iunioris ętatis ad Sacerdotium admittebatur,qui vxorem non duxisset. Cum igitur à P. Dandino declaratum esset coniugium Sacerdotibus in aliquo Orientis tractu, licet vsurpatum, non fuisse tamen vmquam ab Ecclesia imperatum; statutum est, ne in posterum quisquam ad id cogatur, sed liberè, qui in cęlibatu viuere velint, sacris initientur.

Nulla concio de rebus ad spiritum attinentibus habebatur, sed solum quibusdam diebus festis, aliqua Homilia alta voce recitabatur. Decretum est, vt aliqui ex doctioribus decernantur, qui singulis diebus festis panem esurienti populo frangant; ad quod pręstandum ij pręcipue sunt idonei, qui ex Vrbe Roma Alumni ad Montem Libanum iam redeunt. Quorum etiam munus erit Summam aliquam casuum scribere, quæ varijs in locis à doctioribus Sacerdotibus alijs indoctioribus explicentur, vt hac ratione omnes in laicis instituendis, & expiandis vnanimes sint. Iamque vnum ex alumnis huic muneri assignauerant.

Cautum porrò fuit,ne quis alio Missali vtatur,quam ex ijs,qui missi sunt à Romano Pōtifice,vel certe ex antiquis ij tantùm in vsu essent,qui à Patriarcha erunt propria manu subscripti,& vni ex supradictis Alumnis demandatum fuit,vt eos diligenter inspiceret, atque expurgaret erroribus,quibus à Iacobitis fuerant aspersi.

Cautum item vt reliqui libri examinarentur, quive minus catholicæ veritati consoni viderentur,apud Patriarcham asseruarentur.

Cum alicubi pueri ad Eucharistiam admitterentur, cautum est ne posthac ante vsum rationis admittantur.

Nullus casus erat reseruatus. Aliqui igitur grauiores,tum Episcopis,tum ipsi etiam Patriarchæ reseruati, vt magis in officio quisque contineretur.

Religiosi Regulares, cum liberius viuerēt, de disciplina Ecclesiastica in Synodis actum est: Patriarcha pollicitus est,se curaturum, vt ea restitueretur.

Ceterum Montis Libani fęminæ sunt verum honestatis exemplar,uestitus earum modestus. si cui ignoto viro obuiam fiunt, vel alio fugiunt, uel certè faciem, quam solam detectam ostendere solent,omnino contegunt. Dum Diuinis Officijs intersunt,prorsus à uiris separatæ in Ecclesia manent,in ea uidelicet parte,quæ est prope ingressum,ulterius pro

ceden-

cedentibus uiris: absolutisque Diuinis officijs illæ primum è templo exeunt. Quare non prius viri è suo loco mouentur, quam illę omnes discesserint.

Cum P. Dandinus aliquando Sacri fecisset, & eius discessum è templo mulieres expectare voluissent, vt hominem à Pontifice Romano missum intuerentur, hoc illis à viris nequaquam permissum fuit.

At verò tam mulierum, quàm virorum modestia, & continentia ex hoc vno maximè cōiectari potest, quòd in toto Monte Libano nulla muliercula reperitur, quæ turpi lucro operam nauet. neque tamen adulteria, aliave contra honestatem vitia audiuntur. Ex quo facile dignoscitur quàm facile sit iuuare in Domino nationem tam Romanæ Sedi deuotam, & incontaminatam, si ad illam operarij mittantur.

MARQVADVS de Vualdsassen, Eremitarum in Nariscis in Germania ad Vandrebum amnem, Monachus, Ordinis Cistertiensis, scripsit Sermones triginta, quos vno in Tractatu complexus est. Librum item De Euangelica Doctrina. Alterum autem De vita Contemplatiua ad Eberhardum de Mosbach. Viuebat anno 1353. & vltra. Eisingrenius.

MARQVARDVS de Susannis, Vtinensis, scripsit De Cęlibatu Sacerdotum non abrogando. Is Tractatus extat inter alios Tractatus iuris nouissimè recusos. Tomo 14. f. 104. De Iudęis item, atque alijs infidelibus, eodem in Tomo fol. 27.

MARSILIVS Andreasius, Mantuanus, ann. 1550, emisit Italicè scriptam Orationem vberem de amplitudine misericordiæ Dei. Quam quoniam Germani quidam Latinè redditam protulerunt apud suos in lucem, cauendum est, ne quid labis eidem versioni additum in animas simpliciorum irrepat. Quippe Diuinæ misericordiæ prædicationem hæretici tamquam ansam capiunt ad omnem Diuinam iustitiam, ad omnem satisfactionem, & ad omnium piè susceptorum operum, siue mortificationum, merita neganda.

MARSILIVS Ficinus, Florentinus, vir sua ętate perdoctus, plura reliquit posteris: Quorum alia ad Philosophiam Platonicam, alia ad Christianam Theologiam, & pietatem pertinent. De Philosophicis eius siue scriptis, seu versionibus Platonis, & aliorum, egimus, quantum satis videri possit, in libro nostro De Philosophia vera; Deque Platonica, & Aristotelica. Qui liber in Bibliothecæ nostrę Selectæ editione Romana 13. & in Veneta 12. & adeo item seorsum ab illa excusus fuit. Addidimus vero ibidem, quid de illius Operibus scitu, seu censura dignum scripsere Ludouicus Viues, Michaël Medina Hispanus Theologus, Ioan. Baptista Crispus Opere suo, De Philosophis cautè legendis. De Theologicis verò hęc habemus ipsius Ficini:

Librum De Religione Christiana, & Fidei probitate ad Laurentium Medicem.
Commentarium in Epist. S. Pauli, & ascensus eius in tertium cęlum.
Sermonem de quinque Panibus.
Alterum De duobus Discipulis euntibus in Emmaus.
Alium ad illud Diui Pauli. *Si consurrexistis cum Christo.*
Alium De Passione Domini.
De laboribus, & ærumnis Diui Pauli.
De Stella Magorum.
De Cantico Simeonis, ac vera fidelium pace.
De creatione rerum.
De Diuino furore.
Dialogum inter Deum, & hominem. Vide in eius Epistolis.
De felicitate. Orationem ad Deum.
Dialogum inter Paulum, & animam. Et quòd ad Deum non ascendatur sine Deo.
Exhortationem contra Barbaros.
Disputationem contra iudicia Astrologorum.
De Vita libros tres ad Laurentium Medicem: Quorum Primus est De studiosorum sanitate tuenda. Secundus, De vita producenda. Tertius, De vita cælitus comparanda.

Apologiam, in qua de Medicina, Astrologia, vita Mundi, & de Magis Christum salutantibus agitur.
Quòd necessarium sit ad vitam serenitas, & tranquillitas animi.
Disputationem contra iudicia Astrologorum.
Institutionem Principis.
Orationem Gregis Christiani ad Pastorem Xystum.
Oraculum Alphonsi Regis ad Ferdinandum.
Orphicam Comparationem Solis ad Deum.
Philosophicam Principis Institutionem.
De Christianæ Legis Diuinitate.
Orationem De charitate habitam in Collegio Canonicorum.
De Adoratione Diuinæ virtutis.
Orationem ad Carolum Octauum Regem Gallorum.
De Prouidentia, Vaticinio, Remedijsque malorum.
D. Dionysij Areopagitæ versionem è Græca lingua in Latinam cum suis argumentis.
Athenagoræ Atheniensis De Resurrectione mortuorum similem versionem è Græco.
At prțter hosce, ac duodecim libros Epistolarum, in quibus pleraque eorum, quæ huc attulimus, extant, alia se scripsisse testatur, quæ omnia num prodierint in lucem, nescio. nimirum:
Libros de Amore, de quibus sępe ille in suis Epistolis, ac potissimum in libro tertio ad Laurentium Medicem.
Commentarium in Lucretium, quem edidit adhuc puer, de quo ille vndecimo libro Epistolarum ad Martinum Vranium.
De Prouidentia Dei, & humani arbitrij libertate contra Astrologos, De quo Opere in quarto earundem Epistolarum libro ad Franciscum Marescalcum Ferrariensem.
De pia fide: dequo libro in tertio lib. Epist. ad Naldum Naldium.
De Diuina Gratia, de quo in eodem tertio libro ad Franciscum Marescalcum.
Latinos item è Gręco fecerat Orphei, Homeri, & Procli hymnos, ac Theogoniam Hesiodi, sed vt ipse ijsdem in Epistolis scriptum reliquit, Vulcano has versiones donauit; & quidem sapienter, ac Christianè. Vide librum nostrum De Poetica, vbi de Hesiodo, & alijs egimus.
Porrò cum ea, quæ diximus supra, partim Basileæ, & Coloniæ, partim Venetijs, atque Florentiæ separatim edita fuissent; denique omnia simul, duobus Tomis comprehensa, Basileæ prodierunt.
Natus est (vt idem ipse ait in nono Epistolarum libro) anno 1433. Obijt ann. 1499. Cuius vitam lingua Etrusca, scripsit Dominicus Mellinus: prælegendam ei, qui liquidius eius scripta nosse, ac versare voluerit.

MARSILIVS de Ingen, quem alij Anglum, alii Germanum fuisse inquiunt, primus Heidelbergensis Gymnasij fundator, tum cum vnius labij, hoc est catholica vniuersa esset Germania, scripsit libris quattuor Quæstiones Sententiarum. sed & scripserat De Dialectica, & plures in Aristotelis Opera Commentarios. Viuebat ann. 1494.

MARSILIVS Patauinus, qui in Indice Romano prohibitus est, *Marsilius de Padua* dicitur. Quod hic monitum voluimus, ne quem fallat, qui non reperiens in eodem Indice, *Marsilium Patauinum*, putaret haud esse prohibitum.

MARTIALIS Aruernus, Gallus, in Senatu Parisiensi Procurator, pias ad Beatissimam Virginem Precationes, siue Laudes scripsit anno 1580, quas Gallicè inscripsit, *Louanges à la Vierge Marie*. Excusæ sunt Parisijs ann. 1590. apud Ioannem à Prato.

MARTIALIS Episcopus Lemouicensis, vnus è septuaginta duobus Discipulis, qui & Cephas dictus est, vtrum duas Epistolas scripserit vnam ad Burdigalenses, alteram ad Tolosanos; numve sit is ipse Cephas, cui Paulus in faciem restitit, vide primò Sixtum Senensem in secundo libro, in verbo Cephas; & in sexto in Annotationibus cap. 2. Epist. ad Galatas. Sanè verò, multis de caussis suspicatur quoque Cardinalis Bellarminus,

Epistolam primam ad Burdegalenses non fuisse Martialis illius, qui fuisse discipulus Christi dictus est. Tomo 1. Controuersiarum, lib. 1. de Christo cap. 10. Vide Gregorium Turonensem lib. 1. Franc. historiarum, cap. 30. At qualescunque Epistolæ hæ sint, eæ nostra ætate, dum essemus in Gallia, repertæ sunt in Sacrario Basilicæ Sancti Petri in Vrbe Lemouica, vbi eatenus latuerant in arca saxea sub terra defossæ, quo ob nimiam antiquitatem vix poterant legi.

MARTIANVS Capella, Carthaginiensis, qui & *Martianus Mineus Fœlix Capella* libros nouem De nuptijs Philologiæ, & Mercurij scripsit, quos Vulcanius Brugensis varijs lectionibus, & scholijs illustrauit. Quin & antea Io. Dubrauius suas ad eundem Annotationes Viennæ Austriæ ann. 1516. emiserat.

MARTIANVS Imperator. Vide in verbo, Marcianus.

MARTINVS Alneuuik, Ordinis Minorum, scripsit Commentarios in libros quattuor Sententiarum Petri Lombardi. Librum item Disputationum, & Chronicon. Obijt anno 1336.

MARTINVS Alphōsus è Viualdo, Cōgreg. S. Saluatoris, scripsit Librum bipartitum, quem prænotauit *Candelabrum Aureum*, De casibus ad septem Ecclesiæ Sacramenta pertinentibus, deque Censuris, & Irregularitatibus: qui aliquoties editus, demum ann. 1602. Sanctæ Sedis Apostolicę iussu recognitus cum ijs animaduersionibus legendus est, de quibus ex Romana Censura diximus in verbo, *Candelabrum Aureum*. Scripsit item alterum librum, quem inscripsit, *Baculus Pastoralis*, qui ann. 1599. apud Georgium Variscum fuit Venetijs excusus. & alium, cui titulus est, *Zelus Christi contra Iudæos*. quem Baretius ibidem edidit.

MARTINVS de Arles, siue Arelatensis, cognomento Andosilla, quem aliqui scribunt fuisse Canonicum Regularem, Archidiaconus Vallis de Ayber, in Pampilonensi Ecclesia, quę primaria est in Regno Nauarræ, scripsit Tractatum de superstitionibus, & Lamijs, ac sacrilegijs. Qui Parisijs prolatus est in lucem ann. 1517. extat item in To. 2. p. 2. fol. 402. Tractatuum Iuris, qui excusi sunt postremò Venetijs.

MARTINVS Azpilcueta, Nauarrus, Hispanus, Iuris Canonici scientissimus, idemq; Theologus insignis, Canonicus autem Ord. Regularis Sancti Augustini, qui in primarijs Cathedris Conimbricæ, ac Tolosę publicè Ius Canonicum diu professus est, Romæ item plures annos ad Summorum Pontificum Congregationes De casibus Conscientię adhibitus, vir Summæ sobrietatis, & pietatis, plurima scripsit, quæ tum Hispanicè, tum Latinè in lucem edita sępe, denique in sex Tomos redacta, & nouis, qui non apparuerant, laboribus aucta distinctius item, & planius disposita emisit Venetijs Ioannes Guerilius, anno 1602. Ea verò, quæ huius asterisci * signo notata sunt, nullo adhuc alio in Opere extitisse intellige.

Tomus Primus.

* Vita Auctoris scripta à Simone Magno Ramlotęo Belga.
Manuale, siue Summa Confessariorum.
De Vsuris.
* De Cambijs.
* De Simonia Mentali.
* De Furto notabili.
* De necessitate defendendi proximum ab iniuria.
* De Homicidio casuali.

Tomus Secundus.

De Silentio in Diuinis officijs.
Comment. in cap. inter verba.
* Eiusdem sexta Conclusio perfecta.
* De fama, & infamia.
De Regularibus Commentarij quattuor.
De Alienatione rerum Ecclesiasticarum.
De Spolijs Clericorum.
De Reditibus beneficiorum Ecclesiasticorum.
Propugnaculum Apologiæ libri de reditibus.
Cap. Humanæ aures.
* De incompatibilitate beneficiorum.
De finibus humanorum actuum.

Ll 3 Tomus

Tomus Tertius.

De Pœnitentia in septem distinctiones.
De Indulgentijs, siue de Iubilæo.
* De Eleemosyna.
De datis & promissis pro iustitia, vel gratia obtinendis.
* De lege pœnali.

Tomus Quartus.

De Oratione, & Horis Canonicis.
Miscellanea de Oratione.
Commentaria de Rescriptis in cap. si quando, & cap. cum contingat.
Comment. in Rubr. de Iudicijs.
Relect. in cap. Nouit, de Iudicijs.
Relect. cap. Accepta, de restit. spoliat.
De Iudæis in cap. ita quorundam.

Tomi Duo.

Consiliorum, seu Responsorum cum Auctario plurimorum Consiliorum. Eaque omnia rectè disposita sub Titulis Iuris Canonici, quibus congruebant.

Ceterum Manualis Doctoris Nauarri Compendium Petrus Alagona Theologus Societatis nostræ, non semel & Romæ, & alibi emisit: quod & postea fuit Italicè redditum, cum item ann. 1598. Compendium omnium eius Operum, quę tunc extabant. Venetijs fuisset excusum apud Robertum Meiettum.

MARTINVS Bialobrizkus Episcopus Camenecensis in finibus Regni Polonię, siue Russiæ, Orthodoxam Confessionem de vno Deo, quem Christiani Catholici credunt, adorant, & inuocant, ex sanctis litteris descriptam emisit Coloniæ, ann. 1579.

MARTINVS Bracharensis Episcopus, concinnauit librum Capitulorum è diuersis Concilijs collectorum.

MARTINVS Brionæus, descripsit, atque edidit totius Terrę Sanctę Vrbiumque ipsius Geographiam, & quicquid in eis memoria dignum fuit, Parisijs ann. 1540.

MARTINVS Chromerus Polonus, qui primò à Secretis Sigismundi secundi Polonię Regis, eiusque Legatus ad pacem faciendam inter Suecos, Danos, atque Polonos; deinceps Episcopus Varmiensis; cum aliquot item annos coadiutor eiusdem Episcopatus pro Stanislao Hosio S. R. E. Cardinali fuisset, Historiam Polonicarum rerum triginta libris, vberem, nitidam, veram conscripsit. De qua nos aliquid attigimus in Apparatu nostro ad omnes Historias. Librum item De Republica Polonica, ac de Poloniæ situ, Populis, moribus: & tres Sermones Synodicos. De coniugio item ac Cęlibatu Sacerdotum. Librum De Sacramentis, at de Sacrificio Missæ, & exequijs mortuorum Germanicè. Opus quoque, quem pręnotauit, *Monachus*, siue colloquiorum De Religione libros quattuor Dialogis distinctos. Quæ Coloniæ ann. 1564. 1568. & sequentibus edita fuerunt. Epistolam etiam ad Regem, & proceres, quæ Parisijs apud Sebastianū Niuellium ann. 1564. prodijt. Viuebat ipse adhuc ann. 1582. Heilsbergæ, quæ in Prussia est Sedes Episcopatus Varmiensis, vbi eum nō semel summa in senecta optimè de Ecclesia meritum, & expectantem (vt mihi dicebat) euocationem suam, allocuti sumus.

MARTINVS de Clyue, Anglus, Monachus Cantuariensis, ad Templum Saluatoris, scripsit librum Homiliarum.

MARTINVS Cordubensis, Ordin. D. Augustini, Theologus, qui in Gallia, Tolosæ, in Hispania Salmanticę publicè, ac diu Theologiam consessu frequenti docuit, recusatoque Pacensi Episcopatu, plures ad pœnitentiam suis Concionibus, Deo aspirante, conuertit, scripsit In tria prima Geneseos capita. In omnes D. Pauli Epistolas. In Apocalypsim D. Ioannis. Hortum nobilium Virginum Isabellę Reginę. De laude virginitatis ad puellas religiosas. Obijt Vallisoleti, in Aede Ord. sui sepultus. Vixit ann. 1470.

MARTINVS Corbenus, Tolosanus, Ordin. D. Aug. scripsit in Canonem Bibliorum. In Canticum Cantic. In Epist. D. Pauli ad Romanos. Serm. ad Clerum, & populum. In lib. 4. Sent. De Summa Trinit. librum. De Fide Catholica alterum. In Decretalem de celebratione Missarum, alium. Vixit ann. 1330. cum & alia scripsisset in Aristotelem.

MAR-

MARTINVS Crusius, Germanus hic ponitur, non vt legatur (prohibitus est enim in Romano Indice) sed vt agnita eius fraude, atque imperitia, tanto magis declinetur, & caueatur. Sic enim & S. Hieronymus in Catalogo, & alij Patres in suis Scripris eiusmodi hominum meminerunt, quos deinceps expenderunt, ac refellerunt. Accedit, quòd Crusius iste, licet iustissimè ab Ecclesia proscriptus sit, fucum tamen plerisque adhuc facit, qui eius librorum, quos *TurcoGræciam* inscripsit, noua specie allecti, dum putant se historias lecturos, hæreses, & sexcentas (ne dicam sex mille) errorum quisquilias colligunt, ac plerumque incautè hauriunt. Quamobrem vt Germani simpliciores (& quidem apud hęreticos educati) ne sese inde decipi amplius patiantur; & vero quoque ij, quibus à Sancta Apostolica Sede concederetur, vt ijdem ipsi libri, & alia Crusij scripra, oppugnarentur, prænoscāt, quæ in toto illo Opere venena latere possint; è paucis locis, quæ in eo obseruata sunt, charitate Christi, & veritate nos vrgente, subijcimus, sic tamen vt pręmonitos Lectores cupiamus, nolle nos derogatum Gennadio Scholario Patriarchæ Constantinopolitano, de quo idem Crusius in eadem TurcoGręcia cum illius laude loquens, etiam Libellum ipsius Gennadij inseruit, qui Mahometem, qui Constātinopolim suo Imperio subdidit, de nostra Religione docuit. Ac tamen adhuc sciendum est, eos, qui ex Oriente librum illum ad Crusium miserunt, erasisse ex eodem libro quædam, in quibus de Spiritus sancti Processione à Patre, & Filio disertè Gennadius scripserat, quippe librum alterum eo de argumento ab ipso habemus veritatem hanc liquidò propugnante, ac per omnia planè cum Latinis consentiente. Quin & vereor, alia fuisse ibidem inserta, certe minus pro soliditate Doctrinæ Catholicę dicta, quæ egeant interpretatione. Videat autem Lector, quę diximus in verbo, *Gennadius Scholarius*.

Ad Crusium vt redeamus, quęcumque ex Funcio, Chytręo, Mercatore, Hieronymo Vuolfio, Melanchrhone, & alijs huiusmodi promit, ij quoniam hęretici, & damnati sunt, (cum tamen illos ipse laudet) abijcienda sunt.

Lib. 1. pag. 4. Quæ scribit de Orientalibus, qui sępe cum Ecclesia conciliati, sæpe ab ipsa defecerunt, cum caussas huius secessionis taceat, legendus est D. Antoninus Florentinus in tertia suæ historię Parte. At ille, quòd solent hęretici, peruertit caussas.

Pag. 24. legitur in Gręco *στάσεως δὲ γενομένης οὐκ ἤθελον συλλειτουργῆσαι αὐτῷ πλὴν ὑπὸ φόβου τοῦ ἔξω, καὶ ἄκοντες συνελειτούργησαν αὐτῷ.* Hæc verba interpres malè vertit. Nam quis nescit *λειτουργίαν* apud Gręcos idem esse quod *Missam, & Sacrificium?* Vnde *συλλειτουργῆσαι*, nō est in sacris obeundis adesse, sed ei sacrificanti, & Missam, vt loquimur, facienti, publicè, vt moris est, inseruire, & simul cum eo sacrificare.

Pag. 27. *ἐλθόντων δὲ ἐποίησεν ὁ πατριάρχης λειτουργίαν. Rem Diuinam Patriarcha fecit*, cū vertere debuerit, *Missam, vel Sacrificium obtulit*.

Pag. 44. Breuiter Historiam Constantinopolitanam ad annum vsque 1578. attingens, pluta, quibus Christiani ad pietatem possent moueri, omittit, dolosè autem alia interserit, vt Catholicæ Ecclesiæ obsit. At si quis vel Baronij Cardinalis Annales euoluerit, vel Epitomen Annalium eorundem à Io. Gabriele Bisciola nostro editam cum Crusij narratione contulerit, astum ipsius cum imperitia coniunctum statim cognoscet.

Pag. 46. *Non assentiuntur Latinis dicentibus Spiritum S. tum ex Patre tum ex Filio procedere.* Hęreticus non capit dogma fidei, quod est vnum ex primis. Latini enim non dicunt Spiritum Sanctum, tum ex Patre, tum ex Filio procedere: nam hoc esset duo principia Spiritus Sancti ponere, sed ex Patre, Filioque procedere, tamquam ex vno principio, cap. fideli. de Summa Trinitate, in sexto.

Reprehendunt etiam, quòd ἄζυμα adhibent εἰς θυσίαν noluit videlicet vafer hęreticus loqui Latinè, ne argueretur suorum dogma. Et quidem est discrepantia inter Gręcos & nos. propter azyma, sed in sacrificio incruento conuenimus.

Ibidem. Inuidia Rom. Sedis hæreticus crepans, nescio quam Annam asserit suisse, quæ scripserit contra Hildebrandum, hoc est Gregorium Octauum Pontificem Maxim. & asseruerit, Constantinopolitanum Patriarcham ius & potestatem in Ecclesiam vniuersam obtinere. Tu verò nota argumentum. *Constantinopolim translata est Sedes Imperij*,

rij, ergo est Ecclesia Sedes primaria. At quænam inconsequens est ista consequentia?

Pag.48. Cum locutus esset de monachis montis Athos subdit eadem quæ Lutherani blaterant de sola fide iustificante, quæ sexcenties confutata sunt. At quibus Tridentina Synodus non sapit, quid sapiet?

Pag.49. Multa habet magnæ inscitiæ suæ argumenta. Cum enim agit de erroribus Nestorij ait *statuebat hic Christum* ψιλὸν ἄνθρωπον, καὶ οὐ θεὸν σεσαρκωμένον quod non videtur verum. Nestorius enim duas in Christo personas posuit, sicut duas naturas.

Pag.50. Cum egisset de septima Synodo Græcorum, in qua venerandas esse sacras imagines constitutum est, subdidit. *Sed Francofordiana Synodus ex Italia, Gallia, Germania Antistibus congregata à Carolo Magno Græcorum acta de adoratione Imaginum, quæ Hadrianus Papa approbauerat, rescidit, vt Illyr. cent. 8. c. 7. ex Rhegin. & Auentino, scribunt.* Quæ quidem omnia falsa sunt. Videto in verbo, Francofordiensis Synodus in hoc Apparatu.

Pag.55. & 57. & 62. & 66. Imperiorum & Vrbium *fatales interitus* temerè, nec Christianè vocat.

Subijcit deinde euersionis Imperij varias, & diuersas caussas, sed verum tacuit. Dissidium nempe religionis, & Spiritus Sanctus Processionem à Patre, & filio, quemadmodum in tot tantisque Concilijs traditum est, & quam ipsorum Patriarcha in Florentino Concilio moriens professus fuerat, inter alios planè demonstrat Bellarminus Cardin. libro 4. de Christo, cap. vltimo.

Pag.77. Pessimus interpres. ὅτι καὶ τινες ἀναξίως ἐτολμῶν ἱεράσθαι, καὶ λειτουργεῖν τῷ θεῷ sic vertit. *Quosdam se cum digni non essent, in Sacerdotij dignitate, & linguas celebrasse.* Quæ sanè aliter vertenda esse nemini primis Græcis litteris tincto, dubium est: *nempe nonnullos fuisse, qui se indignè sacris initiandos offerre non dubitabant, & Deo sacrificare seu ministrare, vel missam offerre, vel simile quippiam.* Nam λειτουργεῖν τῷ θεῷ acceptum ex Luca, Act. 13: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ θεῷ. Vbi ecquis audiuit vmquam fuisse interpretatum *celebrantibus linguas.* quid quæso monstri est *linguas celebrare?*

Hæc verba: εἰ μὴ τῆς νενομισμένης τετύχηκεν ὁσίας, satis leuiter vertit, *si iustis exequijs caruit,* debuit enim vertere. *etsi vsitatam legibus, & moribus sanctificationem non est consecutus.* Nam sic indicat, quæ pro defunctorum expiatione in Ecclesia fiunt sacrificia, seu Missas.

Pag.78. ἵνα δὴ μὴ ἄμισθος ὁ τρόπος τῆς τελευτῆς ἦν: *vt ne hic moriendi modus mihi præmio caruisset.* Clarius pro meritis bonorum operum sic vertere debuit: *Vt sanè non sine merito hic mortis mihi esse posset.*

Pag.100. in illa verba: ἵνα δὴ μὴ ἄμισθος, quædam notat ex scripturis Græcè, ac primò affert illud Matth. 19. *Qui dimiserit, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam:* sed deinceps subdit. *Veruntamen,* Luc. 17. *Cum feceritis omnia, &c.* & Eph. 2. *Gratia Dei salui facti sumus per fidem in Christum, & non ex nobis, Dei enim donum est.* His ergo merita bonorum operum tolli posse putat imperitissimè, cum vtrumque verissimum sit, & centuplum accepturos, & Gratia Dei saluos nos fieri per fidem in Christum.

Hæc igitur cum in primo libro TurcoGræciæ habeantur, è paucis coniijciant cordati viri quantænam extent in sex reliquis libris sordes, & obliquæ, siue interpretationes, seu versiones. Sed & vt suo gladio iuguletur Crusius, mirum est, quot ad Catholicam religionem spectantia suo isti Operi intexuit, cum modo nutans, modo contrarium asserens è musstacco lauream sibi quærat, ac venditare illud videatur.

Primus ego Aonias deduxi è vertice Musas.
Ascræumque cano Romana per oppida carmen.

Iusto enim iudicio Dei factum est, vt pag. 85. narrauerit egregiam Vrbis Chalcedonis victoriam à Barbaris obtentam à Deo per Beatiss. Virginis intercessionem, ac pag. 86. memorabilem classis demersionem, quæ templo Beatiss. Virginis in Blachernis proras obuerterat, vt illud depopularetur, atque vastaret, cuius templi destructionem eadem Deipara suo patrocinio per illam demersionem auertit. Atqui & pag. 88. alterius obsidionis Vrbis Constantinopolitanæ à Barbaris factæ meminit, in qua scribitur Populum in publica supplicatione circa publicos muros gestasse τὸ πανσεπτὸν ξύλον τοῦ σταυροῦ κυρίου, *venerabile*

bile (melius vertisset) *omni cultu dignum lignum Crucis, & sanctas imagines.* Addit plura in laudem D. Dionysij Areopagitę, nec non pro traditionibus, quibus suorum dogmata sese tueri iactat, carpens interim Lutheranos suos, qui ad amussim scripti Verbi Dei, omnia velint exigere. Quin & inserit Græcam formam quandam absolutionis confitenti peccata à Patriarcha Antiocheno Michaele traditam, non prorsus dissimilem nostræ fidei, nisi quòd ad extremum ipsius, cum Michael dixisset. *Ex horum omnium vinculis liberum esse pronunciamus, & absolutum omnipotenti virtute, & gratia Spiritus Sancti Diuini, & adorandi,* subdit hæc, (quæ quidem omnino subdenda non erant) *Quæcumque aut per obliuionem, aut per pudorem non est confessus, & illa ei remittat misericors Deus, qui sit benedictus in secula seculorum. Amen.* omissa enim per pudorem non remittuntur, neque adeo reliqua; cum integra non sit confessio eius, qui reticet ea, quæ recordatur. At pag. 132. meminit festorum dierum totius anni, quæ præter Dominicam diem Christo Domino, & Matri eius semper Virgini sunt consecrata. pag. 134. agnoscit Gręcos Missam facere: iam enim ibi incipit sapere, cum vertat, *Liturgiam facit.*

Pag. 135. dum mulierē ex Inferorum cruciatibus liberatam in Paradisum venisse asseritur, Purgatorium astruitur. In inferiore enim Inferno nulla est redemptio.

Pag. 153. ponitur peregrinatio Patriarchæ Constantinopolitani ad adorandū Chpristi sepulchrum, cumque Pag. 157. Patriarchæ laudetur factum, non vidit Crusius interpres in eodem facto Beatiss. Virginis fuisse intercessione adhibitam, & sacræ ipsius imaginis venerationem.

Pag. 163. cum autem De Litanijs, & Orationibus, tum ad Christum Dominum, tum ad Beatissimam Virginem agatur, quam etiam spem, & anchoram piorum, verorumque Christianorum Auctor vocat, non dissentit Interpres, sed quòd ibidem εὐχαριστίας vertit *gratiarum actiones, Sacrificium Eucharistia* vertere debuisset.

Sed & pag. 188. Cū numeret Ordines præsertim sacros apud Gręcos, qui ferè sunt ijdē cum nostris; dicat item *Sacerdos consecrare,* hoc est, *Missas celebrare*; nam & pag. 197. dicit Patriarcham, modo in hac, modo in alia Ecclesia Missas, seu Liturgias celebrare. cumque pag. 195. & 196. numeret septem horas canonicas, & alia vsitata à Græcis, num Crusio isti erunt Lutherani, vt alibi eos suæ sectæ adhærere mentitur?

Iam verò cetera, quæ Crusius tractat, ita blasphemijs, & erroribus referta sunt, vt sancta sedes Apostolica optimè statuerit abolendum omnino esse hoc Opus, quod non nisi igne queat expurgari.

MARTINVS Delrius, natus Antuerpiæ in Belgio parentibus Hispanis, Genitore Cātabro, Matre Celtibera, Theologus Societatis Iesu, fęcundo vir ingenio, plura scripsit, luctatus etiam felici ausu cum inferis impauidè. Libros enim Disquisitionum Magicarum, cum bis è prelo Louaniensi, & Leodiensi ann. 1599. emisisset in lucē, earum vltima editio prodijt Moguntiæ ann. 1603. apud Ioannem Albinum, secundis curis longè auctior, additionibus multis passim insertis, correctior quoque mendis sublatis; Quoniam verò alij nonnulli Typographi, vel Ioannes Philippus Speissius, vel Ioannes Theobaldus Schonuuetterus dicebantur recusionem istorum Operum moliri, propterea idem Delrius litteris datis ad Ioannem Alibnum denūciauit, & attestatus est se illorum editiones, siue quorumcunque ab ipso aliorum non habere pro suis germanis. Quin si aliquod priuilegium finxerint, id obreptitium, & subreptitium, vel etiam Corneliæ legi subiectum fore.

Continentur autem libris singulis sequentibus.

Lib. I. De Magia generatim, & de Naturali, Artificiali, & Præstigiatrice.
Lib. II. De Magia Dęmoniaca & eius efficacitate.
Lib. III. De Maleficio, & vana obseruatione.
Lib. IV. De Prophetia, Diuinatione, & Coniectatione.
Lib. V. De Iudicis Officio, & ordine iudiciario in hoc crimine.
Lib. VI. De Officio Confessarij, ac remedijs licitis, & illicitis.

Scripsit item Quadruplicem Commentariū in Salomonis Canticum Canticorū, Opus varium, eruditum, ac spissum. At in mysticis, quod mihi illemet per litteras significauit, exhibet

exhibet penè integros Commentarios Gulielmi Petit(seu Parui)hactenus numquam editos, videtur autem certò deprehendisse esse historicum illum Anglicum, qui vulgò Neoburgensis. Addidit selectiora ex Honorij Augustodunensis quadruplici Expositione, & ex eiusdem Sigillo Mariæ, quibus vsus est manuscriptis(nescio an vmquam editis; non puto) Louanij, vbi alij multi bonæ notæ, Scriptores in nostri illius Collegij,& aliorum religiosorum Bibliothecis latent. Porrò Cōmentarius iste, Ingolstadij editus est ann. 1604.

Emiserat autem antea Scholia in Claudium Claudianum, & in Iulium Solinum.

In iure autem Ciuili Notas perpetuas in omnis Iuris Partes, & Repetitionem l.transigere.Cod.de transact. Multiplicem item Commentarium in l.contractus. ff. de reg. iuris. Quæ excusa fuerunt à Michaele Sonnio, Parisijs ann. 1580.

Atqui etiam postea edidit integros Commentarios ad omnes Senecæ Tragœdias. Tredecim quoque Panegyricos De Laudibus sacratissimæ Virginis Mariæ, prænotatos *Florida Mariana*. Antuerpiæ ann. 1598. Anno autem 1600. ibidem apud Ioachimum Trognæsium, S. Orientij Episcopi Illiberitani Commonitorium primis typis excusum, emendatum,& Notulis illustratum. De quo vide in verbo, Orientius.

MARTINVS Derpius Batauus, pro ingenio gentis(vt inquit Myræus)vir fuit comis, & perhumanus, præter insignem rerum Diuinarū cognitionem litteris cum Græcis, tum Latinis egregiè instructus. Quo etiam nomine,cum plerisque earundem cultoribus,magna illi amicitiæ necessitudo fuit. In Gymnasio Liliensi, apud Louanienses eloquentiam primò docens, quędam lusit, vt illis temporibus, non illepida. In his,& Aululariā M.Accij Plauti suppleuit. Post Doctor Theologus elegantes aliquot sacris de rebus à se habitas Orationes euulgauit, inprimis Prælectionem Epistolarum D.Pauli,in qua de illius laudibus agens disserit de sacris litteris addiscendis, de eloquentia, deque Sacrorum codicum cum Gręcis collatione,ac de linguarum peritia. Quin & Desiderium Erasmum Roterodamum, quamquam amicum,audaciæ, ac stolidæ temeritatis de conscripto, Luciani Satyrici imitatione, Moriæ, seu stultitiæ, Encomio seuerè adnotauit, editaque Epistola bene longa imprudentem eius stultitiam,vt qui de posteritatis memoria,iudicioque minime laboraret, acriter reprehendit,& ad retractādum quod peccauerat, si saperet, seriò cohortatus est. Obijt prid.Kal. Iunij ann. quinto, & vicesimo supra millesimum,& quingentesimum,in Cartusię Louaniensis Porticu,vt testamenti tabulis iusserat,conditus.

In centuria scriptorū Belgij.

MARTINVS Dumiensis,Monasterii Sanctis.Pont.(vt ait Isidorus in catal.)ex Oriētis partibus nauigans in Galliam venit, ibique conuersis ab Ariana impietate ad fidem catholicam Sueuorum populis regulam fidei, & sanctę religionis constituit, Ecclesias informauit,copiosaque præcepta piæ institutionis composuit. Cuius quidē ego ipse legi librum de differentijs quattuor virtutum,& aliud Volumen Epistolarum,quibus hortatur ad vitæ emendationem,& conuersationem fidei, orationis instantiam, eleemosynarum distributionem,&, super omnia,ad culturam virtutum omnium, ac pietatem. Floruit regnante Teudummiro Rege Sueuorum,temporibus illis,quibus Iustinianus in Republica,& Amatagildus Hispanus Imperium tenuere. Sic Isidorus. At pro *Teudummiro*. Sigibergen.m.s. Cod.habet *Theudimiro*. Excus. Cod.legit *Tedimico*, Pro autem *Anatagildus*, hoc loco Sigeberg.m.s.Cod.habet *Atangildus*. Excus. *Athagildus*.

At vero Sigebertus de Viris illustribus cap. 119. sic de illo habet. Martinus Episcopus Galliciensis scripsit librum de quattuor Virtutibus,ad Mitonem,aliàs *Mironem*, Regem Galliciæ; quem librum prætitulauit *Honesta vitæ Formulam*. Quem item transtulisse per manum Paschasij Diaconi plurimas Interrogationes,& Responsiones Sāctorum Patrum Aegyptiorum in Dumiensi Cęnobio idem Sigebertus opinatur, eiusdem libri,cap. 118.

Quin & ipse Martinus, qui clarius dicendum est, *Episcopus Bracarensis*, cum esset Græcus, Canones octoginta quattuor,qui in Oriente ab antiquis Patribus constituti, & Græcè scripti nō adeo rectè in Latinum versi fuerant, *simplicius*, vt ille ait, *& emendatius restaurauit*, atque in meliorem ordinem digessit. Vide initio secundi Concilij Bracarensis, ipsius Epistolam ad Nitigesium (alij *Nitigium*) Episcopum, siue ad vniuersum Concilium Lucense. (Et quidē Lucensis Episcopus erat Metropolitanus) Porrò ijdem Canones extant

ibidem.

ibidem. Quorum item meminit Gratianus cap. *Propter Ecclesiasticas, dist. 18.* ipsum autem Martinum inter Collectores sacrorum Canonum Baronius Card. tertium in ordine numerat ad pridie nonas Aprilis. Vide Hispanorum Conciliorum Collectionem factam à Garsia Loaysa.

Ceterum extant eiusdem Disputatio, De ira, De Humilitate Christiana, De moribus, ac de quattuor Cardinalium virtutum Differentia, Quæ & Formula honestæ vitæ dicitur, in Tomo Quinto Bibl. SS. PP. vnà cum libro de Moribus: Quorum duo postremi libri, quoniam similitudine Styli, & crebris sententijs videntur ad Senecæ dictionem accedere, inter huius Opera circunferebantur, sed denique suo Auctori sunt restituti. Ad quos quæ Præfatio Gilberti Cognati præfixa est in Basileensi editione, ea, vt hominis hæretici, & in Romano Indice proscripti, delenda est.

Sanè extat in Toletano decimo Concilio per honorifica Martini mentio, vbi & Sanctus & Sanctissimus Ecclesiæ Bracarensis Episcopus gloriosæ memoriæ appellatur, & Dumiense monasterium videtur ipse construxisse. [Vide Collectionem Loaysæ.]

Notat autem Arnoldus Vuion Bugianum errasse, qui Sueuos populos ignorans primò ad fidem conuersos à Martino putauerit, cum centũ fermè post annos, quibus à Christiana, & Catholica Religione defecerant, ab Ariana secta fuerint reuocati ob sanctitatis vero opinionem Gallicia, & Lusitaniæ pars eum in numero Sanctorum habent festo die dicato ad 13. diem Kal. Aprilis, vide Ambrosium Morales lib. 11. c. 62. & Martyrologia.

MARTINVS Duncanus, Kempensis, decurso apud Grudios Philosophię, ac Theologiæ stadio Guormarianæ apud Batauos Ecclesiæ Præfectus, iam tum grassanti Anabaptistico furori, voce, & stylo murum pro domo Dei se ipsum obiecit. Is etiam Delphis splendidiori, at non minus graui curæ post à Rege admotus, ac demum Hagæ Comitis, Gulielmo Lindano in Decanatus dignitate suffectus, sæpe eius loci Regium Senatum acriter monuit, vt nascenti tum seditiosę, ac turbulentæ Caluinianorum sectæ occurrerent, atque in herba opprimerent. Scripsit Confutationem hęreseos Anabaptistarum, & veri Christiani baptismi, ac potissimum Pędobaptismatis Assertionem contra Memnonis Simonis virulentas (vt inquit Eisingrenius) blasphemias. [Myræus in cẽsura scriptorum Belgicorum.]

MARTINVS Ebroicensis. Vide in verbo, Martinus Quadratus.

MARTINVS Eisingrenius Germanus, Præpositus Veteris Oetingæ in Bauaria, & Procancellarius, scripsit, atque edidit,

Concionem cur tam multi eo tempore ad Lutheri hæreses accederent. Qua item docet, quantopere aduersus tentationes hoc tempore sit pugnandum.

Alteram de reliquijs, & Inuocatione Sanctorum.

Aliam de Christi Domini merito, quod semper in vna catholica Ecclesia prædicatũ est, Latinè redditã à Tilemanno Bredenbachio, è lingua Germanica. Additum eiusdẽ argumẽti Carmen Houardi Gamerij. Coloniæ ann. 1567. cũ Ingolstadij irẽ ann. 1565. prodijsset.

Postillam Euangeliorum Dominicalium, & festiuorũ totius anni, ex monumentis probatissimorum Patrum & SS. Ecclesiæ Doctorum in Aurea Cathena S. Thomæ Aquinatis iam olim collectam, editam ab ipso Martino Eisingrenio, Coloniæ ann. 1574.

Postillam Catholicam, hoc est Euangeliorum Dominicaliũ à Dominica prima Aduentus vsque ad festum Paschatis, piam, plenam, solidam, & orthodoxam explicationem, cui lector Euangelicę veritatis tuto fidere potest; ex catholicis nimirum Theologis huius seculi magno studio collectam, ita vt non immerito Cathena Catholicorum nostræ huius ętatis Theologorum, & Bibliotheca locuples dici possit. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium ann. 1576.

Tractatum de Ecclesia Catholica à nouatorum calumnijs per S. Scripturam & vnanimem SS. Patrum consensum vindicata, & subnexis aduersariarũ obiectionum solidis confutationibus sic illustrata, vt quænam & vbi vera Ecclesia Christi, & è contrario Synagoga Satanæ sit, cuiuis liquidissimè apparere possit. Ingolstadij ann. 1576.

Confessionale, in quo vniuersa materia de confessione peccatorum apud catholicos vsitata, per quæstiones explicatur, simulque pœnitentibus modus examinãdi conscientiam

&

& peccata sua cum Deo, tum Sacerdoti confitendi, commodus præscribitur. Ingolstadij
apud Dauidem Sartorium ann. 1577.

De Euthanasia, siue de firma spe, & fiducia in Dei misericordia, mortis tempore col-
locanda, Assertionem catholicam, qua Orthodoxorum Patrum, & Concilij Tridentini ea
de re sententia apertissimè approbatur; Germanicè, à R. D. Tilmanno Bredenbachio La-
tinitate donatam, & euulgatam. Coloniæ apud Ludouicum Alectorium ann. 1577.

Scripsit quoque libellum De Sacello D. Virginis Oetinge, & miraculis, reliquijs, pere-
grinationibus eius loci. Item quomodo Bauari ad Christianam fidem sint conuersi, vna
cum Admonitione quonam modo in caussa Religionis sese gerere debeant. Ingolstadij
ann. 1571. Germanicè.

Orationem, qua nomine Alberti Ducis Bauariæ cursus Philosophici, ac Pędagogij in
Academia Ingolstadiensi instauratio, eiusdemque rationes, & caussæ proponuntur. In-
golstadij ann. 1571.

De Maiestate, & gloria Christi veri hominis & naturalis Filij Dei contra quosdam scur
riliter de ipso loquentes. Ingolstadij ann. 1572. Germanicè.

De signo Crucis quòd piè se illo signent Christiani homines. Ibidem Germanicè.

Homilias octo. Quarum prima, De Gratia, & Amore Dei erga homines. 2. An amor
Dei etiam ad Gentes, quæ secundum legem naturæ vixerunt, extra Christi cognitionem,
ita extendatur, vt si, modò voluissent, saluari potuissent. Item de earundem confessione
ad fidem Christianam. 3. An absque diminutione meriti Christi doceri possit, Christia-
nos bonis operibus salutem promereri posse, atque oportere. 4. Vtrum omnes Beati in
cęlis æquales, aut inęquales sint futuri. Ingolstadij, Germanicè, apud Dauidem Sarto-
rium ann. 1578. Ceterum, cum alia quædam scripserit, eorum hic non meminimus, scien
tes Tractatum eius Apologeticum De certitudine Gratiæ pro Canone 12. Sess. 6. Concilij
Tridentini in Romano Indice fuisse prohibitum.

MARTINVS Fanensis, siue *de Fano*, De Brachio seculari implorando per Iudices
Ecclesiasticos extat in Tomo secundo, Tractatuum iuris, pag. secunda, fol. 409. in po-
strema Veneta Editione.

MARTINVS Funes, Hispanus, Theologus Societatis Iesu, Disputationem de vitijs,
& peccatis in genere, edidit Gręcij apud Georgium Vidmanstadium ann. 1589.

Eiusdem item nomine prodierunt Speculi Moralis, & Practici tres Partes. Constan-
tiæ in Germania ann. 1599.

MARTINVS Garatus (alijs Garratus) Laudensis I. C. scripsit De Cardinalibus. Ex-
tat inter Tractatus Iuris, in Tomo 13. pag. 2. postremæ Venetæ Editionis. fol. 59. Commen
tarios item ad Feuda in 1. ff. veti De rei vendic. de bello, & duello, De dignitate, De cri-
mine læsę maiestatis, De milite, De primogenitura, De moneta, De priuilegio fisci, De
priuilegio rescript. De Principibus, De Consiliarijs, & De Legatis Principum, & De Offi-
cialibus Dominorum, De Castellanis, Castris, De Confęderatis, De legitimatione spurio
rum, De præscriptionibus. Consilia, Quibus accessere Ioannis Francisci Catti in 28. prio-
ra Consilia, & in reliqua Francisci Marię Ploti, & Ioannis Baptistæ Ploti filij Additiones.
Nouariæ apud Franciscum Sesallum ann. 1568.

MARTINVS Garsias, Canonicus Regularis in Ecclesia Cathedrali Cęsaraugustana,
qui deinceps fuit Barchinonensis, edidit Volumen sacrarum Concionum.

MARTINVS Guerinus, Gallus, presbyter, fertur ab ipsa Beatiss. Virgine impetrasse
modum Pacis sibi cælitus reuelatum ann. 1500. sanè extare eam Reuelationem m. s. in
Aede S. Gratiani Turonensis, in papyro Pergamena, in Libro, qui inscriptus est, Liber
Mirabilis, narrant Scriptores, qui Bibliothecas emiserunt De Gallorum scriptoribus.

MARTINVS Italus Carmelita, De sanctis, & Doctoribus, Ord. Carmelitarum me-
moratur apud Palendorpium (alijs Palconydorum) in Epistola Operis sui De Antiquita-
te, Ord. Carmelitarum.

MARTINVS Laudunensis, Vallis Sancti Petri Cartusianus, ob sanctitatem celebris,
Hortatoriam Epistolam, siue libellum scripsit, quo Nouitium increpat cogitantem pristi-

num Ordinem laxiorem repetere, è quo ad Cartusianos venerat. Extat inter Opuscula Dionysij Cartusiani impressa Coloniæ ann. 1534. opera Melchioris Nouesiani.

MARTINVS Laterna, Drohobicensis, Roxolanus, Societatis Iesu, edidit Polonicè librum piarum precum & Meditationum, quem *Harpam*, hoc est Citharam spiritualem inscripsit. Cracouię cusus & recusus est. demersus autē bonus hic Sacerdos est ab hęreticis in mare Balthicum, transmittensè Suetia in Prussiam, cum multos annos iuuādis animabus, sexennio autem concionator Regis Stephani Batorei fuisset, magnæ vir pietatis, doctrinę, & humilitatis.

MARTINVS Ledesmius, Hispanus, à Ioanne tertio Lusitaniæ Rege ad Conimbricensem Academiam vocatus, & ibidem Theologiæ per annos triginta Professor, Lecturas eruditas in Diui Thomæ Summam, & Commentaria in quattuor libros Sententiarum edidit Conimbricæ. Eiusdem autem Tractatus quoque prodijt De Sacramento Matrimonij ann. 1595. cum tamen ille ex hac vita decessisset ann. 1574.

MARTINVS Lipsius, Bruxellensis, in vetustum sub Beati Martini patrocinio Canonicorum Regularium Diui Augustini Louaniense Cęnobium, velut in portum se recepit. Hic in Bibliothecam se abdens, *Hilarij, Augustini, Hieronymi*, aliorumque veterum Scriptorum Opera cum membranis comparando, eadem mirificè illustrauit, *Chromatij* etiam *Homilias, & Symmachi Vrbis Præfecti*, Epistolarum libros 11. luce donauit. ętate grauis Crucelensicij agri Leodiensis ad Huense Oppidum sacris Virginibus Cęnobiarcha datus, eximia morum innocentia complures annos pręfuit, ibidemque cum veteribus amicis, idest libris assidue versatus, placidissima demum morte pius senex è vita decessit, anno 1555. Hæc Myræus Centuria De Scriptoribus Belgicis. Porrò Suffridus Petrus in Præfatione ad sex Auctores, De viris Illustribus, quos anno 1580. Coloniæ emisit, scribit eundem Lipsium Opera Hieronymi, & Ecclesiasticorum Doctorum erudirè fuisse cōmentatum. Quæ tamen adhuc ipse non vidi. Ceterum Martinus hic, patruus fuit viri eruditissimi Iusti Lipsij, de quo diximus suo loco.

MARTINVS Martinez, Cantapetrensis, Hispanus, Theologus, scripsit libros decem Hypotyposeon Theologicarum, siue Regularum ad Diuinas Scripturas intelligendas: quæ omnia bipartitus est, ita vt octo prioribus libris locos aliquot communes, reliquis autem duobus centum Regulas ex Patribus tradat. Ac sanè Opus hoc est eruditum, sed legendum illud, quod anno millesimo quingentesimooctogesimosecundo Salmanticæ excusum fuit, aut ex ea editione, quæ quidem fuit expurgata, ad alias editiones deriuatum. Cum autem idem Martinus priore libro causas attulisset, cur Diuinæ Scripturæ sint obscuræ, deque parabolis egisset, ac quibus linguis, & qua ætate vetus Testamentum versum in alias linguas fuisset, accessit tertio libro ad tractationem de multiplici Dei Aduentu, de Antichristo, deque duplici Christi Redemptoris nostri generatione, temporali, & æterna. At quarto libro de Prophetis, tam bonis quàm malis, ac generatim de prophetia, deque titulis Prophetarum, & Psalmorum: cum quinto libro complura scitu digna prosequatur de ordine narrationis Scripturæ, de mutationibus personarum, & temporum, cum præteritum pro futuro, & futurum pro pręterito in ipsa ponuntur: de varijs significationibus imperatiui modi, & multiplici eius forma, de imprecationibus Propheticis, de vsu interrogationum, & dubitationum, repetitionum item, tum verborum, tum etiam sententiarum, quas crebro admittunt Scripturę. Sexto autem libro de citationibus noui Testamenti, ex veteri desumptis, quæve deprompte sunt in vtroque è Gentilium libris. De pronominibus, ac illorum emphasi, de signis vniuersalibus, & horum vsu multiplici, de Numeralibus nominibus vniuersè, ac de numeris nominum. Quid item in populo Dei censendo, atque enumerando pręscriptum sit à Domino, vt obseruetur. Quid etiam mysticè, & iuxta litteram in Scripturis significent aliquot numerorum species. Libro autem septimo differit de sensibus Scripturarum, ac de nominibus, quæ in bonam, aut malam, aut in utramque partem accipiuntur.

Addit verò quænam ex animantibus ducantur similitudines, quibus designentur humanæ virtutes, ac vitia, mox de comparationibus, quas Scriptura admittit. Denique

octauo libro obseruationes Paulo Apostolo peculiares inserens, agit de præceptis, & consilijs, quodque Deus homines pollicitationibus, aut terroribus, & minis ad præceptorum alliciat obseruationem: deinde de permissionibus, de traditionibus Ecclesiasticis, tam scriptis, quàm haud scriptis, & harum vtilitate ad interpretandas Scripturas, deque alijs obseruationibus, & consuetudinibus Scripturarum, de articulo, & eius emphasi, & interiectionibus, de aduerbijs, & illorum vsibus in scripturis. De coniunctione, varijsque eius significationibus. De vario vsu præpositionum. His autem omnibus libris quæstiones sexagintaquinque fusè explicat.

MARTINVS Pannoniensis. Vide in verbo, Martinus Sabariæ natus.

MARTINVS Papa huius nominis Primus, Patria Tudertinus, in Pontificia Ditione coegit Synodum Lateranensem ann. 649. summa perpessus pro caussa fidei, abductus captiuus Constantinopolim, expositus opprobrijs omnibus, Chersonam fuit relegatus, vbi inopia, & ærumnis confectus, verè martyr obijt. Extant eius Epistolæ Encyclicæ vnà cum Synodalibus Actis Concilij Lateranensis, & ad alios per orbem. In Epistola verò duodecima, vt specimē eius doctrinæ hic appareat, agens de Pauli Episcopi Thessalonicensis erratis, inter alia conqueritur de eo, quòd pium sermonem irritum facere in illis ausus est, impium verò dogma confirmare, cum sequentia verba sustulerit. *Quod per naturam voluntas, & operatio salutis nostra sit in Domino nostro Iesu Christo secundum vtramque earum, ex quibus, & in quibus est, naturarum*. In quo propter sublatas eiusmodi pias (ait) sine voluntate, ac sine operatione, quinimmo sine substantia, ac sine existentia in vtraque natura eum esse astruxisti: quod enim est expers omnis substantialis voluntatis, atque operationis, destituitur etiam ab omni substantiali existentia. Qui præterea (subdit) sustuleris in præfato tuo secundo Synodali & hoc. *Omnia anathematizare quacumque anathematizamus*, scripsit autem hanc Epistolam ann. 652. exul Chersone; nullo videlicet tempore prætermittens curam Ecclesiæ ann. 652. cum post biennium ibidem mortuus est. Vide Baronij Card. Tomum octauum Annalium.

MARTINVS Peresius, alijs *Ayala*, Episcopus Guadixensis, Hispanus, scripsit De Diuinis, Apostolicis, atque Ecclesiasticis traditionibus. Viuebat anno 1550. Venetijs ad Signum Spei, anno 1551. cum antea Parisijs apud Audoenum anno 1549. & Coloniæ prodijsset.

MARTINVS Pistor, edidit Prosopopœiam aduersus tres Fidei hostes Melanchthonem, Caluinum, & alium prænotatum, *Concionator Antithesium Christi, & Romani Pontificis*, Quo in libro meminit suorum in Diui Matthæi Euangelium Commentariorum. Parisijs apud Ioan. Andream ann. 1552. Edidit item Symmachiam aduersus Epitheses hostium fidei, cui duo addidit Colloquia aduersus oppressores ceremoniarum Diuini cultus. Ibid. apud Gulielmum Cauelat. anno 1556.

MARTINVS Polonus, Patria (vt habet Eisingrenius) Cartulanus, Monachus, Ordinis Cistertiensis, quem nonnulli Dominicanum faciunt, alij etiam Scotum fuisse affirmant, Pœnitentiarius Papæ, & Archiepiscopus Cosentinus, inter alia scripsit historiam, siue Chronicon breue à Mundo condito ad sua tempora, quod Martiniana Chronica, à quibusdam vocatur. Antuerpiæ apud Plantinum, cum annotationibus Suffridi Petri, anno 1574. Vixit autem ann. 1250. & Historiæ suæ plures admiscuit fabulas, ac si historiæ probatissimæ fuissent; videtur (ait Cardinalis Bellarminus) vir simplicissimus fuisse: Is autem inter alias fabulas attigit commentum illud de Ioanne Papa fœmina; quod egregiè cum alij, tum Onuphrius Panuuinius in additione ad Platinam, & idem ipse Cardinalis Bellarminus Tomo primo, Controuers. 3. libro 3. de Romano Pontifice, cap. vigesimoquarto, confutant. Vide in verbo, Sigebertus Gemblacensis monachus, & in verbo, Ioannes Papa.

MARTINVS Presbyter extabat Viennæ Austriæ apud Vuolfgangum Lazium: nimirum Chronicon eius vniuersale Pontificum Romanorum, & Cæsarum ad Innocentium Pont. Max. quod definit in Othonibus.

MARTINVS Quadratus, Ebroicēsis, Normannus, Ord. Minorū, & Parisiensis Theologus,

logus,scripsit in Ioelem,& in Amos,Prophetas minores. cũ verò Galliæ consuetudo ferat, vt singulis diebus Aduentus Concionatores concionentur non minus quàm tempore Quadragesimæ, ijs diebus ita Prophetam Malachiam exposuit, vt reliquis concionatoribus nõ mediocri vsui esse queat. Parisijs autem hęc Niuellius, anno 1576. Sonnius autem anno 1587. excuderunt.

MARTINVS Raymundus extabat in Bibliotheca Francisci Vatabli. Nempè liber prænotatus *Pugio*, quo perfidos, & Iudæos iugulat: ex quo Petrum Galatinum plura desumpsisse,qui eum legerint,animaduertent.

MARTINVS Ranaut(dubito ne scribendum sit *Renaut*, siue *Rainaldus* Latinè) inscripsit Tractatus suos, *Flosculi Beneficiales*. De modo vacandi Beneficiorum. De modo exequendi Gratias Expectatiuas. De modo acceptandi Beneficia. Sic enim ipse loquitur.

MARTINVS Rythonius, Præses Synodi Prouincialis Mechliniensis,loco Antonij Perrenoti Cardin. Archiepiscopi,edidit eiusdem Synodi Decreta,& Statuta. Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1571.

MARTINVS Sabariæ natus,in Pannonia, primò miles,qui chlamydis partem pauperi,hoc est Christo, dedit, deinde omnibus virtutibus excultus, ac deinceps Turonensis Episcopus, & quidem Vir Sanctissimus, breuem,& insignem, Fidei Professionem reliquit. Quæ incipit, *Clemens Trinitas est vna Deitas*. In eam verò extant Scholia Thomæ Beauxamis impressa Parisijs anno 1571. vna cum Abdia Babylonico, scriptore apocrypho. Obijt anno 402. Quemadmodum Baronius Cardinalis euincit. Tomo 5. Annal. Quidquid secus inueniatur in Gregorio Turonensi, quasi obierit anno 412. Qui lapsus forte fuit Amanuensium.

Porrò Sancti Martini Vitam mandauit scriptis Sulpitius Seuerus: qui item de illius animæ ascensu ad Cęlum certior per visum factus, Epistolam ad Aurelium Diaconum, & alteram De obitu, ac funere ad Bassulam Socrum scripsit. Quamquam verò deinceps tres quoque libros Dialogorum idem Seuerus de Gestis S. Martini,deque Aegypti monachis scripsit, eo tamen plausu, quo vita eius ab eodem conscripta, excepti non fuerunt. Plura enim habet digna censore. Quamobrem Gelasius Pontifex Maximus, eosdem Seueri dialogos sub nomine Posthumiani, & Galli editos, reiecit inter libros apocryphos. S. item Paulinus Episcopus Nolanus,Gesta Sancti Martini quinque libris carmine cecinit, quibus sextum adiecit Librum De miraculis ab eo post obitum editis. Quod testatur Gregorius Turonensis. At non fuisse hunc Paulinum illum Nolanum seniorem probat Baronius Cardin. To. 5. Annalium.

Porrò Martinus non fuit (vt quidam sunt opinati) monachus Ordin. D. Benedicti, cum longè ante hunc ipsum vixisse constet.

MARTINVS Sculthorpius, Patria Nordouolgus, Anglus, Carmelita, scripsit Latinas Conciones sacras. Determinationes autem altero libro. Vixit ann. 1430.

MARTINVS Siscouius, Canonicus Cracouiensis, vberem edidit Orationem, quam inscripsit, *Pro Religiosissimis Societatis Iesu Patribus, contra ficti Equitis Poloni Actionem primam, Oratio*. Cracouiæ ann. 1591.

MARTINVS Seguierius, Gallus, Academiæ Parisiensis Priuilegiorum à Summis Pontificibus concessorum Conseruator, scripsit Tractatum de Summa Dei Potestate, hoc est Omnipotentia, Sapientia, & Misericordia, siue Bonitate. Boni Pastoris Suspiria. Regis Orationes. Alias item, hoc est Pœnitentialem, Matutinam, Vespertinam. Expositionem quorundam Hymnorum. Parisijs apud Fridericum Morellum, anno 1578.

MARTINVS Smigelecius, Leopoliensis, (quæ Ciuitas est Metropolis Russiæ, siue Roxolaniæ in Regno Poloniæ) Theologus Societatis Iesu, scripsit insignem Librum aduersus Faustum (rectius Infaustum) Socinum, De Diuinitate Filij Dei; idque Polonicè. Alia item minora Opuscula partim Latinè, partim Polonicè quale item quod prænotatur *De vsuris*. Quę omnia Vilnę in Lituania prodierunt in lucem.

MARTINVS Tournhout, Belga, Ordinis Minorum, Professor Louaniensis, exposuit ann. 1535. Esaiam. ea verò expositio extabat in Bibliotheca eiusdem Ordinis Antuerpiæ. Scripsit item Expositionem Itinerarij mentis in Deum, Diui Bonauenturę, per Sermones distributam. Sermones quoque De Tempore, ac De Sanctis vno Tomo. Commentarios in lib. 4. Sent. Quæ Louanij asseruantur in Bibl. sui Ord.

MARTINVS Turonensis Episcopus. Vide hic supra in verbo, Martinus Sabariæ natus.

MARTINVS Viualdus, Hispanus, Canonicus Regularis Congregationis S. Saluatoris. Vide in verbo, Candelabrum Aureum.

MARTYRES, & Martyrologia selectiora nosse summi momenti est. Propterea de ijs in Tomo primo Bibliothecæ nostræ Selectæ, editionis Venetæ, quæ prodijt ann. 1603. apud Altobellum Salicatum, egimus, potissimum c. 20. Quænam in legendis martyrum, & aliquorum Sanctorum Gestis sint obseruanda, c. 21. Cur simplicibus imposuit Satanas falsam aliquorum venerationem, cap. 22. De Historiæ Sanctorum vtilitate, cap. 23. De Martyrum Gestis, vnde sint sumpta, capit. 24. Quænam martyrologia sint absolutiora. Eò igitur rogamus Lectorem, vt se conferat. Cum autem præter antiquissimos, qui Ecclesiasticam Historiam, scribentes, aut post Symeonem Metaphrasten, qui Menologia Gręcorum collegit, fuerint apud Latinos Beda, Vsuardus Monachus, Ado Treuerensis Episcopus, Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis, Petrus Galesinius, & alij, qui qui dem in hoc verè sancto negocio laborarunt, iam Notæ Baronij Cardinalis ad Romanum Martyrologium primas ferunt, qui & illos legit, & tot, & tantos Annalium Tomos colligens certius de tota re scribere potuit. Quamobrem & ad eosdem Annales hortatus est, vt confugiant, qui aliquid in Notis ad Martyrologia reperiret, quod cum Annalibus non cohæreret, quippe quorum posterior labor debuit esse, vt fuit, absolutior. Ac propterea sciendum, ab eodem Baronio Card. in Appendice ad 10. Tomum admonitos fuisse Lectores, ne putarent ab se fuisse recognitas easdem ad Romanum Martyrologium Notas, quas Typographi quidam in fronte earum recognitas esse emptoribus, lucri gratia (vt idem habet Baronius Cardin.) obtruserunt. Vide autem in verbo vniuscuiusque Scriptoris Martyrologiorum suo loco in hoc Apparatu.

Ceterum Apollonius Painus Theologus Ordinis Seruorum, significauit mihi per litteras, à Patre quodam sui Ordinis, quem Mathematicum nominat, adornari quadruplex Martyrologium, Solare, Annuum, Diurnum, Mysticum, eiusdem quidem argumenti, cuius est Baronij Cardin. Martyrologium. At quod vbertate, & varietate futurum sit vtile, atque iucundum.

MASSALIANI hæretici fuerunt in caussa, cur celebris Episcoporum conuentus, & Concilium aduersus eos haberetur (locus, vbi id celebratum fuerit, ignoratur) contigit autem illud anno Domini 427. quarto autem Celestini Papæ. sancitum est, vt Massaliani quantamcumque pœnitentium speciem præseferrent, amplius in Ecclesiam non reciperentur, quam iam sæpe eluserant. Interfuere inter alios Sisinnius Constantinopolitanus Episcopus, & Theodotus Episcopus Antiochenus, vt Photius inquit, vbi agit de Theodoto. Vnus tantum ex Actis huius Synodi canon superest, qui extat in ipsius Photij Bibliotheca, cum agit de ipso Theodoto, quem Canonem suorum Annalium Tomo quinto Baronius Cardin. inseruit.

MATERNVS Pistorius, Germanus anno 1508. scripsit, atque Erphordiæ edidit narrationem Historicam De Vita, & Passione Conradi de Sommerde, nobilis pueri à Iudęis interfecti in Oppido Vissenscha, cui narrationi adtexta est Confirmatio litterarum Friderici Misnensis, Orientalis Marchionis, scriptarum ann. 1508.

MATRIMONIORVM Dispensatio. Vide in verbo, Constitutio Ecclesiæ.

MATRONAE Beatæ vita extat apud Symeonem Metaphrastem.

MATRONIANVS prouinciæ Hispaniæ, valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus, cæsus est Treueris cum Priscilliano, Felicissimo, Iuliano, Euchrotia, ab eiusdem factionis auctoribus. Extant eius ingenij Opera diuersis metris edita.

Sic

Sic in Catal. Hieronymus. At Cod.m.s. Martiniensis hunc vocat *Latronianum*, & in contextu pro *Euchrotia* legit, *Eutropio*. Honorius etiam *Latronianum* habet, vt & Gembl. & Sigebergen. qui etiam pro *Euchrotia* legit *Eutropio*. Obijt ann. 390. Suffridus Petrus.

MATHILDA, quæ magna Italiæ Comitissa dicta est, à quibusdam præter vetustiores, ac recentiorem Carolum Sigonium, qui de Regno Italiæ scripsit, fuerit paucos ante annos celebrata, vide in verbo, Benedictus Luchinus; & in verbo, Dominicus Guidi Mellinus. Eam sanè, ob cuius insignia erga Ecclesiam merita, debet habere etiam hic locum, fuisse ex familia Malespina Lucensis Sigifredus refert, cum ad eam ciuitatem antea eius maiores confugissent, ab Hungaris timentes, vnde duxerant genus. Porrò hæc in Templo Diui Benedicti, quod celebre cum insigni Monasterio extat in Tractu Mantuano, sepulta est. Fuit autem filia Bonifacij, qui fuit Thedaldi, qui fuit Atti secundi, qui fuit Atti primi, qui fuit Sigifredi nobilissimi Lucensis. Mathildæ item mater fuit Beatrix soror Henrici Secundi Imperatoris. In Mathildæ autem historia plerique errarunt propter eius nomen alijs quoque æquiuocum. Quare Arnoldus Vuion historiam colligebat, è qua extaret veritas: idque tum è vita ipsius Mathildæ, quam scripsit Martinus, qui à secretis Mathildæ fuit, tum è Petro Donizone, qui eam rudi carmine exarauit, atque item ex alijs scriptis, Archiuis, Testamentis, Donationibus. Fuisse enim sex Mathildas (alij plures quam sex) magni nominis & opum scribit Benedictus Luchinus Mantuanus monachus, & Abbas Benedictinus De vera Origine, & Gestis Comitissæ Mathildæ c.25. Quod Chronicon Italicè conscriptum prodijt Mantuæ, anno 1592. apud Franciscum Osannam.

MATISCONENSIS prima Synodus Guntheramno Francorum Rege in Gallia celebrata est anno Dom. 582. quinto autem Pelagij Papæ Secundi. Canones viginti Sanciti, inquit Ado. Sed vndeuiginti tantum extant. Ad disciplinam autem Ecclesiasticam, ad mores, atque item ad petulantiam Iudęorum coercendam spectant. Vide 2.To. Concil. In quo, qui error irrepsit, quasi hæc Synodus duodecimo anno Regni Guntheramni habita esset, emendandus est, & ponendus decimooctauo. Baron. Cardin. 7. Tomo ad finem anni Domini 582.

MATISCONENSIS secunda Synodus, procurante Guntheramno celebrata, & generalis appellata, ad quam omnes Metropolitani Episcopi in Prouincijs Guntheramni positi conuenerunt, & cui pręfuit Priscus Lugdunensis, idemque nominatus Patriarcha, anno Domini 588. coacta est ad corruptos populi mores tollendos, & ad Episcoporum diligentiam excitandam, à Gregorio Turonensi lib. histor. Francorum 8.c.7.& 12. refertur, ex quo eiusdem Synodi quædam, præter illa, quæ extant in Actis, collegit, & suorum Annalium Tomo septimo Baron. Card. inseruit.

MATTHAEVS Anglus, Monachus Vuestmonasteriensis, vir doctus, & rerum Britannicarum studiosus indagator, scripsit ab exordio mundi vsque ad ann. Dom. 1307. pręcipuè de rebus Britannicis.

MATTHAEVS qui & Leui, ex publicano Apostolus, Olympiade ducentesimaquarta, anno tertio (vt habet Eusebius) hoc est anno à Christo Domino nato, quadragesimo primo, octauo anno ab Ascensione Domini in Cęlum, Euangelium suum primus inter reliquos Euangelistas, Hebraicò Sermone (vt ex Ireneo, Hieronymo, Epiphanio constat) scriptum reliquit: vnde factum est (sicut idem inquit Hieronymus) quòd vbicumque Euāgelista, siue nomine Saluatoris, siue suo, veteris Scripturæ testimonijs vtitur (siue, vt habet Codex Gemblacensis (abutitur) Nam & idem expressit Sophronius verbo, *καταχρῆται* non sequatur septuaginta translatorum auctoritatem, sed Hebraicam. Epiphanius certè loquens de Nazaręis: habent (inquit) Matthæi Euangelium perfectissimum Hebraicè: apud ipsos enim hoc clarè, quemadmodum ab initio scriptum est, Hebraicis litteris adhuc seruatur. Et Hieronymus. In Euangelio, quo vtuntur Nazaręni, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, quod vocatur à plerisque authenticum, homo iste, &c. Quin etiam testatur, ipsum Auctoris exemplar Hebraicum temporibus suis asseruatum fuisse in Bibliotheca Cæsariensi, quam Pamphylus Martyr extruxerat, seque eius

Eusebius in Chronico. Irenęus, lib. 3 cap. 1. Hiero. de scri pt. Eccl. & Cōment. in Mat th. c. 12. Epiph. hær. 29.

describendi facultatem obtinuisse à Nazaræis, qui in Beroea, vrbe Syriæ, commorantes, consimili Hebræo volumine vtebantur.

Quoniam verò non eadem veterum est sententia de tempore, quo scriptum est hoc Euangelium; Irenæus enim putat, id factum, cum Petrus & Paulus Romæ Euangelizarent, & fundarent Ecclesiam; Nicephorus autem, quintodecimo post Christi ascensionem anno; Eusebius verò & Hieronymus aiunt, Bartholomæum profecturum ad Indos, Matthæi Euangelium descriptum secum detulisse; Theophylactus autem post octo annos ab assumpto in Cælos Domino: ideo non solùm Cæsar Cardinalis Baronius primo Tomo suorum Annalium Ecclesiasticorum, conatur euincere, eo tempore esse scriptum, quo testatur Eusebius, sed & ante illum Georgius Ederus suæ Bibliorum Oeconomiæ libro tertio, & Driedo multo antea erudita pietate, hæc quæ videntur inter sese pugnantia, ita conciliare nixi sunt. Sciendum est (aiunt) primum, Patres in his, quæ aut facti sunt, aut ex Sacris Scripturis demonstrari non possunt, aut si possunt, nondum seculis illorum, neque Scripturis Sacris, neque experimento, neque auctoritate, vel ratione certa fuerunt elucidata, crebrò inter se discrepare, cum pace tamen Christiana, & fide Catholica, se inuicem, neque iudicantes, neque à sacra communione separantes, quemadmodum Diuus Cyprianus cum suis collegis quondam in Africa dissentiebat à ceteris &c. Deinde non esse contrarietatem vllam, si Matthæus dicatur scripsisse prius Euangelium suum in Iudæa, & postea Petro & Paulo prædicantibus Romæ, edidisse ipsum in lucem, & dedisse legendum omnibus. Donec maneret in Iudæa Matthæus, viuis vocibus prædicabat illis Euangelium suum iam scriptũ, quod postea inde commigrans, omnibus legendum tradidit. De hoc sic loquitur Eusebius: Matthæus primò Hebræis prædicauit Euangelium. verum cum putaret transire ad Gentes, patria lingua scripturam composuit, & ea, quæ prædicauerat, comprehendens, reliquit his ad memoriam, à quibus proficiscebatur, vt Gentibus prædicaret.

Irenæus lib. 3. cap. 1. Niceph hist. Eccles. lib. 2. cap 41. Euseb. hist. libro 5. c. 10. Hiero. de scri pt. Eccles. in Panten. c. 36. Theophyl. in Præfat. in Matthæum. Driedo de script. Eccles. lib. 3. c. 4. Euseb. lib. 3. Eccl. hist. capit. 24.

Id operis verò aggressum esse Matthæum, tum Iudæis qui crediderant flagitantibus, tum Apostolis iubentibus, sicut scribit Ioannes Chrysostomus, ita cur ei primò ab Apostolis hoc onus scribendi impositum fuerit, Epiphanius & alij his verbis exponunt. Hic itaque Matthæus Euãgelium suscipere dignus iudicatur; & iustissimum hoc erat: oportebat enim à multis peccatis conuersum, & à telonio digressum, in exemplum nobis futurorum saluari ab eo, qui ob salutem generis humani venit, ac dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pænitentiam:* & ex telonio educto, atque ab iniquitate conuerso salutis prædicationem exhiberi, quo ab ipso discerent homines aduentum benignitatis. Athanasius verò. Euangelium secundum Matthæum ab ipsa Hebraica dialecto conscriptum est, & editum Hierosolymis; & interpretante Iacobo fratre Domini secundum carnem, expositum est. Sed & Tertullianus: Matthæus (inquit) fidissimus Euangelij commentator, & comes Domini, nõ aliam ob caussam, quam vt nos originis Christi carnis compotes faceret, ita exorsus est: *Liber generationis, &c.* Idque eo consilio factum est, ut qui ad Hebræos scriberet, secũdum carnem Christum expectantes, cum iam venisse, & ex Abraham stirpe, & semine Dauid exortum imprimis esse monstraret. Porrò quòd primum omnium Matthæi Euang. esset editum, exscriptũ illud fuisse ab Apostolis, non tantũ Bartholomæi, sed & Barnabæ suadeat exempla; hic quidem quantũlibet vnà cũ Paulo Apostolatum accepisset ad Gentes, secum tamen tulisse Hebraicum Euangelium à Matthæo conscriptum, & apud se semper habuisse, atque vna cum eo sepultum fuisse certissimum est: refosso enim Barnabæ corpore, anno quarto Zenonis Imperatoris, vnà cum eo, illique inhærens inuentũ fuit Euangelium secundùm Matthæum, Hebraicè conscriptum. Ex hisce autem omnibus liquet, nec Syriacè, vt nonnullis, nec Græcè, vt Caluino placuit, à Matthæo Euangelium fuisse conscriptum: Nam præterquam quòd rectores secus (vti ostendimus) tradiderunt; & fragmenta, quæ ex eo affert Hieronymus, sunt purè Hebraica, Matthæus item sapiente consilio, non tantùm Iudæis qui nosse potuissent Græcè, & Syris; sed Orientalibus omnibus scribebat, quorum vel vltimi. Indi ea lingua vt docta, & Grammatica vtebantur, & ad hunc vsque diem vtuntur, Missam etiam Hebraicè canentes, vt ob eã caussam (vt inquit Genebrardus) videatur Bartholomæus Matthæi Euãgelium secum in Indiam præ ceteris detulisse, cuius

Chrysost. homil. 1. in Matthæum. Epiphan. hæresi 51. Athanas. in Synopsi. Tertullianus de carne Christi c. 22. Libro 3. suæ Chronogr.

exemplar

exemplar Pantenus Origenis coæuus eò proficiscens in Aegyptum intulerit. Denique vt inseruiret Aethiopibus,quibus se datum Apostolum scribat. Aethiopes autem Syriacè nō nouerunt,minus Græce,cum interim in puerilibus Gymnasijs,vti & hoc tempore, Hebrai cè discerent, sicuti nos Latina,& Græca facimus. Sic enim Eunuchus sedens super currū, dicitur legisse Esaiam Prophetam. Euseb. lib. 5. hist. cap. 10.

Quamuis autem Ebionęi hæretici vterentur Euangelio Matthæi,Cerinthusque & Carpocrates id ipsum descripserint (sicut habet Epiphanius) sic tamen illud deprauarunt, ac detorsere, vt è genealogia Saluatoris à Matthæo contexta, humanitate duntaxat hausta, negauerint Diuinitatē. Ac ideo docti aliqui,Bedę, Euangelium Matthęi quo Nazaręi vtebantur, existimanti haud esse adnumerandum inter apocrypha, fortasse quòd in Decreto Gelasij nulla de eo, sicut de ceteris, habetur mentio, non facile assentiuntur. Nam cum Hieronymi testimonio,plerisque locis, quos citat, nonnulla constet in eo circumferri pugnantia cum ijs, quæ reperiuntur in Matthæi Euangelio,quo Ecclesia vtitur,periculo proximum arbitrantur,eum in aliam, quàm in Apocryphorum classem referre, cum non nisi vna possit veritas esse. Epiph. hær. 30. Sic Baronius in suis Annalibus.

Iam verò ab aliquibus Matthęus Euangelista fingebatur esse auctor duorum librorum, quorum alter de ortu,siue stirpe Mariæ, alter de infantia Saluatoris inscribitur: qui Valentinianorum, & Gnosticorum commenta sunt. His libris inepti quidam auctoritatem asserere cupientes, præfationes addiderunt sub nomine Chromatij, & Heliodori Episcoporū ad Hieronymū,& Hieroynmi ad ipsos cōfictas,quę vtrunque Opus testarentur à Hieronymo in gratiam eorundē Episcoporum,ex Hebraico Matthęi volumine translatum,& ab hęreticorum falsationibus expurgatum. Sed cum in his libris eędem nunc extent aniles fabulæ, quas Irenęus,& Epiphanius ex ijsdē libris refellunt, palàm apparet impostorum deceptio. Gelasius inter libros ab Ecclesia damnatos vtrunque abijcit. Sixtus Senēs. lib. 2. Bibliot. Sanctæ. Irenæus li. 1. aduersus hæreses Valent. Epiphan. lib. 1. Panarij, Sectione 3. Gelasius 15. distinct.

Quinetiam, quę antiquitus Ebionitę, ac deinde Celsus Epicureus, & Porphyrius, & Faustus Augustini tempore òbiecerunt,vt auctoritas huius Euangelij sacrosancta eleuaretur,à Sixto Senensi septimo libro suę Bibliothecę tum ex ipsomet Augustino, tum ex alijs aptè refelluntur; cum reliqua, quę ex Patribus videbantur aliqua egere declaratione persecutus sit sexto eiusdem Bibliothecę libro, centum & viginti septem Adnotationibus, quę instar Commentarijs interdum esse possunt: In decima verò illarum, disertè ac doctè aduersus Genethliacos, seu quos vocant Iudiciarios Astrologos, agit.

Sed vt ipsius Matthęi Operis reliqua persequamur,Caussa inscriptionis, Argumentū, Partitio,siue ęconomia,vitæ item & laborum ipsius scriptores,deinde Interpretum nomina,qui hoc Euangelium exposuere,afferenda sunt.

Et Caussam quidem Inscriptionis afferunt Chrysostomus, & Anselmus: ille à Matthęo dicens Euangelium vocatum esse librum generationis Christi, ab ipso omnium fonte, & capite bonorum Christo:Anselmus autem,quòd hic mos Hebręis fuit familiaris,vt libros suos à capite plerunque,id est primis eorum verbis inscriberent. Sic primus liber Moysis ab exordio suo dictus est Genesis: quocum huius libri initium non nomine tantum, sed re etiam ipsa conuenire videtur. Vt enim de generatione hominis primi, & totius Mundi creatione scribitur;ita hic de generatione secundi agitur hominis,ac de Mundi ipsius disseritur restauratione. Chrys. hom. 2. in Euang. Matthæi. Ansel. initio Com. in Matthæum.

Argumentum autem hoc est. Matthæus ex Iudæa, sicut in ordine primus ponitur, ita Euangelium in Iudęa primus scripsit,cuius vocatio ad Dominū ex publicanis actibus fuit, duorū in generatione Christi principia præsumens; vnius, cuius prima circūcisio in carne; alterius,cuius secundum cor electio fuit. Ex vtrisque enim Patribus Christus. Sicque quaterdenario numero triformiter posito, principium à credendi fide in electionis tēpus porrigens, & ex electione vsque in transmigrationis diem dirigens, atque à transmigrationis die vsque in Christum definiens, decursam Aduentus Domini ostendit generationem; vt numero satisfaciens,& tempori, & sę, quid esset, ostenderet,& Dei in se opus monstrans, etiam in his, quorum genus posuit, Christi operantis à principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus,ordo, numerus, dispositio,vel ratio, quod fieri necessa-

cessarium est, Deus Christus est, qui factus est ex muliere, factus sub lege, natus ex Virgine, passus in carne, omnia in Cruce fixit, vt triumphans ea in semetipso resurgens in corpore, & Patris nomen in Patribus Filio, & Filij nomen Patri restituens in Filijs, sine principio, sine fine; ostendens vnum se cum patre esse, quia vnus est. In quo Euangelio vtile est desiderantibus Deum sic prima, vel media, vel perfecta cognoscere, vt vocationem Apostoli, & opus Euangelij, & dilectionem Dei in carne nascentis per vniuersa legentes intelligant, atque id in eo, in quo reprehensi sunt, & apprehendere appetunt, recognoscant.

Partitio verò fuit ex vetustioribus Latinis; Hilario quidem in Canones triginta tres; Christiano autem Drutmaro in Canones sexaginta sex, ex recentioribus verò in viginti octo Capita: Ex Græcis autem Euthymio, vel Oecumenio in capita sexaginta octo, Ex Suida in titulos sexaginta octo, capita autem trecenta quinquaginta quinque, Ex Ammonio & Eusebio in totidem capita. At Auctor Operis imperfecti in Matthæum; Corpus (inquit) narrationis suæ dispofuit hoc modo, vt persequatur; Primò Natiuitatem, Deinde Baptismum, Tertiò Tentationem, Quartò Doctrinam, Quintò Miracula, Sextò Passionem, Septimò Resurrectionem, & Ascensionem eius; Non solùm historiam de Christo exponere volens per hæc, verum etiam Euangelicæ vitæ statum docere. Quoniam nihil est, quòd ex parentibus nascimur, nisi per aquam, & Spiritum Sanctum renati fuerimus ex Deo. Post Baptismum autem necesse est contra Diabolum stare, quoniã ad hoc quisque vngitur, & reædificatur in baptismo, vt contra tyrannum suscipiat bellum. Post hæc quasi omni superata tentatione factus idoneus ad docendum, siquidem Sacerdos est, doceat, & Doctrinam suam bonæ vitæ (quasi miraculis) factis commendet: Si autem laicus est, operibus doceat fidem. Deinde necesse est, exire nos de hoc stadio Mundi, & tunc restat, vt tentationum victoriam, resurrectionis merces sequatur, & gloria. Porrò Ederus, tertio libro suę Oeconomiæ, à Tabula quartadecima vsque ad Trigesimam sextam, Euangelium Matthęi varijs Notis partitum, omnia, vt solet, ordinatè oculis subijcit.

Vitę, & Laborum ipsius Scriptores (præter illa, quę diximus supra) summatim, sed accuratè attigit Cęsar Card. Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, in diem vigesimam primam Septembris, inquiens. De Apostolatu eius ad Aethiopas, scribunt Origenes, Eusebius, Socrates, Dorotheus, & alij. Auctor ille qui fertur sub nomine Isidori, libro de vita & obitu Sanctorũ, Macedoniam, & Iudæam illi tribuit, Metaphrastes verò Syriam superiorem iuxta Euphratem. Plura de eodem in Constitutionibus Apostolorum, quę feruntur Clementis nomine. Acta eius, præter ea, quæ in passionibus Apostolorum, incerto auctore, feruntur, descripsit etiam Metaphrastes, quæ recitat Lippomannus, incipientia, *Iam quidem* &c. Alia diuersa habet Surius, Perionius alia nuper conscripsit: nouissimè verò ex antiquis monumentis, & Sanctorum Patrum scriptis collegit M. Antonius Columna, Archiepiscopus Salernitanus, & sanè quidem eruditè. In Breuiario Toletano sacri hymni habentur, quibus etiã eius acta narrantur. Tres insuper hymnos de eodẽ Apostolo ab Alfano Episcopo Salernitano esse elaboratos, tradit Petrus Diaconus. Nonnulla itẽ de Matthęo scribit Nicephorus, sed quę nullius prorsus sint testimonio cõprobata. Apud Hippolytam legi Matthęum factum victimã Virginitatis: alludente nimirũ auctore ad historiam de S. Iphigenia Virgine, quæ legitur in Actis eius, ab eo, Deo dicata. De loco, vbi passus est, vel vbi sepultus, potius assentior Venantio Fortunato, qui ante annos mille vixit, is etenim dum agit de Apostolis singulis, ipsisque locis, vbi passi, & conditi sunt, hæc de Bartholomæo, atque Matthæo canit.

Inde triumphantem fert India Bartholomæum;
Matthæum eximium Naddauer alta virum.

De victu ipsius, Clemens Alexandrinus sic ait, Matthęus Apostolus seminibus, baccis, atque oleribus absque carnibus vescebatur. De eiusdem autem inuentione vnà cum corpore S. Barnabę, Theodorus lector, Nicephorus, Alexander Monachus, & alij recẽtiores.

Vide verò, quæ nouissimè omnium de illo scripsit Ioannes Maldonatus suis in Euangelistas Commentarijs, initio.

Orig. in Genesim. Euseb. lib. histor. 3. c. 1. Socrat lib. 1. cap. 15. Dorotheus in Synopsi. Isid. de vita, & obitu SS. cap. 78. Lipp To 5. Surius To 5. hac die. Petrus Diac. Casin de viris Illustr. monachi S. Benedicti cap. 19. Niceph. lib 2. cap. 41. Hippolytus libello de 12. Apostolis. Venantius in carm. de gau. vitæ æter. & lib. 7. ad Godeg Ducem.

Clemẽs Alexãd lib. 2. Pędagogi, c. 1. Theod. lib. 2. Collecta. Niceph. lib. 16. cap. 37. Alexand Monachus in vita S. Barnabæ.

Interpretes

Interpretes in Diuum Matthæum.

Alfonsus Tostatus.
Anselmus Cantuariensis
Antipater Bostiensis.
Antonius Puccius.
Arnoldus.
Athanasius.
Aurelius Augustinus.
Basilius.
Bonauentura.
Claudius Monachus.
Clemens Alexandrinus.
Christianus Drutemarus.
Chromatius.
Cyprianus Chartaginensis.
Cyprianus Monachus.
Didymus.
Dominicus Soto.
Eccardus.
Franciscus Titelmannus.
Fridericus Nausea.
Gregorius Antiochiæ.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssæ.
Gullielmus Aruernus.
Guerricus.
Gulielmus Lud. Langion.
Gulielmus Pepin.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Doleus.
Ioannes Dominici.
Ioannes Hofmeisterus.
Ioannes Ludouicus.
Ioannes Maitrosius.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Maria.
Ioannes Regino.
Ioannes Sanctęfidei.
Ioannes Scotus Monachus.
Ioannes Soarez Lusitanus.
Iodocus.
Iosephus Tiberinus.
Iulius Africanus.
Leo Papa.
Leontius.
Matthæus Aulæ Regiæ.
Matthæus Bredembachius.
Methodius.
Michael Angrianus.
Nicolaus Dincespulus.
Pantaleon.
Pantænus.
Paulus à palatio.
Petrus Aliacus.
Remigio.
Rodulphus Languis.
Seuerianus.
Symmachus.
Theodorus Heracleotes.
Theodoricus Herxen.
Theodorus Ancyræ.
Theognostus.
Tilmannus Aquensis.

In Euangelium item Matthęi Metaphrasin Græcam vidi m. s. Anonymi in pluteo 22. Bibliothecæ S. Saluatoris, Bononiæ. Liber est in 4.

MATTHAEVS de Aquasparta, (alijs *Aquasporta*) Ord. Minorum, Doctor insignis, primò lector Palatij Pontificij, & summus Pœnitentiarius Romæ, deinde totius Ord. Minister Generalis, & postea Episcopus Portuensis S. R. E. Card. tituli S. Laurentij in Damaso, à Nicolao Quarto Pont. Max. creatus, scripsit in librum Iob. Postillam in Psalmos. Commentarium in Epistolas D. Pauli. Quæstiones quodlibeticas: Quarum exordium. *Quæritur vtrum ad cognitionem rei, &c.* In quattuor libros Sententiarum Explanationem. Sermones in Epistolam ad Romanos. Inuentarium Sententiarum, libro vno, & Indices per seriem litterarum in eosdem libros Sententiarum. Obijt Bonifacio Octauo Pont. Max. Florebat ann. 1290. & multo post.

MATTHAEVS Audebertus, edidit Flores Operũ D. Bernardi. Lugduni ann. 1556.

MATTHAEVS Aulæ Regiæ, monachus, qui & natione Germanus, scripsit in Psalterium, In Euangelium D. Matthæi, Commentarios in Hymnos, & in Petrum Lombardũ, & alia, vt ferunt: Quæ tamen ipse haud vidi. Ceterum, cum Ioanne Hussio Pragensi sæpe congressus, sæpe item eum vicit, & confudit. Viuebat ann. 1415.

MATTHAEVS Bandellus, è Castro Nouo, Ord. Præd. Vitam Vincentij Bandelli, & aliorum insignium Virorum sui Ord. scripsit. Egesippum è Latino Italicè reddidit, cumque varias Orationes varijs de argumentis scripsisset, eam præcipuè laudant, quam pro gratiarum actione ad Senatum, Populumque Firmanum habuit. Extabat in eius Ciuitatis Archiuo.

MATTHAEVS Bononiensis, Italus, Magister Carmelitarum Generalis, scripsit librũ, quem prænotauit, *Quæstiones Theologiæ*, præter id, quod libris tribus emiserat in Summulas Petri Hispani. Viuebat ann. 1410.

MATTHAEVS Bossus, Veronensis, Canonicus Regularis D. Augustini, scripsit Rerecuperationes Fesulanas, quæ ad res Ecclesiasticas, atque Politicas spectant. Eę verò prodierunt Bononiæ apud Platonem de Benedictis, ann. 1483. Quin & ann. 1502. Venetijs apud Bernardinum Venetum Vitalem. Ita nimirum inscriptæ, quod è multis dispersis, atque deperditis recuperatæ, atque in vnum redactę sint. Tripartitum est autem Volumen,

lumen, & Prima pars continet centum & triginta tres Epistolas. Secunda ducentas, & triginta duas. Tertia, centum, vnà cum sex Sermonibus. Quorum Primus De Passione Domini: Secundus De Ascensione eius ad cęlos; vbi insignis est cohortatio ad cęlestia consurgendi. Tertius de die Natali D. Io. Baptistæ. Quartus ad Concanonicos Præsides, Patres, & subditos fratres, in generalibus Comitijs eiusdem Ordinis ad consulendum Ordini. Quintus De Annunciatione Beatiss. Virginis. Sextus in sollemni die D. Ludouici Pontificis.

Anno autem 1509. Argentorati excusa sunt apud Matthæum Schurerių̃, Opera quinque Moralia, cum breui Epistola præfixa Angeli Politiani. Qua viri eruditionem, & vitam commendat. Sunt autem hæc.

1 De veris, & Salutaribus animi gaudijs Dialogus tribus Disputationibus distinctus, & quidem his de eximia virtute agit, qua ad Deum euehimur.

2 De verò Sapientiæ cultu, libris octo. Quorum præcipua sunt capita. De Humana, & Diuina Sapientia, De timore Dei, De Disciplina, seu Castigatione, siue Regula, De Oratione, siue precibus ad Deum, ad Superos, ad Mortales. De scientia sapientiæ comparandæ necessaria. De laudibus sapientiæ omni studio conquirendæ.

3 De tolerandis aduersis, Dialogi duo, in quorum primo, cur boni malis afficiantur. In secundo autem, cur iniqui felicius agant.

4 De gerẽdo Magistratu, iustitiaq; colẽda ad Ioannẽ Ludouicũ Bossum. I.C. & equitẽ.

5 De immoderato mulierũ cultu, siue, ne fęminea ornamẽta Bononiensibus restituãtur.

Matthaevs Channey, Anglus, Cartusianus, scripsit de Ioanne Roffensi, & Thoma Moro, Viris præstantissimis librum. De Reginali Monacho Brigittano, Alterum de 18. Cartusianis, qui pro fide Catholica interfecti sunt. Viuebat ann. 1540.

Matthaevs Chantonis, Aquitanus, Albiensis (siue *Albigensis*) Carmelita, & Doctor Tolosæ, vbi publicè docuit, scripsit Lectiones in D. Scripturam, libro vno. Conciones ad Clerum, libro vno. Lecturam in Mag. sent. lib. 4. Præconia Scripturæ sacræ lib. 1. De Passione Christi Domini libris quinque. Homilias Quadragesimales, libro vno. De S. Nicolao. De Sancta Catharina. De Peccatis, & remedijs libros duos. De Educatione puerorum librum vnum. In Boetium de Consolatione libros quinque. In Decretalem de Baptismo. In Politica Aristotelis libros octo. Aduersus Luxuriã, librum vnum. Obijt in Albiensi cęnobio ann. 1506.

Matthias Cittardus (alijs *Zittardus*) edidit Concionem De supplicatione, quam vocant *Processionem* cum gestatione Sacrosanctę Eucharistiæ. Venetijs ann. 1567.

Matthaevs Confessarius D. Birgittæ, cuius Aedem insignem Deo dicatam, & ossa Vastenis, in Gotthia conspeximus, fuit Theologus, & Canonicus Lincopensis (& Lincopia in Regno Gotthiæ ciuitas est) ac Vir Sanctus, quare & B. Matthias adhuc vocatur, scripsit Commentarium in vniuersa Biblia, Quem ipse Christus Dominus, vt extat in Reuelationibus D. Brigittæ, suo velut oraculo comprobauit. Qui tamen labor tantus, nescio an cum illis Regnis, quando religio catholica ob hæreses deserta est, interierit. Obijt Stockolmiæ, sepultus in Templo Dominicanorum, cuius obitum, & ipsa D. Brigitta Romæ existens Diuinitus accepit.

Matthaevs Corradonus, è Silento, Ord. Minorum, edidit Opus, quod prænotauit *Speculum Confessorum, & Lumen Conscientiæ*. Venetijs ann. 1573.

Matthaevs Cracouiensis, Polonus, scripsit De Prædestinatione, &, Quòd Deus omnia benefecerit, cuius Dialogi sunt interlocutores Pater, & Filius, Quem prænotauit, *Rationale Diuinorum Operum*, Libris septem. Incipit. *Vellem declarari, quomodo.* De contractibus librum. Incipit. *De translatione rerum temporalium*. De celebratione Missę alterum item ad Episcopum Varmiensem. Sermones, & Collationes. Epistolarum librum ad diuersos. Vide in verbo. Matthęus Polonus.

Matthaevs Doctor, monachus Cistertiensis, scripsit Quæstiones super libros quattuor Sententiarum. Lecturas ad Quinquagenas Psalmorum. Commentarios in Hymnos, quos Ordo Cistertiensis canit De Tempore, ac De Sanctis.

Mat-

MATTHAEVS Dordracensis, Bela, Ordinis Minorum, scripsit Germanicè, atque edidit ann. 1540. Tractatum, quem prænotauit, *Fasciculus Myrrhæ*.

MATTHAEVS Dorinck (alijs *Doring*, & *Doringus*) Saxo, Germanus, Ord. Minorum, Prouinciæ Saxoniæ Minister, Professor Theologiæ, qui item citatur in Chrysopasso Ioannis Eckij, pro Nicolao Lyrano aduersus Paulum Burgensem, scripsit *Replicas*, siue *Correctorium*, ad Nicolai Lyrani expositionem in Biblia. Viuebat ann. 1440.

MATTHAEVS Ebroicensis, Normannus, Ord. Prædicatorum, scripsit Commentarios in Genesim, in Exodum, in Numeros, in Leuiticum, in Deuteronomiū, in Isaiam. Sed & in alios Veteris, ac noui Testamenti libros scripsisse dicitur, qui tamen haud commemorantur à Tritemio.

MATTHAEVS Florilegus, Anglus, Chronicon scripsit, quod prænotauit *Flores Historiarum*, à Natiuitate Christi Domini vsque ad annum 1342. Vixit ann. 1350. Vide in verbo, Matthæus Vuestmonasteriensis.

MATTHAEVS Galenus, Vuestcapellius, Louanium adolescens ad Theologiæ studiū profectus, decursoque stadio, sacra Laurea insignitus à Ruardo Tappero, Dillingam Sueuorum ad publicam Diuinarum litterarum professionem est destinatus; Petro Soto, in Britanniam à Philippo II. Rege inde accito, & Gulielmo Lindano ad maiora in Belgium reuocato suffectus, Rex Catholicus bene de Ecclesia scriptis, ac voce merentem, Præpositum ad D. Amatum esse iussit: Samarobrinam (hodie Cameracum) ad Synodum Prouinciale missus, vnà cum alijs Patribus vtilia Belgicæ Ecclesia decreta constituit. Annos ipsos decem apud Catuacos professus moritur ann. 1537. funebri laudatione à Thoma Stapletono Collega ornatus, situs est in Aede sacra illi credita. Scriptores antiquos è tenebris eruit nonnullos, in his *Hilduinum* de Dionysij Areopagitæ vita, & *Alcuini* ad Carolum Magnum *Rhetoricam*. De Theologicis scriptis excellunt potissimum libri *de SS. Sacrificio Missæ, & Catecheses* ab auditoribus exceptæ, typisque à funere euulgatæ. Scripsit item in Epistolam D. Pauli ad Hebræos. Louanij apud Riuium ann. 1599. Atqui extāt eiusdē Homiliæ duæ, in quarum prima Clerum, & Senatum De periculis, in quibus versantur, admonet. In secunda verò Plebem hortatur, vt ab hæresibus gliscentibus partim caueat, partim resipiscat. Quæ quidem omnia cum ijsdē Areopagiticis Opusculis Coloniæ apud Maternum Cholinum prodierunt ann. 1603. Vide præfationem ipsius Matthæi Galeni in Areopagitica Opuscula, qua Præfatione Hilduinum, & Dionysium Areopagitam à quorundam temerarijs censuris, & cauillationibus vindicat, & duodecim Matthiæ Flacci Illyrici damnatæ memoriæ obiectionibus respondet. Porrò liber De Sacrificio Missæ prodijt Antuerpiæ apud hæredes Ioannis Steelsij ann. 1574.

MATTHAEVS Gritus, Mediolanensis, Ordinis Prædicatorum, scripsit Sermones de Tempore, & de Sanctis, per totum annum. Viuebat ann. 1262. PP. Mon. Ord.

MATTHAEVS è Launoyo, Sacerdos, cū hæresim seductus professus fuisset à Deo conuersus ad fidem Catholicam, scripsit Gallicè aduersus impias Ministrorum hæreticorū blasphemias. Parisijs apud Gulielmum de la Noue, ann. 1578. Et Christianum responsum ibidem apud Gulielmum Chaudiere, ann. 1584.

MATTHAEVS Hieromonachus, scripsit Expositionem in Diuinos Canones, ac de Paschate. Extat in Vaticana Bibliotheca, Græcè manuscriptus hac inscriptione, ἐξήγησις εἰς τοὺς θείους κανόνας, καὶ περὶ τοῦ πάσχα. At in Germania extare scribitur eiusdem liber aduersus Iudæos. Sane verò nomine Matthæi monachi Orationes quinque aduersus Iudæos. & lib. *Quid velit cellum appositum frumentum in monumentis Choo, & in Sacris Sanctorum*. asseruabantur m.ss. Græcè in Bibl. Regia Galliæ.

MATTHAEVS Nardus, Tuffinianus, scripsit Poemata Prodromia D. Ioan. Baptistæ. In qua De ortu, Gestis, ac Morte eius agitur. Vraniam item Intercalarem in sacratissimam nominis Iesu celebritatem. Præterea Encomium Stephani Theupoli Veneti Senatoris, qui fuit Prætor Patauij. Venetijs apud Cominum è Tridino, ann. 1550.

MATTHAEVS Nerutius, scripsit in 2. Decret. De re iudicata, & De appellationibus: item ad Decretal. De testamentis, ac De consanguinitate, & affinitate.

MAT-

MATTHAEVS Ori, Gallus, Ord. Prædicatorum, atque eorum Parisijs Regens (vt vocant) deinde Prior, ac demum Cögregationis Gallicanæ Vicarius Generalis, ac simul per Galliam vniuersam Generalis Inquisitor, & Pauli III. Iulij III. Marcelli II. & Pauli Quarti Pontt. Maxx. Pœnitëtiarius, & vero item insignis Concionator, qui etiam Societatis nostræ Iesu primos Fundatores egregiè aduersus calumniatores iuuit, scripsit De Iustificatione. De Peccato Originali. De Imaginibus; & librum, quem inscripsit, *Septem Scholæ aduersus hæreticos:* In quo hæreses omnes ad septem redigens capita, illorum scholam designari docet per septicipitem illam bestiam, cuius D. scriptura meminit. Hunc autem librum esse opinor illum ipsum, qui prænotatus, *Alexipharmacon aduersus hæreses*, excusum Venetijs ann. 1551.

MATTHAEVS Ortisius (siue *Ortiz.*) Hispanus, Ord. Prædicatorum, scripsit librum aduersus hæreses.

MATTHAEVS Paris, Anglus, monachus Monasterij S. Albani in Anglia, Congregationis Cluniacensis, scripsit De Antiquitatibus Templi S. Albani: ac de Rebus gestis Anglorum. Floruit ann. 1340. Arnoldo autem Vuioni, ann. 1270. Videndum autem, ne is, qui Londini editus est ann. 1579. fuerit ab hæreticis corruptus, cum & quos inde Terniones Flaccus Illyricus damnatæ memoriæ inseruit cuidam suo Catalogo testium non veritatis, sed mendacij, idipsum vt suspicer, faciunt.

MATTHAEVS Patauinus Ord. D. Augustini, Theologus Parisiensis, apud Clementem V I. Pontificem Max. Auenione non mediocris auctoritatis Sermones plures, ac varios reliquit. Extabant Veronæ m.ss. in Augustinianorum Bibliotheca.

MATTHAEVS Patriarcha Constantinopolitanus, is, qui fuit Ord. Prædicatorum, vniuersam D. Scripturam per communes locos redegit in Quattuor libros. Quorum initium, *Omnia poma noua.* Extabant m.ss. in Bibliotheca Dominicanorum, Bononiæ. At siue eiusdem, siue alterius, Matthæi Patriarchæ, & quidem Constantinopolitani, liber alius De iustificatione Monastica, in fol. m.s. habetur in Bibl. Imperatoris Viennæ Austriæ, cum item alius Matthæus Patriarcha videatur esse ille, qui διαθήκην De vita Religiosa, & Calohierorum Græcè conscripsit.

MATTHAEVS Polonus, Patria Cracouiensis, fuisse scribitur ab Eisingrenio, qui emisit Catalogum scriptorum Ecclesiasticorum, Episcopus Vormatiensis, Rector Gymnasij Parisiensis S. R. E. Cardinalis. Hic igitur reliquisse dicitur librum De Amore charitatis. Expositionem Cantici Canticorum. In Ecclesiasten. In D. Matthæi Euangelium, In Epistolam ad Romanos. Et quidë hunc fuisse eundem, qui supra est positus, in verbo, *Matthæus Cracouiensis*, addubitaui, nisi quod nec isti Dignitatum tituli, nec scripta cum illis cohærent.

MATTHAEVS Romptus, Venetus, Ord. S. Benedicti montis Oliueti, Poema Dantis Aligerij ex Hetrusco in Latinum carmen conuertit. Extabat m.s. in Bibl. montis Olíueti.

MATTHAEVS Siluagius (alijs *Siluegius*) Catanensis, Siculus, Ord. Min. scripsit librü, quë prænotauit, *Labyrinthi duo De Mundano, & Diuino Amore, cum suis exordijs, differentijs, ac fructibus, cüque suis semitis ritè ordinatis vsque ad centrales, vt vocant, terminos, vel Inferni, vel Fœlicitatis æternæ.* Alterum item carmine Heroico, cum superiorem soluta oratione elucubrasset: quem inscripsit, *Apotheca Diuini Amoris.* siue *De Apotheca Viridarij Labyrinthi, Qua est Sanctissima Crux, vbi venditur Amor Dei.* Venetijs apud signum Archangeli Raphaelis ann. 1542. Additvero Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus in sua Seraphica Historia, eundem Matthæum Siluagium edidisse Compendium in Naturales omnes Aristotelis libros.

MATTHAEVS Villaricus, Florentinus, Partem primam Chronici sui temporis emisit Italicè, Florentiæ ann. 1554.

MATTHAEVS è Vindocinensi Oppido oriundus (ait Henricus de Gandauo in Catalogo) scripsit metricè Tobiam ad Bartholomæum Archiepiscopum Turonensem.

MATTHAEVS Vrsinus, è Monte Iordano, Romanus, Ord. Prædicatorum S. R. E. Cardinalis, scripsit De Auctoritate Ecclesiæ. Eisingrenius.

MAT-

MATTHAEVS Vuestmonasteriensis monachus, scripsit libros tres, quos inscripsit *Flores Historiarum*, præcipuè de rebus Britannicis, ab exordio Mundi vsque ad annum 1307. Chronicon item Vuestmonasteriense: & Chronicon templi S. Eadmundi. Viuebat anno 1377. Vide supra in verbo, *Matthaus Florilegus*, quem opinor esse cum hoc eundem.

MATTHIAS Alberti, Florentinus, monachus Oliuetanus, qui nostra vixit ętate, edidit Institutionem Canonicam, qua summatim complexus est Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ leges, Summorum Pontificum (quas vocant) Ordinationes, Sacrorum Conciliorum Constitutiones. Venetijs apud Bologninum Zalterium ann. 1571.

MATTHIAS vnus è 72. Discipulus, deinde Apostolus, qui post Ascensionem Domini ab Apostolis in locum Iudæ proditoris sorte electus, in Iudęa, & vlteriore Aethiopia Euangelium prædicasse fertur, ac denique martyrium est passus, scripsisse quidem dicitur librum de traditionibus, quem Clemens Alexandrinus citat libro secundo, tertio, septimo Stromatum; & Eusebius libro tertio capite vigesimotertio, & ex quo de traditionibus libro hæreses suas Marcion astruebat; At is liber, vt excidit, sic germanus ne, an alius vere ipsius extiterit, incertum est. Quin etiam quod eiusdem Matthiæ nomine circumferebatur Euangelium, ab Origene, ab Eusebio, à Gelasio reprobatum est. Acta item Matthię, quæ ab Abdia referuntur, reiecta sunt, vt spuria. Quare vita, vocatio illius, & mors pro Christo perpessa, viuus erunt liber nobis, cum & altè illud cordi infigendum sit, quod inter cætera eum docuisse refert Eusebius lib. 3. cap. 29. *Christianorum esse contra carnem pugnare concupiscentijs frænum, atque habenam haud remittendam: Animas vero cibo Sapientiæ enutrire oportere, & cibo maioris, & melioris agnitionis roborandas*. Eius viri mentionem fecit Dionysius Areop. de Ecclesiastica hierarchia cap. 5. parte quarta. Isidorus de vita, & obitu SS. c. 81. Nicephor. lib. 2. Dorotheus in Synopsi, qualis qualis hic sit, Ioachimus Perionius de vita duodecim Apost. atque is qui homiliam in Matthiam reliquit posteris, quam alij Augustino, Bedæ alij, Petrus Diaconus Cassinensis Authperto Abbati Cassinensi tribuunt. Extat eadem homilia in codice m.s. Romę apud ędem Sanctę Marię ad martyres, atque apud Congregationum Sacerdotum Oratorij Romę manuscriptis litteris Longobardicis.

Orig. hom. 1. in Lucam. Eufeb. li. 3. c. 125. hist. ecc. Gelas. c. Sancta Rom Eccles. dist. 15.

MATTHIAS Aquarius, Neapolitanus, scripsit Postillam in duodecim Prophetas Minores. Obseruationes ad Quęstiones Francisci Ferrariensis. Quęstiones Metaphysicas cum quibusdam Theorematibus. Librum De potentijs animę. Vide in verbo, Ioannes Capreolus.

MATTHIAS Aquensis, Professor Gymnasij Montani Colonię Agrippinę, scripsit Assertionem Catholicę Religionis aduersus Lutherum. Quę & ibidem prodijt ann. 1542. apud Melchiorem Nouesianum. Alteram item Assertionem Catholicę fidei contra Bucerum ibidem apud Maternum Cholinum ann. 1556.

MATTHIAS Bellintanus, Ord. Capuccinorum, scripsit in Sermones S. Bonauenturę, & in Euangelia de Tempore à Paschate vsque ad Aduentum, spirituales Introductiones, siue De Oratione mentali. Quibus adiuncti sunt Sermones eiusdem Seraphici Doctoris ab eodem met Auctore correcti. Venetijs ann. 1589.

MATTHIAS Bossemius Patriæ Amstelrodamus fuit, quę vrbs mercaturis potius, quàm ingenijs excolendis dedita, habuit tamen Theologos, vt illis temporibus, non vulgares, Alardum Crocum (quem Bossemius audiuit) Opmerum, & cęteros. seuerus inprimis Ecclesiasticæ seruator disciplinę, & rigidus in Clerum censor, vt & vtilem *De domestica mulierum societate Sacerdoti vitanda Commentarium relinqueret*. Duaci apud Io. Bogardum, ann. 1587. Doctor vnà cum Gulielmo Alano post Card. Thoma Stapletono Britannis, & Io. Rubo Hannone renunciatus annos ipsos 33. publicum profitendi munus sustinuit. Facultates suas, quas amplas est consecutus Ecclesiæ B. Amati Præpositus alendæ in bonum publicum iuuentuti testamento legauit Collegio Duaci sub tutela Deiparæ Virginis instituto, & vectigalibus instructo. Obijt prid. Non. Febr. 1599. duos & 70. annos natus, conditusque est in Odeo Aedis, cui annos amplius 26. præfuerat. Hæc Myræus in Centuria Scriptorum Belgij.

Nn MAT-

MATTHIAS Bredenbachius, scripsit Epistolas duas De negocio Religionis.

Eiusdem Monodia Heroica in obitum Archiepiscopi Treuerici. Elegiæ item in obitum Doctoris Geórgij à Petra, Collegij Confluentini ad S. Castorẽ, Decani. Coloniæ an. 1567.

De dissidijs Ecclesiæ componendis. Item Apologia, quòd quibusdam visus esset acerbius in Martinum Lutherum scripsisse. Antuerpiæ apud Ant. Tilenium, ann. 1576.

Anthyperaspistes pro vera componendorum Ecclesiæ dissidiorum ratione aduersus Iacobi Andreę conuitia. Qui librum suum inscripserat Hyperaspisten τῶν φρολεγομένων Ioannis Brentij. Coloniæ apud Geruinum Calenium, ann. 1568.

MATTHIAS Cittardus, alijs *Zittardus*, Germanus, edidit Germanicè 27. Cõciones in primam Epistolam D. Ioan. Apostoli habitas in Aula Cęsaris; & duas in funere Ferdinandi Imp. Coloniæ ann. 1571. Quin & antea, hoc est ann. 1569. emiserat ibidem Germanicè Preces catholicas ad Euangelia, & Epist. dierum Dominicorum, & Festorum aptatas.

MATTHIAS Coloniensis, Germanus, Carmelita, Theologus Parisiẽsis, atque ignotæ (vt scribũt) Sedis Episcopus, scripsit Serm. ad populum. Obijsse fertur, Bruxellæ an. 1359.

MATTHIAS Emich, Andernacensis, Germanus, Carmelita Boppardiensis, & Episcopus Cirensis, scripsit Lecturas (vt vocant) in Isaiam. Sermones per annum. Orationes ad Clerum. De repertis in Italia ad Boscium. Epistolarum ad diuersos, librum. De Epistolis scribendis alterum. Libros item duos in Summulas Logicales. In Prædicamenta Aristotelis. Viuebat ann. 1480.

MATTHIAS Farinator, Viennensis, Austriæ Prouinciæ, Germanus, Carmelita, scripsit per Alphabeti seriem iussu Ioannis vigesimi secundi Pont. Max. siue digessit Librum Moralitatum, quem pręnotauit, *Lumen animæ fidelis*, in septuaginta distinctum capita è Patribus, è Doctoribus, Philosophis, Poetis, atque Oratoribus. Librum item, cui Titulus, *Exempla Naturarum*. Alterum, De Naturarum ordine. Alium De vigore creaturarum. Transtulit in Latinam linguam Hermetem De corporibus transmutandis. Algazelem De quattuor Transcendentibus. Palęmonem De signis Naturarum. Moirenem De zonis, & climatibus. Belinum de Inuentione Artium. Opera eius edita fuere, ann. 1477. sed non additur locus. Vide Petrum Lucium Carmelitam.

MATTHIAS Felsius (alijs *Felisius*) Broucrshauius, Belga, Ord. Minorum Prouinciæ Inferioris Germaniæ Minister, scripsit Elucidationem Decalogi, quæ Antuerpiæ apud Plãtinum recusa est ann. 1578. cum ann. 1576. & Parisijs apud Michaelem Iulianũ, anno eod. excusa fuisset. sed & ann. 1575. emiserat alteram Elucidationem Christianæ Institutionis, seruata methodo Distinctionum à Magistro in 2. Sent. traditarum. Porrò eadem Decalogi, seu Pręceptorum elucidatio, ab eodem Auctore recognita, & aucta prodijt rursus Parisijs, apud Petrum Pautonnerium, ann. 1604.

MATTHIAS Mairhofer, Theologus Societatis Iesu, edidit Disputationem de tribus peccatorum generibus, mortali, veniali, & originis, aduersus huius seculi sectarios. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium, ann. 1587.

Eiusdem Disputatio Theologica de rerum dominio, & iustis possessionibus. Ibidem apud eundem ann. 1588.

Disputatio de Voto, & iuramento. Ibidem apud eundem, ann. 1589.

Disputatio de Sacramento & Incarnationis mysterio, in qua etiam dogma Vbiquitariorum refellitur. Ibidem apud eundem ann. 1590.

Disputatio Theologica De restitutione, hoc est, ea iustitię parte, cuius officiũ in reddendis rebus iniustè ablatis versatur. Ibidem apud eundem ann. 1589. Vide Lector hosce eruditos, & vtiles labores.

MATTHIAS Mynecomius, Ord. Cruciferorum è Traiecto superiore propè Belgium oriundus, Boetij Musicam, ac naturalem Raymundi Sebundi Theologiam redegit in compendium. Viuebat ann. 1495.

MATTHIAS de Pace, Hispanus, Ord. Prędic. scripsit Commẽtaria in vniuersa Biblia, Sermones varios. Et in Summam D. Thomę aduersus Durandum. Sixt. Senensis in Bibl. Sanctę, & Chronista Bæticus Anonymus.

MATTHIAS Vgonius, Episcopus Famagustanus scripsisse fertur De Patriarchali præstantia.

MATVRINVS Clemens (vulgò, Gallicè, *Courtois*) Gallus, Carmelitarum autẽ, qui erant in Gallia tunc superstites, Prouincialis, Decanus verò Theologorum Parisiensium, Biturigis primus Gymnasium Theologicum instituit. Sed & scripsit

Lecturas in Scripturam Sanctam.
Commentarios in D. Matthęi Euãgelium.
In Epistolas D. Pauli ad Romanos, atque ad Corinthios.
Librum de Conceptione Beatisimæ Virginis.
Sermones de Tẽpore, De Sanctis, & Quadragesimale.
Librum item De Sacramento Eucharistię.
Alterum De fide Catholica.
Alium De ortu D. Annæ.
Alium contra superstitiosos.
Alium De materia votorum.
Lecturam Sententiarum, lib. 4.
De Summa Trinitate.
Librum Resumptionum suarũ lectionum.
In Decretalem Innocentij.
In Clementinas.
Repertorium Historicum.
Compendium Sancti Augustini de Ciuitate Dei.
Orationes ad Clerum.

Obijt Biturigis, ann. 1509. decima die Iulij, ętatis autem suę 89.

MATVRINVS Lebreth, Ordin. Minorum, edidit Commentarium in Librum Sententiarum Scoti.

MATVRINVS Quadratus, Ebroicensis, Franciscanus, Theologus Parisiensis, edidit, quas scripserat Homilias octo in Ioelem Prophetam. Parisijs apud Michaelem Sonnium, anno 1583.

MAVRITIVS, cuius nomen, cognomen, Patria nõ feribuntur, extat m.s. sat vetustis characteribus in Cęnobij Patrum Dominicanorum Bibliotheca Neapoli. Vndenonaginta verò sunt distinctiones per Alphabeti seriem concionatoribus vtiles. Vixisse fertur anno 1290.

MAVRITIVS Bressius, Gallus, qui paucos ante annos fuit Corrector Bibliothecæ, ac Typographiæ Vaticanæ Latinè vertit magnum Sancti Basilij Epistolarum nondum editarum numerum.

MAVRITIVS Chanei (alijs *Chanceus*) Anglus, & Cartusianorum Anglorum in Belgio Præfectus, scripsit octodecim eius Ordinis Patrum martyrium Sanctæ Rom. Ecclesiæ Primatum defendentium sub Henrico Octauo Angliæ Rege. Is autem Mauritius eorundem intrepidè morientium testis fuit oculatus. Addidit martyria Io. Roffensis, Thomæ Mori, & Reginaldi monachi Brigittani, ad Io. Priorem Maioris Cartusiæ. Quæ omnia prodierunt in lucem, quãuis hæretici sudauerint, vt eam Historiam si non possent abolere, certè calumnijs infuscarent.

MAVRITIVS Hibernicus, Ordin. Minorum, quem fuisse scribunt Archiepiscopum Tuamensem, cõposuit Dictionarium Sacrę Scripturæ. Quod primo editum est Illustriss. Matthæo Zane Veneto Patriarchæ iubente, Venetijs ann. 1603. apud Io. Anton. & Iacobum Franciscium, quamuis non extet nisi vsque ad litt. E inclusiuè. Quin & cum Notis, siue, vt vocant, Postillis, siue commentarijs vniuersam Ioannis Scoti Doctrinam exposuit. Quæ præsertim in Quęstiones Venetijs prodierunt ann. 1500. apud Simonem de Luere.

Eiusdem item Theoremata de mente Scoti, ibid. apud Lazarum Soardum, ann. 1514. Enchiridion autem Fidei antea, hoc est ann. 1509. exierat ex Officina Octauiani Scoti. Sed & Scoti scriptum Oxoniense ad quattuor lib. Sentent. Lugduni Iacobus Mit emisit, cum Ioannes Gracius Parisijs eiusdem Reportata, biennio antea, hoc est ann. 1518. edidisset.

Sed & fertur Mauritium eundem scripsisse in vitam Io. Scoti, & librum Distinctionum, qui Rauennę apud Franciscanos asseruatur. Et compendium Veritatum, quattuor libris (& quidem carmine Leonino) asserit Henricus Villot, in verbo, Mauritius de Porta.

MAVRITIVS Hylaretus, Engolismensis, Ord. Minorum, Theologus Parisiensis, ac cui Aurelianenses in sua Ciuitate, ob zelum, & labores ingentes in propugnanda fide Catholica aduersus Caluinianos hæreticos ęneam statuam posuerunt, nam & apud eos obijt,

 scripsit

scripsit duos Concionum Tomos, quæ tempore Quadragesimæ vsque ad octauam Pascha lem habentur. & sacras, quas vocauit Enneades Aduentus Quattuor, hoc est triginta sex Homilias. Hæc autem omnia Parisijs ann. 1587. & ann. 1589. apud Sebastianum, & Robertum Niuellios, anno autem 1591. Lugduni apud Gulielmum Rouillium fuerunt excusa, cum Viri probi Aduocati studio Gallicè collecta fuissent: sed & Parisijs ann. 1604. apud Claudium Chappelet. Franciscus autem Feuardentius Mauritium ipsum carmine defleuit Theologus insignis Theologum eximium, qui viuebat ann. 1603.

MAVRITIVS Parisiensis Episcopus, qui in eadem Ciuitate Theologiam fuerat professus, scripsit Sermones diebus Dominicis, & alijs Festis totius anni respondentes. Et librum De cura Animarum ad Sacerdotes. Viuebat ann. 1190. Trit.

MAVRITIVS Poncetus, Gallus, & Religiosus Ord. S. Benedicti, Theologus Parisiensis, quem præclarè, atque ad cor audientiū concionātem Lutetiæ audiuimus, librum Gallicæ Nobilitati scripsit tum de commodo, quod manat ad Populum à Rege; tum de Regis Institutione, qua rectè Populos regat. Viuebat adhuc ann. 1584.

MAVRITIVS de Porta. Vide in verbo, Mauritius Hybernicus.

MAVRVS, scripsit libros quattuor De Fide Christiana ad Ludouicum primum Imp. Extat m.s. in Regia Galliæ Bibliotheca.

MAVRVS Antonius Beraducius, è Bicelia, Theologus, Summā casuum, primo Latinè Mediolani ann. 1584. apud Petrum Zinum, deinde Italicè Venetijs ann. 1585. & anno 1599. apud Minimam Societatem edidit, quam inscripsit, *Coronam Confessariorum*: Eius prima pars continet Peccata, circunstantias, & quando Peccatori iteranda confessio. Secunda, agit De restitutione, Vsura, Cambijs. Tertia, De Voto, de Censuris Ecclesiasticis, de Iureiurando, de Simonia. Quarta, quæ postremæ editioni huic addita fuit, de septem Ecclesiæ Sacramentis, deque ad ea spectantibus.

MAVRVS Florentinus, Ordin. Seruorum, qui à nonnullis ob variam eruditionem dictus est *Archiuum scientiarum*, duo, præter alia quædam edidit Opuscula. Quorum alterum *Sphara Christiana*; alterum, *Sphara Mathematica* prænotatum est. Vide Chronic. Ordinis Seruorum.

MAVRVS monachus S. Aurelij Hirsaugiensis, Congreg. Luxouiensis, Germanus carmine scripsit Vitam S. Bonifacij Episcopi, & Martyris libris duobus. Obijt ann. 865.

MAVRVS Episcopus, qui fertur scripsisse *Conuiuium Dei* ad Lotharium Imp. non est à me visus, quamobrem nec qualis sit, debeo dicere; licet mihi pleraque suspecta sunt, quæ è ciuitatibus alienis à fide catholica prodeunt, audio enim fuisse Basileæ excusum, ann. 1557. Idē dixerim, siue alter sit, siue idem ipse Maurus, quem de fide Christiana, & de ijs, quę ad fidem pertinent, scripsisse ferunt ad Ludouicum primum Imp. qui & Viennę Austriæ extitisse apud Vuolfgangum Lazium dicitur.

MAVRVS Lapius, monachus S. Matthiæ de Murano, (vt uocant) scripsit vitam B. Petri Sardi monachi S. Michaelis ibidem (nempe Murani) vbi & m.s. extat. Et Muranum Insula est, siue oppidum frequens incolis proximè Venetias.

MAVRVS monachus Monasterij S. Martini in Monte Pannonię, Prępositus Ecclesię Quinqueeclesiensis propè annum 1003. quem à sanctitate, atque à castitate commendant, Arnoldus Vuion, Episcopum fuisse asserit, scripsit Vitam SS. Zoerardi, & Benedicti monachorum. Quæ habentur in Surio ad primam diem Maij. Meminit huius Antonius Bonfinius lib. 1. Decadis secundæ Rerum Hungaricarum.

MAVRVS Pandolphinus, Florentinus, monachus Cassinensis Congreg. scripsit Harmoniam quattuor (vt ille nominat) sensuum sacræ Scripturæ in quattuor libellos partitā. At nondum, quòd sciam, prodijt. Viuebat adhuc admodum senex ann. 1572. cum eandem apud se m.s. haberet.

MAVRVS Panormitanus, Siculus, monachus Monasterij S. Martini de Scalis (vt vulgò aiunt) propè Panormum, Congregationis & ipse Cassinensis, cōposuit sacrarum Cantionum librum, quæ voce, ac musicis instrumentis concini possunt. Venetijs ann. 1590. Quo tempore viuebat.

MA-

Maxentius in fine libri sui contra Epistolam Possessoris, Faustum, tamquam hęreticum ostendit.

Petrus item Diaconus cum suis in libello ad Fulgentium misso, qui à Fulgentio approbatur, damnat eundem Faustum.

Contra quem Faustum tanquam occultè Pelagianis consentientem, scripsisse Fulgentium testatur Vincentius in Speculo Historiali, lib. 2. cap. 106. Sanè contra Cassianum, & Faustum, similesque videtur congregatum fuisse Arausicanum Concilium secundum, iussu Leonis primi. Vide etiam Isidorum in Catal. in verbo, Fulgentius, c. 14.

Maximianus Romanus, Monachus, & Abbas S. Andreæ in Vrbe, qui Siracusanam Ecclesiam vitæ sanctitate, verbo, & miraculis rexit, scripsit aliquot Epistolas, quemadmodum in Registro D. Gregorij Magni cernitur. Quin ipsius S. Gregorij plures extât ad illum Epistolæ lib. 2. Indict. 10. epist. 4. 18. & 26. Indict. vndecima epist. 12. 50. & 53. lib. 3. epist. 11. 12. 13. 14. 36. 42. Obijt ann. 596. Qui Sãctorum catalogo adsctiptus est, ac quinto Idus Iunij eius memoria celebratur.

Maximinus, (vt habet Hieronymus in Catalogo) famosam Quæstionem insigni Volumine ventilauit. *Vnde malum: quodq; materia sit à Deo facta.* Vixit sub Commodo, & Seuero Impp. vt idem Hieronymus indicat.

Maximus Alexandrinus, Philosophus, Constantinopoli Episcopus ordinatus est, & pulsus: insignem De fide aduersus Arianos scripsit librum, quẽ Mediolani Gratiano Principi dedit. Hieron. in Catal. vixisse eum ann. 380. ait Trit.

Maximus Cæsaraugustanę Ciuitatis Episcopus, multa versu, prosaque componere dicitur. Scripsit & breui stylo historiolam de his, quę temporibus Gothorum in Hispanijs acta sunt, historico, & composito sermone: sed & multa alia scribere dicitur, quę necdum legi. Hæc Isidorus in Catal. Vixit autem ann. 610. Trit.

Maximus Constantinopolitanus, nobilis, qui tempore Honorij primi Põtificis Maximi vixit, Philosophiæ, ac Theologiæ sciens, qui & Cõfessor, & Monachus siue Abbas, ac denique Martyr fuit, in palatium inuitus ab Heraclio tractus, vt regijs commentarijs scribendis præstans operam, iussa item alia Principis, quæ magni essent momenti, capesseret, Palatium deseruit cum Monothelitarum hęresis in illud ingressa est, atque in monasterium secessit, quod in vlteriore littore situm *Chrysopolis* vocabatur, vbi aliquandiu vitam agens monasticam, coactus est subire eius pręfecturam. Sed postea ad Africanos, & Romanos secedens, vbi fides catholica vigebat, summa exantlauit pericula. Eius gesta, quæ habentur ad calcem Operum ipsius Gręcè scriptorum in tribus codicibus Vaticanis vertit in Latinum Petrus Morinus Doctor Parisiensis; quæ item Baronius Cardin. Tomo 8. sub annum Domini 640. paullo post initium ex parte inseruit. In quibus pręter alia leguntur dirissimè à Præfecto Vrbis fuisse S. Maximus verberatus, & lingua, & manus dextera ipsi, & Anastasio præcisę. Maximus autem postea in exilium missus, & in Castello Alanis triennium conclusus, tandem Diuinitus ad Cęlestia Tabernacula, cum plenus esset dierum, euocatus, decessit ex hac vita decimatertia mensis Augusti ann. 657. Cuius scripta pleraque cum Diuinitus item sint asseruata, nemo fuerit paullo cordatior, quin ea vbere cum fructu sit lecturus. Et quidem eorum meminit Photius in sua Græca Bibliotheca editionis Augustanæ pag. 255. libri ad Thalassium presbyterum, pag. 259. Epistolarum, pag. 261. Epistolę ad Gregorium Eparchum; & libri Ascetici, ac Cẽturiarum de Dilectione. pag. 263. Epistolæ ad Matinum Cypri Sacerdotem, quæ item extat Gręcè m. s. in Galliæ Regia Bibliotheca, vti & Dialogi.

Porrò in Bauarica Bibliotheca eiusdem S. Maximi m. s. extant sequentia.

De duabus in Christo naturis.

Idem ad Archiepiscopum Ioannem, *Animam esse corporis expertem.*

Idem ad Iordanem Presbytcrum, *Animam post separationem à corpore, actiones intellectuales exercere.*

Ad Antistitam de moniali profuga ex monasterio.

Eiusdem breuis enarratio in Orationem Dominicam.

Idem ad Ioannem Cubicularium de tristitia, quæ est secundum Deum.
Eiusdem Epistola ad Iordanem presbyterum. Idem ad Thalassium presbyterum. Ad Gregotium Constantinopolim nauigantem. Ad Cyrum presbyterum.
Ad Ioannem Cubicularium de rectis Ecclesię dogmatibus, & contra Seuerum.
Eiusdem rectę fidei expositio. Continētur & alia multa eiusdem S. Maximi in eod. Tomo; Quorum omnium numerus 186. capita, seu si mauis, Tractatus, efficit: nimirum
Dialogus cum Theodosio Episcopo.
Narratio dissidij inter Sanctum Maximum, & Principes Palatij.
Eiusdem Epistola ad Anastasium suum discipulum.
Vita, & certamina Sancti Maximi.
De mysterijs secundum Christum, capita centum.
Eiusdem variæ Definitiones.
Idem ad Marinum presbyterum Cypri.
Idem ad Nicandrum Episcopum Cypri.
Ad Prępositos, Monachos, & orthodoxum populum in Sicilia.
Eiusdem expositio ex rectæ fidei confessione ad Ioannem Cubicularium.
Eiusdem breuis expositio syncerarum vocum de fide in Christum post vnionem.
Eiusdem excerpta ex epistola ad Pyrrhum, & ex disputatione cum Pyrrho.
Eiusdem Scholia in Epistolam Dionysij Areopagitæ ad Caium.
Ecclesiastica Mystagogia.
De charitate ad Elpidium Presbyterum sex centuriæ.
Eiusdem capita quindecim, & capita decem De voluntatibus, & Actionibus ex SS.PP.
Sermo prętcrea Asceticus forma Dialogi. De Synodis.

Atqui Franciscus Turrianus noster Græcè, & a se Latinè versam eiusdē ediderat Quęstionem Ecclesiastici Dogmatis disputatam coram Georgio Patricio in Conuentu Episcoporum, & aliorum nobilium virorum à Pyrrho Patriarcha Constātinopolitano, & ab eodem Maximo, qui Doctrinam Apostolorum, & Patrum defendebat contra Sergium, & Pyrrhum, qui de vna voluntate Christi nouum inuexerant dogma. Sed & hanc à Turriano Latinè, ac Græcè editam Quæstionem Cæsar Cardin. Baronius adtexuit tamquam appendicem octauo suo To. Annalium, ad finem, addita varietate lectionis Græcę, quam in varijs Codicibus Bibliothecę Vaticanę obseruari curauerat.

Sed & extant in Bibliotheca SS. PP. à Margarino Bignęo collecta, Latinè redditus liber S. Maximi De Ecclesiastica Mystagogia, & *Quorumnam sint indicia, quæ in Sancta Ecclesia, in Diuina Synaxi, siue Communione peraguntur.* Hæc autem expositio capitibus viginti quinque continetur, & incipit, *Quomodo sit sapiens.*

Quin cum Obsopęus Centurias S. Maximi De charitate Latinas fecisset è Gręco, eiusdem Obsopæi coniecturas sectatus est Gesnerus: à quorum censuris, & erroribus quędam vindicauit Iacobus Billius Prunęus, sicuti & sententias nonnullis in locis à mendis repurgauit. Vide obseruationes sacras eiusdem Billij cap. 12. & 17. libri primi ad calcem Isidori Pelusiotę Epistolarum ab eodem Billio in Latinum versarū adiectas, quę ann. 1585. Parisijs apud Gulielmum Chaldetium (vt alibi diximus) prodierunt.

Ceterum, quoniam Catalogi Vaticanę, Augustanę, & quarundam aliarum Bibliothecarum partim editi sunt, partim edentur, vbi etiam Gręcæ Inscriptiones Librorū aliquot, pręsertim huius Viti S. Maximi extabunt. sat erit hic subdidisse; quę Baron. Card. laborem hunc nobis adimens in 8. suo Annal. Tomo De operibus S. Maximi posuit.

Index Operum S. Maximi, ex tribus Tomis Græcè conscriptis, & ex Photio collectus, qui extant in Vaticana Bibliotheca.

In cuius Indicis primarijs, & maiusculis litteris, P. significat Photium eius Operis meminisse. A. reperiri docet in Codice Vaticano nu. 335. B. esse ostendit in Codice Vaticano nu. 336. C. reperiri in Codice Vaticano nu. 337.

Quæstiones

P. A. Quæstiones in Sacram Scripturam numero sexagintaquinque cum earumdem solutionibus ad Thalassium Presbyterum ac Præpositum.
A. Expositio Symbolica eorum, quæ in Sacra Synaxi fiunt in Ecclesia.
A. Expositio in Psalmum quinquagesimum nonum.
A. Expositio Orationis Dominicæ ad quendam Christi famulum.
C. Scholia in B. Dionysium Areopagitam.
P. A. Ad Thomam Dei famulum de diuersis eius Quæstionibus in Dionysium, & Gregorium, Epistolæ duæ.
P. A. Scholia in Gregorium Theologum ad Ioannem Cyzici Archiepiscopum.
P. A. Centuriæ quattuor de Charitate, ad Elpidium Presbyterum.
P. A. Centuriæ septem de Trinitate, De Verbi Incarnatione, & De virtute, ac vitio.
P. A. Sermo asceticus per interrogationem, & responsionem.
P. Sermo Compendiosus aduersus Seueri dogmata, ad Petrum illustrem, per capita distinctus.
P. A. Dialogus Pyrrhi & Maximi, De duabus voluntatibus, & operationibus in Christo.
A. Tomus dogmaticus in Cyprum missus ad Marinum diaconum.
A. Expositio summaria de Pascha Dominico, in qua totius Kalendarij canonici ratio explicatur, cum breui sub finem Chronologia.

Epistolæ ad diuersos.

B. Auxentio.
P. B. Canoni Presbytero, ac Præposito.
P. B. Constantino illustri ex Sacellarijs duæ.
P. A. Cosmę diacono Alexandrino, de communi ac proprio, deque essentia & hypostasi. continet capita nouem.
P. B. Cyricio, seu Cyrisicio Episcopo duæ.
B. Cydonio Episcopo.
B. Eulogio Episcopo Alexandriæ, De duabus Christi naturis. continet cap. septem.
P. A. Georgio Præfecto, cum appulisset Constantinopolim.
P. B. Georgij Africæ Præfecti nomine, ad Moniales Alexandrinas, quæ ab Ecclesia Catholica defecerant.
A. Georgio Presbytero ac Pręposito, qui p Epistolā interrogarat de Christi mysterio.
P. A. Ianiæ Præpositę, De Moniali, quę Cęnobium reliquerat.
A. Ioanni Archiepiscopo Cyzici, quòd anima sit immortalis.
B. Ioanni Cubiculario, De charitate.
A. Ioanni Cubiculario, De tristitia secundum Deum.
P. Ioanni Cubiculario duæ.
P. B. Ioanni Episcopo duæ.
P. Ioanni Philosopho, continet capita vndecim.
A. Ioanni Cubiculario, de rectis Ecclesię dogmatibus, & contra Seuerum duæ.
P. Ioanni Sophistę.
P. A. Iordani Presbytero, De animę operatione post mortem.
P. Iuliano Alexandrino ab hęresi Acephalorum conuerso.
B. Iuliano Scholastico Alexādrię, De dogmate Ecclesię circa Christi Incarnationem.
P. A. Marino Presbytero, De naturali voluntate, &c. continet capita nouem.
A. Nicandro Episcopo, De duabus operationibus in Christo.
A. B. Petro illustri Epistola dogmatica.
P. B. Polychronio Abbati quattuor.
P. A. Pyrrho adhuc Presbytero.
A. Sicilię insulę Prępositis, Monachis, & Plebi Orthodoxę, contra eos, qui vnam operationem ponunt in Christo.
B. Stephano Abbati.

Stephano

P Stephano Prępofito, ac Presbytero duę.
P. A. B. Sophronio Monacho cognomento Eucratę, duę.
B. Thalassio Prępofito, ac Presbytero, De Regibus Ethnicis, qui filios immolarunt.
P. A. B. Thalassio presbytero, ac Prępofito quinque.
B. Theodoro presbytero Laurę Raithu, De essentia & natura.
A. Anomęi, siue Ariani disputatio cum Orthodoxo.
A. Anomęi, & Orthodoxi altera disputatio.
A. Macedoniani hęretici disputatio cum Orthodoxo.
A. S. Athanasij cum Apollinarista disputatio.
A. Quęnam sit animę vis comprehensiua.
Sunt & alia Opuscula, quę magna ex parte videntur pertinere ad superiores Epistolas, videlicet:
B. De duabus vnius Christi Dei nostri voluntatibus.
B. De differentijs definitionum.
Capita X. De duabus voluntatibus, ad Orthodoxos. subijciuntur Epistolę dogmaticę ad Petrum.
Capita X. De naturalibus voluntatibus & operationibus. }
Capita XIII. De voluntatibus, seu contra eos, qui vnam in Christo dicunt voluntatem. } Subijciuntur Epist. ad Theodorum Raithu.
Capita X. De essentia, & natura, hypostasi & personis. }
Capita XI. De essentia, natura, & hypostasi. }
Quòd impossibile sit vnam dicere Christi voluntatem. } Subijciuntur Epistolæ ad Eulogium.
A. Aduersus eos, qui asserunt vnam in Christo dicendum esse voluntatem.
A. Ex tractatu de Operationibus, & voluntatibus caput quinquagesimum, & quod sequntur.
A. De duabus Christi naturis contra Arium, Nestorium, Sabellium, & Eutychem.
B. Metaphrasis ex carminibus De silentio, & virtutibus.
A. In illud: Pater si possibile est, transeat à me Calix iste.
B. In Porphyrij Isagogen, & Categorias Aristotelis, quid definitio, &c.
A. Variæ definitiones.
B. Excerpta ex antiquis Patribus. Incipit ab Irenæo, definitque in aliquot Cyrilli Epistolis.

MAXIMVS Episcopus, scripsit Librum de Ecclesiasticis Ministerijs (alius Codex m.s. *mysterijs*) & De habitu Clericorum.

MAXIMVS monachus (non autem is, cuius labores in Aretam, & Occumenium proscriptos fuisse à S. Tridetina Synodo reperit Michael Pocciantius in Catalogo Scriptorũ Florentinorum) scripsit Sermonem in illud Exodi cap. 37. De Candelabro, & septem Lucernis. De obscuris item Locis Sacræ Scripturæ Librum. Qui extat Cassini m.s. in pluteo 4. ad læuam. sed & cuiusdam S. Maximi Doctrina ad Monachos est ibid. m.s.

MAXIMVS Planudes, Constantinopolitanus Monachus, qui tẽpore Basileensis Concilij vixit, etsi Græce è Latino reddidisse quindecim D. Augustini libros De Trinitate dicitur, qui quidem Græcè m.s. extant in Vaticana Bibliotheca, dubito tamen an fideliter eum verterit, vbi de Processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio à S. Augustino disertè scriptum est. Neque enim id venit in mentem, vt indagarem, dũ plures annos substiti Romę. Sanè in Bauarica Bibliotheca extant ipsius Planudis m.s. Syllogismi, seu capitula De Processione S. Spiritus contra Latinos cum Apologia Bessarionis Card. aduersus Planudem. quemadmodum & eiusdem Planudis in eadem Bibliotheca Epistolæ nonaginta duæ non sine lacunis, & Carmina quædam, & Comparatio Hyemis, ac Veris, & Computus secundum Indos, quæ prænotatur ψηφοφορία. Edidit autem ann. 1553. Parisijs Andreas Vuechelus Orationem Græcè, numquam antea excusam, *In Corporis Domini Dei nostri Iesu Christi Monumentum, & in Sanctissima Deipara, ac Domina nostra Lamentationem*. Et quidem scripsit

ſcripſit De Dominicis Thematibus Hieroſolymis: eius autem Epiſtolæ,cum etiam in Bibliotheca Medicea reperiantur,in ea quoque,quæ eſt Imperatoris Viennæ Auſtriæ extant ad Imperatores, viroſque alios clariſſimos cum tribus Encomijs de SS.Petro, Paulo Apoſtolis, Diomede martyre m.s. Atqui & ibidem m.s. Eclogæ ſacræ varia tractantes Theologica,& Ethica, De Virtute, ac Vitio, De Prudentia, & Conſilio, De Fortitudine,Iuſtitia, Pace, Bello, Spe, Senectute, Iuuentute, Laude,Gloria,Fide, Memoria,Anima, Infamia,Calumnia,Ira,Confidentia,Auaritia,Metu,Somno, Sobrietate,Mulieribus.

Mitto hic,quæ in artes & facultates alias ſcripſit, atque adeo in humaniora ſtudia. In Rhetoricam Hermogenis. Theophraſti characteres. Scholia in Diophanti Arithmeticã, quę extant in Vaticana Bibliotheca. Problemata, Epimeriſmata,Collectiones Epigrammatum,Gręcas Interpretationes in ſomnium Scipionis quod Macrobius eſt interpretatus, & alia eiuſmodi.

MAXIMVS Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir (vt habet in Catalogo Gennadius) in Diuinis Scripturis ſatis intentus, & ad docendum ex tempore plebem ſufficiens, compoſuit in laudem Apoſtolorum Tractatus, & in Ioannis Baptiſtæ Natiuitatem, & generalem omnium martyrum homiliam: ſed & de capitulis Euangeliorum, & de Actibus Apoſtolorum, multa ſapienter expoſuit: fecit & duos de S. Euſebij Vercellenſis Epiſcopi, & Confeſſoris Vita Tractatus, & de Sanctorum Cypriani, & Laurentij Martyrio, & de Spirituali Baptiſmi gratia librum edidit:

De Auaritia.
De Hoſpitalitate.
De defectu Lunæ.
De Eleemoſynis.
De eo quod ſcriptum eſt in Eſaia, *Caupones tui miſcuerunt vinum aqua.*
De Paſſione Domini.
De ieiunio ſeruorum Dei generali.
De ieiunio ſpeciali Quadrageſimę, & quòd non ſit in eo iocandum.
De Iuda traditore.
De Cruce Domini.
De Sepulchro Domini.
De Reſurrectione ipſius.
De accuſato, & iudicato apud Pilatum Domino.
De Kalendis Ianuarij.
Homilias de Natali Domini.
Homilias de Epiphania.
De Paſcha, & Pentecoſte multas.
De hoſtibus carnalibus non timendis.
De gratijs poſt cibum Deo agendis.

De pœnitentia Niniuitarum, & multas alias eius Homilias de diuerſis cauſis habitas legi, quas nec retineo. (ait idem Gennadius.) Moritur Honorio, & Theodoſio iuniore imperantibus, ann.420.

Porrò cum Maximi Taurinẽſis Homilię Colonię apud Io.Gymnicũ prodijſſent ann.1535. Romæ item ann.1574. editę ſunt vnà cũ Paciano Barchinonenſi De Pęnitentia,& Confeſſione,Sulpicij Seueri Sacra Hiſtoria,Dorotheo Tyri,Aymonis S.Hiſtorię Epitome.

M E

MECHTILDIS Virgo Sancta, Gertrudis Sanctæ ſoror carne quidem, ſed magis ſpiritu fuit, quippe quæ vitam & ipſa Monaſticam profeſſa eſt in Monaſterio Helffræ in Oppido Eiſlebio Comitatus Mansfeldenſis: ſecuta Diui Benedicti Inſtitutum, & Reformationem Congregationis Cluniacenſis iam inde penè ab ipſa infantia: vbi edocta à ſorore, Quos altè hauſit à Chriſto Sponſo ſpiritus, eos eructauit eo in libro, qui prænotatus eſt De Spirituali gratia, & Reuelatione. Qui cum non ſemel in Belgio, atque in Superiore Germania prodijſſet, Lutetiæ item ann.1513.& Venetijs ann.1558.editus eſt. Denique Sereniſs. Eleonora Archiduciſſa Auſtriæ, Duciſſa Mantuæ procurante, & ipſa Mulięre Sancta, Italicè verſus, atque excuſus eſt Mantuæ, ac demum Venetijs apud Iolitos, ann.1589. Viuebat anno 1300.

MECHTILDIS autem Virginis huius ſanctæ, Principis Berchtholdi, Comitis de Andechs filiæ, Friderici autem Barbaroſſæ Imperatoris cognatę, Abbatiſſæ in Dieſſen, vitam Engelhardus Abbas in Lanchaim appoſitè, ac piè, nec ineleganter ſcripſit. Porrò

Dieſſen

Diessen in Bauaria erat arx, quæ Latinè Damasia dicitur, quæ versa est in monasterium. Extat ea vita in To. 5. antiquæ lect. Henrici Canisij.

MECHLINIENSIS Synodus Prouincialis in Belgio, ann. 1570. habita est die 4. Iulij. Præfuit Martinus Rythonius vir doctus, ac de illa Ecclesia benemeritus, idque nomine, ac loco Antonij Perrenoti Card. & Archiepiscopi Mechliniensis. Prodijt autem Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1571.

MEDAD, & Eldad Prophetæ (de quibus Sixtus Senensis ita habet) super quos, vt in quinto Num. capite legitur, requieuit Spiritus Domini, cum in solitudine Arabiæ in castris Israel prophetarent; Iosue veritus, ne ipsorum apud populum existimatio Mosis auctoritatē aliquo modo imminueret, admonuit Mosen, vt eis prophetandi munus inhiberet: cui Moses, nihil alienis honoribus offensus, placidè respondit: Quid tu pro me æmularis? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det ei Dominus spiritum suum? Horum igitur vaticinia ab incerto auctore vnico libro comprehensa sunt; ex quo Hermas, Pauli discipulus in suo libro Pastoris, capite secundo testimonium sumpsit his verbis: Prope est Dominus his, qui se ad eum conuertunt, sicut scriptum est in Heldad, & Medad; qui vaticinati sunt in solitudine populo. Auctor Hebraicarum traditionum, quæ Hieronymi titulo prænotantur, scribit Heldad, & Medad eosdem esse, quos prior annaliū liber cap. 4. appellat Epher, & Ialon de Tribu Leui, filios Ezræ, qui & Amram dictus est, & Mosis pater fuit. Moyses enim post acceptā legem in Eremo, matri iniunxit, vt Patrem Amram dimitteret, eò quòd illius amita esset; filia enim fuit Leui, post cuius dissidium Amram aliam duxit vxorem; ex qua suscepit duos hos filios, Heldad, & Medad. Athanasius in Synopsi hunc librum inter Apocryphos numerat.

MEDIOLANENSE pseudoconcilium Generale, Constantio Imperatore vim inferente plusquam trecentorum Episcoporum ann. 354. in quo Concilio ab hæreticis subdolè procurato, fides Catholica damnata est. Quamobrem ipsum Cōcilium, verè fuit damnatum, & iustissimè reprobatum.

MEDIOLANENSIS Synodus ann. Do. 451. Leonis autem Primi Pont. Max. decimo habita est, vt Doctrina de Incarnatione Christi Domini, quæ à Leone ipso fuerat scripta ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, reciperetur. Vide Baronij Card. To. Annal. sextum sub eundem annum.

MEDIOLANENSIS Synodi aduersus Monothelitas extat Synodalis Epistola. Vide eundem Card. Baron. sub ann. Dom. 679. Agathonis autem Pont. Max. secundum.

MEDIOLANENSES Synodi sex Prouinciales accuratissimè hac nostra ætate habitæ à Beato Carolo Borromæo Cardinali S. Praxedis, atque à Summis Pontificibus confirmatæ, quæ ideo vim suam iam in eodem Archiepiscopatu retinent, vti & ad Synodos habendas in vnoquoque Episcopatu viam commonstrant. Vide in verbo, Carolus Borromæus. Atqui separatim Venetijs anno 1566. apud Aldum, Constitutiones Synodales eiusdem Cardinalis, sicuti & Institutio ad Ordines Sacros suscipiendos in eadem Ecclesia Mediolanensi excusæ sunt ann. 1602. Venetijs apud Societatem Venetam.

MEGENFRIDVS (alicui *Meginfridus*) siue *Meginfredus*, Germanus, monachus Fuldensis, sub Othonibus secundo, & tertio Impp. scripsit Historiarum libros 24. Quos Tritemius citat in S. Maximi Episcopi Moguntini vita: quæ extat apud Surium To. 6. die 18. Nouembris. extat verò idem Meginfredus de Vita S. Emmerammi in 2. Tomo Antiquæ lectionis Henrici Canisij.

MEGINHARDVS Germanus, monachus Fuldensis, Cōgregationis Luxouiensis, qui vixit anno 770. scripsit De Passione Sancti Ferrutij martyris. Vide To. quinto, Surij ad diem Octobris 28.

MELCHIADES, siue Melciades Pont. Max. Vide in verbo, Miltiades.

MELCHIOR Canus, Hispanus, Ord. Prædicatorum, qui Theologiam Salmanticè publicè professus, ac deinceps Episcopus Canariensis, cui demum Episcopatui cedens, Prouincialis Ordinis sui in Hispania factus est, Tridentino Concilio interfuit. Scripsit autem 12. libros De locis cōmunibus Theologicis; & Relectiones duas: alteram De Sacramentis

inge-

in genere: Alteram, De Sacramento Pœnitentiæ in illud D. Lucæ cap. 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis*. Et quidem, quod ad libros locorum communium spectat, negandum non est, quin è fecundo, erudito, & facundo ingenio prodierint, eò commendandi magis, quòd ipse nostra ætate primus ea breuitate, copia, dispositione, ac perspicuitate de ijs perutiliter egerit. In qua tanta segete rerum, & historiarum, si quid irrepsit, ex alijs minus fidis Scriptoribus, id iam ab alijs est indicatum. Sanè Auctor Summæ Conciliorum contra fidem Epistolarum Agathonis Pont. Max. scripsit, qui & in eis asserat fuisse dictum Anathema Honorio Pont. Max. Cuius tamen rei nulla mentio fit: & scriptam fuisse Epistolam illam ad Concilium Sextum, cum ad Imperatorem vtraque fuerit scripta. Extant verò illæ in secundo Conciliorum Tomo. Ceterum, corrigendi sunt, quicumque Auctores tum Græci, tum Latini, qui Honorio Pont. Max. notam inurere hæreseos alicuius ausi sunt ex Synodi actionibus à Theodoro deprauatis. Vide Bellarm. Card. lib. 4. De Romano Pont. cap. 11. & lib. 1. De Matrimonij Sacramento cap. 6. 7. 8. Porrò libri Melchioris Cani De locis communibus Louanij excusi fuere ann. 1564. apud Seruatium Saxenum. Coloniæ ann. 1574. & 1584. apud hęredes Arnoldi Birkmanni. Relectio autem De Sacramentis in genere, Ingolstadij ann. 1577. Ea verò, quæ est De Pœnitentiæ Sacramento in sex Partes distributa, ibidem ann. 1580.

Baron Card. in Notis ad Martyrol & in Annal.

Can. lib. 4 de locis commun. cap. 5.

MELCHIOR Flauius, Ord. Minorum, Guardianus (vt vocant) Cœnobij Tolosani, Pœnitentiarius Pij Quinti, & Henrici Secundi Galliæ Regis concionator, scripsit De Regno Christi, de quo ipse Dominus locutus est per annos quadraginta. Quem laborem omnium Christi mysteriorum Compendium continentem, & Concionatoribus vtilem dicauit Carolo Nono, Galliæ Regi. Louanij ann. 1568. & Parisijs ann. 1579. apud Gulielmum Nuam. Resolutiones item in quattuor libros Sententiarum Scoti. Parisijs ann. 1569. Orationem De vera Religione Gallicè, ac Latinè ad Regem Galliæ.

MELCHIOR Frizolius, Parmensis, Ord. Minorum, scripsit in Psalmos Dauidicos. Tres item libros De Anima ad Ludouicū Mariā Ducē Mediolanensium. Obijt ann. 1520. Franciscus autem Gonzaga Episcopus Mantuanus eum edidisse inquit interrupto Dialogo Tractatum de anima, lingua Etrusca. Sed non addit cognomen *Frizolij* ipsi Melchiori, quem tamen Parmensem facit.

MELCHIOR Hiteorpius De diuinis Catholicę Ecclesiæ officijs, ac ministerijs varios vetustorum aliquot Ecclesiæ Patrum, ac Scriptorum libros videlicet B. Isidori, Alcuini, Amalarij, Rabani, Mauri, Vualafridi, Bennonis, Iuonis, & aliorum: partim edidit, partim à mendis repurgauit Coloniæ apud Geruinum Calenium, & hæred. Ioannis Quentelij ann. 1568.

MELCHIOR Puteus, siue *à Puteo*, Aragonensis, Hispanus, Ord. Præd. scripsit librum De laudibus Beatiss. Virginis, quem inscripsit *Mariale*. Sermones item per annum.

MELCHIOR Zangerius scripsit simplicis, atque prudentis Catholicorum Orthodoxiæ, cū Nouatorū sectatoriumque nostri exulcerati seculi idolomania, collatione Catholicam. Coloniæ ann. 1580. Et de passione Dominica conciones vndecim, ibidē ann. 1581.

MELCIADES cuius Rhodon in Opere suo, quod aduersus Cataphrygas, Montanum, Priscum, & Maximillam insanos vates composuit, recordatus est, scripsit librum cōtra Montanum. Alterum contra Gentes. Alium contra Iudæos. Librum item, quem prę notauit Apologeticum pro nostra fide. Vixit Marco Antonino Commodo Imperatore. Hieron. in Catal.

MELDENSIS Synodus, quæ in Tomo tertio Conciliorum Venetæ editionis extat, celebrata fuit in Gallia ann. 545. pro Ecclesiastica libertate ab Episcopis, inter quos eminebat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus. At ann. 846. De canonibus eiusdem Synodi actum est in Parisiensi Concilio. Et Capitula quidem Synodi istius Meldensis primò collecta ab Ansegiso, quattuor distincta libellis prodierunt in lucem. Sed eodem tempore id exigente Concilio, Benedictus Leuita, quæ deerant, collegit, tribusque alijs libris digestis Ludouici Imperatoris regnantibus Filijs tradidit Lothario, Ludouico, & Carolo. Vide Annales Card. Baronij sub eundem annum.

MEL-

MELDENSIS altera Synodus habita est ann.963.in caussa Rhemẽsis Archiepiscopi. Vide item Baron.Card.Annal.To.10.pag.768.Romanę editionis.

MELETIVS, Eusebius,& Basilius,& reliqui Epistolam scripsere ad Fratres,& Episcopos per Italiam, & Galliam,quæ est nu.69.inter SS.Basilij & Gregorij Nazianzeni Epist.

MELETIVS monachus, siue potius Io. Cantacuzenus, scripsit quattuor Apologias pro Christiana Religione aduersus Sarracenos. Extat m.s.Græcè,in Bibl.Regia Galliæ. Eiusdem quoque Meletij nomine extat labor in Synopsim ex probatis sacris, & externis selectis Philosophis. Opus de Natura Hominis; Extat m.s.Græcè in Vaticana Bibl.hac inscriptione, εἰς συνόψιν ἀνθρώπου ἐρανισθὲν παρὰ μελετίου μοναχοῦ ἐκ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐνδόξων, καὶ ἔξω λογάδων φιλοσόφων. Idem extat m.s.in Bauarica Bibl. Græcè. cui additæ sunt etiam Medicę quędam obseruationes præsertim ex Galeno. sed & extat Romæ in Bibliotheca Vaticana.

Atqui,quas Græcè extare Meletij Apologias aduersus Sarracenos,diximus,eas Latinè fuisse redditas,& Basileæ apud Io.Oporinum cum Epist.Musulmani editas scimus:sed cũ Alcorano Mahometis fuerint adiunctæ,tãquam veneno,vt opinor,antidotum: siue (quod verò similius puto) vt Alcoranus eo fuco facilius incautis obtruderetur,cauendum ne Alcoranus, qui omnino prohibitus est, legatur. Sanè verò fertur Meletius ipse monachus fuisse antea Mahometanus, & Achæmenides dictus: cuius nomine Io. Cantacuzenus,qui ex Imp. Cõstantinopolitano factus monachus,Ioasaph fuit nominatus,eas quattuor Apologias aduersus Sarracenos scripsit ad Musulmanum Sampsatinem Sphacanem Persam. At & Meletij concionis exemplar vnà cum Epiphanio Latinè verso prodijt olim Basileæ. quemadmodum & qui inscriptus est, De Natura, & Structura Hominis, Nicolao Petreio Corcyræo interprete Venetijs apud Gryphium,ann.1552. cum Polemonis, Hippocratis, Dioclis, Melampi eiusdem generis Scriptis. prçterquam quòd in Regia Galliæ Bibl. eiusdem Meletij siue Philosophi, siue Medici,siue Monachi simul nomine extabant Commentarij in Aphorismos Hippocratis m.s.

MELITO Asianus, Sardensis Episcopus, librum Imperatori M.Antonino Vero,qui Frontonis Oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedit. Scripsit quoque alia, de quibus ista sunt, quæ subiecimus. De Pascha, lib.2. De vita Prophetarum, libro 1. De Ecclesia,lib.1. De Sensibus,lib.1. De fide, lib.1. De Plasmate, lib.1. De anima & corpore,lib.1. De Baptismo,lib.1. Dę Veritate, lib.1. De Generatione Christi, lib.1. De Prophetia sua,lib.1. De Philoxenia,librum vnum, & alium librum,qui Clauis inscribitur. De Diabolo,lib.1. De Apocalypsi Ioannis,lib.1. καὶ περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ, lib.1. ἐκλογῶν, lib.6. Huius elegans,& declaratorium ingenium laudãs Tertullianus in septem libris,quos scripsit aduersus Ecclesiam pro Montano, dicit eum à plerisq; nostrorum Prophetam putari. Ita D.Hieronymus in Catalogo. At Suffridus Petrus in suis Annotationibus inquit, *De plasmate*; Hic etiam Sophronius περὶ πλάσεως, m.s. Cod.Gembl. habet, *de Phase*, perperam,vt arbitramur;cum hic liber idem videatur esse cum ijs,quos duos de Pascha cõscripsisse supra dicitur: Idem codex infra etiam nonnihil variat à Sophronio, & à lectione Latina vulgata, cuius verba proinde subijciam: *Huius elegans, & declamatorium ingenium, Tertullianus in septem libris, quos scripsit aduersus Ecclesiam, pro Montano cauillatur.* Qui locus mihi hic deprauatus esse videtur, planè enim hæc mens Hieronymi, & Sophronij quoque fuisse videtur,vt declarent Melitonem,quamuis egregium,cauillis eleuatum fuisse à Tertulliano,qui Ecclesiam ipsam vniuersam oppugnabat,itaque vox ἐπαινῶν apud Sophronium supposititia esse videtur, vt & λέγει ex alio facta,quæ respondet, *cauillatur*. Cod. Sigebergen. cum Gemblacensi conuenit.

Qui verò (inquit Sixtus Senensis) Melitoni tribuere visus est assertionem, quòd imago Dei,ad quam conditus est homo,sit corporea,quemadmodum & Deus ipse corporeus sit, is fuit Theodoretus in quæst.20.in Gen. Quæ quidem assertio fuit Anthropomorphitarum, & Audianorum hæreticorum. Et dixi quidem visum fuisse Theodoretum hoc Melitoni tribuisse,si Latinam Io.Pici versionem spectemus. At cum Theodoretus de Audianis loquens nusquam de Melitone loquatur,tamquam eius insanię assertore, sciendum est

emendatos

emendatos Theodoreti codices habere ἐν οἷς ἐστὶ καὶ μελίτων συγγράμματα καταλελοιπὼς περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι θεοῦ hoc eſt, *Ex quibus ſunt, quæ Melito ſcripta reliquit de eo, quod dicitur Deo corpus ineſſe.* Si quidem vt Euſebius,& Hieronymus teſtantur, Melito librum ſcripſit, eo titulo,in quo argumenta eorum,qui Deum corporeum aſtruunt,& imaginem Dei,ad quam factus eſt homo, corpoream arbitrantur, validiſſimè confutauit, ſicut etiam ex ſequentibus Theodoreti verbis,quę in eadem quæſt.20.poſita ſunt,luce clarius apparet.

Cum autem Tritemius eidem Melitoni aſcripſerit librum De tranſitu Sanctæ Mariæ, cuius nec Diuus Hieronymus, neque Honorius meminere, fuerit autem idem liber à Gelaſio Pont.Max. in capite *Sancta Romana Eccleſia* inter apocryphos relatus,fit vt inter Opera Melitonis non ſit adnumerandus.

Porrò quos D.Hieronymus libros ἐκλογῶν nominat,hoc eſt, *exceptorum*, eos ad Oneſimum fratrem ſuum Melito ſic ſcripſit, vt in eis diuerſa Scripturæ Sanctæ teſtimonia ad Chriſtianæ Vitæ Inſtitutionem aptauerit. Addit autem Sixtus Sęnenſis, ſcriptam fuiſſe ab eodem Melitone, ad eundem Oneſimum Epiſtolam vnam. Vixit ann.160.

MELLANIVS Probus,Britannus,ſcripſit quaſdam Homilias. Viuebat ann.260.

MELO, qui *Magiſter Melo* nominatur, Ordin. Diui Auguſtini, ſcripſiſſe fertur in Diuum Matthæum.

MELPHITANA Synodus ab Vrbano II. Pont.Max. congregata eſt de Eccleſiaſticæ rei ſtatu. vnde Vrbanus cum Regni Neapolitani, & Italicas res quadantenus compoſuiſſet,abijt in Gallias. Vide Platinam in vita eiuſdem Vrbani Secundi.

MEMPHITICA Synodus auctoritate Gregorij XIII. Pont.Max. anno 1582,in menſem Decembris indicta, tres habuit ſubinde Seſſiones, in quibus de ablegandis antiquis Neſtorij,atque Dioſcori hæreſibus, iungendiſque animis Cophtorum, qui & Chriſtiani Præcinturæ dicuntur,cum Catholica Romana Eccleſia eſt actum.

Interfuere Primo conſeſſui Epiſcopi,& Principes Viri.

Secundo autem Patriarcha Alexandriæ,qui in eos,atque Aethiopiam habet antiquitus iuriſdictionem,Abbates Cęnobiorum, & Primarij viri Triginta.

Tertio item ijdem,cum Patribus Societatis Ieſu, Io.Baptiſta Romano in primis, quos pictas eiuſdem Pontif. Maximi eò, ſuo nomine vt præeſſent Synodo,cum Pontificio Diplomate allegauerat.

Et Memphis quidem Aegypti Ciuitas eſt ingens, quam vulgus *Alcayrum* appellat,Turcis ſubdita: quæ quinquaginta circiter Cophtorum millia numerat, vt ferè innumeros Aethiopia.

In primo autem conſeſſu De occaſione diſiunctionis eius gentis à Romana Eccleſia locuti ſunt ita noſtri,vt in Pſeudoſynodum Epheſinā conijcerent culpam, quam Dioſcorus hęreticus Epiſcopus coegerat haud legitimam,neque Synodi nomine dignam. In ea enim monſtrarunt receptam fuiſſe Eutychetis inſaniam, duas negantis in Chriſto naturas, quā hæreſim Chalcedonenſe legitimum Cōcilium è ſexcentis, ac triginta Patribus,Leone primo Pontif. Max. Summa conſenſione damnaſſet. Quo facto eorum Cophtorum maiores,homines minimè malos,certè non doctiſſimos,idem fuiſſe ratos duas naturas in vnam Verbi coniunctas hypoſtaſim, ac duas cum Neſtorij hypoſtaſes copulare. Id quod antea vera Epheſina Synodus exploſerat. Inde igitur conſequentium errorum fontem, ac ſeminarium extitiſſe.

Cum autem demum indagandæ è ſuis ſcriptis(quę vix habebant,& ea quidem exeſa vetuſtate) tempus petijſſent, dimiſſa tunc eſt Synodus.

In ſecundo igitur conſeſſu, cum ſeſe Cophti mordicus ſuas hęreſes ſeſe retenturos aſſererent, contra quæ noſtri antiquiſſimas Synodos, fidemque, quam illi à B. Marco accepiſſent, obijcerent, vrgerent quoque,duas in Chriſto naturas denegare nil eſſe aliud,quā miſcere,ac perturbare vniuerſa; &, eodem ſimul negare mendacio,Diuinum Verbum humanam induiſſe naturam, id quod Chriſtianę aures non ferunt: in alterum menſem reiecta eſt Synodus.

At in tertio conſeſſu, Deo aſpirante,circumciſionis lex primum fuit abrogata. Deinde

Oo poſt

post sex horarum Disputationem de duabus Christi naturis, tandem Synodus vniuersa Diuino afflatu concordissimè sanxit, quòd ad rem attinet, vnà cum Catholicis sentiendum, anathematis pœna proposita. *Si quis Christum altera natura spoliaret. Qui cum idem Deus, idem sit verus Homo, & Diuinam habet à Patre iam inde ab omni æternitate Naturam, & Humanam sumpsit ex Matre definitis Temporum spatijs: Cophtos autem, quamquam duarum abstineant Naturarum appellatione, non tamen ab ijs Deum, & Hominem, Christum esse negari: sed ab ea loquendi ratione iccirco refugere, ne consuetudo ipsa loquendi duas inducere videatur hypostases.* Sic peracta quidem res est Kal. Februarij, ann. 1583.

Sed etsi manus dedere veritati, Satanas tamen omni conatu prohibuit, quin Chirographo, quod confessi fuerant, confirmarent, tum Patriarchæ Vicario id procurante, homine pessimo, quique ea ratione consequi se posse Patriarchatum sperauerat, tum morte ipsius Patriarchæ, Turcis quoque nostros in teterrimum carcerem coniectis, quasi Orientalem illum Tractum, siue Pontifici Maximo, siue Regi Catholico subijcere vellent. Quæ calumnia licet paullo post fuit agnita, Turcæ tamen Proregi accepta fuit occasio, vt quinque aureorum millia nostri persoluerent, si vellent liberari. Quam summam Cophtis, & mercatoribus numerantibus charitas Gregorij Pontif. Max. liberaliter restituit. Tum redire coacti sunt nostri Romam, vbi & deinceps Maronitarum, qui degunt in Monte libano, seminarium auctum est, ac fides subinde in eas oras propagatur: De qua vide in verbo, *Maronita.* & in verbo, *Diamperente Concilium.* Ceterum hæc nostrorum expeditio fuerat primò tentata ann. 1563. Pio Quarto Pont. Max. per ipsos nostræ Societatis Iesu homines, sed cum Diuina Sapientia sensim, at fortiter, incedat, tum quidem cessisse irrita visa est, quamuis annua fuerit. Nos hic rem exponere voluimus, tum ne hæc narratio à nostris fideliter accepta intereat, tum vt intelligi possit quò collineadum sit ab ijs, qui post hac tantum negocium sint in Oriente tractaturi.

MENALDVS Rosarius, Burdigalensis, Gallus, Theologus Parisiensis, qui & Aquitanicam illam sui Ordinis Prouinciam rexit, scripsit tres libros De Pœnitentijs, & Remissionibus. Qui prodiere Parisijs anno 1513. Expositionem Decretalis, *Omnis vtriusque sexus*. Quadragesimale. Obijt Burdigalæ ann. 1513. Ea verò Opera omnia extant in sacro Virginum Monasterio (quod ab Etruscis appellatur *S. Gagio*) in Suburbio Florentino.

MENAEVM Græcorum aliquot mentium m.s. Græcè extat in Bauarica Bibliotheca.

MENOLOGIVM Ecclesiæ Hypotheseos Græcè m. s. extat in Bauarica Bibliotheca. Vide in verbo, Simeon Metaphrastes.

MERCVRIVS, siue Græcè *Hermes Trismegistus*, hoc est, ter *Maximus* fuit Aegyptius. Quem Suidas inquit, floruisse ante Pharaonem, ac ter Maximum appellatum, quoniam de Trinitate oraculum edidit, *In Trinitate* dicens *vnam esse Diuinitatem*, his Verbis. *Erat lumen intellectuale, ante lumen intellectuale, & erat semper Mens Mentis luminosa, & nihil aliud erat, quàm horum vnitas, & spiritus omnia continens.* Sed S. Augustinus De Ciuitate Dei lib. 18. cap. 39. euincit, Mercurium hunc vixisse post Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph; nimirum etiam post ipsum Moysen, vt illum ex hoc hausisse, quæ dixit, si qua ad rem dixerit, credendum sit: cum, ipso Augustino monstrante, Mercurius hic, de quo loquimur, nepos fuerit maioris Mercurij, cuius maternus auus Atlas Astrologus, & æqualis Promethei, eodem tempore vixerit, quo Moyses.

Iam verò Iamblichus Philosophus Platonicus, (de quo nos in Apparatu ad Philosophiam, qui duodecimus est liber nostræ Selectæ Bibliothecæ) lib. 3. De Aegyptiorum Mysterijs affert testimonia Seleuci, ac Meneti veterum Scriptorum dicentium, à Mercurio scriptos de vniuersa Aegyptiorum Sapientia (rectius insipientia) libros triginta sex millle, & quingentos vigintiquinque. In quibus recensebantur De Dijs empyreis libri centum; totidem De Dijs æthereis; mille De Dijs cœlestibus. Quorum plerique, quoniam ab Aegyptiaca in Græcam linguam à viris Philosophis conuersi sunt, existimati sunt à Græcis fuisse conscripti. Et meminit Clemens Alexandrinus libro Stromatum sexto, ætate sua extitisse ex ijsdem libris triginta tres de vniuersa Aegyptiorum Philosophia; De Medicina sex; De Sacerdotalibus decem; De Astrologia quattuor.

Sanè verò (ſubdit idem Clemens) adhuc à pluribus Dialogi duo, Pimander, & Aſclepius leguntur, à Mercurio Trimegiſto conſcripti; quem ferunt ideo ter maximum vocatum, quòd maximus eſſet Philoſophus, Rex, Sacerdos. Sed quę in Pimandro, & Aſclepio leguntur, valde abhorrent à ſcriptis, quę de Mercurio Iamblychus attulit. Ac cum nonnulla mira de Deo, De Sanctiſſima Trinitate, De Aduentu Domini, De futuro iudicio complecti videantur, habent item pręſagium, quod ad Aſclepium ſcribens aduerſus Aegyptios protuliſſe dicitur, tamquam in caſſum idola culturos, inquiens: *O Aegypte, Aegypte, religionum tuarum ſola ſupererunt fabula, & aquè incredibiles poſteris tuis.* Hęc Clemens.

Porrò Mercurius Trimegiſtus Gręcè m.s. extat in Vaticana Bibliotheca, his Operibus. Pimander. Sermo Catholicus ad Filium. Sacer ſermo. Crater, ſiue Vnitas. Quòd Deus occultus maniſeſtiſſimus ſit. Quòd in ſolo Deo ſit bonum, alibi verò nequaquam. Quid maximum malum in hominibus ſit Dei ignorantia. Quòd nihil eorum, quæ ſunt, intereat: ſed ij, qui errant, mutationes vocant interitus, & mortes. De intelligentia, & ſenſu. Quòd in ſolo Deo ſit pulchrum, & bonum, alibi autem nequaquam. Clauis Mercurij. Mens ad Mercurium. Ipſius De communi Mente. Eiuſdem in Monte ſermo occultus. De Regeneratione, & ſilentij annunciatione. Hymnodia abſcondita, ſermo ſecundus. Eiuſdem Aſclepio rectè ſapere. Termini, ſiue finitiones Aſclepij ad Ammonem Regem. De commendatione, ſiue laude melioris, & Encomium Regis.

Pleraque item Mercurij Trimegiſti huiuſmodi extant in Bauarica Bibl. Græcè m.s.

At Pimander, qui eſt Dialogus De Poteſtate Dei, Græcè apud Morellium Pariſijs; vtraque autem lingua, Græca, & Latina reſtitutus Franciſci Fluſſatis Candelæ opera, Burdigalæ olim prodijt. Iatromathematica verò ad Ammonem Aegyptium cum pridem Grꝗcè fuiſſent emiſſa in lucem Norimbergæ; nimirum Medicationes accommodatæ ad Aſtrologicam rationem, demum ann. 1597. cum Notis fide manuſcripti Codicis emendata, & ſuppleta, excuſa ſunt Auguſtę Vindelicorum. Sed & Latinè Pimander, alter ex L. Apuleij verſione, alter Marſilio Ficino interprete, Venetijs apud Aldum impreſſus fuerat. Acceſſere ad Pimandrum, & ad Aſclepium Commentarij Annibalis Roſſelli, Calabri, Ord. Minorum, qui 1585. prolati ſunt in lucem Cracouiæ apud Lazarum. Sed & deinceps vberiores Tomi in Mercurium ipſum ibidem ab eodem fuerunt emiſſi. Vide in verbo, Annibal Roſſellus.

MESSALIANI hæretici, qui item dicti *Euchitæ*, contra quos Amphilochius Epiſcopus Synodum celebrauit, deque ea ad Flauianum Conſtantinopolitanum Archiepiſcopū ſcripſit. Vide Photium in Græca Bibl. pag. 17. Editionis Auguſtanæ.

METELLVS Monachus Tegerenſis, ſiue Tegerſeenſis Boicorum Poetarum perantiquus, reliquit à ſe conſcriptas Odas, & Eclogas, quas inſcripſit Quirinalia, in laudes Beati Quirini glorioſi martyris, quæ primum ex Apographo emiſit in lucem Henricus Caniſius I. V. C. Ingolſtadij in Tomo primo antiquæ lectionis. Viuebat ipſe Metellus circa ann. milleſimum & ſexageſimum.

METENSE Concilium in Gallia ann. Do. 594. coactum eſt anno quinto Pontificatus Gregorij Magni, in quo Cōcilio redactus eſt in ordinem Aegidius Rhemenſis Archiepiſc. reus Maieſtatis conuictus. Greg. Turonenſis lib. 10. c. 26. & Baſina Chilperici Regis filia, & Chrodieldis ab excommunicatione liberatæ ſunt.

METENSE Concilium in cauſa repudij Theutpergæ Reginæ facti à Lothario Rege, coactum eſt iubente Nicolao Papa, anno 862. miſſi Legati Pontificis Rodoaldus atque Ioannes Epiſcopi, tradito ijs commonitorio, vt ſi Lotharius Rex monitis Apoſtolicis non acquieſceret, Valdradam dimittens, excommunicatione omnino plectendus eſſet vnà cum omnibus, qui ipſi fauerent: quæ omnia eſſent primum ſignificanda ipſi Lothario. Vide Nicolai Papæ Epiſtolam 82. prope finem, quam ex Gallia acceptam inſeruit ſuis Annalibus Baronius Cardinalis Tomo decimo, ſub eundem annum pagina 237. Romanæ editionis.

METENSE illegitimum Concilium, quod ſuperiore anno indictum fuerat, habitum eſt ann. 863. In cauſa repudij Theutpergę Reginæ à Rege Lothario facti, & lata ſententia

pro Valdrada Concubino; hocque Cōcilium nec approbatum est, immo verò est anathematizatum,& vocatum prostibulum. Vide Anastasium Bibl. in vita Nicolai Papæ.

METHODIVS, (vt Diuus habet Hieronymus in Catalogo) Olympi Lyciæ, vel Pataræ, & postea Tyri Episcopus, scripsit contra Porphyrium, lib. 2. De decem Virginibus Symposion,lib. 1. De Resurrectioue contra Origenem,lib. 1. De Pythonissa contra Origenem,lib. 1. De exitu animæ,lib. 1. In Genesim,lib. 1. In Canticum Canticorū, lib. 1. De nouissimis temporibus,iib. 1. Chronicon quoque,lib. 1.

Totidem autem penè verbis Sophronius & Suidas Græcè,atque Honorius Augustodunensis Latinè,in quo malè legitur. De animæ exitu. pro de ἀντιξυσίῳ, corrupta,vt fit,voce Græca ab imperitis librarijs. D. autem Gregorius Nyssenus in Quæstionibus ait, καὶ φησὶ τὴν ψυχὴν τῷ συμποσίῳ ὁ μεθόδιος ἀμήχανον, καὶ ἀδιήγητον κάλλος ἔχειν. *Et animam* inquit Methodius in Symposio, *immensa quadam, & inenarrabili pulchritudine pollere.*

Sanè verò Epiphanius Cypri Episcopus hæresi sexagesimæquartę fragmentum Methodij,quem *Beatum*, & *Eubulium* quoque nominat,inseruit,quo Origenem solidè oppugnat. Quin etiam Photius in sua Gręca Bibliotheca descripsit excerpta ex Oratione S. Methodij De Resurrectione. Deinde expositionem Dictorum quorundam Apostolicorum ex eodem S. Methodij libro sat prolixè, vt Tractatus integer dici possit. Mox excerpta è libro De creatis. Deinde ex eiusdem S. Methodij libro De libero arbitrio. Denique alia è libro De castitate: in qua tamen inquit quædam fuisse inserta,quæ sapiunt Arianismum.

Extat item eiusdem S. Methodij Homilia De occursu Domini, & Simeonis, seu De B. Virginis purificatione. Eam τὴν τῆς ἀπαντήσεως appellat auctor, quam alij ὑπαντὴν, alij ὑπαπαντὴν: ex qua inscriptione liquet,longè ante Iustiniani tempora festum hoc fuisse institutum, (quod tamen quidam negant) cum Methodius hic secula aliquot præcesserit: neque est,cur quidam hanc ad Domini Natalem homiliam detorqueant, cum luce sit clarius eò minimè pertinere: vti scripsit Petrus Pantinus Tiletanus,qui eam primum Gręcè, & Latinè edidit Antuerpiæ apud Ioachimum Trognæsium,ann. 1598. In Bibliotheca verò Galliæ Regia habetur eiusdem S. Methodij m.s. Oratio, λόγος εἰς τὰ βαΐα.

Iam Dialogum scripsisse quoque, cui titulus est *Aglaophon*, & Fragmenta Chronici Methodij extare apud Marianum Scotum,& in Bibliotheca Imp. Viennę Austriæ haberi m.s. hac prænotatione, *Methodij monachi, & Episcopi Exegesis in Apocalypsim*, alij qui scripsere Catalogos,referunt. Porrò S. Methodius in extrema persecutione sub Decio, & Valeriano,Chalcide, quæ erat in Oriente,martyrio est coronatus, vt scribit Suidas. Viuebat anno 255. Porrò qui sub nomine S. Methodij martyris circumfertur liber De reuelationibus à Sanctis Angelis factis,deque futuro Triumpho aduersus Turcas,& instauratione Ecclesiæ,supposititius est, ac spurius.

METHODIVS Patriarcha Constantinopolitanus,scriptum breuissimum reliquit De ijs,qui abnegarunt fidem per diuersos modos & ætates. Incipit, *Si puer quidem comprehensus fuerit, & abnegauerit,&c.* Extat in Bibl. SS.PP. Canones autem Pœnitentiales in Tomo 9. Annal. Card. Baronij sub annum 842.

METRHODORVS apud Photium in Græca Bibl. scripsit librum De Paschate.

METROPHANES Smyrnæus,Metropolita,ne quem fallat nominis, & dignitatis species, schismaticus fuit,librumque scripsit contra Processionem Spiritus Sancti etiam à Filio, id quod tamen Spiritus ipse Sanctus Ecclesiam Catholicam semper docuit, nempe se à Patre, & Filio procedere.

M I

MICHAEAS, siue *Michea* Hebraicè,hoc est, *humilitas* (inquit Sixtus Senensis) propheta,natus in Morastite,qui iuxta Eleutheropolim Palęstinę in Tribu Ephraim haud grādis est vicus, siue,vt Ionathas Chaldęus tradit,ex Vrbe Maresa,quæ est in tribu Iuda,scripsit Prophetias in diebus Ioatham,Achaz,& Ezechiæ Regum Iuda,quas pronunciauit super Samariam, & Hierusalem, prophetans aduersus Reges Iuda, Sacerdotes, & pseudopro-

prophetas,qui verbum Domini abijcientes,secuti sunt impietatem. aduentum quoque Saluatoris Christi Domini, & locum Natiuitatis eius prędixit apertè. Ac cum in maxillam percussus fuisset à Sedechia, cumque plurima designasset Achab Regi Israel, ab eius filio, cuius nomen *Iorab* vocatus, occubuit pręcipitatus, quòd eum de suis iniquitatibus, & suorum Progenitorum redarguisset. Is verò tumulum in sua Patria Morasti prope Polyandrium sortitus est. Vide alia in Epiphania De vita, & interitu Prophetarum. Scripsere in eum,qui in duodecim Prophetas minores, de quibus vide in verbo Abacuk,alios quoque quos subinde in Apparatu hoc nostro citauimus. Partitionem autem huius Prophetiæ,vide in tabula 229. Ederi.

MICHAEL Angelus,Naldinus,Florentinus,Ord.Seruorum,scripsit patrio Sermone trigintaduas Homilias. Quarum prima pars ad Præfationem libri Iob pertinet. Secunda de Veteris,ac Noui Testamenti Sacrificijs agitur. Tertia de custodia cordis Iob. Prænotatum autem est hoc Opus, *Speculum patientiæ Iob.* In Epistolas item D. Pauli ad Corinthios. Obijt ann. 1570.

MICHAEL Antiochenus Patriarcha,historiam scripsit De omnibus rebus. Quæ inter libros aliquot Arabicos,& Syriacos extabat, qui à tempore Gregorij XI. Pont. Max. (vt fertur)sub terram defossi,& postea inuenti,oblati sunt vęnales Illustriss. Episcopo Herbipolensi,vt mihi Nicolaus noster Serarius significauit.

MICHAEL Angrianus, Bononiensis,Italus,Ordinis sui Carmelitani Generalis,vt vocāt, Prior,Vrbano VI. Pont.Max.libros quinque Commentariorum ad vniuersum Psalterium scripsit more Scholastico: Commentarium item in D. Lucæ Euangelium: At & in Euang.D.Matthæi scripsisse inquiunt Eisingr.& Petrus Lucius Carmelita,quod tamen latuit Sixtum Senensem. Porrò in Mag.Sent. Quæstiones quoque Sententiarū altero libro. Tabulam Moralium S.Gregorij Magni in Iob lib.2. Alteram super Decreto libris totidē. Tractatum de Purissima Conceptione Beatiss. Virg. Sermones varios. Quadragesimale, Libellum manuscriptum,quo Saluatoris Domini nostri Passio vniuersa expenditur;quos quidem Senis reperiti Nicolaus Aurificus scripsit ad Petrum Luciū eundem Carmelitam. At & Iacobus de Plebe scripsit, ipsum Michaelem, antequā moreretur nobilissimū quoddam Dictionarium incępisse,quod vsque ad litt. C, perduxerat. Theologicū ne (quod magis credo) an Philosophicum,tacet. Mitto quę ab eodem Lucio scribuntur fuisse ab ipso Michaele in Iure Canonico,atque in Aristotelis libros,hoc est in Ethica,conscripta: in Valerium quidem Maximum laborauit,& res oratorias(puto adolescens)elucubrauit. Ceterum cum Sixtus Senensis eum dicat obijsse ann.1396. postremo anno Venceslai Imp. Eisingr.inquit decessisse anno 1416. cui assentior, cum & Petrus Lucius scribat hoc eodem ann. id contigisse Kal. Decembris Bononiæ, & ante summum Altare sui, vt nocant, Conuentus, siue Cęnobij, fuisse sepultum.

MICHAEL Baius, Belga, Decanus Academiæ,siue Vniuersitatis Louaniensis,vnà cū Cornelio Iansenio,& Ioanne Hessels,Concilio Tridentino,procurante Philippo II.Rege Catholico interfuit; scripsit autem De prima Hominis Iustitia, & Virtutibus impiorum. Item de Sacramentis in genere contra Caluinum. Louanij ann. 1565. Ad Quæstiones Philippi Marnixij Sancti Aldegondi De Ecclesia Christi, & De Sacramento Altaris Responsio. Epistolam De statuum Inferioris Germaniæ vnione cum ijs, qui sese desertores Romanæ Catholicę Religionis vocant. Coloniæ ann.1579. Apologiam pro responsione ad Quęstiones Philippi Marnixij Sancti Aldegondi cōtra eiusdem obiectiones De veritate Corporis Christi in Sacramento Eucharistię. Louanij ann.1581. Colonię apud Franciscū Behem,ann.1583.& Colonię an.1590. Eius viri virtutes prosecutus est Oratione funebri Bernantius Mechliniensis.Obijt ann.1589.ætatis suæ ann.77. A Pio tamen V. & à Gregorio XIII. Pontt.Maxx. quædam eius opiniones reprobatæ sunt. Vide autem Bellarm. Card.lib.1. De Purgatorio c.10.quasi vltra medium,& lib.2.cap.4.eius quædam expendentem. Sed & quod Præpositi Generales Societatis nostræ nos monuerunt, id ego huius Apparatus occasione non puto alijs esse denegandum. Sic autem habent Admonitio, & illorum Pontificum Diplomata.

Quò magis nostrorum doctrinę securitati consulatur, operepretium fuit hic etiam subijcere Pij V. & Gregorij XIII. Bullam nondum satis omnibus notam, ac peruulgatam, qua nonnullæ cuiusdam Doctoris Louaniēsis propositiones damnantur: vt ijs benè perspectis, facilè intelligant Nostri, cùm ad has quęstiones deuenerint, quid eos sequi, quid cauere oporteat in docendo. Est autem Bulla huiusmodi.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ea quæ à Prędecessoribus nostris emanarunt, suadente maximè Fidei Catholicę conseruatione, vbicumque ipsis opus est, producantur. Quare Nos tenorem litterarum fel. record. Pij Papę V. prędecessoris nostri in eius registro repertum describi, & præsentibus annotari fecimus, qui talis est. Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana, tantis iam pridem turbinibus agitata, nouis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores, passim, & promiscuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, vt illi simulatque prosiliunt, penitus opprimantur: magno etenim męrore afficimur, quòd plerique spectatę alioquin probitatis, & doctrinæ, in varias sententias offensionis, & periculi plenas, cum verbo, tum scriptis prorumpunt, de-
1 que eis etiam in scholis inuicem controuersantur, cuiusmodi sunt sequentes. Nec Ange-
2 li, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Sicut opus malum ex
natura sua est mortis eternę meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitę eternę meri
3 torium. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo permansissent vsque ad vlti-
4 mum vitæ felicitas esset merces & non gratia. Vita eterna homini integro & Angelo pro-
missa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam cōsequendam
5 per se sufficiunt. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis iusti
6 tiæ cōstitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna iustis promittitur. Na
turali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseuerarét, ad eam vitam pertran
7 siret, in qua mori non posset. Primi hominis integri merita fuerunt primę creationis mu
nera, sed iuxta modum loquendi Scripturę Sacrę non rectè vocantur gratię; quo fit, vt tan
8 tum merita, non etiam gratię debeant nuncupari. In redemptis per gratiam Christi nul-
9 lum inueniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. Dona con-
cessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed
quia secundum vsum Scripturæ nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quę per
Iesum malè merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, nec merces, quæ illis
10 redditur, gratia dici debet. Solutionem pęnæ temporalis, quæ peccato dimisso sępè ma-
11 net, & corporis resurrectionem propriè non nisi meritis Christi adscribendam esse. Quod
piè & iustè in hac vita mortali vsque in finem conuersati vitam consequimur ęternam, id
12 non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutę iusto
Dei iudicio deputandum est, nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respi-
citur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutū
13 est, vt iusto Dei iudicio, obedientię mandatorum vita ęterna reddatur. Pelagij senten-
tia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cælestis meritorium.
14 Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti, ex eo quòd fiunt per
spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo quòd sunt con-
15 formia legi, quodq; per ea præstatur obediētia legi. Opera bona iustorū non accipient in
die Iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm iusto Dei iudicio mereantur accipere.
16 Dicit rationem meriti non consistere in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & in-
habitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quòd obedit Diuinę legi: quā sententiam
17 sępius repetit, & multis rationibus probat ferè toto libro. In eodem libro sępius repetit,
18 quòd non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Dicit sentire cum Pelagio, qui
dicunt esse necessarium ad rationem meriti, vt homo per gratiam adopotionis sublimetur
19 ad statum Deificum. Dicit Operam Cathecumenorum, vt fidem & pęnitentiam ante

remissio-

remiſſionem peccatorum factam, eſſe vitæ ęternæ merita, quam vitam non conſequentur
20 Cathecumeni, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Videtur in-
ſinuare, quòd opera iuſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonę ope
21 rantis non traxerint maiorem valorem. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed
22 omne peccatum meretur pœnam ęternam. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in
conſortium Diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis
23 dicenda eſt, & non ſupernaturalis. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Ro-
manos ſecundo. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt,* intelligunt
24 de Gentibus fidem non habentibus. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem
ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exalta
25 tum, vt fide, ſpe, charitate Deum ſupernaturaliter coleret. A vanis & otioſis hominibus
ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, hominem ab initio, ſic
conſtitutum, vt, per dona naturę ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in
26 Dei filium adoptatus. Et ad Pelagianiſmum reijcienda eſt illa ſententia: *Omnia opera in-*
27 *fidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Integritas primæ creationis non
fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio, quam ſententiam repe-
28 tit, & probat per plura capitula. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio, non niſi
29 ad peccādum valet. Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valet, ad vllum
30 peccatum vitandum. Non ſolum fures ij ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium
veritatis, & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde, quam per Chriſtum in viam iuſti-
tiæ, hoc eſt ad aliquam iuſtitiam conſcendi poſſe dicunt, aut tentationi vlli ſine gratiæ ip-
ſius adiutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur aut ab ea ſuperetur.
31 Charitas perfecta & ſyncera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta,
tam in Cathecumenis, quàm in pęnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.
32 Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cū remiſſione peccatorū;
33 Cathecumenus iuſtè, rectè, & ſanctè viuit, & mandata Dei obſeruat, ac legem implet per
charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lauacro demum
34 percipitur. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt au-
ctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad
35 illudendum Sacris litteris, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata. Omne quod agit
36 peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt. Amor naturalis, qui ex viribus naturę exori-
tur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum iniuria Crucis Chri-
37 ſti defenditur à nonnullis Doctoribus. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis,
38 hoc eſt, quod ex naturę ſolis uiribus ortum ducit, agnoſcit. Omnis amor creaturę ratio-
nalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabi
39 lis illa Charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur. Quod volunta
40 riè fit, etiam ſi in neceſſitate fiat, liberè tamen fit. In omnibus ſuis actibus peccator ſer-
41 uit dominanti cupiditati. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nominè
42 non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato. Iuſtitia qua iuſtifica-
tur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum iu-
ſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſe-
cundum interiorem hominem renouatur, & Diuinę naturæ conſors efficitur, vt ſic per Spi
43 tum ſanctum renouatus deinceps benè viuere, & Dei mandatis obedire poſſit. In homi-
nibus pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in Cathecumenis ante Baptiſmū,
44 eſt vera iuſtificatio, ſeparata tamen à iuſtificatione peccatorum. Operibus pleriſque, quę
à fidelibus fiunt, vt mandatis Dei pareant, cuiuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitū
reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, iuſtificantur quidem homines,
quia ſunt legis obedientiæ, & verę legis iuſtitiæ, non tamen ijs obtinent incrementa virtu-
45 tum. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne
46 opus quod fit, vt ſancta ſocietate Deo homo inhæreat. Ad rationem & definitionem pec-
cati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ & originis, vtrum
47 omne peccatum debeat eſſe voluntarium? Vnde peccatum originis verè habet rationem

peccati

48 peccati sine vlla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit. Peccatum
originis est habituali paruuli voluntate voluntariũ, & habitualiter dominatur paruulo eo
49 quò non gerit contrarium voluntatis arbitrium, & ex habituali voluntate dominante fit,
vt paruulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando vsum rationis cõsequutus
50 erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet. Praua desi-
deria quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto,
51 *Non concupisces*. Concupiscentia siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inui-
52 ti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. Omne scelus eius est conditionis, vt
suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima trãsgressio.
53 Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt,
54 qui cum minoribus nascuntur vitijs, quàm qui cum maioribus. Diffinitiua hęc senten-
55 tia, *Deum homini nihil impossibile præcepisse*, falsò tribuitur Augustino, cũ Pelagij sit. Deus
56 non potuisset ab initio talem creare hominẽ, qualis nunc nascitur. In peccato duo sunt,
actus, & reatus, transeunte autem actu nihil manet, nisi reatus, siue obligatio ad pœnam.
57 Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dum-
58 taxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu. Peccator pœnitens
non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam
suggerens & inspirans viuificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solus
59 reatus tollitur. Quando per eleemosynas, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro
pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut qui-
dam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores, sed ali
60 quid facimus cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & cõmunicatur. Per pas-
siones Sanctorum in Indulgentijs communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta,
sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, vt digni simus, qui
61 pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur. Celebris illa Doctorum
distinctio Diuinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad præceptorum
operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet se-
cundum quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, hoc est, ad modum
62 meritorum, commentitia est, & explodenda. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bi-
fariam bonum, vel quia ex obiecto, & omnibus circumstantijs rectum est, & bonum, quod
moraliter bonum appellari consueuit, vel quia est meritorium Regni æterni, eo quòd fit à
63 viuo Christo membro per spiritum charitatis, reijcienda putatur. Similiter & illa distin
ctio duplicis iustitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ
fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor
inhabitãtis, & in eo charitatem diffundentis, qua Diuinę legis iustificatio impleatur, odio-
64 sissima & pertinacissima reijcitur. Denique & illa distinctio duplicis viuificationis, alte-
rius, qua viuificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitę nouę propositum & inchoatio per
Dei gratiam inspiratur: alterius qua viuificatur, qui verè iustificatur, & palmes viuus in
65 vite Christo efficitur, commentitia iudicatur, & scripturis minimè congruens. Non nisi
Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus, & gratię
66 Christi iniuriam facit, qui ita sentit, & docet. Sola violentia repugnat libertati hominis
67 naturali. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. Infidelitas pu-
68 rè negatiua in ijs, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Iustificatio impij
69 fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inspi
70 rationem gratiæ, quæ per eam iustificatos faciat implere legem. Homo existens in pecca
to mortali, siue in reatu æternę damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas
71 etiam perfecta potest consistere cum reatu æternę damnationis. Per contritionem etiam
cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam, non remitti-
tur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.
72 Omnes omninò iustorum afflictiones sunt vltiones peccatorum ipsorũ, vnde Iob, & Mar-
73 tyres, quę passi sunt, propter sua peccata passi sunt. Nemo præter Christum est absque
peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum,

omnesque

omnesque eius afflictiones in hac vita sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati
74 actualis vel originalis. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus
75 iam dominatur peccatum, est sicut & alij habitus praui. Motus praui concupiscentię sunt pro statu hominis uitiati, prohibiti pręcepto: *Non concupisces*: vnde homo eos sentiens & non consentiens transgreditur praeceptum: *Non concupisces*, quamuis transgressio in pecca
76 tum non deputetur. Quamdiu aliquid concupiscentię carnalis in diligente est, non facit
77 pręceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Satisfactiones laboriosę iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam
78 condonatam. Immortalitas primi hominis non erat gratię beneficium, sed naturalis con
79 ditio. Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitia naturali. Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hęreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè ac quęcunque super ijs verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, deque eisdem, & similibus posthac quocunque pacto loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs & officijs perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quęcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Ceterum vt iam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, Dilecto filio Nostro Antonio Tituli Sancti Bartholomęi in insula Presbytero Cardinali Granuelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, vt ipse quid ad perpetuam dictarum sententiarum & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda huiusmodi proloquia & disputationes, quid denique ad vnionem, & pacem cum communi omnium & Ecclesię Catholicę satisfactione componendum facto opus sit in primis diligenter expendat. Deinde in ijs omnibus, quę pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum iudicauerit, salua semper Ecclesię prædictę vnitate, etiã per alium, seu alios fide, doctrina, & religione præstãtes ocius exequatur, faciatque, quiequid decreuerit, inuiolatè ab omnibus obseruari. Contradictores quoslibet per censuras & pœnas prędictas, ceteraq; iuris & facti remedia opportuna, appellatione postposita, cõpescendo: inuocato etiã adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus quòd forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, nõ facientes plenam, expressam, ac de verbo ad verbũ de Indultu huiusmodi mentionem; & quibuslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, indulgentijs, & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcunque tenorum existant, per quę præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habẽda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, priuationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Kal. Octob. Pont. nostri anno 2.

Ceterum volumus vt earũdem litterarum tenori hic inserto illa ipsa omnino fides adhibeatur vbicunque & quandocũque, siue in iudicio, siue alibi ille fuerit exhibitus vel ostensus, sicut illius originalibus litteris prędictis adhiberetur, si ipsæ exhiberẽtur vel ostenderentur. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostrę voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1579. Quarto Kal. Februarij Pontificatus nostri anno octauo.

Cæsar Glorierius.

MICHAEL Bartholomæus Salon, Valentinianus, Ord. D. Augustini, Tomũ primum emisit in lucem, suorum Commentariorum ad Disputationem De Iustitia, quam habet D.Tho. in 2.2. Qui Tomus à Theologis, qui sapiunt, magnopere, nec immeritò, commendatur, quamuis fusior esse uideatur.

MICHAEL Bentius, scripsit Apologiam pro Gaspare Franco, qui ad religionem Catholicam redijt. In ea verò Apologia docetur contra Iacobum Andreæ hæreticum, cuinam Religioni quiuis Christianus adhærere debeat. Monachij ann. 1569. Germanicè.

MICHAEL de Bononia. Vide in verbo, Michael Angrianus.

MICHAEL Brechingerus, alijs *Buchingerus*, siue *Buochinger* Colmariensis presbyter, in Alsatia, Germanus, De augustissimo Sacrosanctæ Missæ Sacrificio. Deque Sanctiss. Eucharistiæ per Christum in cęna nouissima celebratione. Antuerpiæ ann. 1588. apud Danielem Verulietum. cum ante id tempus edidisset contra Lutheranam hæresim librum De Imaginibus, Ieiunio, & Eucharistia, ann. 1543. Tractatum autem de Ecclesia ann. 1556. Tyrocinium verò de Sacro Altaris mysterio, ann. 1555. Coloniæ. Historiam Ecclesiasticam nouam à D. Petro vsque ad Paulum Quartum Pont. Max. Moguntiæ ann. 1560. apud Franciscum Behem. Viuebat ann. 1565.

MICHAEL Cæsennas, Ord. Minorum, scripsit Commentarium in Ezechielem Prophetam, & in libros Magist. Sent. Sermones de Tempore, ac de Sanctis. Vixit Ioan. XXII. Pont. Max. ann. 1316. quo renunciatus est sui Ord. Generalis Minister. Sed & peruenit vsque ad ann. 1350. Henric. Vuil.

MICHAEL è Carcano, Mediolanensis, Ordin. Minorum, scripsit Sermones vndecim scholastico more (inquit Sixtus Senensis) in Decalogum ex vigesimo Exodi capite. Alios item De Sanctis. De Tempore. De Pœnitentia ad dies Quadragesimæ. De peccatis generatim. De tribus quoque pręcipuis peccatis, Superbia, Auaritia, Luxuria. Qui an. 1479. Basileæ prodierunt, ac librum De Fide.

MICHAEL è Ciminetho, Gallus, Carmelita, Professor olim Theologię in cęnobio Metensi Ordinis sui, scripsit librum, quem prenotauit, *Speculum Institutionis Ordinis sui*. Sermones item De Tempore, De Sanctis, & Quadragesimæ.

MICHAEL Chot, scripsit Compendium, siue Epitomen omnium, quæ in quattuor libris Petri Lombardi Magistri Sent. extant. Id autem prodijt Venetijs ann. 1598.

MICHAEEL Franciscus, scripsit pium Commentarium in Hymnum *Salue Regina*.

MICHAEL Gallus in Prouincia natus, Ord. Minorum, edidit Opus De Mansionibus filiorum Israel.

MICHAEL Glycas, qui Annales Historiæ Byzantinæ Gręcè conscripsit, quos tamen Latinos item habemus, scripsit quoque capita plurima Theologica, & Philosophica, quæ Græcè m.s. extant tum in Vaticana, tum Viennæ Austriæ in Bibliotheca Imp. vbi & Quęstiones eiusdem, ac dubitationes in vniuersam sacram scripturam: atque Opus Historicum De Cęlo, & Terra, & vigintiduæ Epistolæ. Quin & scripsit duas Disputationes Græcè, quas Iacobus noster Pontanus fecit Latinas, & Philippi Solitarij libris abs se versis, vnà cum alijs Opusculis adiecit. Prima Disputatio est, vtrum in peccatum lapsis condescendendum, an prout ratio, postulat, increpandi sint ad Ioannem Sinaiten monachum, & Stylitam. Secunda est, vtrum audiendi sint, docentes hominem à principio caducum corpus habuisse, & passionibus, siue incommodis naturalibus etiam ante transgressionem obnoxium fuisse; cibumque sensibilem in Paradiso adhibuisse, & lignum scientiæ ficum extitisse. Ad Ioannem Smeniotam monachum. Editæ sunt Ingolstadij ann. 1604.

MICHAEL Hagerus, Friburgi Theologiæ Professor, edidit Orationem aduersus calumniam hæreticorum oblatrantium Pont. Max. & eius Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Ingolstadij, apud Sartorium, ann. 1578. Tractatum item De singularitate Antichristi contra huius temporis hæreticos, ibidem. Responsionem quoque aduersus alteram Iacobi Heerbrandi Tubingensis hęretici De Antichristo, Disputationem, ibidem apud eundem Sartorium, ann. 1582. & Responsum alterum aduersus Heerbrandi de Antichristo Apologiam, ibid. ann. 1583. apud eundem.

MI-

MICHAEL Herbrandt, Duren. Germanus, Carmelita, Prior Conuentus Crucennatensis, scripsit Sermonum de Tempore, librum. De Sanctis alterum. Collationes Synodales. Viuebat ann. 1410.

MICHAEL Hiltprandus, Germanus, scripsit Ecclesiã militantem Tragicocomediam, Christianæ, eiusdemque Catholicæ fidei incrementum, persecutiones, hæreses, & alia ad supremum vsque Iudicij diem vicissitudines varias comprehendẽtem. Dilingæ ann. 1573.

MICHAEL de Insula, Morinus, hoc est Picardus, Ord. Prædic. vir doctus, cuius item Sixtus Senensis meminit in sua Bibl. scripsit Postillam ad Canticum Canticorum, & alteram ad Danielem Prophetam. Extant Venetijs apud Patres eiusdem Ordinis in Cœnobio SS. Io. & Pauli.

MICHAEL de Insulis, quem Antonius de Conceptione alium à superiore facit, eiusdem tamen Ord. Prædicatorum, scripsit De veritate Sodalitatis, hoc est, vt aiunt, Confraternitatis Rosarij Beatiss. Virginis librum per modum Quæstionum Quodlibetalium. qui Coloniæ fuit excusus ann. 1476.

MICHAEL ab Isselt ex Italica in Latinam linguam conuertit Instructionem ad iuuãdos morituros, eos præsertim, qui ob flagitia morti addicuntur. Coloniæ apud Birckmannum ann. 1588. Paradisum item precum è Ludouici Granatensis spiritualibus, & aliorum Patrum libris concinnauit. Coloniæ apud Calenium ann. 1589.

MICHAEL Lochonaier, Germanus, Patauiensis Canonicus, Theologiæ, & Pontificij Iuris Doctor, Sermones reliquit à se scriptos, quos ann. 1512. & 1516. Henricus Gran excudit Haganoæ. Parochiale item Parochorum, siue Curatorum, cuius capita sunt:

De iure Parochiali, quid sit, & in quibus situm sit.
De decimis, & primitijs.
De Oblationibus.
De Pœnitentijs recipiendis.
De Missis audiendis.
De Sepulturis, & remedijs.
De Canonica portione.
De Benedictione nubentium.
De Collatione Sacramentorum.
De Prouentibus. Et verò hic liber prodijt Lipsiæ ann. 1497. aliquot ante annos quàm ea Ciuitas veneno Lutherano fuisset infecta.

MICHAEL Maniches, (fortassis *Manrriquez*) Valentinus, Hispanus, Ordin. D. Augustini, Ecclesiæ Vsellensis in Sardinia Insula Episcopus, qui Ius Canonicũ, & Theologiam diu Valentiæ, ac deinceps Ilerdæ professus, cum vir memoria ad miraculum sic valuisse scribatur, vt vniuersa Biblia, ipsumque Ius Canonicum recitare sine libris posset, ac pleraque scripsisse dicatur, quæ auidè expectabantur, hoc in loco intexitur, vt qui eius scripta adhuc assequi nequiuimus, ea, vt proferantur in lucem, sicubi extant, curent emitti ij, quibus hoc licuerit.

MICHAEL è Massa Etruriæ oppido, Ord. Eremitarum S. Augustini, qui obijt anno 1336. die 20. Maij, scripsit in Genesim. In Esaiã, aliosq; Vet. Testamenti lib. In quattuor item Euangelia SS. Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis. Librum de Vita Christi. Alterum de Sanctissima eius Passione. Alium, Sermonum variorum. In quattuor item libros Magist. Sententiarum. Notabilia quoque, ac Quæstiones: Quorum omnium ipse pleraque vidi manuscripta apud Eremitanos Patauij. Addit autem Iosephus Pamphilus eum scripsisse De tribus Virtutibus Diuinis. De quattuor Virtutibus Cardinalibus. De meritis, & efficacia bonorum operum: hæcque omnia Mediolani asseruari in Bibliothecis Ordinis. Sepulchrum autem & ossa eius extant Parisijs, ibique anni, & diei, quibus obijt, mentio habetur, quidquid alij scripserint eum adhuc ann. 1350. fuisse superstitem.

MICHAEL Medina, Hispanus, Ord. Minorum, Theologus, scripsit libros vberes, & eruditos De recta in Deum Fide. in quorum secundo lib. cap. 7. Magiam Dæmonum accuratè, vt impiam, refellit. Alios De Indulgentijs aduersus hæreticos nostri temporis. Quod vtrumque Opus prodijt ex Officina Iordanis Ziletti, Venetijs ann. 1565. sicut apud eundem, deinceps ann. 1569. prodierunt eiusdem libri quinque, in quibus Sacri, & Ecclesiastici Cœlibatus origo, progressio, & consummatio ex Sacra Scriptura, Sanctorumque Patrum scriptis proponitur, atque defenditur. Sed & in 14. Articulos Symboli Apostolorum

lorum, ac De Purgatorio igne. De continentia ſacrorum hominum. In quo Opere tacendum non eſt, eum librum De ſacrorum hominum origine, & continentia cap. 5. affirmare S. Hieronymum idem omnino ſenſiſſe cum Aerianis, nimirum eundem eſſe presbyterum, & Epiſcopũ, neque vero in ea ſententia fuiſſe duntaxat ipſum, ſed SS. quoque Ambroſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Occumenium, & Theophylactum. Ac quidem S. Hieronymus id viſus eſt ſenſiſſe in Commentr. 1. cap. epiſt. ad Titum. & in ep. 85. ad Euagrium. At alij explicatis aliorum quorundam Catholicorum ſententijs, qui verba Hieronymi piè ſunt interpretati, haud probãt illa Medinæ dicta. Quin etiam Hieronymum partim tuentur, partim aſſerunt, in eo ſenſu ita abundaſſe, vt valde probabile ſit, eum non omnino certum fuiſſe, eundem eſſe presbyterum, & Epiſcopum. At poſt illos Franciſcus à Meſſana Hieronyminianus, in libro, quem edidit Antuerpiæ ann. 1597. De explicatione difficilium locorum D. Hieronymi, in verbo *Epiſcopus*, copioſè hanc rem tractat, & Hieronymũ ab Alphonſi à Caſtro obiectione, quam in libro ſexto aduerſus hæreſes ſcripſit, in verbo, *Epiſcopus*, tutari ſic nititur, vt tria eſſe placiti huius membra defendat de mente ipſius Hieronymi, Primum, *Multiplex eſſe diſcrimen inter Epiſcopum, & ſimplicem Sacerdotem*. Secundum, *Epiſcopum dignitate ſuperiorem eſſe ſimplici Sacerdote, humano iure*. Tertium, *Epiſcopum ſimplici Sacerdote ſuperiorem eſſe iure Diuino*. Egerat autem de hac re ante alios Sixtus Senenſis, libro ſexto Bibliothecæ Sanctæ Annotatione 324. & ante illum, Iacobus Latomus, vti & Marianus Victorius Reatinus in Scholijs ad D. Hieronymum. Sed qui Meſſanam legerit, non erit vnde in alijs legendis hac de re conterat tempus.

Bellarminus. Card. To. 1. controu. li. 1. de Clericis ca pit. 1.

MICHAEL Mediolanenſis, Ord. Minorum, duo Quadrageſimalia reliquit. Alterum, De Quattuor capitalibus Vitijs, Gula, Ira, Inuidia, Accidia, Quod Venetijs excuſum eſt apud Franciſcum Haelbium ann. 1476. Alterum, De pœnitentia, & eius partibus, cum Sermonibus De Aduentu, Quod ibidem prodijt apud Nicolaum Francofurtenſem ann. 1487. Sermones proinde alios, De Tempore; De Sanctis, De Peccatis; De Decem Præceptis; De Fide, ac Pœnitentia. Viuebat ann. 1480.

MICHAEL Menotus Gallus, Ord. Minorũ ſcripſit Sermones Quadrageſimales, qui Pariſijs editi ſunt apud Claudium Cheuallonium ann. 1525. Tractatum de fœdere, & pace ineunda per mediam Pœnitentiam, tamquam Orationem, ibidem ann. 1526.

MICHAEL Merſpurgenſis Epiſcopus, qui cognomento *Sidonius* Germanus, Germanicè ſcripſit, atque edidit Catechiſmum catholicum, Quem in octoginta quattuor Conciones diſtribuit. Quem item latinitate donauit Tilmannus Bredenbachius. Eiuſdem Epiſcopi quindecim Conciones De ſacrificio Miſſæ, & vnam de Sacroſancta Euchariſtia. Interprete Laurentio Surio Cartuſiano. Louanij apud Hieronymum Vuellæum ann. 1577. Paraphraſtica item Canonis Miſſæ Explicatio, cũ declaratione cęremoniarũ prodijt antea Auguſtæ ann. 1548. & Cõmentarius Germanicus in Prouerbia Salomonis. Moguntię ann. 1571. & Poſtilla Dominicalium Euangeliorum quæſtionibus abbreuiata, & formulis precũ aucta per Conradũ Diſtel Germanicè. Moguntiæ apud Gaſparẽ Behem ann. 1582.

MICHAEL de Palatio, Granatenſis, Hiſpanus, Profeſſor Theologiæ in Academia Salmanticenſi ſcripſit Diſputationes in primum librum Mag. Sententiarum, quæ Salmanticę prodierant apud Gaſparem Portonarium ann. 1574. Deinde in reliquos libros, Diſputationes in tres Tomos diſtinctas, ibidẽ, apud Ildefonſum à Neyla ann. 1577. At & antea idem Michael emiſerat Commentaria in Eſaiam Prophetam ann. 1572. Ibidem apud Gaſparem Portonarium.

MICHAEL Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcripſit Manifeſtationem δήλωσιν ad Regem, quod myſtagogia præſanctificatorum antiquitus fuerit tradita: & quomodo ipſius myſtica operatio fiat, Extat in Bibliotheca Vaticana.

MICHAEL Patriarcha Conſtantipolitanus ſcripſit Epiſtolam ad Petrũ Patriarcham Antiochenum, quæ extat Grœcè m.s. in Bauarica Bibl. & Petri Reſponſionem ad eundem. Eiuſdem item Sermones in quædam Euangelia Dominicalia, & in Transfigurationem Domini, & in omnes Sanctos, ibidem m.ss. Græcè.

MICHAEL Pocciantius, Florentinus, Ordin. Seruorum Beatissimę Virginis, scripsit eiusdem Ordinis Historiam ab ann. 1233, quo sumpsit initium, vsque ad ann. 1566. Quo item anno prodijt in lucem. Præterea librum, quem inscripsit *Dilucidarium* in Regulam Diui Augustini. Regulas quoque tres. & Mare Magnum Ordinis Seruorum eorundem, additis à se Notis. Librum patrio Sermone de Vitis Sanctorum septem Patrum fundatorum sui Ordinis. Commentationem, siue (vt vocant) Discursum, De Religione, ac Sanctitate Ciuitatis Florentiæ. Catalogum omnium Aedium Sacrarum, Nosodochiorum, siue Domorum Hospitalium, & Sodalitatum piarum. Quem cum moriens absoluere nequiuisset, Lucas Ferrinius eiusdem Ordin. id præstitit, tabulisque, siue Indicibus illustratum emisit: cum item Catalogum Latinè ab eodem Pocciantio collectum Scriptorum omnis generis Florentinorum, quorũ memoria extat, & Lucubrationes, quę in litteras sunt relatę, ad nostra vsque tempora ann. 1589. idem Ferrinius ducentorum aliorum Auctorum numero auxerit. Qui quidem Catalogus editus fuit eodem anno 1589. Florentiæ apud Philippum Iuntam. Obijt autem ipse Michael ann. 1576. Octauo Idus Iunij

MICHAEL Psellus, qui Leonis cognomento Philosophi, fertur fuisse Præceptor, plraque scripsit tum ad Theologiam, tum ad Philosophiam, atque ad alias disciplinas, siue mathematicas, siue medicas spectantia, si tamen omnia, quæ illi ascribuntur, legitima sunt illius Opera.

Et quidem in Vaticana Bibliotheca extabant eius liber Græcè manuscriptus aduersus Eunomium. Monodia, Epistolæ, & Encomia varia. Scholia in Basilij Dictum. Libri duo de Legibus. Ecloga, & reliqua Philosophica quædam. At in Bibliotheca Imperatoris, Viennæ Austriæ, Epitome Librorum Moysis, & eiusdem, ac Eusebij Pamphili enarrationes in Canticum Canticorum: Tractatus de Synodis, adiunctus alteri, quem monachus quidam scripserat de Dogmatibus. Quædam item in Passionem, & sepulturam Christi. Quin & libellus inscriptus, *Antichristus*, De Paradiso. Et in Natalem Christi Domini, omnia Græcè m. s.

Porrò qui duo libri ipsi ascribuntur de Dæmonibus, quos libros alij tribuunt Michaeli Ephesio, cum Græcè m. s. haberentur apud Didacum Hurtadum Mendozam, Latinè antea excusi fuerant apud Aldum Venetijs; quemadmodum, & Parisijs anno 1538. Compendium Arithmeticæ speculationis, quo natura, & varietas numerorum, & Analogia considerantur; & expositio Oraculorum magicorum Sectatorum Zoroastri cum expositione adespota apud Vechelum. Sed eius Paraphrasis in librum Aristotelis De Interpretatione, apud Aldum Venetijs anno 1503. & Compendium in quinque voces Porphyrij, & in Aristotelis Prædicamenta, (si tamen huius sint) Basileæ anno 1542. Latinè redditum. Et breuis expositio in Aristotelis libros De Naturali auscultatione, & in Metaphysica, & in Psychagogiam Platonis, & Commentarius in Aristotelis verba: *Ars artium, & scientia scientiarum*. & quomodo à Philosophia pendeant omnia (cum m.s. Græcè asseruarentur partim in eiusdem Didaci Hurtadi Mendozæ Bibliotheca, partim alibi) nescio an typis tradita fuerint. Sanè in Bibliotheca Imperatoris Viennæ extabat etiam Psellus De Fide ad Michaelem Ducam, adiuncta eiusdem Epitome Philosophiæ Aristotelicæ, hoc est Physicę, De Generatione, & Corruptione: Deque Meteoris cum supplemento Gregorij Nysseni ad Petrum fratrem: ceteraque Physica, Astronomica, Musica, Arithmetica, Geometrica, additis sententijs varijs, De anima. Et Interpretationes dubiorum Naturalium.

Atqui cum Opus Gręcum ipsius è libris (vt vocant) Medicinalibus per Alphabeti seriem esset in Vaticana Bibliotheca, Georgius quoque Valla è Gręco Latinos fecit duos Pselli libros De victus ratione, deque facultatibus, & succi qualitate alimentorum, qui prolati sunt in lucem Basileæ anno 1529. Quin etiam ibidem habebat Oporinus Paraphrasim Pselli in Homeri Iliada, soluto sermone, ita vt singuli versus seorsim essent redditi, in Gręco manuscripto Codice. Ceterum scio traditum à quibusdam fuisse, extitisse olim in Bibliotheca Ioannis Stambuci συνοπτικὸν σύγγραμμα τῆς ὅλης φιλοσοφίας, eiusdem Pselli: quemadmodum, & in Augustana extant Dioptra, idest, Perspectiua

Pp continens

continens quattuor Sermones, in quibus Animus, & Corpus disputant, & alia, quorum supra meminimus.

Sed in Vaticana Bibliotheca extat quoque m.s. Psellus in Translationem ἀνακομιδὴν reliquiæ Prothomartyris, & Archidiaconi Sancti Stephani. Quos verò in Canticum Canticorum Commentarios scripsit ad Stephephorum, ij breues, & dilucidi habentur. Quorum initium est, *Cum animus tuus ô Stephephore discendi auidus*. In librum autē De septem Synodis scripsit Franciscus Feuardentius vir & religione, & doctrina eximius. Quin & Bellarm. Cardin. Psellum inquit fuisse hallucinatum in eodem libro in tempore, quo celebrata est prima Constantinopolitana Synodus, quæ fuit secunda è quattuor primis. Item in Ephesina, quæ fuit tertia ex ijsdem Bellarm. To. 1. Controu. 4. De Concilijs cap. 5. vltra medium. Habetur autem m.s. Græcè de septem Synodis in Bibl. Bauarica.

MICHAELIS Riberæ, Malacitani, Ord. Prædicatorum, & Collegij Hispalensis Diui Thomæ collegæ, septem declamationes de contemptione rerum humanarum, & virtutis excellentia. Colonię apud hęredes Arnoldi Birckmanni 1573. Eiusdē De perfecto Theologo lib. Lugduni apud Io. Tornesium.

MICHAEL Ritius, Neapolitanus, scripsit De Regibus Hierosolymorum De Regibus Francorum. De Regibus Hispaniæ. De Regibus Neapolis, & Siciliæ. De Regibus Vngariæ. Quæ olim excusa Basileæ ann. 1517. deinceps iterum vnà cum Antonij Bonfinij de ijsdem Vngariæ Regibus sunt recusa. Florebat Romæ ann. 1505.

MICHAEL Rubertius, Zenobij filius, Florentinus, Mariæ Saluiatę matris Magni Ducis Cosmi Medicis alumnus, scripsit historiam ab origine Mundi vsque ad sua tempora, vbi accuratè Regnorum mutationes, atque interitus Dei iudicio ob scelera docet accidisse.

MICHAEL Sarauctius è Petra Sancta, Oppido Etruriæ, Ord. Prędicatorum, qui Romæ & in Cęnobio eorundem Patrum S. Mariæ supra Mineruam, Regens, vt uocant; & in Gymnasio Sapientiæ Metaphysicen publicè professus est, etsi (quod sciam) non scripsit Theologica, quoniam tamen Philosophica, de quibus egit, direxit ad Theologica, ponitur hoc in loco. Scripsit igitur Quæstionem De Analogia entis aduersus Scotistas. Alteram De Vniuersalibus. Tractatum de Primis, & Secundis intentionibus. Quæ Romæ anno 1515. Perusij autem ann. 1516. prodierunt. Librum item, siue Tractatum De insolubilibus, & Quæstionem De caussalitate primi Principij, & alteram De principio Indiuiduationis, & Quæstionem De subiecto Philosophiæ. Romæ anno 1517. Viuebat anno 1512.

MICHAEL Sidonius. Vide in verbo, Michael Mersputgensis.

MICHAEL Syngelus, Hierosolymitanus libellum Græcè scripsit De Orthodoxa fide, qui extabat in Vaticana Bibliotheca. Scripsit item De laudibus B. Dionysij Areopagitę, qui Gręcè, ac Latinè Parisijs prodijt, ann. 1548. Godefrido Tilmanno Cartusiano Interprete. Et Encomium ad Sanctos Archangelos, & ad omnes cęlestes Potestates. Quod extat in Simeone Metaphraste, & m.s. quoque in eadem Vaticana Bibl.

MICHAEL Thomassius, Hispanus, Librum De ratione habendi Concilia, & Ecclesiasticas edidit Disputationes aduersus Iudęos, Mahometanos, atque Hæreticos. Romæ ann. 1515. & 1567. Lactantium autem Firmianum absse recognitum, ac Notis illustratum emisit. Antuerpiæ ann. 1570. apud Plantinum.

MICHAEL, & Theophilus Imperatores (ait Sigibertus in Catalogo) scripserunt Ludouico Regi Francorum librum vtilissimum De veneratione Imaginum. Viuebant Tritemio, ann. 840.

MICHAEL Timotheus, Gateensis I. V. D. in Diuinum Officium trecentas quęstiones, in decem Tractatus partitas. Venetijs edidit ann. 1582. apud Zilettum.

De Sacrificio Missæ Quæstiones sexcentas partitas in 6. Tractatus. ibidem ann. 1584.

Ad Sanctissimos Episcopos De Sacrosanctis Dei Ecclesijs visitandis Compendiosam institutionem, qua (iuxta Concilij Tridentini Decreta) Dięcesim suam visitare possunt: & praxim, qua visitandi solùm comprehenditur exercitium, ibid. ann. 1587.

At

At & antea, hoc est ann. 1582. emiserat expositionem in Hymnos Ecclesiasticos ibid. apud Franciscum Zilettum, ann. autem 1584. De Sacrificio Missæ.

MICHAEL Vehe, Germanus, scripsit De Sacrificio Missæ aduersus Lutherum. Viuebat ann. 1538. Eisingr.

MICHAEL Verinus, de quo nos in Poetica nostra honorificè locuti sumus, acri uidelicet ingenio, & pietate prędito, De puerorum Moribus Disticha scripsit; quæ Paganus Typographus ann. 1539. Lugduni excudit.

MICHAEL dictus de Vngaria, scripsit Sermones breuissimos per annum prædicabiles. Qui ann. 1487. Argentorati prodierunt.

MICROLOGVS, qui hactenus hoc nomine tanquam Anonymus circulatus est, fuit Guido ipse Abbas S. Crucis Auellani, prope Aretium Etrurię ciuitatem, monachus autem S. Benedicti, qui figuratum, vt uocant, composuit Cantum, musicisque notis *vt, re, mi, fa, sol, la,* nomen indidit, id quod Sacerdos quidam nomine Donitius, qui rudi carmine, scripsit de Gestis Comitissæ Mecthildæ testatur, dum loquens de Thebaldo Episcopo Aretij fratre Marchionis Bonifacij, & patre Comitissæ Mecthildæ ita habet.

Micrologum librum sibi dictat Guido peritus
Musicus, & monachus, nec non Eremita beandus.

Quin etiam hic ipse Guido non solum scripsit De Ecclesiasticis obseruationibus ante plusquam quingentos annos, (quas quidem Iacobus Pamelius Brugensis Antuerpiæ emisit in lucem) verum etiam egit De Veritate Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ contra Berengarium hæreticum, atque alia. At vt liber De obseruationibus Ecclesiasticis extat quoque inter libros Bibliothecæ Sanctorum Patrum, ita Donitius ille (de quo diximus) m.s. asseruabatur apud Arnoldum Vicionem Cassinensem Monachum, qui tunc Rhegij Lepidi viuebat, cum hoc ab eo resciuimus.

MILEVITANVM primum Concilium totius Africæ generale Mileui congregatum, anno Dom. 402. Innocentij autem primi anno primo: cum aliud inueniatur celebratum post annos 14. vt ex litteris Innocentij Papæ ad eandem Synodum missis intelligi potest in notatis ibi Consulibus. Sciendum tamen est, hoc cum illo librariorum vitio esse confusum. Quod enim vnum, idemque putarunt Mileuitanum Cōcilium, factum est, vt quod alterius esset, alteri adscribendo coniungerent. Hæc 5. Annal. To. Baron. Card. quod deinceps singula singulis ibidem reddere curauit, laborans vt Acta nobilissimæ huius Synodi hinc inde ex diuersis S. Aug. scriptis magna ex parte sint redderentur.

MILEVITANVM Concilium ann. Do. 416. quintodecimo autem Innoc. Pont. Max. Mileui in Numidia sexaginta & vnius Episcoporum, vt habetur in Epist. ipsorum ad Innoc. Papam, sed fortasse tum in Mileuitano, tum in Carthaginensi non omnes recensiti reperiuntur, cū S. Prosper à trecentis Episcopis dicat ea definita fuisse. Porrò qui Mileui conuenerunt Patres de damnanda hæresi Pelagiana (vt factum hoc eodem anno sciebāt in Concilio Carthaginensi) vnanimes in eandem conspirauere sententiam. Extant eius argumento canones octo perperam relati ad alterum Concilium Mileuitanum antea celebratū sub Consulatu Arcadij, & Honorij; omnesq; aduersus eandem Pelagianam hæresim editi. Hæc autem Baron. Card. To. 5. qui plura de his concilijs agit, quæ hactenus fuere confusa in editis Tomis Conciliorum. At etsi Concilium hoc, fuit, vt Erasmus obiecit, particulare, non autem Oecumenicum, fuit tamen ab Apostolica Sede confirmatum, vt constat ex Epistola Innocentij primi ad Concilium Mileuitanum, quæ Epistola habetur in 1. Tomo Conciliorum, & inter Epistolas S. Augustini nu. 93. & aliud decretum eiusdē Concilij relatum est in Corpus Iuris Canonici, dist. 4. de consecr. can. Placuit. Et denique Cōcilium vniuersale Trid. sess. 5. idem decretum renouauit iisdem verbis. Vide Bellarm. Card. lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, c. 3. propè finem. Porrò Mileuitani Concilij Canonum fuit Auctor S. August. quamuis nomine totius Concilij editi sint.

MILO Elbonensis, monachus Ord. D. Benedicti, scripsit ad Carolum Caluum Imp. De Sobrietate, & vitam S. Amandi, vtrumque carmine. At & lib. Epistolarum ad diuersos. Viuebat ann. 870.

MILTIADES, cuius Rhodon in opere suo, quod aduersum Montanum, Priscillam, Maxintillamq; composuit, recordatur, scripsit cōtra eosdem Volumen præcipuum, & aduersum Gentes, Iudæosque, libros alios, & Principibus illius temporis Apologeticam ede dit. Floruit M. Antonini Commodi temporibus. Hieronymus in Catalogo. Eadem Tritemius, qui eum floruisse scribit ann. 170.

Ceterum loco eorum verborum. *Cuius Rhodon in Opere suo*: legendum apparet (inquit Lypsius) *Cuius Apollinarius in Opere suo. Non enim de Rhodone hoc scribit Eusebius libro 4. cap. 17. sed de Apollinario*. Sophronius item cōstanter habet Priscillam, m. s. verò codices habent, *Priscam*, omnes m. s. nostri conueniunt. Hunc autem Auctorem Tritemius perperam appellat *Melciadem*. Hæc Suffridus Petrus.

MILTIADES, Afer, Imperatoribus Constantino, & Licinio Augustis, Pontifex Maximus, ac denique Sanctissimus martyr obijt 4. Idus Decembris, anno Domini 314. vt habet Onuphrius Pannuuinius. Eius Decreta extant cum alijs Pontificijs. Caput autem ipsius, quæ venerabilissima Reliquia est, in Templo nostro, dicato nomini Iesu Romæ apud nostros asseruatur, vbi item est Societatis nostræ primaria Domus Professa.

MINDENSIS Episcopus, cuius tamen nomen, & cognomen Inscriptioni Operis sui sat grandis haud apponitur, scripsit Sermones (vt vocant) Dominicales, in omnes Epistolas, quæ per annum in S. R. E. leguntur. Sanè Germanum fuisse vix dubitari potest.

MINIATVS Pittus, Florentinus, monachus Oliuetanus, & Abbas S. Miniati, Florentiæ, Congregationis veteris Cluniacensis circa annum 1550. Scripsit Sermone Patrio Librum de Antiquis, & recentioribus omnium Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, Mōtium, Terrarum, vt vulgò vocant, & Regionū totius Orbis nominibus, qui m. s. apud suos asseruabatur, nondum, quòd sciam, prolatus in lucem. Atqui & alia elucubrasse, præsertim de Mathematicis dicitur. Obijt Florentiæ ann. 1567. mense Decembris, & humatus est in eodem suo Monasterio. Bugianus autem deceptus est, qui illum inter Scriptores Ordinis Nigrorum D. Benedicti collocauit, habet autem quę ad hunc Apparatum pertinent.

MINVTIVS Felix (vt habet Hieronymus in Catalogo) Romę insignis caussidicus scripsit Dialogum Christiani, & *Ethnici* (Sigebergensis codex habet *haeretici*) qui Octauius inscribitur. Sed & alius sub homine eius fertur De Fato, vel contra Mathematicos: Qui cum sit & ipse diserti hominis, non mihi uidetur cum superioris libri stylo conuenire. Meminit huius Minutij, & Lactantius in libris suis. Hæc Hieron.

Fuit autem Minutius æqualis D. Cypriani. cum verò collocaretur Minutij Dialogus pòst septimum Arnobij librum, Franciscus Balduinus I. C. ann. 1560. cum Auctori suo restituit. Vide in verbo, Arnobius, versus finem.

MISNENSIS Episcopi Synodalia Statuta, ann. 1504. Lipsiæ impressa sunt mandato Ioannis Salhausen Episcopi eius nominis Sexti, per Gulielmum Bethschium apud Melchiorem Lotterum, hoc est aliquot ante annos, quàm Lutherana pestis in Germania erumperet.

MISSA, hoc est Sacrosanctum à Christo Domino Sacrificium institutū, quod & Apostoli, & vniuersa per Orbem Ecclesia semper celebrauit, quodque à Gręcis Liturgia, Ierurgia, Synaxis, & à D. Dionysio Areopagita S. Pauli Apostoli discipulo vocatum est τελετὴ τελετῶν, *perfectio perfectionum*: Quod item D. Ioan. Chrysost. φρικωδεστάτην θυσίαν appellauit, hoc est, *terribilissimum sacrificium*, quantò magis inuisa semper fuit Satanæ, & hæreticis, tanto attentius vbique proposita, & recitata fuit à Sancta Catholica Ecclesia. Extant Missæ, primò S. Petri Apostoli cū Gulielmi Lindani Ruremundensis Episcopi Apologia, hac prænotatione: De Apostoli Petri Liturgia. Antuerpiæ apud Plantinum anno 1589. Missa item S. Iacobi Apostoli, De qua vide in verbo Iacobus Apostolus. S. Marci Euangelistæ, quæ extat in Bibl. Sanctorum Patrum. Sanctorum item Basilij, atque Chrysostomi, De quibus, sicut, de Apostolicis, legendi Ant. Demochares Parisiensis Theologus, & Liturgica Iacobi Pamelij, & Claudij Sanctij Ebroicensis Episcopi, & S. R. E. Card. Missæ item expositio descripta in vetustissimo codice, habetur in eadem Bibl. SS. PP.

Porrò de Sacrosancto Missę Sacrificio scripsere propè innumeri Theologi, Martyres, Patresque

tresque penè omnes, Græci, Latini, Syri, & quicumque fermè alijs idiomatibus in Christiano Orbe Doctores Catholici. At contra ætatis nostræ hæreticos scripsere Ioannes Eckius in tribus libris De Sacrificio Missæ, Iodocus Clictoueus, in propugnaculo Ecclesiæ lib. 1. Gaspar Schatzgerus, tract. De Missa. Ioannes Faber lib. 2. 4. & 5. De Missa & Eucharistia. Ioannes Roffensis in libro De visibili Sacerdotio. Caietanus Tract. de Sacrificio Missæ, Martinus Peresius in lib. De traditionibus parte 3. consideratione 4. Ioannes Driedo, lib. quarto, De Scripturis & Dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 5. parte 4. Ambrosius Catharinus in lib. De veritate incruenti Sacrificij noui, & æterni Testamenti. Dominicus à Soto in 4. Senten. distinct. 13. quæst. 2. Iodocus Tiletanus in Apologia pro Concilio Tridentino contra Kemnitium. Riccardus Tapperus in Explicatione artic. 16. Louaniensium. Albertus Pighius libro 2. Hierarch. Eccles. cap. 5. & Controuers. 5. & 6. Antonius Demochares in libro 4. De Sacrificio Missæ. Alphonsus de Castro in libro 10. contra hereses, verbo Missa. Gaspar Casalius libris tribus De Sacrificio Missæ. Hosius Cardinalis in Confessione Polonica, cap. 41. Gulielmus Lindanus, lib. 4. Panopliæ, c. 37. & sequentibus. Melchior Canus lib. 12. de Locis Theologicis, cap. 13. Gulielmus Alanus libro secundo, De Eucharistia. Gregorius de Valentia in Tractatu & Apologia, De Sacrificio Missæ.

Accessere postremi, Claudius Sanctius Ebroicensis Episcopus in magno Opere, quod inscripsit *Repetitionum decem libri*. De Sacrosancta Eucharistia Iacobus Pamelius in suis Liturgicis, vt diximus. Emundus Augerius Societatis nostræ, libro Gallico De Sacrificio Missæ. Robertus Cardin. Bellarminus in suis Controuersijs, vbi De Eucharistia, & De Missa accuratissimè, atque (vt solet) perspicuè. Nos item, (si parua licet componere magnis) ante istos Italicè Tractatum De Sacrificio Missę Lugduni primò edidimus, breuem, & vberem, qui & in Anglicam linguam conuersus est, ac contra quem cum varijs temporibus plerique Caluiniani Geneuæ commorantes scripsissent, nos altero libello impias eorū blasphemias refutauimus, qui à Petro Rubeo Auenione excusus fuit ann. 1564. hac inscriptione, *Risposta à quattro heretici, Pietro Vireto, Spifamio, Nicolò Balbani, & ad vn che si finse Scholare*. Vide verò in hoc Apparatu, in verbo, Antonius Posseuinus, & in verbo, Assertio. At nouissimè sumus assecuti Liturgias SS. Basilij Magni, Gregorij Theologi, Cyrilli Alexandrini ex Arabico in Latinum conuersas à Victorio Sciala Maronita. de quo Vide in verbo, Victorius Sciala.

Ceterum prodijt quoque ante triginta annos Speculum Missæ ex antiquissimis Ecclesiæ Catholicæ Patribus à Ioanne Cochleo collectum, deinde vero à Nicolao Aurifico Senensi, Carmelita, recognitum, & auctum. Auctores verò è quibus collectum est, sunt. Amalarius quondam Episcopus Treuerorum. Valfridus Strabo Abbas S. Galli in Heluetijs. Expositio breuis Missæ ex vetustis Codicibus. Petri Damiani Cardin. liber, qui *Dominus vobiscum*, inscribitur. Gemma animæ liber De antiquo ritu Missarum. Micrologus De Missa ritè celebranda. Petri Abbatis Cluniacensis, Nucleus de Sacrificio Missæ. Ordo, ac celebrandi ratio ex S. R. E. Nicolaus Aurificus De Missæ Antiquitate, Veritate, Dignitate, & Cerimonijs. Bernonensis Augiensis Abbas. Hildeberti Cenomanensis Episcopi De mysterio Missę. Venetijs apud Franciscum Zilettum, ann. 1572.

MISSALE Romanum ex Decreto Concilij Tridentini restitutum Pij V. Pont. Max. iussu editum, deinde item cum Kalendario Gregoriano emissum, cum è pręcipuis quibusque Typographijs Europæ prodierit, vbinam, & à quibus fuerit excusum, frustra hic adscriberetur, tamquam res notissima: eo item magis, quòd iam sumus assecuti Recusionem ipsius Missalis: quod Clementis VIII. Pont. Max. mandato recognitum est.

MISSALE Syrochaldaicè in Oriente habetur in vsu. Vide in verbo, Maronitæ.

MITROPHANES (puto, *Metrophanes*) Episcopus Smyrnensis Gręcè scripsit, quę adhuc extant, libros tres aduersus Manichęum, & duos contra Eunomium. Vide in verbo, Metrophanes, & quę in eo cauenda diximus.

M O

Mochimvs Mesopotamius, Presbyter apud Antiochiam, scripsit aduersum Eutychem, egregium libellum, & alia scribere dicitur, quæ nondum legi. Hæc Gennadius in Catalogo. Codex autem Gemblacensis habet pro *Mochimo*, Mochomeum. Vixit an. 480.

Mochomevs. Vide hic supra, Mochimus.

Modestvs & ipse sub Imperatore M. Antonino, & L. Aurelio Commodo, aduersum Marcionem scripsit librum, qui vsque hodie perseuerat, feruntur sub nomine eius, & alia συγγράμματα, sed ab eruditis quasi ψευδεπίγραφα repudiantur. Hieron. in Catal.

Modestvs Archiepiscopus Hierosolymitanus, scripsit εἰς τὰς μυροφόρους hom. in 8. cap. Lucæ. Alteram in Dormitionem Beatiss. Virginis. Aliam in Purificationis diem, quæ à Græcis ὑπαπάντη. fragmẽta harum homiliarum quędam ponit Photius in sua Gręca Bibl. Vide pag. 834. editionis Augustanæ.

Mogo Monachus, & Presbyter (vt creditur) Fuldensis anno circiter Domini 760. scripsit referentibus quattuor Sanctimonialibus, De vita S. Liobæ Abbatissæ, lib. 1. qui est excusus in Vitis Sanctorum Surij Tomo 5. die 28. Septembris.

Mogvntini Archiepiscopi, Resque Moguntinæ, quę potissimum ad Ecclesiam pertinent, hactenus integræ, quòd sciam, haud prodierunt. Quinque tamen libros de ijsdem audio à viro religioso esse Moguntiæ accuratè conscriptos, quos expectamus.

Mogvntinvm Concilium sub Carolo Magno, Leone III. Pont. Max. ann. 813.

Mogvntinvm Concilium Prouinciale, dicendum tertium sub Rabano eorũ, quorum mentio inuenitur. Præfuit idem Rabanus Archiepiscopus Moguntinus. Interfuere omnes Episcopi, atque Abbates Orientalis Franciæ, Baioariæ, atque Saxoniæ. Et illi quidem de absoluendis Quæstionibus Tractatum habuerunt. Vide Annales veteres à Pithœo editos, & Baronium Card. To. 10. sub ann. 852. Quænam verò fuerint illę Quæstiones, nusquam mentio.

Concilivm Moguntinum, hoc est apud Moguntiacum à Carolo Rabani successore, & Archiepiscopo anno 857. In eo præter alia, actum est de Iure Ecclesiarum.

Mogvntinvm Concilium, anno 888. To. 10. Annal. pag. 620.

Monachi, & alij Regulares, vt aduersus hæreticos, & alios, qui Diuinos istos Ordines oppugnant in pretio haberi, ac defendi possint; sciendum est, quinam de ijs scripserũt. Qui quidem præter alios fuere. Ioan. Chrysost. tribus libris contra vituperatores vitę monasticæ. Io. Cassianus in libris de Institutis Cęnobiorum. Albertus Magnus in Defensorio Mendicantium. B. Thomas in Opusculo 19. quod est contra impugnantes religionem. Beatus Bonauentura in Apologia pauperum, & libro De paupertate Christi. Tho. Valdensis lib. 3. & 4. De Doctrina fidei, & de Sacramentalibus tit. 9. Albertus Pighius Controuersia 14. Alphonsus Viruesius Philippica vicesima. Alphonsus à Castro in libris contra hęreses, in verbo, Mendicitas: & in verbo, votum. Io. Bunderius in suo compendio Concertationum, tit. 34. Conradus Koellim in euersione Epithalamij Lutherani. Io. à Dauentria in refutatione Confessionis Augustanæ. Io. Eckius in Enchiridio, & in conclusionibus de Votis. Franciscus Orantius lib. 5. De locis catholicis. Gaspar Schatzgerus lib. 1. cap. vlt. & lib. 2. cap. primo suarum Controuersiarum. Ioan. Hoffmeisterus contra articulum 27. Confessionis Augustanę. Iacobus Latomus de Monachorum Institutis, & Votis. Io. Cochlæus, libro de Votis, & in discussione articuli 27. confessionis Augustanæ. Iodocus Clichtouęus lib. tertio Antilutheri. Alanus Copus Dialogo secundo. Matthęus Galenus de Origine Monastices. Richardus Cęnomanus in Antidoto ad censuram Erasmi in Regulam S. Augustini. Franciscus Turrianus libris duobus De votis Monasticis. Gulielmus Lindanus lib. 4. cap. 98. Panoplię. Omnes Theologi Scholastici, & Summistę. Robertus Cardin. Bellarminus To. 1. Controu. 5. lib. secundo, qui vniuersus est de monachis. Hieronymus Platus de bono Religionis. Vide item primi Tomi librum quartum nostrę Bibliothecę Selectę.

Mo-

MONALDVS Iustinopolitanus, Dalmata, Ordin. Minorum Archiepiscopus Beneuentanus scripsit Summam Iuris Canonici. Quęstiones in quattuor lib. Mag. Sententiarum. Sermones varios. Eius autem Sūma, *Aurea* dicta, Lugduni prodijt apud Petrum Balletum ann. 1516. Vixit ann. 1332. glorioso coronatus martyrio Argengę Vrbis Sarracenorum.

MONALDVS Rosarius, Carmelitarum Ordinis in Aquitania Prouincialis, Theologus Parisiensis, scripsit De Partibus Pęnitentiæ tres libros. In Decretalem, Omnis vtriusque sexus, librum. Quadragesimale, quod valde cōmendatur. Sermones per annum. De Beatiss. Virginis Conceptione librum. Vitam D. Simeonis Angli. Officium eiusdem. Lecturam sententiarum libris quattuor. In quartum sententiarum. Lecturas Ticini, quæ *Papia* dicitur, expositas. Librum aduersus hæreses. Determinationes Theologicas. In Canones Pontificum. Epistolas ad diuersos. Obijt Burdigalę. ann. 1508.

MONETA (ita enim cognomento notus plus quam nomine) Cremonensis, qui in seculo professor Artium Bononiæ, fuit deinceps à Reginaldo in Ordinē Dominicanorum cooptatus, scripsit perutilem hæresibus eradicandis summam, aduersus hęreticos Catharos, & alios. Quæ tum Neapoli, tum Bononiæ extat in cęnobijs eiusdem, Ordinis manu scripta. Viuebat ann. 1225.

MONTANVS Episcopus Toletanus, virtute Spiritus, & eloquio pollens scripsit Epistolas duas. Alteram Palentinę Vrbis incolis De Ecclesiastica disciplina, & contra Priscillianos. Alteram ad Turibium religiosum monachum. Vixit ann. 636. vndecimo autem Honorij Papę. Ita S. Ildephonsus in Catal. virorum Illustrium Hispanię.

MOPSVESTENA Synodus anno Dom. 550. Vigilij autem Papę XI. aduersus Theodorum eiusdem ciuitatis Episcopum centesimum iam ante annum defunctum; vbi ab ijs, qui conuenerunt, hoc actum, vt aduersus ipsius Theodori acerrimos Defensores, è loco ipso, vbi sederat, atque scripserat, antiquę proderentur memorię, si quę de ipso ibidem adhuc reliquę essent. Huius Synodi acta habentur inserta in quintę Synodi actione quinta. Vide Baron. Card. 7. Tomo Annal. sub eundem annum.

MORS, quoniam & communis omnibus, & vltima vitę huius linea est, in qua de tota re agitur, nimirum de felicitatis, aut damnationis ęternę consecutione, ita pręnoscenda est, ac prę muniendi animi ad eam in corpore excipiendam, vt nullum argumentum, vel disciplina sit, in quam debeant omnes accuratius incumbere. Cum verò propemodum innumeri de illa egerint, sat fuerit hic aliquos attigisse; quos subinde legere, ac meditari quilibet possit.

Ac primò De vtilissima, & necessaria Prę paratione ad Mortem legendus S. Ambrosius De Bono Mortis. D. Antoninus in sua Summa. Dionysius Cartusianus, vbi De quattuor Nouissimis, & ij ferè omnes, qui subijciuntur.

Quotuplex autem sit Mors. S. Ambrosius, cap. 2. de Bono Mortis. D. Antoninus in sua Summa P. P. ti. 5. c. 1. Iodocus Clictoueus de Doctrina bene moriendi.

De certitudine Mortis. Quicumque scripserunt ad illud D. Pauli *Statutum est hominibus semel mori*. Heb. 9. At de incertitudine Mortis. Vide ibidem S. Thomam.

De origine Mortis corporalis, quicumque locum Apostoli, c. 5. ad Romanos exposuere: *Per vnum hominem Mors intrauit in Mundum*. 1. Cor. 15. & ad Rom. 1. ac D. Tho. q. 86. artic. 5. & 6. Quique ad D. Thomam addidere Commentaria.

De effectibus mortis. Primò quidem malis, atque ideo, quam timenda, nempe septem de caussis, de quibus B. Antoninus in Summa tit. 14. c. 8. par. 4. ac de ratione reddenda eo tempore, c. 9. Quàm amara sit mors corporalis in se ipsa, & ex naturalibus caussis. Dionysius Cartus. De quattuor Nouissimis art. 3. & 4. De Pauore, quem affert. art. 7. idem Cartusianus ibidem.

De effectibus bonis Mortis. S. Ambrosius lib. de Bono Mortis. & 2. cap. Clictoueus, & 13. art. Dionysius Cartusianus ibid. vbi supra.

De diuersis autem generibus Mortis, Naturalis, Violentę, Martyrij, & quę ex ipsis Iudicum Tribunalibus prouenit, extant varia in ijs. Qui de Medicina, De Physicis, De

Iudi-

Iudicijs, De Vtilitate Martyrij, præsertim D. Cyprianus scripserunt. Sed & Petrus Auratus (Gallicè *Pierre Dorè*) libellum aureum De vita & morte Christiana Gallicè edidit. Qui in Gallijs circunfertur.

Huc faciunt. Qui ipsam nuntij mortem præcedunt: Quæ tentationes in hora mortis accidunt. De quibus præter alios D. Antoninus De tribus nouissimis mortis, Parte prima Tract. Tit. 5. c. 2. Ac quæ Clictoueus in libello De Doctrina benemoriendi, deque disponendis suis rebus, ac de condendo Testamento. Dominicus Sotus, De Iure, & Iustitia. Martinus Nauarrus in sua Summa. Ioanne Polancus Theologus Societatis nostræ: qui vnus sat fuerit pro multis. Ne modo dicam, quæ Franciscus Suarez Theologus noster in quarto Tomo, ad Tertiam Partem Summæ S. Thomæ, hac de re disseruit. Iam de ipsam mortē subsequentibus ex parte Dei, atque defuncti, legendi sunt itē, qui illud Apostoli exposuere. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc, iudicium.* Ex parte propinquorum, siue hæredū. Vbi de officio Sepulturæ. Sotus & alij plerique omnes, & Robertus Card. Bellarminus, vbi agunt de ijs, quibus iuuantur Animæ defunctorum, præterea De igne Purgatorio, De Indulgentijs, siue condonationibus: sanè vero D. Augustinus. De cura pro mortuis habenda; & alij quoque hac de re egerunt. Ceterum nemo est inter eos, qui Homilias reliquere, quin, è re nata huc Euangelia retulerint, sed & Bustus vbi de Pestilentiæ remedijs agit, & Hieronymus Sauonarola, Cornelius Mussus, Tractatu suo de Morte. Franciscus dictus Franciscbinus, & Ludouicus Granata, vbi de meditatione Mortis hoc, quicquid est argumenti, plus penè quàm satis sit, tractarunt, cum interea, quæ De immortalitate Animæ, deque peccato originali, possint quoque opportunè suis locis interseri, cum ad hoc negocium spectent. Vtinam vero & morte iustorum, & in Domino moriamur.

Mosci, & Moscouia, quomodo iuuanda, & quibus libris, Vide in verbo, Ruteni, siue Russia, & Commentarios quoque meos De Moscouia, sępe editos, quemadmodum dictum est in verbo, Antonius Posseuinus.

Mosomi, quod est Oppidum Galliæ Belgicæ sub Rhemensi Metropoli, Synodus est habita 4. Non. Iunij ann. 995. cui missus à Io. XV. Papa fuit Legatus Leo Romani monasterij S. Bonifacij Abbas, In ea patiētissimè auditus Gerbertus, qui Arnulphum Rhemensem Episcopum è sede eiecerat, in eamque ipse peruaserat, ad extremum reiectus, & damnatus Gerbetus, Arnulphus autem restitutus. Acta Synodi eius, licet interierunt, aut adhuc alibi delitescunt, satis tamen ex ijs, quæ Leo idem Legatus, in ipsa Synodo disputauit, èque Oratione, & scriptis Gerberti constant, cuius historiam Papirius Massonius, texuit lib. 3. Annalium Francorum, ex qua item inseruit pleraque Baronius Cardinalis To. 10. suorum Annalium, sub eundem annum 995.

Motus proprij diuersorum Pontificum à Gregorio VII. vsque Gregorium XIII. Romę apud heredes Antonij Bladij ann. 1579.

Moyses, qui & Propheta, & Dux Hebræi populi, ac legislator fuit, de quo pleraque diximus in Bibliothecę Selectę secundo libro, ab antiquis, & recentioribus, Scriptoribus celebratus est maximis laudibus, tamquam is, quo Diuina Sapientia nō solum ad educendum ex Aegypto populum, atque ad legis tabulas in monte accipiendas, & ad futurum Messiam prænunciandum vsa est, verum etiam quem tamquam eiusdem Messię typum nobis proposuit. Et ex antiquis Scriptoribus Aloysius Lippomannus in sua, in Genesim Catena, plura de illo testimonia deprompsit, quæ cum alij deinceps, tum nouissimè Ascanius Martinengus Canonicorum Regularium Abbas Generalis, suis in Pentateuchū magnis Glossis diligenter collegit. Ac quidem Clemens Alexandrinus Stromatum libro primo, quę nam fuerint Moysis natalitia, educatio, nomina, ac in prima eius adolescentia ad percipiendas plures disciplinas pręstantia, sic scripsit.

Genus eius, & res gestas, & vitam, ipsæ scripturæ, quæ sunt fide dignæ, prædicant: Et tamen à nobis quoque dicendum est, quod Moyses, cum, ex alto, petita origine, genere esset Chaldæus, natus est in Aegypto, cum maiores eius ob diuturnam famem ex Babylone migrassent in Aegyptum. Septima generatione genitus, & regaliter educatus tali casu est. Cum Hebræi in Aegypto crenissent

sent in magnam multitudinem; veritus Rex regionis, ne eorum, qui ex Hebrais nascerentur, multitudo ei pararet insidias, iubet, ipsos quidem alere fœminas (est enim res ad bellum imbecilla mulier) masculos autem interimere. suspectam habens validam iuuentutem. Cum autem nobili lo co natus esset puer, tribus deinceps mensibus celantes eum parentes alebant, naturali amore vincente tyrannicam crudelitatem. Postea autem veriti, quin vnà cum puero perirent, cum ex papyro, qua in ijs locis nascitur, vas construxissent, ad palustris, stagnantesq́ fluuij ripas puerum impositum exponunt, obseruabat autem soror, quid esset euenturum, procul stans à puero. Regis filia, qua longo tempore non concipiebat, filium autem desiderabat, illo die eò venit ad fluuium, vt se lauaret, & aspergeret. Cum verò puerum flentem audiuisset, iussit ad se adduci, eiusq́ misersta, quarebat nutricem. Tunc accurrens soror pueri, dixit, se habere Hebraam fœminam, qua non multo ante peperisset, eamq́ adducturam, si velit. Qua cum assensisset, & rogasset, adduxit ipsius pueri matrem, tamquam aliquam aliam, mercede constituta nutricem eius futuram. Deinde puero Regina nomen imponit Moyses, apta etymologia, eò quod eum ex aqua sustulisset. Aquā enim Moy vocant Aegyptij, in qua moriturus fuerat expositus, Moysem enim vocant eum, qui ex aqua emersus respirauerit, clarum est ergo, quod prius circumciso puero parentes aliquod nomen imposuerunt. Vocabatur autem Ioachim. Habuit quoque tertium nomen in Cælo, postquā assumptus est, vt dicunt Mysta, nempe Melchi. Cum autem esset atate grandior, Arithmeticā, & Geometriam, Rythmicam, & Harmonicam, & praterea Medicinam simul, & Musicam doctus est ab ijs, qui erant insignes inter Aegyptios, & praterea eam, qua traditur per Symbola, seu signa, Philosophiam, quam in litteris ostendunt Hieroglyphicis. Alium autem doctrina orbem tamquam puerum regium Graci eum docuerunt in Aegypto, vt dicit Philo in vita Moysis.

Didicit item litteras Aegyptiorum, & rerum cælestium scientiam à Chaldæis, & ab Aegyptijs. Quare dicitur doctus fuisse in omni sapientia Aegyptiorum. Eupolemus autem in libro de Iudaa Regibus dicit Moysem, primum fuisse sapientem, & Grammaticam primùm tradidisse Iudais, & Phœnices accepisse à Iudais, Gracos autem à Phœnicibus. Ad eorum autem deductus naturam, auxit prudentiam eam, qua erat sui generis, & maiorum suorum amulatus doctrinā; adeo vt etiam Aegyptium, qui Hebraum inuaserat, percutiens interfecerit. Aiunt autem mysta eum solo verbo occidisse Aegyptium, sicut certè postea Petrus in Actibus fertur eos, qui pretium agri sibi vsurpauerant, & mentiti erant, verbo interfecisse. Act. 5. *Artapanus sanè in Opere de Iudais refert, Moysem in custodia inclusum à Nechephre Rege Aegyptiorum, quòd peteret, vt populus liberaretur ex Aegypto, noctu, aperto carcere, Dei voluntate egressum, & in Regiam ingressum dormienti Regi adstitisse, quem item excitauerit; At hunc obstupescentem iussisse Moysi, vt diceret nomen eius, à quo mittebatur, & illum quidem, cum ad aurem se inclinasset, dixisse. Regem vero, vbi au diuisset, mortuum cecidisse: cum autem eum Moyses tenuisset, rursus reuixisse.* Et hęc quidem Clemens Alexandrinus. Porro quomodo Moyses Platoni pręferendus, idem Clemens primo libro Stromatum, & Cyrillus contra Iulianum lib. secundo: quomodo autem fuerit Dei Nuntius, S. Ioan. Chrysostomus, Homilia secunda super Genesim, S. Basilius in Hexemeron Homilia prima, S. Ambrosius in Hexaemeron lib. 1. cap. 2. scripserunt.

Quomodo item Propheta insignis, S. Greg. in Ezechielē Homilia prima, & S. Io. Chrysostomus Homil. 2. in Genesim. Quomodo verò non tantum Rex, & Philosopus, sed legislator, Pontifex, & propheta, Philo de vita Moysis: quomodo summus Sacerdos, ac Pontificum Pontifex. Philo, Iosephus, S. Augustinus super Leuiticum Quęst. 23. S. Leo Papa ep. 86. S. Gregorius Naziāzenus Oratione 6. quam habuit pręsente Gregorio Nysseno fratre Basilij. Quomodo Moysis nomen fuerit apud priscos illustre S. Iustinus Philosophus, & Martyr in libro, qui inscriptus est *Admonitorius ad Gentes.* Quomodo antiquus, Clemens Alexandrinus Stromatum libro primo, Eusebius de pręparatione Euangelicā lib. 10. cap. 3. S. Iustinus Martyr in Admonitorio ad Gentes. Theodoretus de cura tione affectionum Gręcarum libro secundo, S. Cyrillus contra Iulianum libro primo. Quomodo denique Poeta, Historicus, & primus scriptor, scriptum est planius in eodem secundo Bibliothecę nostrę selectę, de quo diximus supra.

At is ipse Ascanius Martinengus in Prolegomenis suarum magnarum Glossarum in Pentateuchum, cum dignitatem Moysis à tribus pręcipuè petendam esse duxisset, hoc est

à de-

à destinatis (sicut ille inquit) à Deo muneribus, & functionibus: ab illustri Prosapia; à pręclara vitæ serie, qua animi & corporis vires, ac dotes expressę sunt; vbi Moysem sic cũ Christo contulisset, vt Christi Domini perfectissima lex, summa sapientia; & bonitas vnà cum omnipotentia liquidius agnosceretur, nobilitatem eiusdem Moysis accuratè persecutus; Vitam denique breui, sed vbere compendio, è Philone, qui eam tribus libris cumulatè exposuit, & ex alijs, ita contexuit, vt qui meliorem nos haud possemus conficere, eam huc adtexere operępretium esse duxerimus. Tanti enim Scriptoris, quantus fuit Moyses, expedit, vt adhuc planior mentio fiat. Sic autem Ascanius: Moyses natione Hebræus, patria Gethsemita, aut certè Ramessita, per Leui stirpem à maximis Iacob, Isaac, & Abraham Patriarchis prosapiam traxit, annoq́; secundum Hebraicam computationem à creatione Mundi, bis millesimo, trecentesimo, septuagesimo tertio, secundum verò Græcam Eusebij, ac septuaginta Interpretum, termillesimo, sexcentesimo decimo, in Aegypto (cum Rex Pharao immaniter in Populi
Lib. biblioth. antiq. Israelitici mores desæuiret) in lucem prodijt. Amra enim eius parens (teste Philone) spreto Seniorum consilio, qui Iudæos non nubere, atque magis sine liberis decedere, quàm natos ad interitum edere consulebant, Deiq́; promissis inconcussis fisus, eum iam, Mariam, ac Aaronem ex altera coniuge suscepisset, Iacobam de Tribu Leui, sibi in Uxorem asciuit, Moysemq́; ex ea genuit. Natus
De antiq. lib. 2. cap. 6. hic infans admodum elegans, postq́; tribus latuisset mensibus, in fiscella scirpea, siue (vt Ioseph tradit) lectulo è vimine contexto, ac bitumine linito, mirificè, nec sine Dei prouidentia, palustris, stagnantisque Nili ripis expositus est. Hunc Regina Pharaonis filia, Thamur; seu (vt alij malunt) Thermura, siue Thermutis appellata, vagientem infantem benignè suscepit; Moysemque eum,
Moysis nomina. quòd ab aquis eruisset, nuncupauit, quasi (Ises) hoc est seruatus à (Moy) idest ab aquis, ita enim voces illæ Aegyptiacæ Latino idiomate exponuntur. Primò namque Ioachimus (ex Clementis sententia) seu Melchiel (ex Philonis testimonio) appellabatur. Atque cum mulierum Aegyptiarum lac sugere abnuisset, Mariæ sororis ingenio, quæ sedulò eũ insequuta fuerat (vt quid de ipso euen-
Lib. 1. strom. Libro Biblic. antiq. turum esset, obseruaret) matri nutriendus traditus est. Amore deinceps tam feruido Regina Thermura est puerum prosequuta, quòd cum nupta esset, atque mater effici non posset; simulato
Lib. 1. de vit. Moy. partu (vt tradit Philo) puerum, qui ascititius erat, natiuum dixit, ad consequendaque amplissimi regni iura ipsum, hoc mirifico extulit dolo. Deinde cum trium annorum ætate Pharaoni Regi à
Lib. 2. antiq. cap. 6. filia oblectationis gratia blandiendus exponeretur: fertur, (vt Ioseph tradit) diadema Regium, suo capiti impositum, in terram iecisse, ac pedibus conculcasse; quam rem cum Rex ægre ferret, sacerque scriba eum necandum (vt Regni futurum prostratorem, ac euastatorem) inclamaret) vix Regis filiæ ingenio indictam necem euasit. Moyses igitur regiam educationem nactus, puerilibus spretis oblectamentis, cunctis mox animi, & corporis explenduit dotibus, disciplinisque omnibus à prima statim adolescentia, lectissimis moribus animum imbuit. Itaque Arithmeticam (te-
Lib. de Vita Moysis. ste Philone) Geometriam, vniuersamque Musicam, Rhythmicam, Harmonicam, Metricam, siue contemplatiuam, siue per instrumenta, vocesque promentem, modis varijs citissimè didicit. Ab Aegyptijs insuper occultam Philosophiam descriptam literis (vt vocant) hieroglyphicis, ac à Græcis ex propinquis regionibus euocatis, liberales artes, à Chàldæis, & Aegyptijs Syderalẽ scientiam (eodem teste Philone) hausit. Medicina etiam (teste Clemente Alexandrino) claruit, dicen-
Strom. lib. 1. di facundiaque peritia (teste Iosepho) emicuit. Ut autem adoleuit, contra Aethiopes bello à Pharaone suscepto, Dux est electus; mirificoque ingenio ibicibus secum delatis, serpentes arenoso in itinere offensos retudit, commissoque prælio, hostes profligauit. Urbem inclytam (Meroe appellatam) Regis filia, quam postea in vxorem assumpsit, arcem prodente, (teste Iosepho) expugnauit.
Lib. 2. de antiquit. cap. 10. In Aegyptum reuersus adoptione contẽpta, qua Regis nepos existimatus, Rex iunior (vt tradit Philo) appellabatur, auctique solij hæres expectabatur, Aegyptium Hebræum percutientem occidit sabuloque tumulauit, sed detecto facinore, pauidus quòd à Pharaone tanti criminis vltio posceretur, ad Madianitas Arabes profugus diuertit, cumque Raguelis Sacerdotis filias septem à Pastoribus, qui eis aquas eripiebant, defendisset, tantam sibi adeptus est Raguelis beneuolentiam, quòd eius filia sibi addicta apud eum, vsque ad octuagesimum suum annum, scientiarum omnium con-
Exod. 3. templationibus incumbẽs, vitã degerit. Cæterum Moyses annum agens octuagesimum, à Deo, ignis
Homil. 3. in Exod. rubum ardentis, portento euocatus, Dux Israelis est institutus: vbi cum imbecillis hominis natura
Exod. 4. sustinere Deum loquentẽ non posset, soleatque eloquentia humana, quando cum Deo agit, balbutięs (vt

(vt Origenes sentit) & infantia effici, ipse impedita, implicata, balbutientisque lingua factus est. reuersus postea in Aegyptum, Aarone secum assumpto, tribus signis, Virga scilicet reflorentis, Manus ad sanitatem restituta, ac aqua in sanguinem commutata, se Ducem à Deo missum declarauit. Inde decem plagis Aegypto percusso, Rege reluctante, post quadringentos triginta ab Abraham peregrinatione annos, libertatem optatissimam, eductis ferè sexcentis millibus ex suis, exceptis paruulis, ac mulieribus mirifice est consecutus. Hinc Israelitas per desertum quadraginta annis rexit, habitisq; mansionibus quadraginta tribus, singularibusque Dei gratijs, ac miraculis suffultus, ad promissionis Terram eos perduxit. Nubes enim in ingẽtis columna speciem interdiu solari emicans splendore, noctu verò flamma tutum iter eis praestabat. Arabici sinus aquas virga secauit, Aegypti Regem, cum curruum sexcentorum, equitum quinquaginta millium, peditum viginti millium acie, fluctibus obuoluit. Aquas Amarath eadem virga dulces reddidit. Manna è Caelo, coturnicesq; euocauit. Aquas ex petra percussa, virga illamet, qua tot in Aegypto portenta fecerat, bis excussit, ex eisque amnes manantes Iudais impertiuit. Amalechitas, peragrantes Iudaeos inuias solitudines, arenosasque infestare, & deturbare contendentes, ipse orans in Monte suspensis ad Caelum manibus profligauit. Iudicum magistratum consilio Ietri cognati instituit. Legem omnium augustissimam in Syna monte, terribilibus portentis, dum erumperent scilicet tonitrua, micarent fulgura, densissima nubes cuncta operiret, clangor buccinae perstreperet à Deo excepit, praeceptaque tum moralia, tum iudicialia, tum ceremonialia mox promulgauit. Quibus in peragendis, tot collata sibi à Deo fuere praecipui amoris signa, vt quadraginta dierum ieiunio praestito, Altissimi saepius congressu sit potitus, Tabulas lapideas Diuina manu incisas, exaratasq; acceperit, ipsum Deum iratum flexerit, faciem fulgentissimo radio coruscantem, cornutamque (stupentibus Iudais, ac agrè eã ferentibus) ex Dei consortio detulerit. Quin, & super haec maiora praestitit sua gloria monumẽta, nã aeneo Serpente erecto, Serpentum ignitorum veneno infectos, lasosque ad vitam restituit, dissidium ob defectum carnium ortum, sustulit, Aaron, Mariaque sororis defectionem retudit, Populum ad Terram promissam progredi reluctantem, placauit, Chore, Dathan, Abiron seditionem commouentes à terra absorptos conspexit. Iudè pluribus promulgatis legibus, ceremonijs, ac praeceptis, non modicis profligatis, fusis, prostratis, & iusta internecione deletis nationibus, enumeratis Israel agminibus diuisa Chananaa, Iosuè substituto; benedictis Tribubus, Heros omnibus ingenij artibus, iustitia, mansuetudine, prophetia inter omnes Israelitas celeberrimus, vt qui viginti duo clarissima edidit miracula, quattuorq; insignibus victorijs potitus est, Obijt anno suo centesimo vigesimo. Non desunt, qui eum excitatum in vitam, & in Caelum sublatum fuisse tradant. Ita enim Rabbi Samuel constanter affirmat, & Clemens ex sententia Mystarum annuit: quae vera, ne an falsa sint, legentium iudicio discernenda relinquo. Huic tamen rei nõ modicam fidem affert, quod cum Elia (quem in igneo curru raptum non ignoramus) in Thabor monte apparuerit. Ex quibus omnibus deducitur, neminẽ ex prisci Testamenti Patribus, nec natalibus insignioribus, nec educatione illustriori, nec Dei colloquijs crebrioribus, nec factis stupendioribus, nec numero, & pondere miraculorum, nec potioribus muneribus cum Moyse comparari posse. Haec Ascanius.

Moysis mirifica opera.
Exod 8.9.10.11.
Exod.12.
Exod.14.
Exod.14.
Exod 15.
Exod.17.
Exod 18.
Exod.19.
Moysis mors 32.
Deutero 34.
In parastati lib.1.Strom.

At quoniam ex Clemente Alexandrino paucis diximus Moysem fuisse primum Grammaticę scriptorem, iam hic planius dicendum est, quod & alij attigerunt. Ex ijs enim, quae Catholici, atque Ethnici Scriptores collegerunt ex vetustioribus Auctoribus, quorum Opera interierunt, adhuc extat Eupolemi Graeci perantiqui testimonium, quo de Regibus Iudaeae differens, testatum reliquit, Moysem doctissimum, literarum cognitionem, certis Grammaticae praeceptionibus digestam tradidisse Iudęis, quam ipsi postea Phęnicibus, ob viciniam largiti sunt, ac deinde Phęnices litterarum ordinem, & numerum, Graecorum pueris dedisse, ob mutua vtriusque gentis commercia. Ex Artepano quoque scribunt, Moysem litteras dedisse Aegyptijs, eundemque fuisse Mercurium illum, qui ob litteras inuentas, à Graecis tantopere celebratur. Strabo etiam decimo sexto Geographiae libro, Moysem vnum ex Aegyptijs Sacerdotibus fuisse scribit, cumque cum molestè ferret eorum instituta, illinc Hierosolymam migrasse. Docebat enim (inquit Strabo) quomodo Aegyptij non rectè sentirent; qui ferarum, ac pecorum imagines Deo tribuerent; nec Lybes, nec Graeci, qui Deos, hominum figuris insignirent. Qua in re quamuis vterque

deceptus fuerit, ille, quòd Moysem cum Mercurio confuderit; hic, quod eundem Aegyptium, Hierophantem putauerit: ambo tamen in hanc venere sententiam, quòd Moyses educatus in Aegypto, & in omni Aegyptiorum scientia fuerit (testante scriptura) eruditus, atque adeò fuerit Sacerdos, sed Hebrææ gentis; Sic enim scriptum est: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius*. Atqui Plato (sic Deo forsan inspirante, vt veritas ab hostibus quoque extorqueretur) primum nominum impositorem scripsit fuisse Syrum, Adamum, vel Moysem intelligens, quod & Marsilius Ficinus rectè adnotauit. Quin Plinius dum omnes Bibliothecas excussit, tandem eò adductus est, vt crederet, litteras semper Assyrias fuisse. Lucanus autem,

Plinius lib 7. Nat. Histor. cap. 56. & lib. 5. cap. 12. Lucanus libro 3.

Phœnices primi (si credimus) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Ceterum Moyses quinque primos libros veteris Testamenti, Hebraicè conscripsit, qui omnium (inquit Suidas) vetustissimi mirabili Prouidentia Dei per tot sæcula semper durant. Et hi quidem in Editione vulgata, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium prænotantur. De quibus ita Sixtus Senensis.

Liber legis Domini, seu volumen legis Moysis (nam vtroque modo sacræ literę ipsum vocant) ab Hebræis Thora, hoc est lex, & à Græcis Pentateuchus, hoc est, Quintuplex volumen appellatur, hunc Moyses, filius Amram nepos Chaath, pronepos leui patriarchę, Hebræorum dux, & legislator conscripsit, quod & ipse sic testatur in libro Exodi.

Exod. 14.

Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, assumènsque Volumen fœderis legis audiente populo, & iterum in Deuteronomio addit. Postquam scripsit Moyses verba legis huius, atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcę fœderis Domini Dei vestri. Quod autem in calce Deuteronomij additur de morte, & sepultura Moysis vsque ad calcem libri. Esdram nonnulli adiecisse credunt. Porrò, qua ratione Moyses vniuersum hoc Opus in partes digesserit, & inscripserit, nō satis constat. Hebræi (vt Philo Iudæus in libro de Mundo, & Iosephus in primo libro contra Apionem referunt) in quinque libros totum volumen partiuntur, eosque ab inchoatione eorundem librorum inscribunt.

Deut. 31.

Deut. 34. 6.

Primus igitur liber, continens successionem humanæ prosapiæ vsque ad mortē Ioseph, hoc est, gesta annorum duorum millium trecentorum & octo, vocatur apud eos *Beresctib*, hoc est *In principio*; quia ab his vocibus liber ille incipiat.

Secundus, continens gesta annorum centum & quadraginta sex, à morte videlicet Ioseph, vsque ad constructionem tabernaculi in deserto, vocatur *Veellecemoth*, idest, *hac sunt nomina*.

Tertius vnius mensis historiam continens, hoc est ab erectione tabernaculi in deserto, vsque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum, dicitur *Vaÿkra*, idest, *& vocauit*.

Quartus, continens narrationem 38. annorum, mensium nouem, & dierum viginti, hoc est, à prima die secundi mensis anni secundi egressionis de Aegypto, vsque ad mansionem in campestribus Moab super Iordanem, vbi postea mortuus est Moyses, dicitur *Vaedaber* hoc est, *Et locutus est*.

Quintus, enarrans facta mensium duorum nouissimi anni Vitæ Moysis in campestribus Moab, vocatur *Helle hadde varim*, hoc est, *Hac sunt verba*. Gręci verò, eandem portionem sequentes, libros longè aliter inscribunt. Primus enim apud eos appellatur *Genesis*, hoc est *generatio*; quia exordium mundi & generatio sęculi in eo contineantur. Secundus *Exodus*, idest *Exitus*, qui exitum populi Israelitici de Aegypto narrant. Tertius *Leuiticus* inscribitur, quod Leuitarum ministeria, sacrificia, leges, ritusque comprehendat. Quartus *Arithmi*, idest, *Numeri*, quòd in eo egressæ de Aegypto tribus dinumerantur, & quadraginta duarum per eremum mansionum numerus recensetur. Quintus *Deuteronomium*, hoc est *secunda lex* inscribitur, quia in eo repetitio legis iterum fiat. Philo Iudęus putat Moysem harum posteriorum inscriptionum fuisse Auctorem, ita in Libro de mundo

do ſcribens ; Moyſes genitum , & incorruptibilem aſſeruit mundum in ſacris libris: ſunt autem quinque , quorum ipſe primum Geneſim inſcripſit, qui hoc modo incipit, In principio fecit Deus cęlum & terram: & in libro de migratione Abrahæ, Rectè, ait, facer vates Moyſes vnum integrum legis librum Exodum intitulauit nomine conueniente, contentis in ipſo oraculis. Hæc ille mihi tamen (ſubdit idem Sixtus Senenſis) vero ſimilius videtur non Moyſem, ſed ſeptuaginta Interpretes, vtpote Græcos, has nouas & Grçcas librorum inſcriptiones excogitaſſe.

Collegit autem Moyſes in Pentateucho hiſtoriam ab initio mūdi vſque ad annum centeſimum ac vigeſimum vitæ ſuæ: in quo nec motis dentibus, neque caligantibus oculis integro corpore mortalitatem exuit, hoc eſt, vſque ad annum poſt Orbem conditum bis mil leſimum quadringenteſimum nonageſimumſecundum , & ante Chriſtum natum milleſimum quadringenteſimum & ſeptuageſimum iuxta Hebraicam ſanctarum ſcripturarum, atque Philonis Iudęi ſupputationem. Reliquos verò octo verſus ab eo videlicet loco, *Et mortuus eſt Moyſes*, vſque in finem totius voluminis, Ioſue poſt mortem Moyſis ſuppleuiſſe creditur: tametſi Ioſephus aſſerit, quòd Moyſes mox moriturus, ſe ipſum in Sacris voluminibus mortuum ſcripſerit, veritus ne propter excellentes virtutes ſuas Iudæi ſe à Deo raptum prædicarent.

Hebręi totum Pentateuchum diuidunt in diſtinctiones, ſiue titulos duos & quinquaginta. hoc eſt Geneſim in vndecim, Exodum in vndecim, Leuiticum in decem, Numeros in decem, Deuteronomlum in decem. quas etiam diſtinctiones inſcribunt à dictionibus ipſarum initialibus, appellantes primam *bereſcit*, hoc eſt *in principio*; ſecundam *Noach*, ſiue *Noe*; tertiam *lec leca*, ideſt *egrediens egredere*; & ſic deinceps alias vſque ad vltimam. Omnes autem *Peſukim*, hoc eſt *verſus*, in quos Iudæi vniuerſum partiuntur Pentateuchum, ſunt quinque mille octingenti, & triginta.

Scripſit idem Moyſes, vt in Epiſtola ad Cyprianum teſtatur Hieronymus, pręter hos quinque libros (quos Philo Chaldaica lingua ab auctore cōſcriptos refert) etiam Pſalmos vndecim, hoc eſt, à Pſalmo nonageſimo, cui titulus eſt *Oratio* Moyſis ſerui Dei, vſque ad Pſalmum centeſimum, qui prænotatur: *In Confeſſione*. Compoſuit quoque, vt Rabbini Iudęorum tradunt, librum *Iob*. quamquam vulgata Græcorum editio, in fine eiuſdem voluminis aſſerat Moyſem tranſtuliſſe hiſtoriam Iob ex Syro ſermone in Hebraicam linguam. Feruntur & alia ſub Moyſis nomine ſcripta, quæ non fuerunt ipſius.

Porrò Moyſi, qui ab hæreticis antiquis, prǣſertim Sethianis, tributi ſunt libri, qui inſcripti ſunt *Aſcenſio Moyſis*, ſiue Græcè *ἀνάβασις*, & *Teſtamentum eiuſdem*, ab Athanaſio in Synopſi, & ab Epiphanio in Panario reprobantur. Alius verò liber à Georgio Cedreno citatus, cui titulus eſt *λεπτογένεσις*, hoc eſt *parua geneſis* ſub Moyſis nomine eſt apocryphus ille, quem ſancta Tridentina Synodus ſub nomine Floſculorum Bibliæ damnauit: id quod ſatis indicant narrationes aliquot, quas idem Cedrenus ex hoc Opere videtur in ſuas hiſtorias transfudiſſe.

Lux ad Pentateuchum.

Primum autem genuinus ſenſus, vt in vniuerſo Bibliorum volumine, ſic in Pentateucho intelligendo iuuatur ex collatione vulgatę editionis, cum verſione Grçca ſeptuaginta Interpretum, ſed illa, quæ Sixti V. Pontif. Max. iuſſu, accuratiſſima verò doctiſſimorum virorum examinatione ab Antonio Caraffa Card. Romæ fuit emiſſa: vbi item variæ Grçcorum codicum Lectiones additæ facem aliquam eruendo eidem ſenſui pręferunt.

Deinde Prælectio Oeconomiæ Biblicę à Georgio Edero conſcriptę nō mediocriter proderit. Ibi enim ſingulorum Pentateuchi librorum Partitio ponitob oculos quam breuiſſimè quidquid in eis continetur.

Demum quæ nos in ſecundo libro Selectæ Bibliothecæ De Diuina Hiſtoria ſummatim locuti ſumus. Ad cuius libri calcem, adiecimus ſequentem Scriptorum Elenchum.

Scriptores in Pentateuchum.

Eorum autem primò, qui in Vetus Testamentum scripserunt Catalogus.

Aquila.
Eusebius Cæsariensis.
Emanuel Sà Societatis Iesu.
Franciscus Vatablus, sed qui emendatus est in Hispanijs.
Hesychius Monachus.
Iosephus Hierosolymitanus.
Iustus Tiberinus.
Lucianus.
Matthæus Doringus.
Paulus Burgensis.
Patrophilus.
Septuaginta duo Interpretes.
Sophronius.
Symmachus.
Theodotion.

Sed & qui in vtrumque Testamentum scripserunt.

Albertus Magnus.
Alexander de Hales.
Apollinarius iunior.
Anselmus Laudunensis.
Augustinus Nebiensis.
Aurelius Augustinus.
Bartholomæus Vrbinas.
Beda.
Benedictus Arias Montanus.
Emanuel Sà.
Dionysius Cartusianus.
Franciscus Georgius.
Franciscus Ximenius.
Godelbertus.
Godefridus Tilmannus.
Godefridus Viterbiensis.
Haymo.
Hieronymus.
Hugo Carensis.
Hugo Victorinus.
Iacobus Genuæ Archiepiscopus.
Ioannes Chrysostomus.
Isidorus iunior Cordubensis.
Isidorus Pelusiota.
Nicolaus Gorran.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Zicenius.
Origenes.
Paterius.
Pauli Burgensis Scrutinium scripturarum.
Petrus Brunaquellus.
Petrus Berchorius.
Petrus Cantor.
Petrus Comestor.
Petrus Paludanus.
Petrus Riga.
Pontius Carbonellus.
Rabanus.
Richardus Victorinus.
Robertus Tuitiensis.
Sanctes Pagninus.
Seraphinus Cumiranus.
Strabo.
Thomas Caietanus.

Qui etiam in octateucum, idest, octo primos Sanctæ Scripturæ libros, ab initio videlicet Geneseos vsque ad Paralipomenum scripserunt.

Alphonsus Tostatus.
Claudius Monachus.
Gregorius Papa.
Iacobus Martinus.
Oecumenius.
Philo Iudæus.
Procopius Gazæus.
Stephanus Anglicus.
Theodoretus.

Præcipue item qui in Pentateuchum, idest, in quinque libros Moysis scripserunt.

Alanus Insulensis.
Albertus Patauinus.
Aristobulus Antiquior.
Aristobulus Iunior.
Augustinus Steuchus.
Benedictus Stendal.

Bruno

Bruno Archiepiscopus Coloniensis.
Cyrillus.
Diodorus.
Erardus.
Eucherius.
Franciscus Vatablus.
Hieronymus ab Oleastro.
Hugo Victorinus.
Iacobus Lusanus.
Ioannes Zacharias.
Matthæus Ebroicensis.
Paulus Ricius.
Remigius.
Seraphinus Capponi à Porrecta Dominicanus.

In Genesim quoque.

Aegidius.
Albinus.
Aloysius Lippomannus.
Ambrosius Catharinus Compsæ Archiep.
Ambrosius Mediolanensis.
Anastasius Iunior Episcopus Antiochenus: cuius manuscriptum exemplar Græcum extat in Academia Veneta.
Andreas Bilius Mediol. cuius opera m.s. habentur Mediolani in Bibl. Marciana.
Anselmus Cantuariensis.
Antonius Honcala.
Apion, sed qui censura indiget.
Augustinus Steuchus non solum in libro, qui de Cosmopœia inscriptus est, verum etiam in eo, in quo agit de recognitione Vet. Testamenti ad Hebraicam veritatē.
Auitus.
Aurelius Prudentius.
Benedictus Pererius tribus Tomis, editis in Genesim.
Bruno Rutenus.
Candidus.
Clemens Alexandrinus.
Dracontius.
Euardus.
Eucherius.
Eusebius Cæsariensis.
Eusebius Emissenus. (Biblia.
Frāciscus Lucas, cuius extant notationes ad
Franciscus Georgius, sed debet emendari.
Gennadius Constantinopolitanus.
Gulielmus Hamerus.
Gulielmus Parisiensis.
Gregorius Nissæ.
Gulielmus Pepin.
Henricus Hassius.
Hermanus Schildius.
Hieronymus Fracastorius.
Hieronymus Sauonarola.
Hieronymus ab Oleastro.
Hieronymus Vielmius Episc. Argolicensis.
Hilarius Arelatensis.
Hippolytus.
Honorius Augustodunensis.
Ioannes Buteo.
Ioannes Duns.
Ioannes Picus Mirandulanus.
Isota Nogarola.
Iunilius.
Ludouicus Iunior.
Melito.
Methodius.
Nicolaus Cusanus Cardin.
Nicolaus Triuet.
Nouatianus.
Paulinus Nolanus.
Petrus Aliacus.
Remigius.
Richardus Victorinus.
Robertus Roseus.
Rodon, siue Rhodon.
Rufinus.
Saluianus.
Seuerianus.
Sixtus.
Strabo Cantabrigiensis.
Tertullianus.
Thomas Aquinas.
Thomas Sperman.
Thomas Valdensis.
Victorinus Pitabionensis.
Vincentius Bellouacensis.
Vmbertus Carnotensis.

In Exodum.

Aloysius Lippomannus.
Ambrosius Mediolanensis.
Auitus.
Benedictus Pererius.
Bonauentura.
Euardus.

Gregorius Nyssæ.
Guilielmus Pepin.
Gymnasius.
Henricus Consueldius.
Henricus Hassius.
Hieronymus Sauonarola.
Hippolytus.
Ioannes Gauer.
Ioannes Rusbrochius.
Maximus Monachus.
Nicæas.
Nicolaus Assentius.
Nicolaus Dunkelspulus.
Robertus Roseus.
Tertullianus.
Thomas Valdensis.
Victorinus Pitabionensis.

In Leuiticum.

Esychius Presbyter.
Ioannes Nider.
Nicolaus Triuet.
Rodulfus Flauiacensis.
Robertus Roseus.
Thomas Valdensis.
Triphon.
Victorinus Pitabionensis.

In Numeros.

Ambrosius Mediolanensis.
Hippolytus.
Triphon.

MOYSES Barcepha Syrus Episcopus in Beth-Raman, & Bethceno, ac Curator rerum Sacrarum in Mozai (hoc est, Seleucia Parthorum) scripsit Commentarios de Paradiso ad Ignatium fratrem, Latinè redditos ab Andrea Masio, & anno 1569. editos Antuerpiæ.

Commentarium item De sex primis diebus conditi Mundi, qui nescitur an prodierint in lucem, aut ex Syriaca fuerint conuersi in aliam linguam.

Porrò in libro, quem de Paradiso conscripsit super ijs verbis. *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio: ibique posuit Adamum, quem finxerat.* Viginti octo argumentorum capita attingit, In quorum Primo agit,

Sit ne Paradisus res corporata, an verò Spiritalis,

Secundo, Quis sit corporatus Paradisus, & quis spiritalis.

Tertio, consentaneum esse, vt libri Veteris Testamenti exponantur non solum de rebus ipsis, verum etiam mysticè, & figuratè.

Quarto, Num de re ipsa corporata, an verò mystico modo Paradisus ptimum sit explicandus.

Quinto, quo die inter illos sex dies, quibus condidit Deus hanc machinam corporatam, atque aspectabilem, sit conditus Paradisus corporeus.

Sexto, Quàm ob caussam condidit Deus istum corporatum Paradisum.

Septimo, Sit ne Paradisus in Cælo, an in terris.

Octauo, Vtrum Paradisus sit in hoc Terrarum tractu, quem nos habemus, an in alio.

Nono, Eam terræ regionem, in qua Paradisus extat, altiorem, eminentioremque esse hac nostra.

Decimo, De Regno Cælorum, in Terra ne sit, an in Cælo.

Vndecimo, Quo differat Regnum Cælorum à Paradiso.

Duodecimo, Vtrum Paradisus existat intra Orbem Terrarum habitabilem, an extra eum.

Tertiodecimo, In qua tandem regione sit Paradisus.

Quartodecimo, Quomodo homines transierint Mare Oceanum, venerint ex ea regione, in qua Paradisus est, ad hanc, quam nos incolimus: Et vtrum Adam habitauerit apud Hierosolymam, an verò minimè.

Quintodecimo, Quanta pateat Paradisi amplitudo.

Sextodecimo, Quid sit Eden, & cur Paradisus ita appelletur.

Decimoseptimo, Num arbores & fructus Paradisi similes fuerint ijs, qui in hoc nostro solo proueniunt, an vèro ab his diuersi.

Duode-

Duodeuigesimo, Quis sit modo Paradisi vsus, vel quis etiam post resurrectionem mortuorum futurus.

Vndeuigesimo, Quæ fuerit arbor scientiæ boni, & mali, quàm Adamo Deus interdixerat: & quare sic appellata.

Vigesimo, Quæ fuerit arbor Vitæ, & cur sic dicta.

Vigesimoprimo, De fluuio illo, qui Paradisum irrigabat, & de quattuor fluminibus, in quæ ille scindebatur.

Vigesimosecundo, Quid futurum fuisset Adamo, si obseruasset mandatum.

Vigesimotertio, Quamdiu mansissent in Paradiso Adamus, & Eua, priusquam illhinc in Regnum cœleste migraturi fuissent, si mandato obediuissent.

Vigesimoquarto, Fuisse numero augendos in Paradiso homines, si Adamus, & Eua obtemperassent legi: neque eos duos solos fuisse ibi mansuros.

Vigesimoquinto, An commixtis corporibus prolem procreaturi fuissent tum Adamus Euaque, tum istorum posteri, an verò sine amplexibus.

Vigesimosexto, Quomodo voluptatem cepisent in Paradiso Adamus & Eua, ac reliqui ex ipsis nasciturí.

Vigesimoseptimo, De Serpente, qui Euam adortus decepit.

Vigesimooctauo, interpretatur ea verba, quæ Moyses scripta reliquit de Paradiso, & de ijs, quæ in Paradiso acta sunt: non quidem mysticè, sed ita vt res ipsæ explicentur.

Hæc verò in priori ipsius Commentarij parte, qui incipit, De Paradiso, de quo B. Moyses scripsit his verbis, &c.

Secunda verò pars Commentariorum istius Auctoris sequitur, vt post anacæphaleosim primæ partis, septem capita subiungat, de quibus agere vult. Sic autem inquit. *Iam verò in hoc secundo Commentario constituimus; adiuuante operam nostram Spiritu sancto, qui omnia perscrutatur, etiam arcana, atque intima Dei, de eodem Paradiso disserere mysticè, & vt ita dicam, spiritualiter. Vt quemadmodum ipse Paradisus duplex est, ita à nobis duplici modo tractetur. Consentaneum porrò est, vt in huius quoque secundi sermonis principio ipsa septem capita, quibus totum Opus à nobis absoluetur, summatim proponamus.*

Primo igitur capite ostenditur, Qua ratione inducti sint Doctores Ecclesiæ, ut de Paradiso mysticè loquerentur: & quibus vocabulis appellauerint mysticum Paradisum.

Secundo, Quid sit Paradisus mysticus.

Tertio, Quænam sit Terra mystici Paradisi.

Quarto, Quales fuerint arbores, atque plantæ in hoc mystico Paradiso.

Quinto, Quæ fuerit arbor scientiæ boni, & mali, in hoc Paradiso mystico sata.

Sexto, Quæ fuerit arbor Vitæ in eodem mystico Paradiso.

Septimo, Exponuntur mysticè verba Moysis, quæ de Paradiso ille scripta reliquit.

In Tertia verò parte, calumniam Simonis Magi de primi parentis peccato, itemque obiectionem impij Manetis in legem Adamo primum à Deo positam, confutat, & euincit. Quæstiones etiam alias perpendit, & Iuliani Halicarnassæi, & Theodori, & Nestorij errores refellit.

Scripsit autem (quemadmodũ ex tertia parte eius libri constat) Commentarios in Matthæum, & Librum De multitudine, differentiaque sectarum.

Quo autem vixerit tempore hic Moyses, sum anceps, nam Margarinus, qui in prima Bibliothecæ SS.PP. editione scripserat, eum vixisse ante septingentos annos, deinceps in secunda editione attulit hæc verba.

Hunc esse opinor Moysem illum Syrum, quem Andreas Fabricius Leodius in Epistola sua ad Othonem Cardinalem Episcopum Prænestinum, & Augustanum, Quæstionum suarum in Tridentinum Catechismum, nuncupatoria, Romam missum Legatum, ait, Pontificibus Paulo III. & Iulio III. ab Ignatio Syro Patriarcha Antiocheno, cum litteris quibus petebat quid Sancta Romana Ecclesia teneret in quibusdam fidei Christianæ capitibus: ac præterea, vt recognosceret Summam vtriusque Pontificis Maximi in Orbem Christianum, potestatem; Anno paulò plus, minus 1550. Ita Margarinus: vt existimem hoc esse ascribendum Moysi Mardeno.

Atqui tanto minus hoc constat, si aliquam fidem fecerint, qui libri istius Moysis Barcephæ, & alij Arabicè, Syriaceque conscripti dicuntur fuisse ann. 1588. die 25. Septembris inuenti sub terra, à Greg. XI. quando Romam rediit Sedes Apostolica, conditi, siue defossi. Qui quidem postea oblati sunt venales Illustris. Episcopo Herbipolensi, qui nunc est superstes, vt alibi non semel diximus.

Sanè verò Moyses hic magnum Athanasium, & Cyrillum Alexandrinum, & D. Chrysostomum nominat, & Io. Monachum 1. lib. c. 1. & 10. D. Ioannem eiusdem libri cap. 7. & lib. seu partit. 3. c. 5. vbi meminit sermonum de occasu mundi, de nouo Mundo, cur arbor vocata sit scientiæ boni & mali, & ad Sitigrium, siue Stagirium, & contra eos qui putant Mundum gubernari à Dæmonibus, primo libro cap. 22. proinde his non multo posterior videtur.

Hos præterea citat Scriptores Ecclesiasticos & probatos auctores vt appellat prima parte cap. 22.

D. Seuerum Orat. 22. de Epithronio, & alterum eiusdem argumenti, & Orat. contra Fœlicissimum.

Ephrem Syrum lib. Geneseos, siue de rerum ortu, Comment. in Genesim, quem opinor esse eum, quo Dominum Ephrem Paradisi conditionem exequi ait, & quem etiam quendam illius Commentarium appellat.

D. Iacobum Orrohaitam.

D. Iacobi Samgensis orationem de Adamo eiecto è Paradiso, quam etiam Commentarium vocat.

Eiusdem Orationes de Christi Passione, & ascensu.

D. Iacobi Botuanensis orationem de Adamo eiecto extra Paradisum.

D. Iulij Commentarium in Euangelium Ioannis.

Philoxeni Mabugæ Episcopi Sermonem de contemplatione arboris Vitæ.

Eiusdem capitula contra Diodorum.

Vide autem in verbo, Moyses Mardenus.

MOYSES Eremita, de quo Cassianus in suis collationibus, cũ quibus editæ duæ Homiliæ vna De Festinatione monachi. Altera De discretione, sub Moysis Eremitæ, siue Abbatis nomine.

MOYSES Hadarsan, qui Rabbi, siue Magister vocatur, scripsisse fertur Commẽtarios in Genesim à Petro Galatino, qui eius honorificè meminit.

MOYSIS item nomine plerique Iudæorum Rabbini, qui vocati sunt, quoniam vel in Thalmud scripsere, vel plus damni, quàm commodi legentibus afferunt, quemadmodum in verbo Rabbini, ostendimus, hic non commemorantur, sicuti neque Moyses Corduben sis, Moyses Kymhi, & alij. Ac quidem scio Rabbi Moysen filium Maimon Aegyptij Librum perplexorum præter alios libros scripsisse, cuius capita De rebus Christi Regis à Genebrardo Latinè reddita, & edita sunt Parisijs cum alijs quibusdam ann. 1573. At reliqua: siue Directorium in Theologiã, siue Glossa in Thalmud Hierosolymitanum, siue in quosdam libros Thalmud Babylonici, eiusdemque liber Epistolarum idem sapiunt quod reliqui, vt sint à cordatis, & Catholicis mentibus ablegandi. Rabbi autem Moyse filij Nahaman Gerundensis Commentarius in Iob, & inscriptus Arcanæ legis, etsi à Reuchlino laudati sunt, tamen posthabendi Catholicis, & Christianis Auctoribus.

MOYSES Mardenus, Assyrius, Iacobita, Patriarchę Antiocheni Legatus, scripsit fidei professionem, suo, & Patriarchæ sui nomine, Romæ anno 1552. quam ex ipso profitentis autographo Syriaco Latinè redditam per Andream Masium Bruxellanum, Margarinus Bigneus quinto Sanctorum Patrum Bibliothecę inseruit. Incipit, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnius Dei, qui est gloriosus in secula, &c.* cui adiuncta est eiusdem Moysis Theologica de Sacrosancta Trinitate contemplatiò, eodem Masio Interprete.

MVNIO

M V

MVNIO Hiſpanus (ſic enim ab Antonio Senenſi Luſitano nominatur) ſeptimus in ſeriē Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum, ac deinceps Placentiæ, quæ eſt in Hiſpania, Epiſcopus redegit in ordinem Regulam Fratrum, & Sororum eiuſdem Ordinis De Pœnitentia, Beati Dominici, quæ deinde à Sancta Apoſtolica ſede fuit approbata. Quin & vitam eiuſdem S. Dominici à F. Theodoro de Apoldia conſcribendam curauit. Obijt ann. 1299.

MVLIERES fortes, & claræ primò extant in Diuino Codice, deinde in Martyrologijs, In vitis à Simeone Metaphraſte, ab Aloyſio Lipomanno, & à Laurentio Surio collectis. Qui verò deinceps ſiue ex iiſdem, ſiue item aliunde idipſum argumentum ſumpſere tractandum, fuere noſtra ætate præcipui. Cęſar Card. Baronius. Auctor item Hiſpanus, qui ſuum Opus prænotauit, *Flos Sanctorum*. Petrus Ribadeneira noſter, qui item vitas ſanctorum, quas ſcripſit, eadem inſcriptione prænotauit. Gabriel Flamma primò Canonicus Regularis, deinde Clodienſis Epiſcopus. At ann. 1521. Pariſijs prodiere ex Aedibus Simonis Colinęi, Opera diuerſorum aliquot Scriptorum, De Memorabilibus, & claris mulieribus. Iacobus quoque Bergomēſis ſcripſit de MARIA Virgine perpetua, & de claris mulieribus etiam Ethnicis, & Chriſtianis, ac de Virginibus, ſed & Ioannes Pinus non ſolum ſcripſit B. Catharinæ Senenſis Virginis vitam, verumetiam De illuſtribus fœminis. Quin etiam Valerandi Varanij Abbauillæi Theologi Pariſienſis Poema habemus De Geſtis Ioannę Virginis Franciæ, de qua item Ioannes Gerſon ſcripſit. Ceterum ſcriptores de Beatiſſima Virgine Maria; Vide in verbo, Maria Virgo.

MVSAEVS Maſſilienſis Eccleſiæ presbyter, vir in Diuinis Scripturis doctus, & in earum ſenſibus ſubtiliſſima quadā exercitatione limatus, lingua quoque Scholaſticus, hortatu Sancti Venerij Epiſcopi, excerpſit de ſanctis ſcripturis lectiones totius anni feſtiuis diebus aptas. Reſponſoria etiam, Pſalmorum Capitula, temporibus, & lectionibus congruentia. Quod opus tam neceſſarium à lectoribus in Eccleſia probatur, vt expetitum, & ſolicitudinem tollat, & moram, plebique ingerat ſcientiam, celebritatique decorum: ſed & ad perſonam ſancti Euſtathij Epiſcopi ſucceſſoris ſupradicti hominis Dei compoſuit ſacramentorum egregium, & non paruum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum, & temporum, pro lectionum textu, pſalmorumque ſerie, & cantatione diſcretum. Sed ſupplicandi Deo, & conteſtandi beneficiorum eius, ſoliditate ſui conſentanea. Quo Opere grauiſſimi ſenſus, & caſtigatę eloquentiæ agnouimus virū: Homilias etiam dicitur declamaſſe, quas & haberi à fidelibus viris cognoui, ſed ego non legi. Moritur Leone & Martiano regnantibus. Hęc Gennadius in Catal. Sed Suffridus Petrus ad eum notat, quòd Tritemius hunc *Muſæum* vocet, ceteri omnes *Muſæum*, & infra, vbi in contextu dicitur Leone & Maiorano noſtri Cod. m. s. habent *Martiano*, quod proinde repoſuimus.

MVSANVS non ignobilis inter eos, qui de Eccleſiaſtico dogmate ſcripſerunt, ſub Imperatore M. Antonino Vero, confecit librum aduerſus quoſdam fratres, qui de Eccleſia ad Encratitarum hęreſim declinauerant. Hier in Catal. Anno D 170. Trit. Eiſingren. anno 172.

MVSTAEVS. Vide Muſęus. In Annotatione Petri ibidem.

MVTIANVS Vir diſertiſſimus, qui fuiſſe is putatur, qui Synodo Quintæ, ac Romanis Pontificibus fauit in damnatione trium Capitulorum, redarguens Africanos obſtinatè reſiſtentes, ſchiſmateque ſeſe abſcindētes à Catholica Eccleſia, a duerſus quē Facundus Hermianenſis Epiſcopus Opuſculū ſcripſit, (de quo vide in verbo *Facundus Hermianenſis*) vertiſſe in Latinum putatur triginta quattuor Homilias S. Io. Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Hebræos. Nam Mutiani opera vſum ſe fuiſſe hac in re ſcribit Caſſiodorus Inſtit. Diuin. lect. cap. 11.

MVTIANVS alter, qui noſtra vixit ætate, & *Scholaſticus* dictus, Commentariū D. Io. Chry-

Chrysostomi in Episto. Apostoli ad Hebræos Latinè reddidit. Coloniæ ann. 1550. apud Ioan. Gymnicum.

MVTINENSIS Synodus ab Honesto Archiepiscopo Rauennate habita ann. 974. in qua composita est controuersia inter dissidentes inter se germanos proceres Petrum, & Lambertum. Vide Acta apud Hier. Rubeum libro quinto sub eundem annum.

At Mutinenses Synodi Constitutiones sub Ioanne Portuensi Episcopo Mutinę apud hæredes Cornelij Sabaldini prodierunt ann. 1565.

MVTIVS Iustinopolitanus, nostra ætate, Italico idiomate, aduersus hæreses, præsertim autem contra Vergerium Episcopum, qui in Lutheranam, & alias hæreses corruit, varia Opera edidit, digna, quæ legantur, eo magis, quòd Pius Quintus Beatæ memorię Pontifex Max. eidem Mutio iusserat, vt ab hoc scribendi genere, in quo excellebat, haud desisteret. Itaque & scripsit Monita ad Christianos Principes, nimirum vt ab hac peste cauerent, Historiam item Sacram duobus Tomis.

MVTIVS Pansa, è Ciuitate *Penna* Bibliothecam Vaticanā descripsit Italicè, atque Romę edidit apud Ioannem Martinellum ann. 1590. At Angelus Roccha (de quo suo loco) Latinè anno insequente de eadem Bibliotheca plura scripsit, quippe qui Vaticanæ Typographię cum præesset, & interioribus litteris esset ornatus, suam & ipse Operam in hoc præstitit, vt vtriusque Auctoris lectio pleniorem possit suppeditare variarum rerum notitiam.



N A



NAHVM, siue Nachum (vt habet Sixtus Senensis) idest Consolator, vt Epiphanius asserit, natus in Oppido Elkesei trans Iordanem fluuium, versus Bagabar, de tribu Simeon, vel, vt Hieronymo placet, ex Helchesei, qui Viculus erat in Galilęa directus, post Ionam Prophetam vaticinatus est cōtra Niniuitas, qui post veniam à Deo consecutam iterum grauiora crimina perpetrarant cōclusitq; exiguo volumine prophetiam suam De subuersione Niniue, atque totius Regni Assiriorum, quæ postea facta putatur à Nabuchodonosor anno primo Imperij sui. Moritur sub imperio Regis Manasse, & sepultus est in Bagabar circa annum ab orbe condito ter millesimū ducentesimum quadragesimum quintū.

Scripsere in eum, qui in duodecim Prophetas minores. Vide in verbo, Abacuk. Quique in vniuersam Diuinam Scripturam. Quin & separatim, Theophylactus, & Cyprianus Monachus. Extant Hieronymi Sauonarolæ Conciones Italicè, è quibus prohibitæ sunt in Romano Indice, quædam, quæ legendæ non sunt. Ac de quibus in verbo, Hieronymus Sauonarola. Vide autem Partitionem huius Prophetiæ in Tab. Ederi 230.

NALGENDVS Monachus Cluniacensis, discipulus S. Odonis Abbatis, scripsit librū De vita, & miraculis ipsius. Extat Cluniaci m.s.

NARBONENSE Concilium celebratum anno Domini 598. Gregorij autem Magni, nono. descriptum ex peruetusto Gothico codice monasterij Sancti Aemiliani, in regiam Bibliothecam translati, missum fuit ad Greg. XIII. Pontif. Max. ann. 1576. quod integrum suis inseruit Annalibus Cæsar Cardinalis Baronius. Tomo octauo, sub annum eundem 598.

NARBONENSIVM Votū, & Aræ dedicatio, insignia Antiquitatis monumenta Narbonæ reperta in marmore è terra effosso, cum fundamenta condendo propugnaculo aperirentur ann. 1566. ab Elia Vineto, Santono, Commentarijs illustratum, & excusum Burdigalæ apud Simonem Milangium, ann. 1572.

NARDACIVS. Vide in verbo, Idacius.

NARNIENSIS Synodi Acta, & Decreta fuere excusa Romæ apud Georgium Ferrarium, anno 1573.

NARNIENSIVM, qui in Cęlis cum Deo regnant, quosque Ecclesia Catholica, veneratur, Vitas, & Acta Io. Baptista Posseuinus scripsit, & emisit in lucem. Vide in verbo, Io. Baptista Posseuinus.

NATALIS Beda, Gallus, è Collegio Montis Acuti, Theologus Parisiensis, scripsit Pro filiabus, & nepotibus Annæ, librum. De vnica Magdalena contra Fabrum, libro 1. Aduersus Erasmum, lib. 1. Contra Luterum, lib. 1. Claruit Parisijs ann. 1520. Parisijs impressa omnia. Quin & eiusdem extant Annotationum libri in Commentarios Fabri super Epist. Pauli. Et in Euangelistas 4. Eiusdem confessio & ratio fidei Gallicè in 16. edita. Egregia item dicta Philosophorum.

NATALIS Talleperius, Ord. Minorum, Gallus, & Theologus Parisiensis, scripsit atque edidit Cōmentarium in Threnos, siue Lamentationes Hieremię Prophetæ an. 1583. apud Ioan. Parent. Vitam Martini Luteri, Andreæ Carolostadij, & Petri Martyris, ibidem apud eund. ann. 1577. Tractatum De anno Iubilæo, & Indulgentijs, ibidem apud eundem ann. 1576. Viuebat adhuc ann. 1584.

NATHAN Propheta, de quo Epiphanius in Vitis Prophetarum, duos scripsit libros, quorum priore Dauidis Regis Hierosolymitani gesta, posteriore Salomonis Regis acta conscripsit. Vide Paralip. primum librum, c. vlt. & secundum c. 9.

NAVARRVS. Vide in verbo, Martinus ab Azpilcueta Nauarrus.

NAZARIVS Panegyricum habuit Constantino Imperatori, qui Panegyricus olim editus est Basileæ apud Io. Frobenium, cum aliquot aliorū Panegyricis. Vide verò To. 3. Annal. Card. Baronij, vbi de Constantino Magno plurima.

N E

NEAPOLITANAE Synodi Decreta, & Acta Neapoli impressa ann. 1568.

NEBRIDII Epistola ad D. Augustinum De phantasia, & memoria inquires numero 71. inter D. August. Epistolas.

NECTARII Archiepiscopi Constantinopolitani De Ieiunio homil. in fol.m.s. in Biblioth. Imper. Viennæ. Nectarij autem & Ioannis Chrysostomi Orationes ad Populum Parisijs ann. 1554. prodierunt.

NECTARII Epistola ad D. August. nu. 201. inter D. Augustini Epistolas.

NEHEMIAS præter eum librum, qui inter Diuina scripta recensetur sub titulo secundi Esdræ, etsi à quibusdam fertur Commentaria scripsisse, in quibus complexus sit, quę Iudæis ex captiuitate Chaldaica redeuntibus contigere, præcipuè verò inuentionem ignis sacri, nescio tamē vnde id hauserint, fefellisse eos credimus, quod lib. 2. Machabæorū cap. 2. scriptum est, de Descriptionibus factis à Ieremia, qui pro Nehemia acceptus est.

NEMESIVS Episcopus, & Philosophus, librum De Natura hominis Græcè scripsit, quem Latinè conuersum edidit in lucem Nicasius Ellebodius Casletanus, qui sua Græca in Nemesium præfatione, siue Epistola, ait, Nemesiū Emesę Vrbis Phœnices Episcopum fuisse. Apud alios omnes altum est de illo silentium. Notat verò idem Nicasius, quod lectori facilè liquebit, cum animas ante corpora existere, sensisse, Pythagoræ, Platonis, & Origenis dogmatum studio, & proinde vixisse ante Iustiniani tempora, quibus, anno videlicet 551. in Synodo Constantinopolitana error iste damnatus est. Reperias & apud Nazianzenum, carmen ad Nemesium, sed non forsan istum: illum enim legum peritum facit, hunc autem apparet Philosophiæ deditum fuisse. Nemesij autem liber de anima falsò ascribitur Gregorio Nisseno.

NEOPHYTI Monachi de 24. litterarum inuentione, & allegoria liber Græcus extat Romæ in Bibliotheca Vaticana. Neophyti verò monachi herbarum collectio per litteras, & Neophyti Succedanea. Gręcè m.s. extant in Bibl. Regis Gallorum.

NEOTVS Edulphius Einesberiensis, scripsi ad Martinum Secundum Pont. Max. pro Oxoniensi studio; Instituta item viuendi ad Alphredum. Viuebat ann. 883.

NEPOS (vt etiam habet Sixtus Senensis) incertæ Vrbis in Aegypto Episcopus, Vir planè bonus, & eruditus, sed Chiliastarum errore deceptus, scripsit interpretationem omnium repromissionum, quæ habentur in Apocalypsi Ioannis, easque corporaliter intelligendas esse docuit, & Sanctos mille annis in delicijs corporeis in hac terra cum Christo regnaturos ex ijsdem Ioannis testimonijs confirmauit, de quo Dionysius Alexandrinus in 2. volum. Explicationis in Apocalypsin, sic loquitur: *Commentarios quosdam proferunt Nepotis, quibus innituntur plurimum, & per quos putant ostendi, qualiter Regnum Christi futurum sit super terram. Sed in alijs quidem multis etiam ego amplector, & diligo Nepotem, vel pro fide sua, vel pro eruditione scripturarum, & præcipuè pro exercitio psallendi: quoniam quidem multi fratrum libenter pro hoc eius elegere consortia. Est ergo etiam mihi magis erga eum multa reuerentia, & inde magis, quia iam præcessit ad Deum. Sed reuera plus omnibus amanda, & præferenda est veritas. Laudare oportet, & absque inuidia amplecti, si quid rectè ab eo dictum est; reijci verò, si quid minus sanè ab eo scriptū est. Sicut in his libris in quibus docet nihil excelsum, nihil magnificum sentire de aduentu Saluatoris Nostri Iesu Christi, neque de Resurrectionis gloria, & nostra congregationis in ipsum, ac similitudinis promissa, sed parua quadam ac semper mortalia, & non alia, quàm sunt ea, quæ nunc videmus, suadet sperare in Regno Dei.* Hęc Dionysius. Viuebat autem Nepos sub Galieno Imp. Ann. 270.

NESTEROTIS Sermones, vnus de scientia Spiritualis, alter de chrismatibus Diuinis habentur in Collationibus Io. Cassiani.

NESTORIVS (alias Nestor) hęresiarcha, cum in Antiochena Ecclesia presbyter in docendo insignis ex tempore declamator haberetur, composuit infinitos Tractatus diuersarum hypotyposeon, in quibus etiam tunc subtili nequitia infudit postea proditæ impietatis

tatis venena, quæ moralis interdum occultabat suadela. Postquam verò eloquentia eius, & abstinentia commendante Constantinopolitanæ Ecclesiæ Pontificatu donatus est, aper tum se hostem Ecclesiæ, quem diu celarat, ostendens, scripsit librum, quasi de Incarnatione Domini, sexaginta & duobus Diuinæ Scripturæ testimonijs prauo sensu constructum, in quo quicquid asseuerauerit, in Catalogo hæreticorum demonstratur. Ita Gennadius in Catal.

NESTORIANORVM. Epistolæ duæ extant in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini Bignei. Quarum Alteram ann. 1552. ex Mozal, hoc est, Seleucia Parthorum, scribebant ad Pontificem Romanum, pro Patriarcha initiando. Alteram autem, qua electum Patriarcham suum vsque Hierusalem deduxisse, inde Pontifici nunciabant. Vtramque verò ex Syriaco autographo Latinè ad verbum reddidit Andreas Masius.

Nestorij blasphemiæ, idest duodecim anathemata, quæ totidem Cyrilli Alexandrini Anathematismis aduersus ipsum Scriptis opponuntur: item exemplar sacrilegæ expositionis Nestorij Henricus Petrus excudit Basileæ ann. 1528. cum varijs aliorum contra hæreticos scriptis, Nestorij autem Epistolæ duæ ad Cyrillum extant inter Epistolas Cyrilli ad Thebeum præfectum. Vide item historiam Ecclesiasticā Nicephori, & Gennadium in Catalogo illustrium Virorum.

Nestorianorum verò, qui hodieque sunt in Asia, status, & errores, Episcopus Sidonię missus ad eos à Gregorio XIII. Pont. Max. obtulit Sixto V. Pont. Max. cū quadriennium in ea legatione insumpsisset. Est autem apud me manuscripta ea Narratio accuratè conscripta, vbi & Armenorum errores, ac Iacobitarum, & Maronitarum attigit. Vide in verbo, Maronitę.

Porrò cum ann. 1599. Goensis Archiepiscopus in Orientali India Christianos, qui dicuntur S. Thomę, vnà cum Patribus nostris diligentissimè visitasset, Synodumque fidei Catholicę, atque disciplinę Ecclesiasticę restituendæ habuisset, factum est, vt blasphemiæ omnes Nestorianorum non solum interius, quàm vnquam antea factum fuisset innotescerent, verum etiam plurima eorum Volumina siue purgarentur, siue abolerentur. Cum autem etsi ea labe Europæi non ita sunt inquinati, quemadmodum est magna pars eorum, qui degunt in Asia, expedit tamen, vt qui à Sede Apostolica eò mittentur, eosdem errores ita norint, vt præmuniti solidis Ecclesiæ Catholicę argumentis, eorum Populorū salutem facilius curent, librosque erroribus scatentes, aut comburant, aut facilius expurgent. Sanè in ea visitatione à nostris partim combusti, partim expurgati sunt sequentes libri.

Hudra, & Gaza, hoc est,	*Breuiarium, & Thesaurus.*
Liber, qui prænotatur,	*Expositio Abbatis Esaiæ,*
Liber, qui dicitur	*Memra,*
Alter, qui inscribitur,	*Margarita fidei,*
Alius prænotatus,	*Liber Patrum,*
Alius dictus.	*Liber Synodi.*
Alius cui titulus.	*Liber Historiæ B. Virg. ac de infantia Saluatoris.*

Liber Ordinum. Liber Homiliarum. Liber expositionis Euang. Liber Io. Bar Caldon.

Qui omnes libri, vt diximus varijs erroribus, & hęresibus aspersi (Nestorianorum præcipuè) prętérquam quòd Nestorium, Dioscorum, & alias eiusmodi pestes tamquam Sanctos, & Ecclesiæ Vniuersalis capita venerabantur, pleraque fidei dogmata negantes, ea inuertebant, siue ad sanctissimam Trinitatem, siue ad Christi Domini Resurrectionèm, siue ad Personam Filij, spectantia; Primatum autem Ecclesiæ sibi arrogantes, cum in B. Petri legitimo successore, haud agnoscebant. D. etiam Cyrillum Alexandrinum, qui eorum hęresum fuit strenuus expugnator, detestabātur, & pleraque alia tenebrarū plena docebāt.

Quin & integrum Volumen passim ignis cōsumpsit, quod inscriptum erat *Spar Sāmane,* idest, *Liber medicamentorum*, plenum enim erat nominum Dęmoniorum, veneficiorum, superstitionum. Quo vtebantur ferè omnes Cassanares, & ipse potissimum defunctus pseudo Archiescopus duo volumina apud se habebat Thesauri loco, vbi & cor eius.

Libellus alius, qui dicebatur (*Spar Pesa*) idest *Liber sortium*, tanquam superstitiosus vbique

vbique traditus est igni; fuit enim semper præcedēti *Medicamentorum libro* coniunctus.

Volumen aliud, in quo vita multorum Nestorianorum continebatur (relicta tamen à nostris D. Thomæ Apostoli, & Georgij Martyris historia) expurgatum est detruncatis nominibus illorum hæreticorum, sicuti & plures aliæ blasphemiæ alijs in libris repertas, inter quas reprobabant Concilium Prouinciale.

Quædam item in nouo Testamento, Nouo ab hæreticis deprauata restituta sunt. Nam quod D. Lucas habet cap. 6. vbi Christus Dominus dixit, *Mutuum date, nihil inde sperantes;* Codices Syriaci habebant; *Mutuum date, & ne amputetis spem hominis,* putabant autem modicam vsuram non esse peccatum.

Lucæ 10. *Secreuit Iesus è Discipulis suis alios septuaginta,* deerat dictio (*duos*) sicut & inferius, in eodem capite.

In Actis Apostolorum capitulo 20. vbi dicitur; *Regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo:* positum erat nomen Christi loco Dei. Nolunt enim posse dici Ecclesiam sanguine Dei redemptam esse, quippe qui negent communicationem idiomatum in Christo.

Epistola prima Ioannis cap. 3. vbi dicitur; *In hoc cognouimus charitatem Dei,* ablatum erat nomen Dei ob eandem rationem supra allatam. sequitur enim statim: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit:* quod contra Nestorianos erat.

Item ibidem cap. 4. loco versiculi; *Omnis spiritus, qui soluit Iesum,* in Syriaco habebatur, *Omnis Spiritus, qui non confitetur Iesum, venisse in carne, non est ex Deo.* Vera enim lectio molesta erat Nestorianis soluentibus Iesum in duas personas, vnionemque hypostaticam cum humanitate scindentibus.

Item ibidem cap. 5. deerat integer iste versus: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater &c.*

Ad Hebræos cap. 2. vbi dicitur. *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* In Syriacis habebatur. *Ipse enim præter Deum pro omnibus gustauit mortem.*

In Euangelio Ioannis deerat integra historia adulteræ, Apocalypsis etiam B. Ioannis, & alia desiderabantur, quæ etiam in Bibliorum Regiorum Syriaca editione desiderantur. Vide in Verbo, Diamperiense Concilium.

N I

NICAENVM Concilium, primum quidem œcumenicum, hoc est Generale, non autem primum numero, siue ordine fuit, nam & antea Cōcilia ab Apostolis alia, ac deinceps alibi ab alijs, vti supra monstratum est, celebrata fuerant Romæ, in Græcia, & in Aphrica, quibus intererant Catholici Episcopi, & reliqui Sacerdotes. De quibus inter ceteros Tertullianus, qui exeunte secundo Christiano sæculo vixit, sic inquit. *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniuersis Ecclesijs, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.*

Contra Psychicos. c. 13.

Sanè verò idem Nicænum primum, etiam primarium dici potuit, quoniam, De re omnium summa, & quidem ordinatissimè, ac legitimè, hinc Syluestri Pontificis Sanctissimi illhinc interuentu, ac primum locum in Synodo tenentibus, eius legatis, ceterisque Episcopis, post quos sedit Constantinus Magnus Imperator. Ad illud enim trecenti & duodeuiginti Viri vitæ sanctitate, miraculis, & Diuinarum scientia scripturarum fama admirabiles Episcopi conuenerunt præter plures gentium Philosophos, qui permoti fama celeberrimi conuentus, siue item pertracti ab Ario, vt suis captionibus Veritatem Orthodoxæ fidei insuscarent, accurrerunt: At, Deo melius prouidente, factum est, vt hi confunderentur, & adeo aliquis eorum ad Christum conuerteretur.

Nos de hoc Concilio paullò vberius locuturi sumus, quòd ex eo, & forma legitimorum Conciliorum, & D. Sapientiæ ordo in Catholica Ecclesia conseruanda mirificè eluxit. Quamobrem siue qui fuere Ecclesiæ Columnæ, Nicænam Synodum, velut Oraculum de Cœlo editum venerati sunt, & tanquam Lydium lapidem desertoribus etiã Impp.

ſicut Hilarius Conſtantio fecit, exprobrans oſtendit: ſiue Gothorum Reges in Italia, & Hiſpania, Vandalorum in Africa, Conſtantius, & Valens Romanorum Imperatores, cum exercitus, Synodoſque adhuc Prouinciarum, Ariminenſem item, ac Seleucenſem ex numeroſiſſimo Epiſcoporum numero conuentum aduerſus Nicęnam fidem inſtruxiſſent, ſibi quidem exitium, Catholicæ autem Eccleſiæ trophęum victorię, licet inuiti, exſtruxerunt.

Locus Nicęnæ Synodi.

Porrò Nicęnum Concilium ita dictum, quod Nicęæ celebratum eſt. Quæ Bithyniæ Vrbs ad lacum Aſcanium ab Antigono fuit condita, quemadmodum Strabo libro duodecimo teſtatur.

Et cęptum eſt quidem ad cōdictam diem tredecimā Kal. Iunij Paulino, & Iuliano Coſs. ſicut extat in Concil. Chalcedon. Act. 2. ſolutum verò ad 8. Kalen. Septembris. Quo tempore Conſtantinus Magnus Imperij ſui vicennalia cum Epiſcopis celebrauit, quibus & magnificentiſſimum conuiuium inſtruxit, vt Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini, cap. 14. Theodoretus lib... c. vndecimo teſtatur. Quare Sozomenus errauit, qui ſub Iulio Pont. Max. fędius autem Photius libro De ſeptem Synodis, qui ſub Sylueſtro quidem, at & ſub Iulio Pontiff. Maximis tradit celebratum fuiſſe. ſic enim duraſſe oportuiſſet duodecim annos, quod valde abhorret à vero.

Cauſſæ Nicæni Concilij.

Cauſſa tanti Concilij habendi non vna fuit. primum blaſphema Arij hæreſis; Meletij deinde Aegyptij Epiſcopi ſchiſma; Aſianorum denique complurium Epiſcoporum, De Paſchate celebrando, diſſenſio. Et Arius fęda animi elatione, deformi aſpectu, ſacrilega lingua non contentus oppugnaſſe Alexandrum, qui poſt Petri, & Achillę obitum Alexandrinam Eccleſiam ſanctiſſimè regebat, De Dei Filio iactabat in vulgus: *Erat aliquando, quando non erat: ex non extantibus factus eſt, non de Patris ſubſtantia genitus ex tempore, non ab æterno: haudquaquam Deus verus de Deo vero; ſed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate, naturaque mutabilis.* Athanaſ. Ruffinus. Socrates. Theodoretus Sozomenus.

Sed & Arius ſcripſerat librum, quem *Thaleiam,* hoc eſt *Conuiuium, & Crapulam* prænotauerat, quo per iocum, & laſciuiam, ſiue per meretricias choreas, & ſaltationes multorum ſibi animos deuincire ſtuduit, vt Sanctus Athanaſius habet Orat. 2. contra Arianos. Quibus artibus ſeptuaginta Virgines Deo ſacras, vt inquit Epiphanius hæreſi 69. ſeptem Presbyteros, & duodecim Diaconos peſtilenter infecit, Euſebiumque Nicomedienſem, & alios Paſtores conuertit in lupos.

Atqui Meletius altera fax, non paucis criminibus conuictus, eo potiſſimum, quòd idolis ſacrificaſſet, ab Epiſcopatu deturbatus à Petro Alexandrino Epiſcopo in frequenti Synodo Epiſcoporum, Petrumque ipſum propterea, eiuſque ſucceſſores Achillam, & Alexandrum fędiſſimis criminationibus lacerans, totaque ferè Aegypto bacchatus, & multis per Ciuitates Diaconis, Presbyteris, Epiſcopis creatis, pernicioſo ſchiſmate ſcindebat Eccleſiam.

Vigebat item grauis, atque inueterata diſſenſio ex Aſianis pleriſque Epiſcopis, qui nec Dominico die, quo Chriſtus Dominus ab inferis reſurrexit, ſed ipſa quartadecima primi menſis Luna, in quemcumque incidiſſet diem, Iudaico ritu Paſcha celebrabant; nec primum menſem eum numerabant, cuius quartadecima Luna in ipſum æquinoctij verni diem, proximeve ſequentem recurreret, ſed qui per Iudaicos emboliſmos ſe ſe primus obijceret. Quem ritum ab Apoſtolica traditione penitus abhorrentem S. Victor Romanus Pontifex, & Martyr Romæ, Theophilus Cæſarienſis in Palæſtina, Palma in Ponto, Irenæus in Gallia, Bacchilus Corinthi, & Eccleſiæ ad Oſroenam decretis varijs damnauerunt.

Prænuntiata Diuinitus Ariana clades, ac quænam procurata Remedia, antequam ipsum Nicænum Concilium inchoaretur.

At Petro Alexandrino Episcopo, qui sanctitate, atque martyrio clarissimus extitit, cum ad Aram noctu supplex oraret, Christus Dominus apparuit discissa veste flebiliter dicēs: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit:* vt Beda in Martyrologio, & Acta Martyrij Petri Alexandrini, quæ extant in Tomo sexto Surij ad diem 25. Nouembris, habent.

Quin, & à Magno Antonio Aegyptio (quod in eius vita S. testatur Athanasius) in questus, ac lachrymas effuso, visum est Arianæ immanitatis ostentum, nimirū Altare Dei multorum impetu, crebrisque calcibus disturbatum.

Alex. Episc. ad omnes Episcopos apud Socratem, libro 1.c.3.

Epiph. hær. 68

Quæ cum ita haberent, serperet verò hic cancer, ita vt magna iam hominum illuuies in Arij verba iuraret, atque Alexander ipse Alexandrinus Episcopus nequicquam hominem impium blandis cohortationibus ab ea mente deducere potuisset, sicuti Theodoretus lib. 1. c. 2. Ruffinus, lib. 1. c. 1. scripserunt, coacta ex Lybia, & Aegypto centum Episcoporū Synodo, Arium, & plures eius sectatores anathemate perculsos ab Ecclesia expulit, remque totam per circulares, quas appellant, litteras, vniuersis perscripsit Episcopis: Id quod vno ore scriptum reliquerunt Epiphanius, Theodoretus, Sozomenus, Socrates, atque ante hos S. Athanasius Orat. 1. contra Arianos. Sed vt Satanas nil relinquit intentatum, quo animas subuertat, fecit, vt Arius, qui in Palæstina, & apud Eusebium Nicomediæ exulabat, Eusebij machinatione Arianorum Episcoporum Concilio apud Bithyniam coacto, vt est apud Sozomenum, libro 1. capit. 14. in Ecclesiæ communionem recipi iuberetur. Quamobrem Alexander datis ad Constantinum Imperatorem litteris pium Principem etiam atque etiam obtestatus est, vt Ariani incendij flammas, quæ plus nimio grassabantur, restinguere curaret. Qui misso in Aegyptum Hosio Cordubensi Episcopo, cum res ęquissimè componere conatus esset, tantum abest, vt ex eo pax Ecclesiæ reddita sit, vt Ariana in dies hæresis magis, ac magis inualesceret.

Socr. Sozom. vbi sup. Theo. li. 1. c 7 Socr. & Sozome. vbi sup. Athan orat. 1. contra Arian. & Epist. ad solit. vit. agen. epi. ad Euagr.

Sic ergo Constantinus Imperator, vt laboranti subueniret Ecclesiæ, Siluestri Summi Pontificis auctoritate, (vt in Actione decima Octaua Sextæ Synodi constat) aliorumq; Sacerdotum sententia, sicuti Ruffinus, lib. 1. c. 1. scribit, ex vniuersis Terrarum partibus Episcopos Nicęam (vt dictum est) Bithyniæ vrbem honorificentissimis litteris accersiuit, dispositis ad itinera vehiculis, vt Eusebius lib. 3. De vita Constantini, Theodoretus lib. 1. capite 7. commemorarunt.

Celebriores, qui ad Nicænum Concilium conuenere.

Theo. li. 1. c. 5 Socr. & Sozo. vbi sup. Athan. epist. ad solit. Ruffi. li. 1. c. 4 Socra. li. 1. c. 5. Sozo. vbi sup. Ruffi. li. 1. c. 7 Theod. ibid. Greg. Naz. in fun. patris. Atha. Apol. 2 Sozo. li. 1 c. 10 Theod. lib. 1. c. 20. Meenolog. Græc. Method. in eius vita. Concil. Chalced. act. 3. Theod. lib. 1. cap. 11.

Inter hos primas obtinebant, vt totius agminis ductores, Hosius Episcopus Cordubensis, Vitus, & Vincentius, qui à B. Siluestro missi, vt Apostolicę Sedis Legati Synodo pręerant, & Alexander Alexandrinus. Sequebatur Eustochius Antiochenus, qui doctrina, & sanctitate cōspicuus, clarissima (vt ait D. Hieron.) tuba in aduersarios bellicum cęcinit. Et Macarius Hierosolymitanus Episcopus, quem Arius vt suæ hęresi acerrimè aduersantem, apud Eusebium Nicomediensem in crimen adduxerat. Ex reliquis item excelluere inprimis Potamon Heracleensis altero orbatus oculo ob testimoniū Iesu Christi: Paphnutius Thebaidos superioris Episcopus, Apostolicis clarus miraculis, cui eadem de caussa alter effossus oculus, & sinistrum genu fuerat succisum: Spiridio Irimytunthis in Cypro Episcopus, mirabilium patrator operum, & sacrarum propugnator Scripturarum; Paulus Neocęsariensis Episcopus, ob fidei confessionem celebris, manu candenti ferè semiusta: Iacobus Nisibenus, vir planè Apostolicus, & mortuorū suscitator. Leontius Cęsareę Cappadociæ Antistes, prophetico spiritu commemorabilis, qui dum iter haberet ad Synodū, Gregorij Nazianzeni patrem, & baptimo lustrauit, & futurum denuntiauit Episcopum: amplius cōfessor eximius: Hypatius Gangrensis meritis, & martyrio clarus: Nicolaus Myrę Episcopus, cuius sanctitas in illustri, excelsoq; loco semper fuit, alijque complures.

Concilij

Concilij Niceni Canones vbinam seruati.

Sane verò Niceni Concilij nusquam extitere exemplaria planiora, & emendatiora, quā in scrinijs Romanorum antiquorum Pontificum: nam quæ in Græcia erant, concremata fuerunt ab Arianis, teste Athanasio in Epistola ad omnes Orthodoxos, & ideo nō mirum, si quæ citantur à Græcis, & à Ruffino, mutila, & corrupta sunt. Quin & Bellarminus Cardin. inter alios, probat Niceni Concilij Canones haud fuisse integros, quos Ruffinus ipse affert lib. 10. hist. Eccles. cap. 6. & qui missi sunt ex Oriente ad Africanos. Vide Bellarm. Tom. 1. Controu. tertia, lib. 2. De Romano Pontifice cap. 25. Atqui extabat etiam idem Nicenum Concilium litteris purpureis, & aureis conscriptum in insigni (quæ iam perijt) Bibliotheca Archiepiscopatus Rauennatis, quod se vidisse ante centum & septuaginta annos testatus est Ambrosius Camaldulensium Generalis.

Sed & Gelasius Cysicenus cum Acta Nicenæ Synodi ex antiquissimo libro in membranis planè integris descripsisset: qui quidem liber fuit Dalmatij Cysicenorum Archiepiscopi, redegit ex illo multa in Syntagma, siue Commentarium, qui Græcè, ac Latinè Parisijs à Federico Morello editus fuit, Roberto Balforeo Scoto Viro Catholico interprete, qui & Notas ad eundem Gelasium adiecit, vti & ad Theodorum Raithy De Incarnatione Christi, qui libellus est eidem Gelasio adiunctus. At cum Gelasius hic, de quo item diximus in verbo, Gelasius, plus æquo tribuat Eusebio Cæsariensi, qui partes Arianorum sectabatur, non tanti faciendus est.

Et verò Gulielmus Lindanus librum emisit ita prænotatum: *Tabulæ naufragij Niceni, vbi aurea Sanctorum Canonum, & Actorum Nicænorum ex varijs Veterum Patrum scriptis fragmenta repræsentantur: & Synopsis De veris Conciliorum Generalium Actis, ipsorumque gnisijs, & germanis canonibus:*

Successit accuratus labor Baronij Card. in tertio Tomo suorum Annalium, in quo plura expendit, quæ digna sunt illius ingenio, atque pietate.

Porrò ad huius amussim examinanda sunt, si qua prodijt editio ab hæreticis de Actis Nicenæ Synodi, qualis fuit Græca, & Latina, quā Hieronymus Commelinus emisit an. 1597. vnà cum Athanasio Alexandrino.

Interea quæ nos de Nicena Synodo in Refutatione Dauidis Chytræi, antequam prodirent Annales Baronij Cardinalis, egimus, cum item ipsius Concilij Diatyposes Græcè & Latinè cum Notis nostris ad eas emisissemus, hæc pauca de multis, huc tamquam in proprium locum sunt inferenda.

Canonum Nicænæ Synodi numerus.

Octoginta igitur Canones ab ea fuisse promulgatos, qui ad numerum septuaginta fuerint redacti scribit B. Athanasius, non negat B. Marcus Romanus Pontifex, ad quem ille de ijs recuperandis scripserat. Plures verò fuisse omninò quàm viginti illos, quos commemorat sextum Concilium Carthaginense, non solùm qui aliquot ante secula nos antecessere, Isidorus, & alij, verum etiam antiquissimi alij sunt testes, quos quoniam accuratè enumerat, & probat Alphonsus Pisanus Societatis nostræ Theologus, qui plura de Nicena Synodo scripsit, & verò, passim liber ille extat, ad eum refero lectorem. Est autem in Vaticano manuscriptus Græcus codex nomine Syntagmatis, siue Commentarij, de rebus, quæ contigerunt in Synodo Nicena, quo in libro mentio fit διατυπώσεων de quibus diximus, hoc est, constitutionum, & canonum. Eæ verò certo haud scitur quot fuerint, cum qui illas forsan cum canonibus connumerarunt fieri possit, vt octoginta quattuor Canones fuisse Nicenos crediderint, vti putauit Onuphrius. In eodem tamen Græco codice Diatyposes tantum ascriptæ reperiuntur: licet auctor pauca de multis dicat se se descripsisse.

Athan. Epist. ad Mar. 1. Marcus 1. ad Athanas. & ad Aegypti Epis. Iul. 1. epist. 2. Sardicēse Cōcilium. Antiochenū Concilium. Vide lib. 1. Alphonsi Pisani in Concil. Nicænum.

Onuphrius in Chronico Ecclesiastico.

Præterea viginti ij Canones, quos Synodus Carthaginiensis Actis suis inseruit,

Sed & Arabicum octoginta Canonum Concilij Niceni exemplar extabat in Bibliotheca Marcelli Secundi Romani Pontificis, cuius simile ex Alexandria Aegypti Romam attulit Ioannes Baptista Romanos Societatis nostræ, cum iussu Pij Quarti Pontificis Maximi, ad Alexandrinum Patriarcham nauigasset, vt eum ad Synodum Tridentinam inuitaret: quā quidem Synodum postea eo ipso Ioanne Baptista procurante, & Gregorio XIII. mādante Episcopi Montis Libani admiserunt. Erant autem in ipso Arabico exemplari vulgati viginti Canones, ordine alio dispositi, priore tamen excepto. Quod quoniam multa habet, quæ ad Ecclesiasticam Hierarchiam, & singulorum in ea graduum potestatem attinēt quædam item ex ijs quæ Iulius primus Epistola secunda tanquam Nicena citauerat, nonnulla item, quę vel in Synodo Antiochena, vel in Concilio Sardicensi reperta sunt, propterea Diatyposes ipsas è Græco, quæ passim non extant, quandoquidem ad reliqua faciliorem aditum sternunt, intexuimus Sectioni quintæ eiusdē Refutationis nostræ c.2. & 3. Sed & tertiæ sectioni cap.9. vnà cum Apostolico Symbolo, fideique Nicenę Professione, ipsoque Athanasij Symbolo expositionem Symboli Niceni adiecimus, Ioanne Theophilo Interprete, in Sectione autem quarta, quicquid de Paschæ temporis emendatione ab eadem Synodo fuit Decretum. Ad quæ Lectorem, si ei lubeat, amandamus.

Cautio.

Interea verò dum Romanam quattuor primorum Conciliorum editionem, quę dicitur esse proxima, expectamus, quæque tamquam limatior, & integrior erit editioni aliarum Synodorum inserenda, sciant veritatis amantes, quod in Canone primi Niceni Concilij circumlatum est his verbis: *Quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est*, id fuisse corruptum, ac proinde corrigendum, qualem ex Romanæ Ecclesię Scrinijs Paschasinus B. Leonis Primi Pontif. Max. legatus attulit ad Concilium Chalcedonense: Nimirum, *Quoniam talis Episcopo Romano consuetudo est.*

In Canone item 14. aliàs 18. aliàs 20. vbi habet Synodus, vt in absentia Presbyterorum Diaconi porrigant Eucharistiam, obseruandum est, istam Canonis partem non extare in omnibus editionibus, extare autem expressè apud Ruffinum libro 10. hist. cap.6. Canones autem, quos Ruffinus descripsit (etsi non omnes descripsit) fuisse veros, & authenticos Niceni Concilij Canones, testatur etiam Sanctus Cyrillus in Epistola ad Concilium Carthaginense, quæ extat in To. primo Conciliorum in Actis Concilij Africani. Quod esse obseruandum (monet Card. Bellarm.) propter Kemnitium hęreticum, qui in dubium reuocare istum Canonem contendit. Vide lib.4. eiusdem Bellarm. Card. De Sacramento Eucharistiæ cap.4. citra medium.

NICAENA Synodus secūda, quę fuit septima è primis generalibus, coacta est anno octauo Constantini, & Irenæ. Paul. Diac. lib. 23. rerum Romanarum. Cedrenus in Compendio historiarum. fuit is annus 781. si Paulo Diacono credimus. 786. si Cedreno. 789. si Onufrio. Psellus autem vel uitiatus à librarijs, vel deceptus sexaginta dumtaxat annos ponit inter vj. & vij. Synodum. Conuenerunt Episcopi 350. è quibus Patriarcha vnus fuit Tharasius Constantinopolitanus. Ceterorum autem Legati. Adrianus Papa per Legatos suos præsedit, ac vnà cum Synodo eos damnauit, qui sacras Christi, & Sanctorum imagines omni honore spoliabant.

NICASIVS Mechlinia oriundus, iam inde à tertio ætatis anno oculis captus, Louanij Theologiæ Lauream adeptus, & Rom. Pont. indulgente Sacerdos creatus, publicè ad populum de Verbo Dei doctissimè, promptissimeque disseruit, ac cętera fere Sacerdotum munia dextrè admodum obiuit. Scripsit Comment. in lib. quattuor Instit. Iustiniani Imperatoris identidem publicatos. Obijt anno 1492. in maiori Aede SS. trium Magorum Orientaliū honorificè conditus Colonię, sic quidem Myræus. At Eisingr. addit eundem Nicasium scripsisse quoque in quattuor libros Magist. Sententiarum. Sermones quoque elegantes, ac doctos. Quin & eius nomine excusa est Lectura Arborum trium consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis.

Ni-

NICEAS Romanę ciuitatis Episcopus (vt Gennadij verbis è Catalogo vtar) cõposuit simplici, & nitido sermone competentibus ad Baptismum instructionis libellos sex, in quibus continet primus, qualiter se debeant habere competentes, qui ad Baptismi gratiam cupiunt peruenire. Secundus est de Gentilitatis erroribus. In quo dicit suo penè tempore Melchidium quendam Patremfamilias ob liberalitatem, & Gadarium rusticum ob fortitudinem ab Ethnicis inter Deos esse translatos. Tertius liber De fide vnicæ Maiestatis. Quartus aduersus Genethlogiam. Quintus De Symbolo. Sextus De Agni Paschalis victima. Edidit, & ad lapsam Virginem libellum, penè omnibus labentibus emendationis incentiuum. Et ita quidem Gennadius. At Suffridus Petrus adnotauit loco illorum verborum. *Romana Ciuitatis*, in m. s. Codice Martiniensi in contextu haberi *Romaciana ciuitatis*, quam lectionem codex Virid. Vallis inter lineas habet adnotatam: inuenitur item in alijs *Romanicia*. Viuebat sub Theodosio I. Imp. ann. autem 420. Trit.

NICEPHORVS Blemmida, qui & Monachus, & Presbyter, & κτήτωρ τοῦ Βλεμμύδου vocatur, scripsit Commentaria in Psalterium. Idem autem, cum sub Ioanne Duca, de cõsensu Græcæ, & Latinę Ecclesiæ ageretur, multa è Diuinis Scripturis testimonia collegit, quæ Latinam Ecclesiam tuebantur. Vide Gregoram lib. 5. Hist. plura verò alia, quæ non pertinent ad hunc Apparatum Sacrum feruntur eius scripta, qualia sunt, quæ de quinque vocibus cum Porphyrij introductione Ioachimo Perionio interprete. Ratio de compendiaria arte disserendi Georgio Valla interprete. Introductio ad Logicam, quę Gręcè manuscript. extat in Bibliotheca Augustana, & alibi Epitome Philosophiæ, quę item manu scripta Venetijs in Bibliotheca SS. Ioannis & Pauli. Commentarius de Sophisticis elementis. Liber legum. De anima, itemque de Corpore. De Meteoris capita 32. De naturalibus principijs, & caussis; Sermo qualem oporteat esse Regem. Quæ omnia Gręce extant Romæ in Bibliot. Vaticana. Canones de Vrinis asseruantur Bononiæ in Bibliotheca S. Saluatoris στιχηρὰ τῶν ὑελίων, quæ erant in Bibliotheca Didaci Hurtadi. Demonstratio, quod indiuiduis vita non sit præfinita.

NICEPHORVS Callistus Xanthopulus, qui vixit ante annos propemodum trecentos & quadraginta, etsi, quod ad stylum, & dictionem attinet, eleganter, Græco quidem idiomate, historiam suam Ecclesiasticam texuit, quæ verò antea Sozomenus, Socratres, Theodoritus scripserant; continuato ordine magis expressit; habet tamen, quę tum in dogmatibus, tum in historiæ veritate, sunt digna, quę præcaueantur. Ad Dogmata spectat, quod ille in Præfatione ad Andronicum Imperatorem scribit, cum illum commendat, quòd quasi alter Abraham Sanctissimam Trinitatem hospitio excipiens, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere per Synodum abs se coactam promulgari curauerit. Quin & quibusdam carminibus ipsum Andronicum ex eo laudat, quòd eius Pater Michael Imperator, ex Bysantio exegerit Latinos, hoc est Catholicos, & Orthodoxos.

Ad historiam attinent, quæ cum alij, tum Cęsar Cardin. Baronius non vno in loco animaduerterunt.

Existimat enim Apostolos non ante quintumdecimũ annum ab Ascensione Domini ad Euangelij prædicationem per orbem fuisse diuisos: quod falsum esse ostendit Bar. Card. To. primo Annal. Sed & vide Laurentij Susligæ Theoremata Græcij impressa ann. 1605. Niceph. lib. 2. cap. 41.

Error autem in notam numeri apud Nicephori Chronicon irrepsisse videtur, dum loco 29. annorum, vigintisex Sedis Iacobi notati habentur. Falsò autem tradit Onesimum sub Domitiano occubuisse martyrio. Niceph. lib. 3. cap. 11.

Quin & Virgines, quæ sub Licinio passę sunt, contra omnium opinionem scribit fuisse vxores quadraginta Militum, qui Sebaste in Armenia passi sunt.

Falsò credidit Nicęnum Concilium annis tribus paulò amplius celebratum esse, cum constet, quo anno inchoatum fuit, eodem ad exitum fuisse perductum. Addit verò Nicęnum Concilium sub Iulio Papa celebratum esse, quod sub Syluestro Papa habitum fuisse, eius Legati testantur. Niceph. lib. 8. c. 16. in fi. Lib. 8. c. 14.

Helenam, quæ Britanna fuit, Constantinumque in Britannia peperit, Bithynam genere fuisse inquit. Niceph. lib. 8. c. 18.

Lib.7.c.36. Quæ de Disputatione Syluestri Papę commemorat cum Iudęis, veritati aliqua ex parte repugnant, dum Helenam post Constantinum Christianam effectam asserit.

Lib.8.c.14. Gregorium Episcopum Armeniæ, ait interfuisse Nicænę Synodo, quem lõge antea constat fuisse defunctum.

Lib.9.c.18.19 Quæ de Theophilo Indo narrat, minimè veritati sunt consentanea, eaque deprompta à Philostorgio hæretico in vulgus edidit.

Niceph. lib. 20.cap.25. Opinatur D. Basilium tempore Iulij sedisse Episcopum, quem tamen postea creatum fuisse Episcopum constat.

Niceph lib. 14.c.45. Ait eodem tempore S. Ignatium Episcopum Antiochenum Roma Antiochiam translatum esse, quo D. Chrysostomi corpus Constantinopolim ex Cucuso delatum. At ex D. Hieronymi testimonio corpus Sancti Ignatij aliquot annis ante Antiochia adductum fuisse constat.

Niceph. lib. 17.c.26. Parum honorificè de Vigilio Papa loquitur, quòd Constantinopoli tanum Episcopum Mennam à communione suspenderit, in eumque inuehitur, & mendacissimè asserit parem sententiam aduersus Vigilium ipsum à Menna latam.

Niceph. lib. 8 cap.44. Anastasium Episcopum Antiochenum Martyrem sub Phoca Imperatore cum Sinaita Anastasio, qui Mauricij temporibus mortuus est.

Mitto quæ de tempore Dedicationis nouæ Romæ haud rectè scripsit, cuius item erroris arguuntur Gregorius Presbyter, Cassiodorus, atque Suidas. Quin & cum in Chronico Antiochena Encænia sub Flacillo fuisse celebrata; cumque annis tãtum sex Maximum Sedi Hierosolymitanæ præfuisse asserat. Ne quid dicam, quòd lib.7.c.34. cum Crispum Cęsarem vnà cum Patre Constantino fuisse baptizatum falsus sit.

Chronicon verò corrigendum est, vbi loco Praylij, legitur Paulinus Io. Hierosolymitani Episcopi successor: vel alij emendandi, qui pro Praylio habent Cyrillum.

Sed & quæ idem Nicephorus lib.10.cap.15. dicit de nomine hypostasis, & vsiæ, à Socrate, lib.3.cap.5. & à Sozomeno lib.5.cap.11. accepit; qui auctores non tam ipsa nomina reprehendunt, quàm nouam quæstionem de distinctione earum vocum. Itaque etsi forte Hosius primus fuit, qui de hac distinctione disseruit, non tamen ipse primus hęc nomina excogitauit, si quidem inueniuntur apud Dionysium, & Iustinum, & apud ipsum Paulum nomine hypostasis, & nomen homousij, quod ab vsia descendit, antiquissimum fuit. Vide Bellarm. Tomo 1. Controu. 2. cap.4. libro 2. de Christo. Quòd autem Socrates, & Nicephorus addunt vocem ὑποςάσεως barbaram esse, & philosophis penè incognitam; quòdque Nicephorus nugamenta appellat disputationes de distinctione horum vocabulorum, non multum refert; nam hanc vocem non fuisse incognitam philosophis veteribus, patet ex Commentarijs Budæi, qui citat Aristotelem, & Themistium, nobilissimos videlicet philosophos, qui voce ὑποςάσεως non rarò vsi sunt. Ac licet nulli philosophi ea voce vsi fuissent, satis esset, quòd vsi fuissent Paulus, Concilium Nicęnum, & omnes Græci Patres. Non esse autem nugamenta disputationes de ὀσία, & ὑποςάσει, patet ex Basilio ep.43. qui dicit, ex ignorantia huius distinctionis natum esse plurimorum errorem circa Dei cognitionem; & præterea si hæc nugamenta essent, cur Iustinus, Cyrillus, Basilius, Nissenus, Theodoretus, Damascenus, & alij tam multa de hac re, & tam seriò disputassent?

Accedit quòd, cum in communi Gręcorum Euchologio, sint quædam aduersus Latinos imprecationes, atque blasphemiæ, has ipsimet Græci cordatiores, vt Nicephoro huic tribuunt, sic detestantur, neque libenter eas se audire, quamobrem & se cupere, vt eraderentur, testati sunt mihi.

At cũ hanc Nicephori historiã primus verterit Io. Langus Silesius, neque verò quidquã de erroribus istis, pręsertim, quæ ad processionem Spiritus sancti pertinẽt, indicauerit, eius autẽ versio non vsquequaque quadret in quibusdam vocibus ipsi Gręco contextui, (nam & *substantia* non semel vtitur pro *essentia*) sciendum est id contigisse, quòd neque Theologus Scholasticus, neque adeo Catholicus fuit. Quamobrẽ in Clementis VIII. Pont. Max. postremo Indice Librorum prohibitorum prohibitus est inter primæ classis Scriptores.

Licet

Licet autem interpretes hæretici permittuntur in Patrum versionibus, vbi nihil habeant contrarium fidei, Adnotationes tamen ipsius in eundem Nicephorum, & Præfatio, siue Dedicatio Operis ipsius Langi prohibentur. Eas porrò Adnotationes suis admiscuerunt Parisienses illi, qui ex Typographia Sebastiani Niuellij ann. 1562. Nicephorum Latinum Parisijs emiserunt. Quamobrem & Hispani nonnulla ex ijs expungenda notauerant.

In Collectaneis autem Nicephori, quæ ad calcem Historiæ Ecclesiasticæ Theodoriti adiectæ sunt, notauit quædam Iacobus Bilius, cap. 16. libri primi suarum Obseruationũ sacrarum, quæ adiectæ sunt ad calcem Epistolarum Isidori Pelusiotę ab eodem Billio versarum è Gręco in Latinũ, ac simul prodierunt Parisijs ann. 1585. apud Gulielmũ Chaudier.

Ceterum Gennadius in Apologia, pro Florentina Synodo, conuitia Nycephori contra Latinos refellit.

Procul autem à veritate recedit, quod lib. 12. cap. 44. scripsit Cæsarium Præfectũ Prętorij à Theodosio missum cõtra Antiochenos illum esse Cęsarium fratrem S. Gregorij Nazianzeni quem longè ante hæc tempora constat ex hac vita decessisse. Quin etiã eiusdem libri cap. trigesimo quarto planè mentitur inquiens. *Neque Episcopus, neque alius quisquam in Ecclesia Romæ ad populum docens verba facit.*

Porrò Nicephori huius historia Ecclesiastica, quæ duodeuiginti libris continetur, edita primum fuit ann. 1553. Basileę ex Officina Oporini, interprete, quem diximus Ioanne Langio, vnà cum censura, & approbatione Theologorũ Louaniẽsium 19. Feb. ann. 1551. & in Priuilegio Regis Francorum à duobus Sorbonicis Theologis lectam-eam fuisse scribitur ann. 1552. sed nondum ita examinata, quemadmodũ procedente tempore factũ est. Nam & cum Antonius Contius I. C. Collectanea eiusdem Nicephori, quem ille vocat Constantinopolitanum Archiepiscopum, mendosa, & Commentarijs non tam illustrata, quàm obtenebrata se emendasse putasset, non parum falsus est in ipsa putatione temporum, quemadmodum Gilbertus Genebrardus ad finem suæ Chronographiæ Veteris Testamenti obseruauit.

Præterea Nicephorus edidit Synopsim, idest *Contuitum* totius Diuinæ scripturę, iambis trimetris digestum: In quo argumenta omnium Voluminum breuiter complexus est. Opus incipit: *ὡς πατὴρ νοῦς ἐστὶν ἀνάρχος φύσις.*

Atqui Gulielmus Eising. in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, addit eum scripsisse,
De rebus gestis post Machabæos ad Christum vsque, & Hierosolymæ excidium.
Genealogiam Patriarcharum, vsque ad Dauidem. De rebus Mosaicis.
Catalogum Iudicum Israelis.
Descriptionem Regum Israelis, & Patriarcharum Constantinopolitanarum. Genealogiam Christi Domini.
Duodecim Apostolos, & 72. Discipulos, Euangelistas, & Diaconos. Discipulas Christi, & plura alia.
Miracula Saluatoris nostri, secundum quattuor Euangelia.

NICEPHORI Carthophylacis fragmentum Epistolæ ad Theodosium Monachum, De ligandi, soluendique potestate, extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum, à Margarino Bigneo edita.

NICEPHORI Chumni De Oratione, iudicio, & operatione, quid ex eis amplecti, quid fugere deceat. Libellus Græcus, Romæ in Vaticana Bibliotheca.

NICEPHORVS Constantinopolitanus Patriarcha, cuius Scripta illa, quæ nunquam in lucem prodierant, nos ad Henricum Canisium V. C. misimus, eadem à nobis flagitantem, scripsit præter illa, quorum mentio habebitur infra, quattuor Opuscula contra Iconomachos. Primum autem continet duodecim capita contra principes Apostasiæ de Incarnatione Christi. Secundum decem Syllogisticas Demonstrationes De differẽtia imaginis Christi, & Crucis. Tertio agitur De Cherubinis a Moyse. Quartum habet quædam ex libro eiusdem Nicephori de Imaginibus. Hæc autem è Græco in Latinum versa à Francisco Turriano nostro iam extant in Tomo quarto, Antiquæ lectionis, Ingolstadij emisso ann. 1603. At, quis Nicephorus hic fuerit, si quis quærat, respondet idem Canisius,

esse

effeillum Sanctitate conspicuum Patriarcham Constantinopolitanum, cuius memoria tam apud Latinos in Martyrologio, 13. Martij, quàm apud Græcos in Menologio 2. Iun. celebris est. In Menologio autem quod in Tomo 2. Antiquæ Lect. extant hæc. *Sancti Patris Nicephori Patriachæ Constantinopolitani, qui fuit temporibus impij Imperatoris Constantini cognomento Copronymi, ortus & educatus in vrbe regia Constantinopoli, clarus parentibus Theodoro & Eudocia. Fuit autem Theodorus scriba regalium edictorum, qui delatus, vt cultor Diuinarum imaginum, flagris cæsus, exul missus est in Vrbem Nicaam, in qua multas ærumnas perpessus, migrauit. Eius filius Nicephorus in numerum scribarum aggregatus, cum omnia sterco ra & telas aranearum arbitratus esset, secessit in Propontidem, vbi dum sibi ipsi, & Deo vacaret, mortuo Tarasio, beato illo Constantinopolitana Ciuitatis Patriarcha, in demortui locum eligitur, regnante Nicephoro Imperatore, patre Stauratij. Peruenit autem vsque ad Imperium Leonis Sanctorum Imaginum oppugnatoris, qui religiosissimum Michaelem ab Imperio expulit. ab hoc impio Tyranno exul factus beatus Nicephorus, & in carcerem coniectus, exacto septuagesimo anno, in manus Dei spiritum commendauit, cum nouem annos in Patriarchatu, tredecim vero in exilio vixisset.* Hæc Menologium. Theophanes autem ponit annos quattuordecim exilij, quem Baronius Card. sequitur, & ait diem obijsse anno Christi 828. Scripsit verò S. Nicephorus Epist. Synodicam ad Leonem III. quæ extat apud Baron. Card. ann. 811. num. 20. item aliam ad eundem, quæ extat, de qua vide Baronium ibidem. Scripsit quoque Chronographiam ab Anastasio Bibliothecario Latinitate donatã, quæ tum alibi, tum in Bibliotheca SS. Patrum, legitur. Sed in Zonaræ magno canonum volumine habentur S. Nicephori Canones. Alij quoque citant S. Nicephori librum hac inscriptione: *Aduersus Mamona dicta contra Incarnationem Christi.* Liber Græcus Romæ in Vaticana Bibliotheca. Qui tractatus sine dubio, hic ipse est, quem primo loco, inter quatuor Opuscula S. Nicephori Henricus Canisius I. C. euulgauit.

Porrò Photius in Bibliotheca Græca, se legisse tantum Epitomen historicam inquit huius Patriarchæ, quæ à Mauricio Imp. sublato vsque ad nuptias Leonis, & Irenes deducta fuit, quam & à dictione commendat, & à pulchra dispositione; quam item dicit, nec superfluam, nec nimis solutam esse. Quomodo autem, & cur Photius alibi, scribens nimirum ad Nicolum Pont. Max. multis laudibus S. hunc Nicephorum extulerit, vide fusè in decimo Tomo Baronij Cardinalis.

Ceterum, Nicephorus hic scripsit Confessionem suę fidei temporibus Caroli Magni ad Leonem Papam 3. anno Domini 811. quæ quidem Epistola à Frontone Duceo Societatis nostræ, Latino idiomate descripta è Codice Conciliorum Bibliothecæ Ecclesiæ Virdunensis è Lotaringia, quod magis emendatum Græco exemplari se reperisse testatur, & à Cardin. Baronio inserta est, Tomo suorum Annalium nono, sub eundem annum. In Bibliotheca verò Bauarica num. 163. extant m.s. eiusdem Canones.

NICEPHORVS cognomento Figulus, Gręcè κεραμεὺς scripsit Explicationem, & Sermones varios in Sacrosanctum Euangelium.

NICEPHORVS Gregoras, Vide in verbo, Gregoras. Sed hic quoque dicimus, Nicephorum hunc Gregoram, & Nicetam Choniatem eorum monumentis sat prodi. Adde huc Cedrenum, Glycam, Constantinum Manassem, Ioannem, & Georgium Curopalatas, & alios. Nam per illa tempora tam non facile monachum, aut scriptorem à Romana Ecclesia non alienissimum erat inuenire in Gręcia, quàm hodie difficile est pręconem Verbi Dei, (inquit scitè Iacobus Pontanus noster) aut Professorem Catholicum inuenire in Saxonia. Sanè verò idem Gregoras descripsit Vitam Ioannis Metropolitæ Heraclęę auunculi sui, vt ipse testatur nono suę historię libro. Nimirum, vt alibi diximus, Romanæ, hoc est Bizantinę historiæ libros vndecim conscripsit Grecè De Rebus gestis à Græcis Imperatoribus per annos 145. à Theodori Lascaris prioris morte vsque ad Andronici Paleologi posterioris obitum. Pręterea quædam in Aristotelem. Dialexim item, Florentium, siue De Sapientia Hypomnema in Synesium De insomnijs, quod Gręcè Parisijs prodijt, apud Adrianum Turnebum, cum Synesij operibus ann. 1553. Orationes item contra Palamitas hęreticos. Ad Logothetam De magno pisce, & alijs Animalibus, hicque liber extabat in Bi-

in Bibliotheca Medicea Florentiæ, quemadmodum reliqui ferè superiores in Vaticana m.s. Ad eundem Epistolam adhortatoriam. Scripsit item De illis qui Astronomiam calumniantur. Epistolas. Prosphonemata. Sermones. In Cyprum. De Astronomia. De morte Andronici Palęologi. Ad eos, qui fatum statuunt. Atqui, vt memorati Gregoræ libri Gręcè m. s. extant, sicquoque asseruantur in Bibl. Vaticana Poemata, Dialogi, Tractatus De emendando tempore Paschatis. Sermo ad super Sanctam Virginem, complectens eius Natiuitatem, ingressum in Sancta Sanctorum, & educationem. Epistola ad quendam Iosephum. Vide verò iudicium de eius Historia cap.23.lib.16. nostræ Bibliothecæ Selectę, hoc est in Apparatu ad omnes Historias.

NICERDVS monachus (forsan *Nicetas*) librum Gręcè scripsit contra Mahometum, ac Sarracenos. Extat m.s. in Bibl. Vaticana.

NICETAS Acominatus, Choniates, magnus Logotheta secretorũ, inspector, & iudex *Veli*, Præfectus sacri cubiculi, cuius fidelis historiæ, & recti ingenij (si aliud ab illo æuo) meminimus in Apparatu nostro ad Historias, Historiam ab ann. 1118. vsque ad annum circiter 1210. Græcanici Imperij Gręcè pertexuit. Quæ licet Basileæ apud Oporinum ann. 1557. Græcè, atque Latinè prodijt, quoniam tamen Hieronymus Vuolphius, qui fuit hęreticus, neque satis Græcè noscens, fuit interpres, non facile admittendus est. Nos de Suidę versione ab eodem emissa locuti sumus in verbo, *Suidas*, vbi quale Vuolfij fuerit in huiusmodi versionibus ingenium, intelligi potest. Porrò Nicetas hic libros quinque orthodoxę fidei Gręcò eodem idiomate conscripsit, in quorum primis tribus Christianismi iecit fundamenta. Quarto autem, ac quinto Arianorum, & Eunomianorum hæreses confutauit. Qui primò Lutetię editi fuerunt apud Gulielmum Chaudiere, ann. 1580. ex Biblioth. V. C. Ioannis à S. Andrea Canonici Parisiensis.

NICETAS Bizantius Philosophus, quem suspicor eundem fuisse cum Nicerdo, cuius paullo ante meminimus, extat in Vaticana Bibl. m.s. Duo autem eius Opera ibi cernuntur. Alterum aduersus Mahometum, Alterum inscriptum ἔκθεσις κατασκευαστική; hoc est, *Expositio astruens* cum demonstratione Christiani dogmatis ex communibus notionibus, ac methodo dialectica, naturalibusque argumentis, & artificio Syllogistico producta. Refutatio item Epistolę missæ ab Agarenis ad Michaelem Imperatorem Theophylacti F. qua Epistola fidem Christianam calumniabantur. Sed & puto huius ipsius Nicetæ esse, qui in eadem Vaticana Bibliotheca sub nomine Nicetæ Philosophi asseruatur Gręcè m. s. Sermo De martyrio, Inuentione, translatione venerandarum reliquiarum prothomartyris S. Stephani.

NICETAS reliquit fragmentum, De Ordine, qui tũc obseruabatur, cum quis à Sarracenismo ad nostram, hoc est Christianorum fidem, puram quidem illam & verã transfugebat. Incipit autem. *Primum qui ad fidem Orthodoxam accedit, duas hebdomadas ieiunat*. Excerptum est autem ex 22. lib. Thesauri Orthodoxię. Extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini Tomo 6.

NICETAS cognomento Dauid, scripsit Gręcè vitam Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani, resque sui temporis fideliter. Hunc Federicus Metius vertit è Gręco, eam verò historiam citat item Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 28. Hist. Ecclesiasticæ.

NICETAS Daudatius, Philosophus, De admirabili Christi Domini Resurrectione, cum adiũcta Scipionis Disputatione de octoni varij numeri perfectione, extat m. s. in Bibliotheca Imperatoris Viennæ Austrię.

NICETAS Heraclię Episcopus, siue Metropolita, scripsit varia. Extat illius Explicatio ad varia D. Gregorij Nazianzeni Gręcè quidem, at & Latinè à Billio edita ab Oratione 38. vsque ad 44. integram. Vide in verbo, *Gregorius Nazianzenus*. Sed & Constantinopoli (pręsertim in varijs Gręcorum nobilium Bibliothecis) reperiuntur sub eiusdem Nicetę nomine Explicationes in Hexaemeron Moysis collectã, ex pluribus auctoribus. In Psalteriũ quoque Dauid. Qui m.s. extabat in Bibliotheca Imp. Viennę. In Ecclesiastem Cãticum Canticorum. In duodecim Prophetas. In quattuor Euãgelia. In Acta Apostolorũ. In Epistolas Pauli Apostoli, Ioannis, Iacobi, & Petri. Sed & cum ibidem extet Expli-

catio

catio eius in Iob, vereor, quin ei sit (vt fortassis aliæ) falsò ascriptæ. Nam & in decem manuscriptis Græcis codicibus, quos Paulus Comitolus noster è varijs Bibliothecis conquisiuit ob Catenam Patrum Græcorum in Iob à se versam, nullus extat in ijs Nicetas, præterquam in Codice, qui erat Ioannis à S. Andrea Canonici Parisiensis. Quin etiam cum ei fuisset in Gallijs à quodam attributa; idem Comitolus in Disputatione, quam de eius Catenæ Auctore suæ versioni præfixit, solidis euincit argumentis eam nullam esse, sed Olympiodoro tribuendam, qui è quattuor, & viginti Græciæ Doctorum explanationibus illam contexuit. Atqui & Responsa eiusdem Nicetæ ad Interrogationes Constantini cuiusdam Episcopi extant apud Zonaram in Canonibus Conciliorum.

NICETAS Mersiniota, De processione Spiritus S. scripsit, ac Romæ extare scribitur.

NICETAS monachus Constantinopolitanus, cognomento Pectoratus, cuius meminit in Catalogo Sigebertus, quem item vixisse ann. 1054. scribitur; non hic ponitur vt legatur, sed vt ablegetur, cum de coniugio Sacerdotum, deque alijs eiusmodi, in quibus Græci à Latinis dissentiunt, agat. quamquam quòd errores Armeniorum oppugnet, aliquid fortassis ad rem dixerit.

NICETAS Protosyncellus, & Chartophylax magnæ Ecclesiæ de non contrahendo Connubio in hebdomada Sacra. In magno volumine Canonum Io. Zonaræ. (σαββάτοις.)

NICETAS ὁ στίφρος reliquit Canones κατ' ἦχον. Eiusdem alius Canon. Imperatores Constantinopoli hæretici, & Christiani Romæ extitisse scribitur.

NICIAS Monachus à Photio in sua Bibliotheca Græca lectus esse scribitur aduersus sex capita Philoponi, quorum meminit in sermone ipsius prænotato διαιτητής, hoc est *Arbiter datus*, siue *Cognitor*. Scripsit etiam aduersus Seuerum impium, ac duos Sermones contra Græcos. Quem (inquit Photius) dictione esse simplicem, atque concisum, in refutationibus autem satis idoneum, & sine superfluitate.

NICODEMI nomine, quod falsò inscriptum est Euagelium, quodque incipit, Annas & Caiphas, à S. Ecclesia Catholica meritò reprobatum est.

NICOLA (ita enim habet Chronicon Ord. Seruorum) quem sine cognomento ijdem qui idem Chronicon composuerunt, valde ab eruditione commendant, sed quoto vixerit anno, fatentur se ignorare, scripsit in quinque libros Moysi, qui Pentateuchus dicuntur. Sermones item in Euangelia, & Epistolas Dominicarum totius anni, & ad Sanctorum laudem.

NICOLAVS è S. Albano, Anglus, quem & virum Sanctum, & Ordinis D. Benedicti commemorant, scripsit in laudem, siue De Conceptione Beatissimæ Virginis. Librum item ad Petrum Pontiniacum: Alterum De sua Legatione. Decretales Epistolas ad Henricum II. contra Hibernos. Sed mirum est, quod à musca suffocatus interijsse dicatur. Viuebat ann. 1159.

NICOLAVS Alexius, Perusinus, Ordin. Prædic. Theologus, atque item humanarum litterarum peritia celebris, quattuor libros Regum heroico carmine descripsit. Ceterum in Aristotelis Logicam, siue vniuersum Organum, & Philosophiam Aristotelis scripsit. Viuebat nostra ætate ann. 1566. Ant. de conceptione.

NICOLAVS de Alsentia, Ordin. Carmelitani, scripsit in Exodum, in Apocalypsim D. Ioannis. In officium sancti Missæ Sacrificij. Sermones de Tempore, ac De Sanctis.

NICOLAVS Anglus Monachus Dunelmensis, Congreg. Cluniacensis, Sancto Godrico monacho, & Eremita dictante, anno circiter 1169. scripsit vitam eiusdem S. Godrici, Arnold. Vuion in Ligno vitæ.

NICOLAVS ab Aquæuilla, siue Aqueuillanus Ordin. Minorum Sermones edidit De Natiuitate, ac De Sanctis. Quin & per totum anni circulum. Franc. Gonzaga Episcopus Mant. Viuebat ann. 1317.

NICOLAVS ab Aquapendente Italus, Ord. D. Augustini, scripsit librum De Baptismo. Alterum De peccato originali, alium De Pœnitentia. Alium De Limbo, Inferno, Purgatorio. Alium De mercatura. Alium De sortilegijs. Alium De vitanda ingratitudine. Alium De festis Sanctorum. Quadragesimale. Sermones item. Viuebat an. 1460.

NICOLAVS Aubertus, Poeta, Gallus, ſcripſit atque edidit cantiones quaſdam Regias in honorem Beatiſſimæ Virginis.

NICOLAVS Audith, Cyprius, totius Ordinis ſui Carmelitanorum per annos plus minus quadraginta Generalis, Græcè, ac Latinè eruditus, Theologus verò inſignis, multa ab his, qui eum nouerunt, ſcripſiſſe fertur, in Magiſtrum ſententiarum. Conciones item, atque Orationes, Et nos quidem, (ait Petrus Lucius Belga) vidimus noſtro tempore Miſſale, & Ordinale ſuo nutu elegantiſsimis typis excuſum, Obijt ann. 1562. die 7. Decembris, vt legitur in Necrologio Carmelitanorum Florentiæ.

NICOLAVS Aurificus (alijs aurifex) Bonfilius, Senenſis, Carmelita, Theologiæ profeſſor, ſcripſit, quæ extant ſubiecta, partim typis excuſa, partim adhuc in ſcrinijs aſſeruata. Et quidem prodierunt Liber De dignitate, vita, & moribus Clericorum, quod adiunxit examini ordinandorum ab ipſo è varijs auctoribus collecto, edito autem Venetijs ann. 1567. & aliàs alibi. Tractatus De Antiquitate, Veritate, ac dignitate Miſſæ additus Speculo Miſſę ex Patribus ab eo congeſtis. Venetijs ann. 1572. Tractatus De Paſſione Domini Italicè, Venetijs ann. 1567. Sylua Orationum ex SS. Patribus Venetijs ann. 1569. & Mediolani, atque alibi. Speculum monialium Italicè, Florentiæ ann. 1591. Flores Orationum ex Ludouico Granatenſi Venetijs ann. 1573. Tomi octo Meditationum ex SS. Patribus Italicè, quorum tres excuſi ſunt Venetijs ann. 1582. Nouum examen ordinandorum Latinè, Florentiæ ann. 1586. Tabula præparatoria ad Miſſam cũ Vtilitatibus ex SS. Patribus collectis Florentiæ ann. 1591. Summarium Indulgentiarum, & gratiarum Confratrum, & Sororum Ordinis Carmelitarum, Florentiæ ann. 1592. Inſtitutio mercatorum de cambijs, atque contractibus. Summa Aurifica Italicè apud Guerilium ann. 1603. Quæ verò vſque ad ann. 1597. nondum emiſſa erant in lucem, ſunt.

Italicè, De velamine mulierum, quem libellum Cardinalis Paleottus magnopere commendabat. Speculum Epiſcoporum Latinè conſcriptum. Examen confeſſariorum Latinè. in Quartum ſententiarum Lectiones, quas annis 1575. & 1576. Placentiæ habuit, apud Patres Ord. D. Benedicti, Latinè.

Expoſitiones Euangeliorum quadrageſimalium. Index S. Scripturæ cum expoſitione SS. Patrum, Inſtitutio Carmelitica, vbi dialogiſticè, Ordinis Regula exponitur Latinè. Vita Eliſei Carmelitarum Ducis ſecundi Latinè. Hiſtoria quoque Carmelitica.

Opera verò, in quibus emendandis, aut recognoſcẽdis laborauit, ſunt hæc: Opera Thomæ Valdenſis Anglici. Opera etiam Spiritualia Ludouici Granatę Ord. Prædicatorum. Opera Antonij Mondogneti, vbi nomen ipſius Aurifici ſcriptum eſt. Viuebat Senis ſexagenarius ann. 1592.

NICOLAVS ab Auximo Picens, Ordinis Minorum, ſcripſit ſupplementum ordine Alphabetico. Summam, quæ Venetijs prodijt apud Leonardum Vuid Ratiſponenſem, ann. 1494. Scripſit quoque in præcepta Regulæ ſermone patrio. Redegit in Epitomen Iuris Canonici libros, quem prænotauit: *Liber legis Canonicæ.* Librum item Sermonum. Interrogatorium Confeſſionum. Supplementum ad Summam Piſanellam. Poſt Hieroſolymitanam peregrinationem, quam iuſſu Martini V. Pont. Max. ſuſcepit, Romam reuerſus obijt in Ara Cęli.

NICOLAVS Barianus, Placentinus Ord. D. Auguſtini, Theologus, & Iuris Pontificij conſultus, edidit librum, quem inſcripſit, *Cauſſa Vitaliana, & pracedentia Eremitarum, & Minorum.* Cremonæ ann. 1500. incipit. *Quæritur an Ordo noſter Eremitarum D. Auguſtini.* Quadrageſimale prænotatum. *Quaſtionum Pradicabilium.* Quodlibeta 77. Bononiæ ann. 1501.

NICOLAVS Bayarde, Anglus, ſcripſit Librum Diſtinctionum Theologicarum. Sermones De Tempore, ac de Sanctis. Placita Theologica. Vixiſſe fertur ann. 1410.

NICOLAVS Beguinus Rhemenſis De Euchariſtiæ inſtitutione aduerſus Miſoliturgorum, atque Caluiniſtarum blaſphemias, ac impoſturas. Pariſijs apud Nicolaum Cheneau ann. 1564.

NICOLAVS Bertrandus, Gallus, I.C. & Toloſæ Aduocatus, ſcripſit hiſtoriam Toloſanam

Iosanam lib. 1. De parlamenti institutione lib. 1. De Sanctorum eleuatione lib. 1. Pro mutua Christianorum pace lib. 1. Orationes pæanicas lib. 1. Ad viros primarios lib. 1. De Theologis Tolosanis lib. 1. contra Alchimistarū errores lib. 1. contra hęresiarchas, & apostatas lib. 1. Obijt Tolosæ ann. 1527. vltima die Iulij.

NICOLAVS è Biordo, Ordinis Minorum, scripsit Distinctiones in quattuor libros.

NICOLAVS è Bitonto, Ordinis Minorum, Prouincialis S. Francisci ann. 1413. edidit Quadragesimale. Henric. Villot.

NICOLAVS Bochā, Ord. Minorū, scripsit De Concilijs Generalibus. Henric. Villot.

NICOLAVS Bodius, Belga, Ord. Minorū, Prouinciæ Flandriæ, Dixmudensis Guardianus, scripsit Apologiam aduersus Epistolam non sobriam M. Francisci Amelrici de regressu spirituum, quæ asseruabatur apud Henricum Villot m.s.

NICOLAVS Boerius, Gallus, I.C. & in Senatu Burdigalensi Præses, præter illa, quæ de Iuris Ciuilis prudentia, & de legibus Longobardorum scripsit, edidit quoque De potestate Legati Franciæ. De præcedentia, & ordine graduum vtriusque Fori. Annotationes ad regulas Iuris Pontificij, quæ fuerunt excusæ Coloniæ cum Dyni Cōmentario. Additiones ad Gulielmi Mandagori Tractatum, De electionibus nouorum Prælatorum. Obijt ann. 1539. Cuius vitam Ioannes Alesbius scripsit.

NICOLAVS Bonetus, Ordinis Minorū, scripsit Postillam in Genesim, & super quattuor sententiarum libros: & libros Aristotelis (pręcipuè Metaphysicen) est interpretatus.

NICOLAVS Botleshan, Carmelita, scripsit Commentarios in lib. quattuor sententiarum, Quæstiones Theologiæ lib. 1. Tabulare studentium lib. 1. In Cantica Rideuallis librum, Conciones, & Lecturas. Obijt ann. 1435.

NICOLAVS Brekspeare, Anglus, qui primò Episcopus, & Cardinalis ab Eugenio creatus est, quòd in Noruegiam missus prædicando Prouinciam illam ad Christi fidem redegerat; deinde Anastasio Summo Pontifici succedens in Pontificatu, Adrianus Quartus Pontifex Maximus est nominatus, scripsit pro expeditione Hyberniæ Epistolam. Librum item ad Petrum Pontiniacum. Alterum de sua legatione. Homilias, & Decretales Epistolas. Obijt Pontificatus sui ann. 4. mense 10. relicta (vt inquit Platina) in magno pretio Ditione Romanæ Ecclesię, cuius temporum historiam scripsit eleganter Richardus monachus Cluniacensis.

NICOLAVS de Briatho, Ord. Præd. fertur scripsisse sermones vtiles. Distinctiones morales. Summam De Abstinentia. Ant. Senensis ex PP. Mon. Ord. sed tacet quoto vixerit anno.

NICOLAVS Buccasenus, Ord. Prædicatorum, qui deinde appellatus est, Benedictus, XI. Pont. Max. scripsit Enarrationes in Euangelium secundum Matthęum, quę prodierunt apud Soc. Venet. ann. 1603. Vide autem in verbo, Benedictus Vndecimus.

NICOLAVS Buochnerus, Sueuus, Tubingensis, Ord. D. Benedicti Abbas, scripsit De Monasticę vitę laudibus. Viuebat ann. 1537. Eisingrenus.

NICOLAVS Burgensis, Senensis, vitam B. Francisci scripsit, quam Paulus Florentinus Theologus Ord. Seruorum, dicauit Pio Secundo Pont. Max. Chronicon Seruorum.

NICOLAVS Cabasilas, Archiepiscopus Thessalonicensis, qui ann. 1300. viuebat, Io. Cantacuzeno Imperante Constantinopoli, Vir quidem clarus fuit, cuius honorificè meminit Ioannes ipse Cantacuzenus lib. 3. cap. 73. suę historiæ, cum nempe ostendens fuisse Sacellij curatorem, siue Pręfectum, qui à Curopalata libro de Officialibus Palatij Constantinopolitani, & Officijs magnę Ecclesię describitur, ὁ σακελλάῤ (nempe ἄρχων) κρατῶν τὰς καθολικὰς ἐκκλησίας, καὶ τὸ σακίλλιον, hoc est *cui ius est in Ecclesias Catholicas, & res Sacellorum*, idest, rerum ad sacras Aedes, & Sacella pertinentium. Secutus est autem communes eo tempore Gręcię errores, cetera doctus. Scripsit De Diuino Altaris Sacrificio. Obseruationē in Visionem Prophetiæ Ezechielis. De Processione S. Spiritus, sed procul à fide Orthodoxa. Sermones diuersos de varijs rebus Theologicis. Preccationem ad Christum. Epistolas aliquot. Quorum Operum pleraque extant in Bibliothecis Vaticana, & Viennensi. Qui autem scripsere ab eo libros prodijsse quinque De Vita in Christo,

non

non sunt assecuti sextum. Sex autem è Græco Latinos nobis dedit erudita Iacobi Pontani nostri industria ex Ingolstadiensibus prelis, quos adiunxit Operi Philippi Solitarij à se versi. Ad eos verò sex libros. Vide notas Iacobi Cretzeri Theologi nostri, qui eundem Cabasilam in reliquis scriptis errantem, ab erroribus purum in his sex de Vita in Christo, conatur ostendere. Quin & Opusculum eius De Vita in Christo, quemadmodum in Deo sit abscondita, idque trium Sacramentorum, vt & virtute potissimum Baptismi, Vnctionis, siue Confirmationis, & Eucharistiæ, è Græco Latinum fecit idem Iacobus Pontanus noster, atque vnà cum Philippi Solitarij Dioptra edidit Ingolstadij ann. 1604. cui & addidit eiusdem Cabasilæ Orationem in fœneratores à se ipso versam, & quidem multò emendatiorem, atque longiorem ex codice Bauarico, quàm quæ Augustæ Vindelicorum superioribus annis prodierat: quam item qui fœneratores legerint, inquit idem Pontanus, quid amplius nefariæ improbitati suæ prætexant, non habebunt.

Ceterum quæ eius Opera sunt in Bibliotheca Vaticana hæc sunt. Libri sex De vita Christiana, quòd ea comparetur beneficio Baptismatis, Confirmationis, & sacræ Communionis. Oratio aduersus fœneratores. Expositio Missæ obseruatio in visionem Prophetiæ Ezechielis, in qua super quattuor animalibus throni similitudo, & super throno species templi egit Sermonibus octoginta, & octo. Liber de Processione Spiritus Sancti. Viennę verò in Bibliotheca Imp. extant partim quędam eiusmodi, partim De filio Dei in Demetrium. Precatio item ad Iesum Christum. Epistolęque aliquot. Atqui in Bibliotheca quoque Bauarica magna pars supradictorum librorum asseruatur. Sed & Latinè antea in lucem prodierunt, ea, quæ pertinent ad Diuinum Altaris sacrificium. Quem librum à Gentiano Herueto Latinè redditum primò Alexander Bruciolus ann. 1545. Venetijs edidit; deinde Typographi in Gallia, & Margarinus Bignæus in Bibliotheca SS.PP. Tom.6.(secundæ nimirum editionis) recuderunt.

Iam verò vt de hoc Auctore quid sentiendum sit, innotescat, sciendum est, quidquid illum Encomijs, siue titulis *sanctissimi*, & *doctissimi* onerent aliqui, quiue hos, etiam apud nostros incautè sunt subsecuti, id gratis fuisse dictum. De Processione enim Spiritus Sancti cæcutijt. Quæ quidem cæcitas illum adegit, vt temerè atque imperitè ausus fuerit de eodem argumento scribere aduersus D. Thomam Aquinatem, Virum, cuius corrigiam calceamenti in rebus Theologicis, ne potuisset quidem (vt ita dicam) soluere. Quamobrem is liber omnino ablegandus est. Idem dicimus de libello, qui in Vaticana Bibliotheca prænotatus est, ἔλεγχος κατὰ λατίνων. In libro autem De Diuino Altaris Sacrificio, id commodo fuit, quòd contra hæreticos nostri temporis Diuini Sacrificij testimonium ab ipsis Latinę Ecclesiæ hostibus inde apparuit. Ac tamen pleraque in eo libro dicta sunt, quæ hominem solidę Theologię imperitum satis arguunt. Quem cum Gentianus, qui eum vertit, voluisset cum catholicis Theologis conciliare, pietatem quidem suam ostendit, verum enimverò etiam eius errores quadantenus indicauit, sed non omnino profligauit. De quibus vide Gentiani Prefationem ad suam versionem: & adeo caue vigesimumnonum, & trigesimum caput eiusdem libri Cabasilę, ex quibus imprudens fortasse quispiam posset facile colligere, aliud sentire Græcos de verbis consecrationis, quàm Latina Ecclesia sentiat.

Nicolavs Cantilepus, Britannus, Carmelita, Theologus, scripsit, In primum Sent. Encomium sui Ordinis, Annalium Epitomen. Additiones Chronicorum. Historiam Cantabrigicam. Viuebat ann. 1441. quo etiam obijt.

Nicolavs Capperonus, Gallus, presbyter, scripsit, ac Rhemis, quę in Cãpania Galliæ Prouincia Ciuitas est, edidit Opuscula quinque Gallicè pręnotata. 1. De dignitate Christiani Hominis. 2. Qui Deo seruit, est Mundo sapienter. 3. De Domino Iesu, & cur in hunc Mundum venerit. 4. De spirituali connubio inter Iesum Christum, & animam Christianam. 5. Neminem sibi esse magis infensum, quàm seipsum. Rhemis apud Nicolaum Barquenonium, ann. 1568.

Nicolavs Ceruus, Prior Cartusiæ, quam propè *Gallonum* ad fines Normanię fundauit Carolus Borbonius Card. Henrici Susonis Opera Gallicè reddidit.

Nicolavs Chesneau dictus, hoc est, *Querculus*, Presbyter, Historiam Metropolitanæ Ecclesiæ Rhemensis Gallicè scripsit. Ex Latino item Gallicum fecit Claudij De Sanctes, qui postea fuit Episcopus Ebroicensis, Tractatum De ratione agendi veterum Principum aduersus hæreticos. Parisijs apud Claudium Fremynum. Viuebat ipse ann. 1580.

Nicolavs Clemengis in Romano Indice prohibitus est, ita vt ipsius Opera illa tantummodo permitti possint, quæ iuxta Censuras Patrum Deputatorum emendata excudentur. Quæ verò à Theologis emendationes indicantur in Nicolao de Clamengijs, quę alium videntur facere à Nicolao Clemengis. Vide in verbo, Margarinus Bignæus versus finem, vbi in Tomo ipsius Octauo agitur.

Nicolavs Clericus, Iuigneus, qui & dictus *Nobilis* è Græca in Gallicam linguã vertit S. Hippolytum martyrem De consummatione sæculi, Deque aduentu Antichristi. Parisijs apud Nicolaum Chesneau, ann. 1566.

Nicolavs de Crutzenach, scripsit Quæstiones Sententiarum libris quattuor. Sermones varios libris duobus. De Conceptione Beatiss. Virginis librum. Vixisse vsque ad annum 1491. fertur, licet Eisingrenius adnotet numerum annorum 1478.

Nicolavs de Cusa, qui & Cusanus (& Cusa vicus est, siue pagus prope Mosellam fluuium in Treuerensi Diœcesi) primo Decanus Sancti Florini Constantiensis, deinceps autem Episcopus Brixinensis, quæ Ciuitas prope Tridentinos fines sita est in tractu Comitatus Tirolensis, denique S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula; qui & Apostolica Legatione functus in Germania fuit, vir, vt scientijs excultus penè omnibus, ita peritia Canonum eximius, ac reliquis vitæ dotibus ornatus, scripsit, quæ an. 1513. Parisijs, & 1514. Norimbergæ, ac Basileæ fuerunt vno in volumine excusa, lib. nimirum:

De visione Dei.	De docta ignorantia.
De reparatione Kalendarij.	De cribratione Alcorani.
De venatione sapientiæ.	De ludo globi mysticè.
De Mathematica perfectione.	Coniecturam De nouissimis diebus.
Aduersus Boemos.	De fortuna.
De Beryllo.	Directorium speculantis.
De dato Patris luminum.	De filiatione Dei.
De quærendo Deo.	Dialogum de Genesi.
De Apice Theoricæ.	Sermones per annum totum.
De quadratura circuli.	Epistolas ad diuersos.

Altero autem in Volumine extant. Dialogus de Deo abscondito. Alter de Annunciatione Dominica. Libri decem excitationum. Epistolæ septem. Correctio Tabularum Alphonsi. De perfectione Mathematica. De Arithmeticæ complementis. De transmutationibus Geometricis. Complementum Theologicum. Addit Tritemius eum scripsisse Trialogum De Possess. (fortassis de Passione) Quattuor item libros Idiotæ De Sapiẽtia. Qui forte ijdem sunt cum ijs, qui de Sapientia.

Ceterum prope Cusam vicum, vbi natus fuit, qui est è conspectu Vrsicastri, domum Hospitalem celebrem ad D. Nicolai, cuius nomen gessit, honorem, sic extruxit, vt & amplis reditibus, & diuitè librorum Gręcorum, Latinorum, & aliorum supellectile ditauerit. Obijt ann. 1464. natus ann. 63. Romæ sepultus, cuius cor missum ad Xenodochium, siue Hospitale illud Cusæ in Germaniam in medio chori fuit humatum sub marmore. Quid autem de quodam loco ipsius Nicolai Cusani in Psal. 30. Sixtus Senensis obseruauit. Vide lib. 5. eius Sanctę Bibl. Adnot. 165.

Nicolavs Diaz, Lusitanus, Ordin. Prædicatorum, scripsit Hispanicè, quod postea Italicè redditum est à Iulio Cæsare Valentino, Carpineti Parocho, & excusum Venetijs apud Io. Baptistam Ciottum, Opus, siue Tractatum de Iudicio vniuersali, & finali, in quo Opere simul agitur De Inferno, De Purgatorio, De Paradiso, De pęnis damnatorum, De Gloria Cęli, De Aduentu Messiæ, ac De Antichristo. preterea Libellum De Rosario Beatiss. Virginis, cuius item Officium redegit in ordinem, & lectiones aliquot Sanctorum, quorum festa celebrantur in Lusitania. Viuebat ann. 1584.

NICOLAVS Dinckespule, Germanus, Rector Gymnasij Viennensis, qui viuebat anno 1470. & ad Constantiense Concilium fuit allegatus, scripsit

In libros quattuor Magistri Sentent.
Librum Quæstionum de iisdem sententijs.
Alterum De donis Spiritus sancti.
Item De Oratione Dominica.
De octo Beatitudinibus.
De decem Præceptis.
De octo vitijs capitalibus.
De septem Peccatis mortalibus.
De Peccatis linguæ.
Sermones De Tempore.
Sermones de Sanctis.
Morales quoque De contractu emptionis, & venditionis circa Auaritiam.
Quæstionem Magistralem De hęresibus, ac veritatibus Catholicis. Quæ extabat m.s. in Biblioth. Imp. Viennæ.

NICOLAVS Dorbellus. Vide in verbo, Nicolaus Orbellus, siue de Orbellis.

NICOLAVS Dorhin, Anglus, è Dunelmensi Diœcesi, quæ vergit ad Septentrionem, qui forsan ille est, quem alij *Dorham*, siue *Durham*, siue *Dormb* cognominarunt, scripsit in quattuor lib. Sent. Determinationes Quæstionum libro vnico. Alterum aduersus Vuiclefi hæreses: Alium prænotatum, *Originalia Doctorum*. Vixit Oxonij ann. 1350.

NICOLAVS Dormh. Vide hic supra, Nicolaus Dothin.

NICOLAVS Eschius, Brabantinus, Sacerdos, vir pius, primò Margaritam Euangelicam in quattuor libros diuisam è Germanica Latinam fecit: quę Coloniæ fuit excusa à Melchiore Nouesiano ann. 1545. Deinde exercitia spiritualia Germanicè emisit, quæ à Laurētio Surio latinè reddita, prodiere Lugduni cum Tauleri exercitijs, Enchiridij forma, anno 1556. apud Honoratum. Anno autem 1569. apud Plantinum, Antuerpiæ.

NICOLAVS Eueratdus Middelburgensis in Valacria Zelandię natus, etsi, quòd sciā, res ad sacra pertinentes, quò collineat hic Apparatus, haud scripsit, quoniam tamen Legalia Topica iuris accuratè, atque eruditè conscripsit, quæ etiam ad Iuris Canonici peritiam, viam sternunt, hic ponitur. Ceterum vide Myræi de Scriptoribus Belgicis Centuriam primam, vbi huius viri genus, & doctos filios, Magistratum item, quem gessit, atque Disciplinam, quam professus est, commemorat. Sanè verò ea Iuris Topica Louanij impressa fuerunt ann. 1516. Centum autem modi Argumentandi ab eodem conscripti, Lugduni apud Rouillium, ann. 1547. Atqui Consiliorum volumen vnum Louanij, anno 1554. Quæ deinceps item Francofurti recusa sunt auctiora. Sed & Dilingę prodijt Corpus Institutionum Iustiniani in nouem materias primò, deinde in Pronunciata certa ab eodem distributum.

NICOLAVS Eymeticus Gerundæ natus, quę Catalonię in Hispania ciuitas, est Ordin. Prædicatorum. Floruit Vrbano V. & Gregorio XI. Pontificibus Maximis, & Petro Quarto Rege Aragonum. Is Theologus, & Sacrarum Legum peritus, generalis Inquisitor creatus anno Domini 1358. Auenionem, vbi tum Apostolica Sedes erat ad Gregorium XI. profectus, de summis rebus, Capellanus (vt ipsemet loquitur) illius constituitur, ab eoque pro varietate negociorum, & caussarum multa sępè obtinuit, Sanctæ officio Inquisitionis administrando necessaria. Scripsit autem de Logicis, ac Physicis rebus: Item in quattuor Euangelia Commentarios: Sermones de Tempore, ac de Sanctis, & nonnulla alia, quæ feruntur m. s. asseruari Gerundæ in Cęnobio D. Dominici. Atqui Aegidius Bellamera testatur ab eodem Eymerico scriptum fuisse Tractatum de Schismate, quo docebat quot schismata varijs temporibus S. R. E. vexauerint, quæ fatetur ingenue idem Bellamera ex eo libro se accepisse. Collegit, & vitam, & miracula B. F. Dalmatij Moner, cuius fuerat alumnus. Ac verò interpretatus Epistolas ad Galatas, & ad Hebræos, cum eam, quæ scripta est ad Romanos exponere cępisset migrauit ex hac vita ann. 1393. At Christianæ Reipublicæ perutilem librum antea scripserat, nimirum *Directorium Inquisitorum*, quo regulas tradit, quibus Inquisitores ad pernoscendas, & euellendas hęreses, seclusa omni personarum acceptione optimè instituantur. (Aegid. Bell. in c. sacris, extra de his quæ vi metus ve causa fiunt.)

Id verò, licet per amanuenses, vt ea ferebant tempora, fuisset, superstite auctore, euulgatum, ac demum ann. 1503. Barcinonæ excusum, omnia tamen exemplaria sic erant locis innumeris deprauata, vt cum Gregorio XIII. Pontifice Max. liber hic Romæ esset

recudendus, Franciſcus Penna Theologus, & vtriuſque Iuris conſultus amplius bis mille loca ſuæ reſtituit integritati,& ſcholijs perdoctis librum ipſum illuſtrauit.

Et quidem cum ann.1578.in Vrbe recuſus eſſet, Gregorius autem XIII. ſuo diplomate cauiſſet,ne quid iſti labori adderetur,aut demeretur, factum eſt, vt perlectus à pluribus (ijs præcipue,qui gregi fidelium inuigilant) occaſionem præberet, vt declarationes nouarum dubitationũ(vt ferè fit in adminiſtrandis Iudicijs)quęrerẽt multi,alij itẽ proponerẽt, quæ ad reddendum magis abſolutum hunc laborem facerent,vtque commentaria vnicuique quæſtioni ſubnecterentur; Id quod reſumpto in manibus Opere factum eſt ab eodem Penna mutatis ſcholijs in vberiores Commentarios, comprobante rem eodem Gregorio XIII. Pontif. Max. Quamobrem demum ann.1587. Romæ prodijt ex officina Populi Romani.

Iam quod ad Eymerici Opus hoc attinet,ſciendum eſt, codicem membraneum in Pluteis interioribus Vaticanæ Bibliothecę repertum,in qua plurima erant eorum temporum, quæ proximè præceſſerant Eymericum, eodem penè ordine, & verborum ſerie concepta quibus Eymericus in Directorio fuerat vſus, vt probabile ſit viſum olim fuiſſe ab Eymerico,eò magis,quòd coniectura non deeſt,cum librum Auenione Romam cum pleriſq; alijs fuiſſe allatum.

Porrò vt conſtet huius libri vtilitas, primum quidem, quid Penna paucis ac prudenter aduerſus eos,qui de eo minus commodè locuti eſſent reſpõderit; deinde qui in toto opere contineatur,mox, & aliquid quod ad communiorem vſum omnium eruditorum ſpectare poſſit legenda eſt omnino eiuſdem Pennæ præfatio ad idem Directorium.

Agitur autem in prima parte de ijs,quæ ex fide ſunt credenda, vt hæreſes innoteſcant; idque ex Summorum Pontificum,Conciliorum,& Canonum, atque Sanctorum Patrum Decretis; additis denique duodecim Quęſtionibus, quibus pleraque explicat ad fidẽ pertinentia ex B. Thoma Aquinate.

In Secũda verò parte de ijs,quibus fides violari queat,propoſitis primo Decretis ac pęnis aduerſus hęreticos, quæ in Iure Canonico ſub tit. de Hęreticis continentur: deinde ex varijs eiuſdem Iuris titulis eodem conſilio affert Decretales: mox Extrauagantes nonnullas,& litteras Apoſtolicas, quibus de hęretica prauitate coercenda diſſeritur. Adduntur denique Iuris interpretum Gloſſemata,quibus eadem de hęreticis decreta declarantur: mox è vetuſto Concilio Tarraconenſi, fragmenta cõmemorantur, quibus agitur de multiplici hęreticorum genere, & vetuſtis pęnis ac pęnitentijs eorundem: inde adduntur Quęſt.58. quibus quid hęreſis, quid hęreticus, quid error ſit, oſtenditur: rurſus vſque ad Quæſt.38. multorum Philoſophorum, & omnium ferè hæreticorum tam veterum, quam recentiorũ ſectæ,nomina, & errores recenſentur: tandem à quęſtione 38.vſque ad finem eiuſdem partis ſecundę,ſingulari methodo de his omnibus ſigillatim agitur, qui Inquiſitorum iuriſdictioni ſubijciuntur, itaque de hęreticis, de blaſphemis, de ſortilegis, de inuocatoribus dęmonum,de apoſtatis, & de ceteris huiuſmodi accuratè agitur.

Tertia parte docetur quid ab Inquiſitoribus inprimis ſit agẽdum,nimirum, quanam ratione proceſſus initium ſit inſtituẽdum,cumque tribus modis (potiſſimum in cauſſis fidei) procedi poſſit, hoc eſt per Accuſationem, Denunciationem, & Inquiſitionem, de ſingulis diſſeritur: deinde quomodo idẽ proceſſus ſit continuandus, cui tractationi tredecim modi ſingulares anne&ctitur,quib.omnis cauſſa hęreſis in ſancto Inquiſitionis Officio abſolui poſſit. Demum Quæſt.131.proponuntur quibus dirimitur omnis ferè difficultas ſpectans vel ad Iudices violatę Religionis,vel ad eorum poteſtatem,& iuriſdictionem ac priuilegia,ſeu pręrogatiuas, vel ad ipſos Miniſtros ſancti Officij, vel ad peritos, & Aduocatos, vel ad teſtes,vel ad reos, vel ad pęnas reorum.

Acceſſere Apoſtolicę litteræ vigintiſeptem Rom. Pontificum pro Officio Sanctę Inquiſitionis ab Innoc. Pont. Max. vſque ad ann.1587. ſcriptæ, quibus continetur quidquid ad res fidei tractandas,& ad dubios articulos diluendos, & ad Inquiſitorum iuriſdictionem attinet. Quarum vſum, & vtilitatem Penna ab oculos poſuit in Epiſtola qua partẽ hanc, ſicuti Directorium ipſum dicauit ſupremis S.R.E. Cardin. Inquiſitoribus.

NICOLAVS Factor. Vide in verbo, Christophorus Morenus.

NICOLAVS Fakinham, Nordouolgus, Anglus, Monachus Ord. D. Francisci, scripsit De Schismatibus Ecclesiæ. De suffragijs viatorum. De Christiana fraternitate. De valore Missæ. De Orationibus. Obijt ann. 1407.

NICOLAVS Farinula, Rothomagensis, Gallus, siue Normannus, Ord. Præd. S.R.E. Cardin. Sermones plurimos scripsit. Eisingr.

NICOLAVS è Finali oppido, propè Mutinam, scripsit librum, quem prænotauit *Monile Christi, & Matris eius*, quinquaginta metrorum varietate distinctum.

NICOLAI Gallerij Patauini, & Canonici eius Ciuitatis Cathedralis, pia diligentia prodijt Ratio explicandorum per vniuersum annum Euangeliorum cum vsu Catechismi à S. Synodo Tridentina ad Parochos scribi iussi. Quam Rationem ab Auctore huius Sacri Apparatus non tam petierat, quàm ob pietatem erga communes Parochos, quibus ea esset in promptu, extorserat: edita est primum quidem Latina apud Birckmanum Coloniæ, an. 1588. At deinceps Italicè versa pro Subalpinis Italiæ, ac pro Diœcesi Taurinensi, mandante Hieronymo Card. Ruuereo. Brixiæ apud Marchettum.

NICOLAVS Gallicus, septimus Prior Generalis Carmelitarũ, scripsit librum, quem *Igneam Sagittam* inscripsit, flebilem deplorans sui Ordinis Statum, quòd Aconensi Orientis Vrbe nobili à Sarracenis expugnata, atque euersa, Monasterium in Carmelo quattuor inde milliaribus situm antiquitus, fuerit ab ijsdem concrematum, monachique interfecti, atque is Ordo ex Oriente ablegatus. Extitisse librum illum apud se elegantissimis characteribus impressum scripsit Petrus Lucius Carmelita. Viuebat ipse Nicolaus ann. 1270. siue (vt habent alij) ann. 1150. Vide Iacobum Philippum Ordin. Diui Augustini. in suo Temporum Fasciculo. Tritemium in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

NICOLAVS Gallus, Suessionensis, monachus (vt putat Arnoldus Vuion) S. Medardi, Congreg. Cluniacensis, scripsit vitam S. Godefridi Episcopi Ambiani. Ea extat apud Surium To. 6. die 8. Nouembris. Viuebat ann. 1210.

NICOLAVS è S. Germano, I.V.D. monachus primum Cassinensis, deinde Abbas Monasterij S. Vincentij propè Vulturnum, ann. 1296. eruditè secundum Iura Canonica, & Ciuilia exposuit Regulam S. Benedicti. Extat in eodem S. Vincentij archiuo m.s.

NICOLAVS Germanus, monachus S. Crucis Viennæ Austriæ, scripsit in laudem Beatiss. Virginis, tres libros prænotatos, *Imago Virginis Mariæ*. Sermones item varios.

NICOLAVS Goroa, siue Torga, Ord. Minorum, scripsit De adoratione Nominis Iesu aduersus Petrum Vigmannum Vratislauiensem.

NICOLAVS de Gorram, quẽ Sixtus Senensis, ac post eum Antonius Senensis *Gorranum* cognominant, Gallus, Ord. Prædicatorum, olim in eodem Regno Prouincialis, Philippo autem Francorum Regi à sacris confessionibus, scripsit In Pentateuchum. In Psalterium. In Canticum Canticorum. In Ecclesiasten. In Ecclesiasticum. In Ieremiam. Sed Antonius Senensis addit eum scripsisse item in Esaiam. In quattuor Euangelistas. In omnes D. Pauli Epistolas. In Apocalypsim, & in Epistolas Canonicas. Quin etiam scripsit Commentarios in quattuor libros Sètent. Distinctiones rerum Theologicarum. Sermones varios, & Themata. Viuebat ann. 1304. Antonio Senensi. Sed Eisingrenio ann. 1390. alijs 1400.

NICOLAVS à Grana, Brixianus, anno 1603. Venetijs edidit explicationem Casuum Conscientiæ.

NICOLAVS Granarius. Vide infra in verbo, Nicolaus Grenerius.

NICOLAVS Grandis, Parisiensis, Gallus, Ord. Minorum, Theologus, scripsit Commentarios ad Epistolas D. Pauli ad Romanos, & ad Hebræos, ad Fräciscum Valesium Galliæ Regem, ann. 1546. Parisijs excusos.

NICOLAVS Grassellus, Ord. Minorum, emisit, vt ille vocat, Breuem, & compendiosum Tractatum De gradibus affinitatis, & consanguinitatis.

NICOLAVS Grenerius (siue *Granerius*) Gallus, Theologus, Gallicè scripsit Harmoniam Fidei Catholicæ. Quæ Parisijs impressa est ann. 1565. apud Claudium Fremy.

Gladium autem Fidei ann. 1564. ibidem ediderat, cum quem alium librum in duos Tomos distributum prænotauerat *Clypeum fidei*, ann. 1567. ibidem euulgauit, licet item anno 1565. emisisset. sed auctior fuit posterior, quem Marnefius, Stephanus Groleus, Claudius Fremy, & Cauelatus excuderunt ann. 1566. & 1567. At & edidit librum De Institutione Sanctissimæ Eucharistiæ. De Affinitate. De Iustificatione, & sancto Confessionis Sacramento. De Fundamento fidei. De Praxi Christiani hominis. De Sanctorum Inuocatione. Meditationes. Quæ omnia iisdem annis prodierunt.

NICOLAVS Grudius, Louaniensis I. C. à Hieronymo Vida Episcopo commendatus est. Eius Grudij extant piorum Poematum libri duo, videlicet ad Orationem Dominicam meditationes Heroica periphrasi fusè tractatę. Eiusdem Orationis paraphrasis, versibus Iambicis. Ad septem Psalmos pœnitentiales prosodiæ heroicæ totidem. Exhomologesis Iambicè vna. Hymnus vnus heroicus D. Virgini Matri dictus ann. 1533. in Monte Serrato, qui est in Gothalania, siue Catalonia Hispaniæ, Epigrammata quędam varij generis, quæ pietatem spirant. Epistola Heroica ad Marcum Hieronymum Vidam Albæ Episcopum. Duæ item aliæ Epistolæ eiusdem Grudij ad ipsum Vidam, Antuerpię apud Gul. Syluium, ann. 1566. Scripsit quoque Carmen Sepulchrale in funus Margaritę Austrię. Obijt Venetijs ann. 1571.

NICOLAVS de Harcilech, Friburgensis, Germanus, Ord. Prædicatorum, scripsit Cōmentarium ad Epistolam Iudæ Apostoli. Et Tractatum de Abusionibus Claustri. Viuebat ann. 1355.

NICOLAVS Harpesfeldus, Anglus, Sacerdos, vinctus in Anglia, scripsit pro fide Catholica sex libros Dialogorum, quæ latinè edidit popularis eius Alanus Copus.

NICOLAVS Herbonius, quem alij *Herbora* vocant, Gallus, Ordinis Minorum, & eiusdem in Gallia Commissarius Generalis librum mole exiguum, eruditione grandem emisit, quem prænotauit *Paradoxa, seu Theologicæ Assertiones, Diuinis eloquijs aduersus neotericos hæreticos roborata*. Parisijs apud Hieronymum Gormontium ann. 1534.

Porrò capita sunt hæc.

Scriptura sacra neque à quibuslibet tractanda, nec passim legenda.

Episcoporum præcipuum munus esse, vt sacras discant, ac prędicent litteras.

Sacræ litterę à nullo melius, ac rectius intelliguntur, quàm ab eo, qui in Ecclesia communem sensum probatissimorum Doctorum sequuntur.

Carnis nomine, & littera Scripturæ sæpiusculè, & vitia quęque significantur.

Libertas Euangelij non carnem, sed spiritum spectet necesse est.

Constitutiones Ecclesiæ nullæ libertatem Euangelij euertunt, neque in hoc ipsum, neque in Paulum peccant.

Quisquis à rerum omnium opifice Deo exilierit, idem exilijsse ab Ecclesia conuincitur; atque è contrario, qui ab Ecclesia, itidem & à Deo corruisse, necesse est.

Doctrina Christi Domini, Apostolorum item, & Ecclesiæ quoque Placita, satis nobis ad bene, beateque viuendum iter commonstrant.

Iudicium, quod Sacrorum voluminum lectio exigit, non carnis sed spiritus est donum.

Non ex æquo mulieribus, atque viris De Euangelio disserendum, etiā si ab Euangelio mulieres porrò non sint arcendæ.

Arcendi sunt à sacris litteris viri iuxta, ac fęminæ, si ijs in Ecclesiæ destructionem abutantur.

Non est eadem ratio sacros, atque profanos Auctores versare.

Expedit Reipublicæ Euangelium Christi syncerius, atque castius tum in Scholis, tum è suggesto doceri.

Græcæ perinde, atque Hebraicę litterę etsi iter ad Sacras litteras discendas expediunt, difficilè tamen fuerit ipsos fontes vetustos effodere, ac reperire.

Scripsit item Latinè Quadragesimale, quod Germanicè cōcionatus fuerat Coloniæ Agrippinæ, idque apud Michaelem Hillemium fuit excusum, ann. 1533. Antuerpiæ.

In Psalmum 78. De tribus item Votis, ac De obedientia Religiosorum.

Opus inscriptum *Monas Sacrosancta Euangelicæ Doctrinæ*. Quo absterſæ ſunt Franciſci Lamberti Apoſtatæ aſpergines, quibus immaculatam Chriſti Domini ſponſam impudentiſſimè fœdare conatus eſt. Methodum concionandi. Epiſtolam ad Minoritas. Monotesſaron Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Apologiam optimã. Emendationẽ Veteris vitæ. Locos cõmunes aduerſus hæreſes. De Notis veræ, atque adulterinæ Eccleſiæ.

NICOLAVS Horius Rhemenſis, Gallus, Opera duo conſcripſit, Quorum alterum ſoluta Oratione quindecim libros complectitur. 1. De Beatiſs Virginis Aſſumptione. 2. De Chriſti Domini Aſcenſione. 3. De Beatiſs. Virgine. 4. De Natiuitate Chriſti. 5. De Cruce Chriſti. 6. Congratulatorium ad Chriſtum. 7. Petitionum. 8. Diuę Barbaræ vitam. 9. Contemplationẽ Paſſionis Chriſti Domini. 10. Exhortationũ. 11. Inuectiuarum. 12. Hiſtoriam cuiuſdam Mariæ. 13. Lamentationum. 14. Epiſtolarum. 15. Obiurgatorem. Alterum vero Opus ligato ſermone, hoc eſt metricum Poemata continet in ſeptem partita libros. 1. Orationum. 2. Paſſionis D. Ieſu Chriſti. 3. Allocutionum. 4. Epigrammatum. Quæ omnia carmine ſunt conſcripta Elegiaco. 5. Trium Dominarum carmine Hroico. 6. Odarum. 7. Canticorum carmine Sapphico.

NICOLAVS Iannettus Brixius, è Congregatione S. Saluatoris, edidit explicationem eorum, quæ ſpectãt ad pœnitentes, atque ad Confeſſarios. Theſaurum trium Virtutum Theologicarum. In quinque Voces Porphirij. In decem Prædicamenta Ariſt. & in huius librum de Interpretatione.

NICOLAVS Kenton, Anglus, & Carmelita, ſcripſit Orationes 12. ad Fratres. Librũ ad Epiſcopum Oxonienſem. In Orationem Dominicam. Sermones 48. in Euangelia. In Canticum Canticorum. Hiſtoriam Eliſęi Prophetæ. Vitã S. Cyrilli Gręci. Librum De Pœnitentibus ſuſcipiendis. Mortuum eſſe Londini tertio nonas Auguſti, ann. 1468. ſcribit Eiſingrenius: at alij obijſſe ſcribunt ann. 1486. errore forſan in numerum illapſo.

NICOLAVS Lockman, Germanus, Ord. Minorum, ſcripſit in libros quattuor Sententiarum. Librum Quæſtionum variarum. Sermones De Tempore. Alios De Sanctis. Viuebat ann. 1440.

NICOLAVS Lagius, è Lugano, Parochus Templi S. Michaelis ad Gallũ Mediolani ſcripſit Italicè Miracula Sanctiſſimi Sacramẽti, Opere eximio, & ſat vbere. Venetijs apud Franciſcum Franciſcium ann. 1598.

NICOLAVS Laurentius, Montis Politiani, Phyſicus, Poemation pium, & elegans lingua Etruſca emiſit, prænotatum, *Peccator contritus*. Venetijs apud Philippum Iuntam ann. 1591.

NICOLAI Leonici, Thomęi, ſequẽtes Dialogi pdierũt Lugduni à Seb. Gryph. an. 1532.

Trophonius, ſiue de diuinatione.	Seuerinus, ſiue de Relatiuorum natura.
Bembus, ſiue de Animorum immortalitate.	Sadoletus, ſiue de precibus.
Aluerotus, ſiue de tribus Animorũ vehiculis.	Phębus, ſiue de Aetatum moribus.
Peripateticus, ſiue de Nominum inuẽtione.	Bonominus, ſiue de Alica.
Sannutus, ſiue de compeſcendo luctu.	Sannutus, ſiue de Ludo talario.

NICOLAVS Lyranus, è Lyra, vico Normanniæ, ante ducentos annos ad Chriſtum Dominum è Iudaiſmo conuerſus, Poſtillas in vniuerſa Biblia ſcripſit, Vir perdoctus, quorum autographum ex conuentũ, ſiue Cœnobio Vernolienſi prouinciæ Normanniæ, in quo D. Franciſci Ordinem profeſſus eſt, Franciſcus Feuardentius, Ioannes Dadręus, & Iacobus de Cuilly diligenter contulere cum reliquis, & omnia ordine & accuratè diſpoſita enulgarunt ann. 1590. Lugduni, vt planius in Verbo, Gloſſa, reperies. Iam verò ſcripſit.

De Corpore Chriſti lib. 1.	Item de Quæſtionibus veteris & noui Teſtamenti.
Sermones de Sanctis lib. 1.	
Sermones de Tempore lib. 1.	Plura Quodlibeta.
Contra Iudæos lib. 1.	Tractatum De viſione Diuinę eſſentiæ.
In quattuor lib. Sent. egregiè autẽ in tertium.	Præceptorum Decalogi Expoſitionem.

Tractatum de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente ſanctiſsimum Sacramentum Altaris, excuſum in Germania, cum D. Thomæ Aquinatis libello de eodem.

Quæ-

Quæstiones aliquot improbantes Iudaicam perfidiam. Libellum contra quendam Iudæum impugnantem Christum, & eius Doctrinam ex verbis Euangelij secundum Matthæum, Eius autem Postillæ, Commentarij, & Moralitates in Prophetas m.s. extabant in folio, & in quarto in Bibliotheca Imperatoris Viennæ Austriæ. Claruit Ioanne 22. Pontifice Max. ann. 1320. Obijt in magno Parisiensi Minorum Collegio, ann. 1349. die 14. Octobris.

NICOLAVS Maillytus ann. 1541. Parisijs apud Galeotū à Prato, scripsit atque emisit librum Gallicè, prænotatum Diuina cognitio è Diuinis litteris deprompta. Diuinaque Cantica suspirantis animæ, cum Expositione Dominicæ Orationis.

NICOLAVS Malerbius (quem alij Manerbium) Venetus, Ordinis Camaldulensis, Abbas S. Michaelis de Lemo, deinceps autem S. Matthię de Murano, vt vocant, (& Muranum Insula, siue oppidum insigne est Venetijs (vt alibi diximus) proximum scripsit De secundo Aduentu Domini, Vitas autem Sanctorum tum è Latino in Italicam linguam cōuersas, tum abs se conscriptas collegit, quæ prodiere Venetijs ann. 1525. cum tamen ille vixisset ann. 1574. vt inquit Franciscus Sansouinus. Addit autem Arnoldus Vion ab eodem Malerbio scriptum fuisse Tractatum egregium ad Dominicam Orationem, sed nescire se, num in lucem prodierit.

NICOLAVS Marianus, Mantuanus, Ord. Præd. scripsit Tractatum De Quarta, Viuebat ann. 1312. Albert. Ven. & Ant. de Conceptione, dictus Senensis.

NICOLAVS Maurocenus, Venetus, Eremita S. Petri Montis Anconę, emisit librum De Vita Spirituali, & alterū De cōmendatione Cellę, ac vitę solitarię. Viuebat ann. 1538.

NICOLAVS è S. Martino, quod Oppidum in Ditione Mantuana, diœcesi verò Cremonensi est situm, Ord. Præd. scripsit Sermones complures. Viuebat & ipse ann. 1312. quemadmodum ijdem testantur, quos de Nicolao Mariano attigi.

NICOLAVS Methonensis Episcopus, scripsit breuissimum Tractatum ad eos, qui hęsitant in fide Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ. Extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum, Margarini Bignæi. At cum eiusdem in Vaticana Bibliotheca extet Tractatus De Processione Spiritussancti à solo Patre, legendus est circumspectè, nimirum vt ab errore veritas secernatur: cum schismatici, qualis ille fuit, haud syncerè soleant scribere.

NICOLAVS Michaelis, Bonaiuti filius, Florentinus, librum Latinè, ac metricè scriptum, & in decem libros distributum reliquit. Quo de cęlesti beatorum gloria, & de æterna felicitate agit. Opus autem hoc inscripsit *Cælestis Hierusalem*: Quod incipit. *O Pater omnipotens, qui Sydera vertis.* extat in Bibl. S. Crucis Florentiæ. Alterum quoque compo suit librum prænotatum *Figura Sancti Sepulchri.* cuius initium. *Si mea corda forent regum feruore.* Michael Pocciantius Ordinis Seruorum in Catalogo Scriptorum Florentinorū.

NICOLAVS monachus S. Crucis in Austria, Ordinis Cisterciensis, Opus haud exiguum scripsit De laudibus Beatisimę Virginis tribus libris distinctum. Sermones item De Tēpore, ac De Sanctis. Viuebat, dum haberetur Constantiense Concilium. ann. 1420.

NICOLAI Mongeorgij. I. V. D. Codex de Mosaico & vetere iure enucleando. Boloniæ ann. 1574.

NICOLAVS è Monte, Gallus, & Academiæ Pariensis librorum Corrector, Regulam tertij Ordinis S. Francisci scripsit, quæ edita est Parisijs apud Nicolaum Chesneau.

NICOLAVS Mutius, Venetus, Ord. Minorum, edidit Opus per materias, siue locos dispositum in Opera S. Gregorij Magni. Viuebat ann. 1238.

NICOLAVS Muzanus, Archiepiscopus Cypri, Catenæ partem primam confecit in Isaiam ex Chrysostomo, Cyrillo, Basilio, Eusebio, & alijs. extat m.s. in Bibl. Bauarica.

NICOLAVS Mylonius, Germanus, Theologus, & Sacerdos, qui cum Alumnus in Collegio Germanico Pontificis fuisset, adductus est cum alijs ab Antonio Posseuino Auctore huius Apparatus, in Sueciam, & Gothiam ad excolendas illas Regiones, optimam quidem operam, plures annos, Gedani, vbi adhuc hodieque Vicarium in spiritualibus agit Vladislauiensis Episcopi, fertur in Catalogis, qui circumferuntur, Auctor eius libri, qui inscriptus est, *Responsiones ad Viri cuiusdam Septentrionalis Interrogationes. Qui de salutis*

æterna

aterna comparanda ratione, ac de vera Ecclesia cupiebat institui. Qui liber editus est Ingolstadij anno 1582. Veruntamen is ipse liber non tamquam eo Nicolao Mylonio Auctore, sed eius Opera fuisse emissus in lucem dictus est, quoniam negocium illud, de quo, Gregorij Decimitertij Pontificis Maximi nomine cum Ioanne Tertio, Suetiæ Rege Antonius Posseuinus agebat, nondum expediebat, vt tunc ab omnibus sciretur; expediebat autem vt aduersus hæreticos, qui oblatrabant, illud scriptum prodiret. Quod postea sui Auctoris nomine, hoc est mei, prodijt tam separatim, quàm Selectæ nostræ Bibliothecæ insertum. Vbi nimirum Serenifs. ille Rex eiuratis hęresibus, Catholicam Religionem est amplexus, relinquens Filium Poloniæ Regem, qui & ipse non solum catholicus, sed etiam catholicæ est Ecclesiæ columen.

NICOLAVS Myrensis Episcopus, vir Sanctissimus is est, qui Nicęnæ Synodo interfuit, variaque miracula patrans in tabulas Ecclesiæ dudum relatus, habetur meritò in summa veneratione. Cuius vita, & administratio extat m.s. Gręcè in Vaticana Bibliotheca, pręter illa, quæ leguntur apud Surium, & alios posteriores Scriptores Sanctorum. De quibus in Verbo, Sancti.

NICOLAVS de Nyse, Gallus, Minorita Theologus verè perspicuus, & insignis, cū Prouincialē egisset Prouinciæ Ord. sui in Gallia, nimirū vbi antea fuit cęnobij Rothomagensis Custos, quem vocant Guardianum, pleraque scripsit, quæ qui attentius versauerit, spero, Lectorem non pęnitebit. Ea verò sunt. Commentarij in quattuor libros Sententiarum, qui prænotati sunt, *Resolutio Theologorum*, quique Rothomagi primò, deinceps & Venetijs apud hęredes Melchioris Sessæ anno 1568. & apud Dominicum Farrum, ann. 1574. fuerunt excusi. Alterum item Opus egregium, inscriptum, *Summa, siue Gemma Prædicantium*, in quo plures eiusdem extant sermones. Id verò prodijt Basileæ ann. 1508. deniqueBrixię apud Thomam Bozzolam ann. 1585. Speculum quodque Moralium De quattuor Nouissimis. Aestiuales præterea vt nominant, & Hyemales Sermones. Sanè verò eiusdem Sermones de Aduentu duplices, ac De Quadragesima Rothomagi emissi sunt in lucem apud Martinum Morinum, an. 1508. Sermones autem De Tempore à Dom. secunda post Pascha vsque ad Aduentum, Parisijs apud Franciscum Regnault.

NICOLAVS Oddus, Patauinus, Monachus, Ord. Oliuetani, qui nostra vixit ætate, cū ab Arnoldo Vione feratur aliqua scripsisse, quæ nondum fuerint euulgata, quorum tamen inscriptiones haud attulit, edidit tantum, quòd sciam, Aetnę Typographiam Antonij Philothei de Homodeis, Siculi. Venetijs apud Andream Muschium ann. 1590. Carolum quoque Billeum Siculum Franciscani Ordinis De Natura secundarum intentionū, ad Sixt. V. Pont. Max. qui ibidem, hoc est Venetijs prodijt ann. 1589.

NICOLAVS Ockam, Franciscanus, scripsit Commentarios in libros quattuor Sent. Petri Lombardi. Quodlibeta Sophistica vnico libro. Opus de Verbo, Astrologi iudicium. De latitudine oppositorum. Viuebat ann. 1320.

NICOLAVS Olaus, Archiepiscopus Strigoniensis explicauit Catholicæ Religionis præcipua quędam capita De Sacramento, Fide, & Operibus. Viennæ Austrię ann. 1565.

NICOLAVS Orbellus, siue *de Orbellis*, Gallus, Andegauensis, Ordin. Minorum, Prouinciæ Turonensis, scripsit in Quattuor libros Magist. Sententiarum, qui Parisijs excusus apud Ioannem paruum. Librum item De casibus conscientiæ. pręter illa, quæ edidit Cōmentaria in libros Aristotelis, Physicorum, De Cęlo, & Mundo. De Generatione, & corruptione. Meteororum. Ethicorum. Metaphysices. Porrò eius liber De scientia mathematica, & commentarij in Aristotelis Ethica, cum alijs eius Operibus euulgati sunt Basileæ ann. 1503. Quin & antea scripserat libros septem in Summulas Petri Hispani.

Ceterum placet hic testimonium inserere Bosij, vbi agit lib. 6. De signis Ecclesię sic scribentis, *De his nostris, De Orbellio, Nicolao Nycæno, & Stephano Brullifero, si linguarum, historiarumque cognitio fuisset, illos ego non in Terra natos, sed cœlo lapsos dicerem*. Viuebat Callisto III. Pont. Max. ann. 1455.

NICOLAVS Orem, siue *Oresmius*, scripsit Tractatum De communicatione Idiomatum. De dici de omni in Diuinis. Aduersus item Astrologiam iudiciariam, cuius libri memi-

meminit Ioannes Picus, quemadmodum fecit alterius ab eodem conscripti, De prositionibus propositionum.

Nicolavs Osmontius, Poeta Gallus, Regales aliquas Conciones in honorem Beatissimæ Virginis edidit.

Nicolavs Paccius, Episcopus Kiouiensis in Lituania, Confessionem Orthodoxæ fidei scripsit De vna, eademque Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti Diuinitate, ac tribus personis, tam è Diuina scriptura, quam è priscis Patribus. Ea prodijt Regiomõti in Prussia ann. 1566.

Nicolavs Papa, siue Pontifex huius nominis primus, Romę natus, ex Theodoro Patre, ac cognomento Magnus, sanctitate, atque animi fortitudine pręstans, scripsit Decretales Epistolas, quas Gratianus collegit. Extat insignis eius Epistola ad Michaelē Imp. Constantinopolitanum. In qua, pręter alia, ipsum Imperatorem amandat ad Epistolam Adriani huius nominis primi Pont. Max. *Si tamen* (inquit) *non falsata more Græcorum, sed sicut à Sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam Constantinopolitanam adhuc conseruatur.* Nimirū Gręci, sicut liquet in Synodo septima, ea, quę ipse Pontifex in Epistola ad Photium ex Epistola Adriani ad Tharasium affert, detraxerunt, quoniam contra honorem, ac dignitatem Tharasij faciebat. Sic item Gręci corruperunt, Tertiam, Quartam, Quintam, Sextam, & Septimam Synodos. Porrò & in eadem ad Michaelem Epistola Pontifex meminit Iustiniani Imp. qui à Ioanne VII. Pont. Max. Canonum Sextæ Synodi confirmationē postulauit. Iam verò Volumen eius Epistolarum ad diuersos excusum olim fuit Lipsiæ in Germania; Romę vero ann. 1542. apud Franciscum Priscianensem. Et Sigebertus ipse in Catalogo Scriptorum inquit. *Nicolaus Papa Epistolas Apostolicæ auctoritatis ad diuersos à se scriptas in vnum volumen redegit.* Obijt ann. 867. Indictione prima, Idibus Nouembris, sepultus ad Sancti Petri, Repub. Christiana optimè gesta. Quem pręter alios Platinā fuisse scribit tātę venerationis, & maiestatis, tantę eloquētiæ, ac doctrinæ, vt ab omnibus tanquam numen coleretur. Quin & subdit verba hęc *Nicolaus in omni genere virtutis vnici viri exemplar septimo Pontificatus sui anno, mense nono, die decimo tertio moritur, & ante fores Basilicæ Beati Petri ex testamento sepelitur, cum antea ad Pontificatum inuitus promotus fuisset.*

Nicolavs Papa huius nominis secundus, Allobrox, Gerardus Burgundio antea dictus, abrogato Benedicto haud legitimè creato, Pontifex Maximus Senis renunciatus ann. 1059. ex Episcopo Florentino. duo Concilia habuit, alterum Sutrij, alterum in quo Benedictus abdicatus Pontificio munere, atque habitu, Velitras est in exilium missus. Alterum Romæ in Laterano. Quo in Concilio duo præter alia confecta sunt. Primò Decretum hoc. *Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, militarive tumultu, sine concordi, & Canonica electione Cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus, idest à ratione deficiens meritò vocetur: liceatq́ Cardinalibus, Clericis, & Laicis Deū colentibus illum, vt pradonem anathematizare, & quouis humano auxilio à Sede Apostolica propellere: atque quouis in loco, si in vrbe non licet, catholicos huius rei caussa congregare.* Secundò reuocatus est ab errore suo Berengarius Diaconus Andegauensis, qui publicè confessus est verum Christi Corpus, integrumque sanguinem in Eucharistia esse. Quę certè tota laus fuit (vt Lanfrancus scribit ea tempestate doctissimus) Nicolai Pont. Max. de quo loquimur. Obijt Florentię pridię Kal. Iulij, ann. 1061. ibique sepultus.

Nicolavs Papa huius nominis Tertius, Romanus, Vrsinę familię nobilissimæ, vocatus antea Ioannes Caietanus, Viterbij Summus Pontifex creatus 7. Kal. Ianuarij, ingentis animi Vir, atque consilij, adeo verò moribus, & vita integer, vt vulgo *compositus* diceretur. *Amator* (vt inquit Platina) *& cultor doctorum virorum, & eorum maximè, qui doctrinam cum prudentia & religione coniunctam haberent.* plura reliquit spectantia ad Cleri, populique Christiani disciplinam, quemadmodum in eius Epistolis Decretalibus cōstat. Obijt Suriani 11. Kal. Septembris ann. 1280. Romæ sepultus ad S. Petri in Sacello tituli B. Nicolai à se condito in ea Basilica, tumulo marmoreo, & vermiculato opere exornato.

Nicolavs Papa huius nominis Quartus, Hieronymus antea vocatus, Picens, Patria

Patria nimirum Asculanus, Ordin. Minorum, primò Generalis, deinceps S. R. E. Cardinalis tit. S. Sabinæ, Pontifex Maximus creatus, folicitudine, ac Regum pacificatione, ne Terra Sancta ad Sarracenos rediret, creatione item insignium Cardinalium, celebris obijt Romæ pridie nonas Aprilis ann. 1292. sepultus ad S. Mariæ Maioris: sed antequam Pon tif. Max. crearetur, scripserat in quattuor libros Mag. Sentẽtiarum, & Sermones quosdam. Quin etiam fertur in plures Bibliorum libros edidisse Commentarios vtiles.

NICOLAVS Papa huius nominis Quintus, antea vocatus, Thomas Lucanus, Sarzanus è Sarzana, siue Sergiona oppido Lunensis Agri, Bartholomęi F. ex Cardin. tit. S. Susannæ, Pontifex Max. anno 1447. pridie nonas Martias, renunciatus, licet inuitus, Pontificatum gessit virtute, doctrina, & liberalitate illustrem. Sed & Pontificiam Bibliothecam mirificè auxit, sacris pręcipuè libris, qui hodieque m.s. extant auro, & argento redimiti. Vir sanè doctissimus, & iustitiæ amator, cuius Epitaphium in S. Petri Basilica cum duodecim versibus laudes complectatur, liceat hic in Dei gloriam inserere, vt obstruantur ora malignantium, sic verò habet:

Hic sita sunt Quinti Nicolai Antistitis ossa,
Aurea qui dederat sæcula Roma tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse Viros.
Abstulit errorem, quo Schisma infecerat Vrbem:
Restituit mores, mœnia, templa, domos.
Tum Bernardino statuit sua Sacra Senensi,
Sancta Iubilæi tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, & Coniugis aureo:
Res Italas icto fœdere composuit.
Attica Romanæ complura Volumina linguæ
Prodidit, en tumulo fundite thura sacro.

Extant illius pleraque in litteris Decretalibus. Et in Bibliotheca Imper. Viennæ Epistola ipsius ad Constantinopolitanum vltimum Regem è Latino in Grçcum sermonem versa à Theodoro Gaza. Obijt Pontificatus sui anno octauo, Kalendis Aprilis, anno 1455. sepultus ad S. Petrum.

NICOLAVS Perrenottus à Granuella, Caroli V. Imp. locum (vt vocant) tenẽs, Orationem habuit in Vormatiensi colloquio, quæ Basileæ edita. sed legenda, cui nõ sint ab hęreticis vel pręfixa pręfatio, vel admixtæ maculæ.

NICOLAVS Piccolhomineus, Quęstiones edidit in vtroque Iure. Senis ann. 1515.

NICOLAVS Pimenta, Hispanus, Theologus Societatis Iesu, Visitator autem pro ipsa, in Tractu Indicio Orientali, scripsit ad Claudium Aquauiuam Præpositum eiusdem Societatis Generalem, litteras De Statu Christianitatis in Orientali India Kal. Decemb. ann. 1600. Quæ Venetijs, & alibi excusę Italicè, demum in Latinum versæ prodierunt Moguntię apud Albinum ann. 1600.

NICOLAVS de Ploue edidit Tractatum Sacerdotalem, qui cum Confessionali Diui Thomę Aquinatis prodijt Lugduni apud Gulielmum Rouillium, ann. 1565.

NICOLAVS Plouius, Posnaniensis, quæ Ciuitas est in Polonia maiore, scripsit quę in Tractatibus Iuris, Venetijs excusis habentur.

De Excommunicationibus. Tom. 14. fol. 365.
De Horis Canonicis. Tom. 15. pagina 2. fol. 564.
De Interdicto Ecclesiastico. Tom. 14. fol. 333.
De Irregularitate. Tom. 14. fol. 400.
De Sacramentis, & eorum administratione. To. 14. fol. 77.
De Sacrificio Missę. Tom. 14. fol. 91. Sed & hæc Argentorati fuerant impressa ann. 1493.
Viuebat ann. 1434.

NICOLAVS è Prato Etruscus, Ordin. Pędicatorum, S. R. E. Cardinalis, scripsit De Paradiso. Viuebat ann. 1303.

Ni-

Nicolavs Pontius,(Anglus,ni fallor) Theologus Scholasticus,scripsit contra Videfistas. Determinationes item Scholasticas. Viuebat ann.1410.

Nicolavs Radclif, Anglus, apud Templum D. Albani Archidiaconus, scripsit De sanctissima Eucharistia per modum Dialogi: qui vehementer pupugit Vicleffum hæreticum. Isque liber prænotatus est, *Viaticum salutare.* Quæstiones item. Viuebat ann.1380.

Nicolavs Remigius, à consilijs Serenis. Lotaringiæ Ducis, & in eius ditione publicus cognitor, Dæmonolatreiæ, libros tres edidit Coloniæ Agrippinæ ann.1596. apud Hennicum à Falckenburg. Is autem Remigius Opus hoc confecit ex iudicijs capitalibus nongentorum plus minus hominum, qui sortilegij crimen intra annos quindecim in Lotaringia capite luerunt. Stylus, & dictio elegans, iudicium acre, Vsus rerum, & pietas commendant hunc laborem, cum & Dæmonum astus inde cernatur, qui opinionem erga se aliquam Diuinitatis ingenerare conantur: damna verò innumera ijs, qui se Dæmonibus mancipant. Agit autē primò, quibus illecebris homines primò trahantur à Dæmonibus, mox quibus hi dolis captos adhibeant ad omnia nefanda, atque crudelia, exempla verò, & nomina eorum, quos improbi illi spiritus fascinarunt, ac tempus enarrat. Id vero in eo Opere considerandum esse existimo, non cogitasse Auctorem aliquā Apollonio Thyanæo auctoritatem cōciliare voluisse, dum, quod de ipso Philostratus narrat, scribit. *Is* (inquit Philostratus de Apollonio) *cum Corintho Cenchræas proficisceretur obuiam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ lepidæ, ac, vt videbatur, prædiuitis; quæ diceret se illius amore correptam, inuitaretq́ familiariter, vt vellet in suam domū diuertere. Ille igitur vicissim eius amore captus sæpe concubuit, ac iam de ineundo matrimonio cogitabat; habebat enim ipsa domum regio ornatu apparatam. Sed Apollonius cum in ea domo singula considerasset, exclamauit lamiam esse, quæ propediem esset adolescentem ad extremum vel deuoratura, vel insigni aliquo damno, atque iniuria, affectura.* Hæc Philostratus. At certum est, Apollonium Thyanæum fuisse magum, qui si quid dixerit de Dæmonibus, id ipsos Dæmones permisisse, vt eius existimationem adderet, quā aduersus Christum Dominum populos deciperet. Id quod in Apparatu ad historias nostro planius disseruimus, vbi de Philostrati perniciosa historia, siue potius mendacijs locuti monstrauimus, quæ Eusebius Cæsariensis contra Hieroclem de Apollonio scripsit. Ceterum cum Nicolaus Remigius in ijs, quos diximus, libris, ethnicorum historiographorum, Bodini item, qui librum iam ab Ecclesia prohibitū emiserat de Dæmonomania, Hermiam item discipulum Pauli, ex libro, qui dicitur Ecclesia, visione tertia, & alios citet, non dubito, quin doctus ille vir voluerit istis tantum dumtaxat fidem haberi, quanta vel apocryphis, vel eorum scriptis habenda sit, qui licet non sint grauissimi testes, aliquatenus tamen, vel è publico rumore, videntur astruere veritatem: nam & ipse legerat Eusebium cōtra Hieroclem, & pleraque omnia affert, quæ Dæmones gentilibus illudentes ijsdem artibus eos dementabant, quibus hodieque fœmineum præcipuè sexum, & rusticos, siue alios simpliciores decipiunt. Vide verò, quæ præter alios scripsit Hieronymus Mengus libro, quem inscripsit *flagellum Dæmonum*, de quo, suo loco: ac præsertim Delrium nostrum in editione Moguntina Disquisitionum suarum Magicarum.

Lib.1.cap.1.

Lib 1.cap.21.

Lib.1.cap 26. versus quasi finem.

Nicolavs Rictonis ab Eisingrenio scribitur fuisse Gallus, & Patria Tolosanus, ac Ordinis Carmelitani Theologus, reliquisse autem librum De vnitate Ecclesiæ, ac schismate vitando, Quin & sermones quosdam. Vixisse item ann.1356. At dubitarem, quin esset Nicolaus Ritzonis, nisi hic Gallus, ille secundus fuisse disertè diceretur. Vide infra in verbo, Nicolaus Ritzonis. Ceterum puto hunc sine dubio fuisse Anglum, neque Rictonis cognomento, sed *Riston*. Viuebat ann.1410.

Nicolavs Richardus Pictauiensis, Gallus, scripsit de Indulgentijs, & De Purgatorio. Vixit ann.1482. Eisingren.

Nicolavs Riston, Vide in verbo, Nicolaus Ritzonis.

Nicolavs Ritzonis Siculus, & Carmelita, Cœnobij Catanensis, (& Catena Ciuitas est in Sicilia) deinde Prouincialis eius Insulæ, Theologus Gymnasij Bononiensis, scripsit Sermones De Tempore. De Sanctis. Duo Quadragesimalia.

Nicolavs Rochani, Ord. D. Francisci, scripsit De Concilijs Generalibus Sermones. Franc. Gonz. Mantuæ Episc.

Nicolavs Rotarius, Burgundus, Ord. Carmelitarum, & Bisuntini Cœnobij frater, laborauit in recognoscendis Operibus Thomæ Valdensis, soluto, & ligato Sermone præstans, cuius nitidum Epigramma eiusdem Thomæ Operibus præfixum est.

Nicolavs Saguntinus Latinè, ac Græcè callens, sed & vir acri ingenio, ac facundia vbere, fuit in Synodo Oecumenica Florentina sub Eugenio Quarto Pont. Max. Interpres, cum De alijs, tum De Processione Spiritus Sancti, vt inquit, Aeneas Syluius in descriptione Europæ c. 54. scripsit etiam ad Pium Pont. Max. De Scythis, vt idem Aeneas meminit in descriptione Asiæ, cap. 29. Latinum item reddidit Plutarchi librum De ciuilibus præceptis, & Onosandrum Platonicum De Optimo Imperatore, qui Basileæ prodijt ann. 1541.

Nicolavs Salicetus, Germanus Doctor, & Monasterij D. Bogardi Abbas, scripsit Antidotarium animę excussum Venetijs ann. 1517. & Parisijs ann. 1552. Vixit ann. 1488.

Nicolavs Sanderus, Anglus, Sacerdos, Theologus, qui vt scriptis, sic integritate vitæ, laboribusque vsque ad mortem fidem Catholicam propugnauit, ac denique à Sancta Apostolica Sede missus in Hyberniam Apostolicus Nūtius, ibidem nostra ætate obijt, scripsit egregium Opus Anglicè, quod prænotauit *Cœnam Domini*. Alterum item Anglicè, De Imaginibus. Aliud De vsura. De typica, & honoraria sacrarum Imaginum adoratione, libros duos. Louanij ann. 1569.

Sacrificij Missæ, ac eius partium explicationem, Louanij apud Faulerum, ann. 1569.

Tractatum vtilem, quòd Dominus in sexto capite Ioannis de Sacramento Eucharistiæ propriè sit locutus. Antuerpiæ apud heredes Stelsij, ann. 1570.

De Iustificatione lib. 6. cōtra Colloquium Altemburgense. Augustę Treuirorum an. 1585.

De libero Hominis arbitrio, Coloniæ apud Henricum Falckenburgium.

De origine ac progressu Schismatis Anglicani libros tres: Quibus historia continetur maximè Ecclesiastica annorum circiter sexaginta, lectu dignissima; nimirum ab anno 21. Regni Henrici Octaui, &c. vsque ad 28. Elisabethæ. Qui deinceps ab Edouardo Risthono aucti, cum primò in Germania prodijssent, deinde Romæ castigatius apud Bartholomæum Bonsadinum, ann. 1586. sed & denique in linguam Italicam versi, & excusi sunt. Recusi quoque Latinè Ingolstadij anno eod. 1586.

De visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 8. commendatissimi, quibus instituitur disputatio de certa, & perpetua Ecclesiæ successioue, & gubernatione Monarchica. Deinde Ciuitatis Diaboli progressio proponitur, sectæque omnes confutantur. Denique de Antichristo ipso, deque vera Dei, & adulterina Diaboli Ecclesia copiosè agitur. Accesserunt de claue Dauid, seu Regno Christi libri sex, quibus continetur huius Operis contra quosdam oppugnatores defensio. Vvirzeburgi, hoc est, Herbipoli, apud Viduam Henrici Aquensis, anno 1591. qui antea Louanij ann. 1571. & Antuerpiæ ann. 1580. prodierant.

Atqui eiusdē Sanderi Responsio fidelis serui subdito infideli, vnaq́ cū errorum, & calamitatum quarundam examine, quæ Anglicè Londini prodierat, inserta est septimo libro De visibili Ecclesiæ Monarchia. Prodijt etiā ipsius Tractatus De modo, ac necessitate audiendi Sacri. Sed & ipsius liber alius, qui inscriptus est *Sedes Apostolica*, seu *de militantis Ecclesia Romana potestate, Romanorumq́ Pontif. primatu & auctoritate*. Apud Soc. Venetam, ann. 1603.

Nicolavs à Schonberg, è Misnia, Germanus, Ordin. Prædic. qui deinceps S.R.E. Card. fuit, Orationes quinque De admiranda Christi pugna cum Diabolo in deserto, habuit coram Iulio Secundo Pont. Max. Quæ Lipsiæ ann. 1512. excusæ fuerunt. Obijt Romæ, sepultus in vestibulo templi sui Ordinis super Mineruam.

Nicolavs Scutellius, Tridentinus, Augustinianus, qui primus Iamblicū Philosophum de mysterijs Aegyptiorū, & Pytagorica secta, in Latinum sermonē conuertit; scripsit (inquit Iosephus Pamph.) multa, quæ extremo die suę vitę à varijs subrepta fuere. Audio tamen pleraque eius volumina extare in arce Tridentina. Impressos vidi Sermones egregios, De Passione Domini; & elegantissimam Orationem funebrem, in obitu Card. Tridentini Decessit Tridenti die 28. Aprilis ann. 1542. in ęde Sancti Marci sepultus.

Tt Ni-

NICOLAVS Seellerius, Gallus, Capituli Cathedralis Ecclesiæ Parisiensis Scriba, Latinum Gulielmi Parisiensis Episcopi Tractatum De Oratione, ac de modo orandi, Gallicè reddidit, atque Parisijs edidit apud Antonium Veardum ann. 1511.

NICOLAVS Serarius Ramberuillanus Lotharingus, Theologus Societatis Iesu, qui, dum hæc scribimus, viuit, vita longiore dignus, magnis ingenij, doctrinę perspicuæ, atque linguarum dotibus prædictus edidit libros.

De Sanctis duodecim Apostolis. De S. Paulo, & de proditore Iuda.

Prothyron Paulinum, in quo generatim ad S. Pauli Epistolas omnes, & speciatim ad Romanam, Prolegomena sunt.

De Dei omnipotentia Disputationem contra Caluinistas.

De Sacramento Extremæ Vnctionis contra nostri temporis hæreticos.

De Symbolo Athanasiano, contra eosdem.

De Catholicis Litanijs malè ab ijsdem hęreticis hoc nostro tempore correctis, mutilatis, immutatis, &c. De Salomonis pœnitentia. De Iosuanis Sacerdotibus.

De Sancto Kiliano Franciæ Orientalis Apostolo, lib.

Contra impium noui Pelagiani, & Chiliastæ Francisci non verè *Puccij*, sed *Filidini* librum de efficacia gratiæ Christi, lib. 2. De legibus Disputationem.

In Tobiam, Iudith, Esther, Machabæos, Commentarios, Moguntiæ apud Balthasarem Lippum, ann. 1599. siue 1600.

Quæ verò aut nondum prodierunt, aut si quæ prodierunt, ea futura sunt auctiora, fere sunt hæc.

1 Bibliaca Prolegomena in quibus, De
- 1 Bibliorum Sacrorum nominibus.
- 2 Existentia, & natura, an sit aliquod verbum Dei, cōtra Schuuencfeldium, & Atheos nonnullos, &c.
- 3 De eiusdem Verbi Diuinis qualitatibus. — 1 Certitudine. 2 Vtilitate. 3 Elegantia. 4 Perspicuitate.
- 4 De versionibus veteris, & noui Testamenti.
- 5 De varijs Interpretationibus, generibus, & modis.
- 6 De diuisionibus eorundem librorum varijs, videlicet
  - 1 In Vetus & Nouum Testamentum, & quod ista.
  - 2 In libros tot & tot.
  - 3 In Capita. 4 In Versus. } Vnde, quando &c.

2 In Pentateuchum Commentarius: & quidem Commentariolum quoque scripsit separatim in secundum caput Geneseos, atque Disputationem De Paradiso.

3 In Iosue. 4 In Iudices. 5 In Ruth. } Commentariū duobus libris distinctum, qui simul essent iungendi, si ederentur. { 1 Prior de Iosue, ante Moysis mortem, ex ipsa Exodo, Leuit. Deuter. 2 Posterior de eodem post mortem Moysis su per lib. Iosue, Cōmentarius incipit, *Propriè*.

6 In 4. lib. Reg. 7 In 2. lib. Esdrę. } Qui etiā simul essent iungendi, si ederētur.

8 Historiæ Sacræ post Machabęorum tempora continuationem vsque ad Christi D. Natiuitatem. Addentur hæc commentario in Machabęos, vnà cum Indice mendorum Typographicorum, correctionibus, & accessionibus varijs, si recudi contingeret.

9 Commentarium in Act. Apostolorum.

10 In Epistolas omnes Canonicas. Quamquam verò hos duos ita iungere cogitat, vt sint de Apostolis libri quattuor.

Primus, De ijs ante Christi Domini Ascensionem: & iste iam quidem alias editus, sed varijs occasionibus duplo, vel triplo foret iam auctior.

Secundus, De ijsdem post Domini Ascensionem, & hic propriè incipit, *Commentarius in Actus Apostolorum*.

Tertius,

Tertius, De singulis Apostolis speciatim, & hic etiam editus, sed similiter penè duplicatus, aut triplicatus prodiret.

Quartus, De ipsorum Epistolis, & sic inciperet, *In Canonicas omnes commentarius.*

11 Contra Schuuenkfeldium De Gloria Christi.

12 De SS. Trinitatis Doxologia libros tres. Quorum Primus varia De Doxologię huius ortu, & vsu partim contra hæreticos, partim ad Catholicorum pietatem continet. Secundus autem: Quomodo Deo gloria omnibus in nobis danda sit. 1. Verbo. 2. Facto speciatim per varia genera. 1. Occupationum. 2. Actionum. 3. Casuum. 4. Statuum. Tertius verò idem, sed comparatè, quomodo maior Dei Gloria spectāda sit, & disputatur, generatim, quęnam videatur ad maiorem Dei Gloriam facere, Theoretica ne, an Practica, siue mixta quępiam?

Sanè verò idem Nicolaus Serarius ante aliquot annos emiserat duos libellos aduersus Lutherum Germanicè: Quorum inscriptio est *Des Luthers nachtlicht*, siue *Noctiluca*.

Quin & ab Henrico Aquensi Typographo prodijt eiusdem Serarij Philosophema De animo humano. Herbipoli, apud quem ibid. etiam Theses de Apostolis fuerunt euulgatę.

At & Ingolstadij edita est Oratio. Vtrū candidè, synceriter, ex animiq́ue sententia citra vllum aut conuicium, aut maledictum loquendo, verum sit, Lutherum, quemadmodū de se ipso ipsę scripsit, Diabolo Magistro, & Doctore vsum esse, habita ab ipso Serario Herbipoli, vbi Theologiam publicè profitebatur, edita verò primum Ingolstadij an. 1603. ex Officina Ederiana apud Andream Angermarium. Quæ tamen an. 1604. recusa est apud Balthasarem Lippium, Moguntiæ, vnà cum quinque alijs. Quarum ipsa quidem prima est, quam diximus. Secunda verò agit. Vtrum rectè Philippus Melanchthon, ex Artium Magistro Pistor; Andreas Carolstadius ex Theologiæ Doctore Arator, rusticusq́ue Corydon factus sit? vel potius generatim, vtrū Christiani, & maximè Religiosi nominari possint Magistri, & Doctores? Tertia. Vtrum Lutherus, quia Doctor, Episcopalia, vti fecit, & scripsit munia obire potuerit? Vel, vtrum quisquis Theologiæ Doctor est, is eo ipso ad Pastoralia, & Episcopalia officia legitimè vocatus sit. Quarta. Quæ Prior Antiturcica Theologica. De Turcica immanitate propulsanda. Quinta. Quæ Posterior Antiturcica Theologica. propulsandæ Turcarum immanitati obesse admodum prauam iuuentutis educationem. Sexta. Vtrum in sua quisque fide saluari possit?

Præterea De Lutheri magistro, vt digito possit monstrari, & dicier, *Hic est*, ad Lutheranos Prędicantes non belli, sed pacis ergò, in vnius, ex eorum numero, Friderici Balduini, qui apud Lipsienses, non ita pridem editus est, quique docentis, & discentis Hyperaspisten agit, gratiā, libri duo, in quibus tota Diaboli cum Luthero disputatio ad verbum: & Disputationis eiusdem dispunctio, & ad ipsius Diaboli argumenta omnia responsio. Moguntię ann. 1604. apud Balthasarem Lippium.

Trihęresium, seu de celeberrimis tribus apud Iudęos Pharisęorum, Sadducæorum, & Essenorum Sectis, ad varios vtriusque Testamenti, veterumq́ue Scriptorum locos intelligendum, & ad nupero Ioan. Drusij hæretici De Hasidęis libello respondendum. Ibidem apud eundem eodem anno.

NICOLAVS Siculus. Vide infra in verbo, Nicolaus Tudeschius.

NICOLAVS Simonis, Batauus, siue dixeris *Hollandus*, Carmelita, & sui Ord. Prouincię inferioris Germanię Prouincialis, scripsit Serm. de Tempore, ac de Sāctis, qui Sermones in Ecclesia solent haberi per vniuersum anni spatium, quos pręnotauit, *Sermones vade mecum.* Repetitiones itē, atque Disputationes. Volumina duo Conciliorum. De Potestate Papę. De Potestate Imp. De Potestate Concilij. Cōmentaria ad Decretalia. At Petrus Lucius Belga, qui Carmelitanam conscripsit Biblioth. inquit in eadem, se paullò antequam in exiliū truderetur, adhuc nouellum Carmelitā, memoratos Sermones non solum typis excusos vidisse, verum etiā ijs vsum fuisse. Sed & quidā tribuunt ipsi Chronicon temporum. Vitas SS. PP. Librum De sacris mulieribus. Vitam D. Annę. Vitam S. Cyrilli. Historiā Ord. sui. Farraginem fragmentorū. Epist. Obijsse senem Harlemij an. 1511. inquit Trit. Sed Petr. Lucius Belga in sua Bibl. Carmel. inquit vixisse vsq; ad ann. 1495. ex Indice Iacobi de Plebe.

NICOLAVS Stanforde, siue *Stanfordius*, etsi inter alia fertur composuisse Moralitates in Genesim, & Conciones aliquot, is quę fuisse Anglus à me existimetur, quoniam tamen haud peruenit ad manus meas, neque vero quoto vixerit anno scribatur, eius tamẽ siue testimonium, siue iudicium ferre nequeo.

NICOLAVS Stoer, Germanus, Theologiæ Professor, dum Lipsia nondum hæreseos tabo esset infecta, scripsit De Officio Missæ, siue De Sacrosancto Altaris Sacrificio ad Marchiones Misnenses. Viuebat ann. 1467.

NICOLAVS à Stufa, Florentinus, Ord. Seruorum, scripsit quinque libros contra hæreses nostri temporis. Qui Florentiæ m.s. in Bibl. sui Ord. asseruantur.

NICOLAVS Superantius, Venetus, I.C. scripsit Additiones ad Summam Card. Hostiensis vnà cũ eadem excusas Basileæ ann. 1573. Adnotationes item ad Guidonis Baysij Rosarium, siue Commentaria in volumen Decretorum. Venetijs ann. 1580.

NICOLAVS è Susato, (siue *Suzato*) Germanus, scripsit librum De Quæstionibus Sententiarum; Sermones item complures. Viuebat ann. 1417.

NICOLAVS Suuapham, Anglus, qui Carmelitis prę fuit, scripsit librum, quem inscripsit, *Ordinarium lectionum*. Determinationum item alterum. Obijt ann. 1446.

NICOLAVS è Suzato. Vide supra in verbo, Nicolaus è Susato.

NICOLAVS Tacitus, Zigerus, Belga, Ord. Minorum, è Dystemio Brabantiæ Oppido, edidit ad Iulium II. Pontif. Max. Scholia In nouum Testamentum, easque inscripsit, *Eparnothoses, siue Restitutio locorum deprauatorum*.

Idem collegit Scholia in Sanctos Matthęum, Marcum, Lucam, Ioannem Euangelistas. In Paulinas omnes, & Canonicas Epist. In Apocalypsim. At & collegit lib. Adagiorum. Vertit autem è Belgico in Latinum, *Speculum vitæ Christianæ F. Thomæ Herentalmi Ordin. Minorum*. Viuebat ann. 1555.

NICOLAVS Taruisinus, Ordin. Prædicatorum, & eiusdem Generalis Magister, deinde S.R.E. Cardinalis, ac denique Summus Pontifex, qui dictus est, *Benedictus Vndecimus*, scripsit Commentaria in Psalterium. Sermones in Matthęi Euangelium. Virum Sanctũ, cum pietas, & virtus, dum fuit superstes, tum miracula post mortem edita, sanatis ęgrotis, pulsisque dęmonibus, indicarunt. Obijt Perusij ann. 1304. Pontificatus sui mense octauo, die 17. sepultus ad Prædicatores. Porrò eius Scriptorum meminere F. Albertus Venetus in suo Chronico, & Iacobus è Suzato.

NICOLAVS Teutonicus, non ille, qui quidẽ Teutonicus, sed cognomento Hacilech, & patria Friburgensis fuit, cum quo tamen coniunctissimè vixit, Ord. Prædic. scripsit Commentaria in Canticum Canticorum. Librum de Assensu cordis. Alterum De arte Prædicandi. Viuebat ann. 1355.

NICOLAVS Thaumaturgus, hoc est, vt credo, Myrensis Episcopus, cuius vita in Symeone Metaphraste, in Vaticana autem Bibliotheca, hac inscriptione Græcè m.s. βίος, καὶ πολίτεια, καὶ μερικὴ θαυμάτων διήγησις τοῦ πατρὸς ἡμῶν ἀρχιεράρχου, καὶ θαυματουργοῦ Νικολάου.

NICOLAVS Tinchespuel Ordin. D. Augustini, qui supra cognomento scriptus est, Dinchenspuol, & Dischenspulus, Tractatum reliquit De decem Pręceptis. Alterum De Pęnitentia. Sermones De Timore, ac De Sanctissima Eucharistia. Commentarium in Quartum Sentent. Quæ ipse in Bibl. Patauina Eremitanorum vidi m.ss.

NICOLAVS è Torga, Ord. Minorum, scripsit De adoratione nominis Iesu aduersus Petrum Vigmannum Vratislauiensem.

NICOLAVS Tornabonns, Florentinus, Burgi Sancti Sepulchri Episcopus, qui iuuenis ætate, maturus virtutibus pro Cosimo primo Magno Etruriæ Duce Legatus apud Regem Galliæ, scripsit Historiam De ijs rebus, quæ in Gallia inter Catholicos, atque Hęreticos, quos vocant, Hugonothos, acciderunt.

NICOLAVS Tornacensis, Hannonius, Theologus, scripsit Lectiones in Diui Lucæ Euangelium.

NICOLAVS Traiectensis, siue de Traiecto, Ordin. Prędicatorum, scripsit in Librum Boetij

Boetij De consolatione. Quo Commentario Nicolai D. Antoninus 3.par. Hist. ti. 23. c. 11. scripsit nullum melius se reperisse. Vereor autem, quin sit sequens.

NICOLAVS Triuet, (quem alij *Treuech*, & *Treuet*. sed opinor haud rectè, scribunt) Anglus, Ord. Præd. vir spectatæ & vitæ, & doctrinæ, scripsit Cōmentaria super Genesim: Postillam in Leuiticum ad Aymericum Magistrum Ord. & super Psalterium ad F. Io. Prouincialem Angliæ. Catenam ex Patribus in vniuersa Biblia: quemadmodum D. Th. fecit ad Euangelia. Librum de Peccatis. Alterum de Virtutibus. Librum inscriptum *Scutum Veritatis*, contra impugnantes Statum perfectionis. Quodlibeta varia. Tractatū de Missa. Annales ad Christum super D. August. De Ciuitate Dei, in quibus tamen texendis habuit collaborantem sui Ordin. Thomam Valoes, siue Valesium. Qui etiam prodiere Venetijs ann. 1489. & extant Neapoli in Cœnobio D. Dominici. Annales Anglorum, qui à Comitibus Andegauensibus originem duxerunt. Incipiunt autem ab ann. 1135. & deducuntur vsque ad ann. 1307. Canones de Coniunctionibus, Oppositionibus, & Eclypsibus Solis, & Lunæ. Commentaria quoque ad Problemata Aristotelis. Ad Boetium De Consolatione. Ad Declamationes Senecæ. Ad Titum Liuium. Ad Valerium Maximum. Ad Iuuenalem. Ad Metamorphoses Ouidij. Viuebat ann. 1360. Eisingrenio, & alijs. vt mendum putem in nu. 400. qui cernitur in quibusdā Codicibus Bibl. S. Sixti Senensis.

NICOLAVS Tudeschius, Catanensis (& Catana Ciuitas est in Sicilia) communi appellatione dictus Abbas Panormitanus, Ord. D. Benedicti, quem Abbatem Tritemius scribit fuisse *Monacensem*, quique primò fuerit Auditor caussarum Pontificis Maximi, & Rotæ, ac deinceps Panormitanus Archiepiscopus, & denique Cardinalis, cum Antonij de Butrio celebris Iurisconsulti optimus discipulus, atque aliorum doctor dilucidus euasisset, *Lucerna* iuris est nominatus.

Scripsit super Decreto inchoatum Librum, at non absolutum.

In Decretales, libros quinque: Quorum initium, *Quoniam omnis ratio superna*.

In Clementinas librum.

Pro Concilio Basileensi librum. Incipit, *Quoniam veritas verborum*. Sed hoc meritò prohibitum est in Romano Indice librorum prohibitorum.

Processum Iudiciarium libro vnico. *Rex pacificus cunctorum*.

Consilia centum & quattuor, libro vno. *Facti contingentia talis est*.

Disputationes varias.

Quæstionem in Parmensi Gymnasio disputatam.

Repetitionem in c. *Per tuas*, in Bononiensi Academia editam.

De potestate Papæ, Imperatoris, & Concilij ipsi ascribitur liber, sed & idem liber, siue argumentum tribuitur Nicolao Simonis. Vide in verbo, Nicolaus Simonis.

Sanè vir iste insignis inter Canonistas cum pleraque difficilibus quasi salebris essent in hac facultate impedita, complanauit, illustrans distributionibus, distinctionibus, verborumque ac rerum claritate; eademque opera sententias veterum, & recentiorum ad suam vsque ætatem afferens, veritatem liquidiorem ob oculos studiosorum posuit. Qui labor Episcopis, Iudicibus, Confessarijs fuit vtilissimus.

At cū sæpe prodijsset in lucem sępe deprauatus, sępe item mutilus, debetur sua laus post Deum Leonardo à lege I. C. Mantuano, qui Panormitani Opera diligenter recēsens emisit emēdatiora, & auctiora Venetijs ad insigne candentis Salamandræ ann. 1571. Addidit Practicam eiusdē Panormitani, vt Pontificij, & Cęsarei iuris studiosi Theoricam haberent coniunctam cū praxi in omnibus ferè curijs obseruari consuetam. Cum item ad Cōmentaria Panormitani in Decretales Adnotationes plurium Iurisconsultorum additæ sint huic editioni, qui probè aliquid ijs addidisse apparuerūt. Vide in singulis Tomis huius editionis Titulos rerum, siue argumentorum, de quibus in ijs agitur.

Porrò Opera eius in Iure, & de Conciliorum auctoritate, impressa Lugduni ann. 1517. & 1527. Omnia vero eius Opera excusa Venetijs anno 1471. 1472. & 1473. sex Tomis. Super Decretales, lib. 5. Venetijs, ann. 1475. & Lugduni ann. 1578. Consilia eiusdē, lib. 1. excusa Venetijs ann. 1486. & item cum alia quadam quæstione in Parmensi Gymnasio di-

sputata, & repetitione in c. *Per tuas*, de arbitris in Bononiensi Academia edita, & Interpretatio ad Clementinas, cum eiusdem etiam Practica, Lugduni ann. 1496. Disputationes ex cusæ Venetijs ann. 1491. Repertorium Operum eius ibid. ann. 1486. Compendium totius lecturæ eiusdem super Decretalibus Venetijs ann. 1565. Omnia item eius Opera Sex Tomis iterum Venetijs ann. 1592. Quæ & ibidem antea anno 1586. & in 2. Decret. De foro competenti, c. *Si quis contra clericum*.

NICOLAVS Veronēsis, Ord. D. Augustini, Vitam S. Nicolai, qui *Tolentinus* dicitur, scripsit carmine heroico. Varias item Cantiones Musicas. Obijt Fossę Clodię in patriam rediens, die 28. Nouembris ann. 1514. ætatis suæ ann. 46.

NICOLAVS alter Veronensis, Ord. Minorum scripsit, atque edidit Quadragesimale. Directorium item Salutis ad Epistolas Quadragesimales.

NICOLAVS Vicinus (Voisin) Gallus, & vir Religiosus, Gallicè conscripsit librum, quem pręnotauit, *Thesaurus animæ*. Quo Peccatoris hominis Confessio continetur vberrima. Ratio item, qua peccatorum venia impetretur à Deo. Parisijs apud Michaelem Nigrum, ann. 1516.

NICOLAVS Villagagno, Gallus, vir nobilis, & eques Rhodius, ac, quod caput est, vnà cum nobilitate zelum habens Catholicę Religionis, atque Theologicis altè imbutus, Carolo Nono Gallię Rege, doctissimis Scriptis pugnauit aduersus hęreticos. Quorum etiā quendam Caluinianum, cognomento Richerium, à fide Catholica, & à suo Carmelitarum Ordine Apostatam fugauit, vbi animaduertit Carmelitę quidem vestibus indutum, & se Theologum Catholicum simulantem, secum in Indiam Antarcticam nauigasse, vt & occultatos eatenus Geneuenses libros, & hęresim illam Caluini ibi disseminaret. Sed & libri illi à Villagagnone combusti sunt, & ipse Richerius aufugit. Scripsit igitur Villagagno Latinè, ac nitidè, Responsiones ad Articulos Caluinianos De Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento. Qui Parisijs prodierunt ann. 1564. & Venetijs ann. 1565. Librum item De Consecratione. Alios de Mystico Sacrificio. De duplici oblatione aduersus Vannium Lutherologię Professorem. De Iudaici Paschatis complemento contra Caluinologos. De Poculo Sanguinis Christi, & Introitu in Sancta Sanctorum aduersus Bezam. Parisijs ann. 1569. Sed & scripsisse contra Melanchtonem inquit Eisingrenius. Quem tamen librum ipse non vidi. Atqui aliquot annos antea librum De Caroli V. Imper. expeditione in Africam ad oppugnandum Algerium, emiserat, qui Argentorati excusus est, ann. 1542. De bello item Melitensi ad Carolum Imp. Lutetiæ ann. 1553. apud Carolum Stephanum.

NICOLAVS Vite, è Gozio Oppido, Italus, scripsit Commentationes, (Italicè, Discursus) in septem Psalmos Pœnitentiales. Venetijs apud Aldum Paulli F.

NICOLAVS Voigelt, quem alij scribunt *Vuigeli*, Germanus, Commentariolum scripsit De Indulgentijs, Friburgi ann. 1438. Eisingr.

NICOLAVS Volcbirus, quem alij *Volkirum*, alij *Volciey*, alij *Volrier* scribunt (vnū enim esse, & eundem puto, cui hæc cognomenta tribuuntur) Ceresuicinus, Lotaringus, scripsit aduersus hæreticos, cuius rei meminit Richardus Vasseburgius in suis Belgicæ Gallię Antiquitatibus. Historiam item De Victoria Ducis Lotaringiæ aduersus Luteranos, quæ Gallicè prodijt ann. 1526. quo ipse viuebat.

NICOLAVS de Vuackenbeim, Germanus, scripsit librum De Quęstionibus Sententiarum. Sermones, Collationes, atque Orationes complures. Viuebat ann. 1480.

NICOLAVS Valkington, Anglus, monachus Cistertiensis composuit librum De virtutibus, & vitijs, Historiam item Gualteri Episc. Viuebat ann. 1190.

NICOLAVS Xylander, Borussus, scripsit librum, cuius hæc est Inscriptio, *Motiua caussa, cur hæresim Lutheranam, cuius aliquando fuit Minister, deseruerit, ac se in Catholica Ecclesia gremium contulerit*. Ingolstadij ann. 1580.

NICOMACHVS Gerasenus, Theologiæ Arithmeticę duos libros scripsit, Quorum argumentū fusè perscripsit Photius in sua Gręca Bibl. quosque mira speculatione plusquā vtilitate refertos ait: redegit enim ad numeros decē, Naturalia, Deos, Deasq; vt nō Christianus, sed Gētilis esse videatur; quod dico, ne quis eorū librorum inscriptione decipiatur.

S. Ni-

S. Niconis, ex Epistola ad Enclistium, de iniusta excommunicatione; fragmentum vide in Bibliotheca SS. Patrum Tom. 3. Eiusdem De pessimorum Armeniorum pessima Religione fragmentum alterum, Tom. 3. Hunc (ait Margarinus) esse suspicor, de quo Martyrologium Romanum 6. Kal. Decemb. In Armenia, inquit, S. Niconis Monachi.

Nicopolitanus Conuentus, siue Concilium in Armenia minore anno Dom. 282. quinto autem Damasi Papę, cui S. Basilius Magnus eam visitans interfuit, Eustachiumque Episc. Sebastianum fidem Catholicam profitentem, ac subscribentem in communionem recepit, non sine aliorum querelis. Vide Tomo 4. Annal. Baronium Card. sub eundem Annum.

Nilus Monachus, non ille quidem Aegyptius Episcopus & Martyr, cuius sub Diocletiano meminit Eusebius, sed ille qui fuit Constantinopolitanus, & Monachus, scripsit capita parænetica. Eccl. hist. lib. 8. cap. 22.

Hunc autem elegantes edidisse homilias, & vixisse tempore Theodoreti, Nicephorus refert. Eius Opuscula citantur in septima Synodo, dicunturque corrupta fuisse ab hæreticis. Quare credi potest, Opus, quod fertur nunc in Anglia contra imagines, nomine S. Nili, illud esse, quod hæretici corruperunt. Lib. 14. hist. cap. 53.

Quin etiam idem Nicephorus ita scripsit. *Admirando Nilo patria fuit Constantinopolis, cuius etiam (propter egregiam generis nobilitatem) præfectus fuit. Potentia autem, & opibus affluens, Asceticam illis prætulit vitam: quippe qui ad exemplum Dauidis, ad domum Domini Dei abijci, quam in Tabernaculis peccatorum habitare maluerit: & cum eloquentia vi polleret, Diuinaque gratia neruis validus esset, scripta varia, quæ vitæ Monasticæ exercitium instruunt, reliquit, verbis, & sententijs ita composita, vt lectoris omnium gratia incredibili recreent. Scripsit quoque Diuinorum Patrum in Monte Sina obitum & Martyrium, facundia, & affectu tanto, vt satis inde colligere liceat, quàm eximia doctrina iuxta, & virtute vir is fuerit; vbi etiam suas, & filiorum res paucis commemorat, mirabiliter veluti in Tragœdia captiuitatē eorum exponens, cum Barbari Blemmyæ excursione sua cædem ingentem fecere: quod Opusculum, tanquam spirituale quoddam oblectamentum studiosis reliquit. Alios item libros optimos edidit, spiritualis gratiæ non expertes: inter quos primas eū ferre puto, quem ad Gracè superstitionis sectatores scripsit. Et rursum, qui ab eo ad Eulogium compositi sunt. Capita autem collegit, aliqua quidem fusius, multa autem compendiosius tractata, in quibus spiritualem fructum, perinde, atque nectar aut ambrosiam aliquam, oculis subiectum, ita vt facilè percipi posset, proposuit. Quem vitæ fructum, Iustinus posterior inde translatum in fundamento sacratioris mensæ, in eo, quod ab ipso Petro & Paulo Apostolorum principibus, ad Orphanotrophium constructum est, templo reposuit.* Hæc Nicephorus. Eccl. hist. lib. 14. cap. 14.

At Sixtus Senensis inquit. Nilus multorum in Oriente Pater, sanctitate, & eruditione celebris, cuius Sexta Synodus scripta veneratur, scripsit in Iob Commentarios. Sic ille, nec Patres, nec aliud citans. Lib. 4. Bibl. Sanct.

Ceterùm ille ipse Nilus, de quo agimus, monachus, B. Chrysostomi discipulus, scripsit De Oratione ad Deum, capita centum quinquaginta, Item de nihil possidendo, De Philosophia Christiana, De Virtutibus & vitijs, De Comparatione vitæ Monachorum, qui in solitudine, & qui in Ciuitate degunt, De cęde Sanctorum Martyrum Monachorum in monte Sina, librum Epistolarum, & alia plura, quæ ad manus nostras non venerunt. Meminit autem Photius in sua Gręca Bibliotheca centum quinquaginta trium capitum, in quæ diuisus est liber Nili de Oratione, quibus inquit ὁ θεῖος ἀνὴρ τῆς προσευχῆς ἀναπτύσσει τύπον *Diuinus vir explicat typum Orationis*, inque his inquit superasse Marcum, qui eodē argumento scripsit, atque Ioannem Carpathium, cuius legerat ad monachos Indiæ præcepta.

Ea verò capita à Zino Veronensi versa sunt in Latinum, quæ & in Veneto exēplari plura numerantur, quoniam ita aliqua capita diuisa sunt, vt numerum augeant, cum tamen reipsa sint 148.

Præterea scripsit librum Asceticum, siue Exercitationem, deinde Institutionem ad Monachos. Pręterea Orationes octo aduersus vitia capitalia: Ac varia quædam monita: breuem-

breuemque institutionem ad iuniores Monachos. Cum etiam extent breues duæ Epistolæ, ac parænetici eiusdem Tractatus fragmentum.

Atqui, quem supra attulimus, Photius eiusdem Nili, quem Beatum vocat, se legisse, ait Sermones De Paschate, cuius primi initiũ. *Sermonibus Resurrectionis honorabimus, Anima est quadam secunda hominibus Resurrectio, excitans ad virtutis actiones*, & quæ sequuntur ibidem in Photio, quæ quidem sunt aurea.

Secundo autem Sermonis initium est. *Resurrectio est Prouidentia Domini principium, principij autem Anima recordata, & conniuens cum gratiarum actione erga Benefactorem, libera fit ab inimici laqueis. Ascende ad hominum antiquam originem, & Resurrectionis delineationem reperies.*

Tertij Sermonis, qui est De Ascensione Domini, initium est. In cęlum quidem, ac Terram natura creata diuisa est. *Non sinit autem me diuisionem cernere coniuncta gratia cum diuisione; ecquis enim reliquum diceret, Calum & Terram diuisam esse, & deorsum meam naturam, & sursum meam regnantem?*

Quarti Sermonis de eodem Ascensu, initium. *O, Regibus omnibus augustiorem Religionem. Qua enim Reges armis expugnarunt, ipsam sine armis illa dissoluisse monstrauit.*

Quinti Sermonis, qui est de eodem Ascensu Domini in Cęlum, est initium sequens. *Diuinus bonitatis imber incipiens hominibus effundi ad immensam hodie inundationem excreuit & magna maioribus κατίκρυψι.*

Porrò qui reliqua istorum sermonum legere velit, videat ipsum Photium à pag. 835. vsque ad pag. 841. eiusdẽ Gręcę Bibliothecę, in editione Augustana. Nos eorum initia hic voluimus inserere, vt ex ijs allicerẽtur lectores ad gẽmas istius Patris acutius inspiciendas.

Et verò in Bibliothecis nobilium quorundam Constantinopolitanorum feruntur extare, Nili Monachi, quem item inclytum Philosophum inscribunt, Dogmatica Panoplia contra omnes hæreses, & decem Orationes contra Mahometum. Sanè in Bauarica Bibliotheca nu. 39. Gregorius Nyssenus, & Nilus Monachus in Canticum Canticorum, & Catena ex vtroque contexta, asseruantur.

Nilvs Thessalonicensis Episcopus, cum Schismaticus, & plenus veneni scripsisset De processione Spiritus Sancti, ac contra Primatum Summi Pontificis, & de Purgatorio, mirum nõ est si palpauit in meridiè; hęretici verò, (præsertim Vulcanius) eum Latinè reddiderunt, sed & eius blasphemias, sancta Florentina Synodus euincens, explosit, & Robertus Card. Bellarminus argumenta, quæ Nilus ille malè exundans, accuratè confutauit Tomo 1. Controu. 3. lib. 2. De Rom. Pont. cap. 12. & 17. 18. 22. 27. ac cap. 1. seq. tertij libri, qui est De Antichristo, & cap. 7. 8. 10. 11. Libri quarti De eodem Rom. Pontifice, & lib. 1. De Concilijs cap. 13. vltra medium.

Ninianvs Pictorum Episcopus, regio Britannorum sanguine editus, cum Romam venisset adolescens, ibique Christianam sapientiam summo studio didicisset, reuersus ad Septentrionales Regiones, Pictorum gentes ab idolorum impietate ad Christi cultum adduxit, cumque apud eas diuina eloquia assiduè docuisset, scripsit quædam pia, & erudita Commentaria ad sacras litteras, in quibus maximè (vt inquit Sixtus Senensis) celebrantur Meditationes in Dauidicos Hymnos. Viuebat ann. 440. Beda.

Ninianvs Vuinzetus Renfroius, Theologus, librum emisit, hac inscriptione. *Flagellum sectariorum, qui religionis pratextu iam in Casarem, aut in alios Orthodoxos Principes, seditionem excitare student, quarentes ineptissimè quidem, Deo ne magis, an Principibus sit obediendum.* Ingolstadij ann. 1582.

N O

Noe Blancus, Venetus, scripsit Itinerarium Terræ Sanctæ. Franciscus Sansouinus.

Nonivs Marcellus, Saia, à Rocca Gloriosa, Paraphraphrasim precatoriam scripsit, atque edidit ad septem Dauidis Psalmos Pęnitentiales. Parisijs apud Martinum Iuuenem ann. 1558.

No-

NONNVS Galfridus, alijs Galfredus, siue Gaufredus, Britannus, cognomento *Arturus*, quod Regis Arturi Gesta conscripsit, Ord. D. Benedicti, Monumetensis. S. R. E. Cardinalis à S. Agathone Pont. Max. creatus, scripsit De rebus Britannicis libros decem, qui Lugduni fuerunt excusi ann. 1587. apud Renatum Potelerium, hac prænotatione, *Galfredi Monumetensis Cardinalis*. Librum Prædictionum Ambrosij Merlini. Alterum, Vaticiniorum Merlini Chalcedonij. Vitam Arturi Britanniæ Regis. Breuiarium Gildæ. Carmina varij generis. Florebat ann. 689. & seq.

NONNVS Nicolaus è S. Albano Anglus, monachus D. Benedicti, Congregationis Cluniacensis, scripsit De Conceptione Beatiss. Virginis libros duos. Vnum ad Petrum Pontiniacum. Alium de sua legatione. Alium item Decretalium Epistolarum. Et alium ad Henricum Secundum Regem aduersus Hybernos. Obijt extraordinario casu, vt memores simus, quot nobis pericula immineant, & quantopere egeamus D. misericordia, suffocatus enim Vir ille à musca interijt ann. 1159.

NONNVS Panopolita Aegyptius eloquentissimus, Virginem Theologum, hoc est, Ioannem Euangelistam versibus heroicis est interpretatus. Hæc Suidas. Sixtus autē Senensis cum inter Græcos Christianorum præcipuum numerat, cuius, & (inquit) feruntur Dionysiacon libri 48. heroicè conscripti: Nos in decimo septimo libro Bibliothecę nostræ Selectæ, cap. 12. iuxta editionem Venetam ann. 1603. opponentes veram Theogoniā huius Poetæ, falsæ Theogòniæ Hesiodi, inseruimus eiusdem Nonni Paraphrasεos Gręcę carmina quædam Græca cum versione Latina, vt quàm altè, Deo aspirante, item Græcus Christianorum cothurnus potest incedere, habeatur ad manum. Incipit autem, Ἄχρονος ἦν ἀκίχητος ἐν ἀρρήτου λόγου ἀρχῇ, hoc est, vt verbum è verbo reddamus. *Sine tempore erat, incomprehensibilis, ineffabili verbum Principio*. Et quidem ex Aldi Patris Paulli Manutij, Officina centum propemodum abhinc annis prodijt ea Paraphrasis Gręca, cuius Latinam versionem alij deinceps edidere. Sed demum emendatior, atque integrior emissa est Lugduni ann. 1590. Opera Francisci Nansij, cum eiusdem Notis ad ipsam.

NONNVS Verembertus, Germanus, monachus Monasterij S. Galli in Heluetia, Congregationis Luxouiensis ann. 870. vt testatur Tritemius libro De luminaribus Germaniæ scripsit nonnulla Opuscula.

NORAE Cocci, siue dies Basilij, extant Syrochaldaicè scripti.

NORTBERTVS Primus fundator Ord. Præmonstratensis, Vir miræ sanctitatis, & egregius Prædicator, vt habent Monasterij Hirsaugiensis Chronica à Io. Tritemio conscripta, Archiepiscopus Magdeburgensis electus ann. 1128. in Ciuitate Spirensi, quem Archiepiscopatum octo annos administrauit, post quos obijt, scripsit, vt refert Eisingrenius, tres libros de Visionibus suis, quorum tamen Tritemius haud meminit, quòd viderim, ac Sermones, De obitu Sanctorum. Eius Nortberti vita, Auctore Michaele Marcopio legenda est, quæ Leodij excusa fuit ann. 1599.

NOTGERVS, Qui in m.s. antiquo Codice, qui extat in Bibliotheca Monasterij Sancti Galli in Heluetia, scribitur Notkerus cognomento Balbulus, scripsit De vita S. Galli lib. 3. Item Martyrologium per totum annum ex expositionibus Sacrę scripturæ lib. 1. De Musica lib. 1. Epistolam ad diuersos lib. 1. Litaniam carmine. De vita S. Fridolini Abbatis librum vnum. Transtulit ex Gręco libros Perihermenias Aristotelis. Extant omnia, vt diximus, hęc m.ss. in eadē Bibliotheca Monasterij S. Galli, in Heluetia. Fuit autem Notgerus Ducis Sueuiæ filius, monachus, & Abbas S. Galli, vir doctus, & sanctus, creatus autem ann. 971. pręfuit annis plus minus 36. signisque, ac virtutibus clarus migrauit ad Dominū ann. 1008. die secundo Aprilis, in Aede sacra D. Ioannis sepultus, cū inter alia Vrbem *Legiam*, siue *Leodiū* muris cinxisset, & Comitatū Huiensem Ecclesiæ suæ acquisiuisset. Tritemius lib. 4. cap. 19. scripsit inter alia, De Trāslatione S. Landoaldi, lib. 1. qui est apud Surium Tomo 2. Vitam item S. Remacli Episcopi. Atqui inter illius Scripta fuisse præcipuum illud Opusculum ait Arnoldus Vuion. Quod, *Sequentiarum* pręnotauit, quæ ab eo primum inuentę, ac Lutuardo Vercellensi Episcopo dicatæ, in Missarum sollemnibus statim post Alleluia decantari sunt cæptę. Quæ quidem in solo suo ipsius Notgeri Mona-

sterio

sterio in vsu erant, Nicolai vero huius nominis Primi, Pont. Max. auctoritate, approbatç sunt, vt alibi quoque ante Euangelium canerentur. Sed denique post Tridentinum Concilium, aliquibus sequentijs resectis, ob nonnullas apocryphas, & anonymas, retentæ sunt illæ. *Victimæ Paschali, Veni Sancte Spiritus*, quæ ab Hermanno Monacho composita, in sancta Festiuitate Pentecostes decantatur: *Lauda Syon Saluatorem*: quam edidit S. Thomas Aquinas in Festo Corporis Christi dicendam, *& Dies iræ, dies illa*, quæ in Missis Defunctorum dicitur, cuius Auctorem nonnulli S. Gregorium Primum Pont. Max. aiunt extitisse, & si quid eiusmodi est aliud.

Porrò cum Notgerus alter fuerit Episcopus, atque inter Scriptores controuertatur, quo tempore tum ille, qui fuit Abbas S. Galli, tum hic, qui Episcopatui Leodiensi præfuit, totam litem diremit idem Arnoldus Vion in notis ad illum; quç ita habent.

Litem hanc omnem ex aequiuocatione nominis Notgeri omnino natam suspicor, diuersum enim esse ab eo Notgero Abbate S. Galli Sequentiarum Missalium Auctore, temporum ratio indicat, ille enim floruit anno Domini 850. & quod excurrit, vt ex approbatione libri Sequentiarum eius colligere licet: approbatus est enim à Nicolao Papa Primo, cuius creatio refertur ad annum 858. Hic verò Episcopus creatus est Leodiensis ann. 971. vel 927. mortuusq; dicitur ann. Domini 1004. vel 1007. aut 1008. Ideoq; correctione indigere videtur Tritemius in lib. de Script. Eccles. & lib. 2. cap. 69. lib. 4. cap. 216. de Viris illust. Ord. S. Benedicti, qui vnum & eundem fuisse putat, at ex suomet ipsius testimonio errasse conuincitur. In libro enim De Script. Eccl. dicit vixisse ann. 850. & in libris citatis de Viris illust. Ord. nostri centum annis post, idest ann. 950. & 970. vt etiam Catalogi Episcoporũ Leodiensium confirmant. Vocatur à Demochare, Tomo 2. de Sacrif. Missæ, c. 37. Rogerus, prima littera immutata, & Guaionis Ducis Suanurum filius, quem & mortuum putat ann. 1004. In tabulis autem meis Germanicis filius Ducis Sueuiæ appellatur, migrasseq; refertur anno Domini 1007. regiminis sui 30. At si creatus est, vt aiunt ann. 971. siue vt Demochares vult 972. plures annos sedisse fatendum est, idest 35. vel 36. qui error forsitam ex numerorum traspositione in impressione irrepsit. Monachus quidam Herueldensis in chron. rerum Germanicarum eius mortem reponit ad ann. 1008. sic inquiens 1008. Notger Leodiensis Episcopus obijt, cui Baldaricus successit: cuius opinione considerata, &c. Hæc Arnoldus. Ex quo corrigendum quod de Notgero Abbate S. Galli editum est supra.

NOTHELMVS, Anglus, Monachus Londinensis, scripsit Vitam, & res gestas S. Augustini Episcopi, Anglorum Apostoli.

S. NOTTINGERVS (vt habet Eisingrenius) Comes à Veringen. ex Sãgallensi Benedictinç professionis Monacho, Episcopus Cõstantiensis, natione Germanus, vsum Sequentiarum in Ecclesia inuenit, & Commentarios in Quattuor Euangelia scripsit. De expositoribus quoque Sacrç scripturç Volumen, Epistolas verò plures ad diuersos dedit. Viuebat ann. 916. At mihi verisimile fit, hunc fuisse Notgerum Abbatẽ S. Galli, de quo paullò ante diximus, qui & ante multos annos Sequentias scripserit, quas Eisingtenius, ab hoc altero fuisse primum inuentas testatus est.

NOVATIANVS Romanæ Vrbis presbyter, aduersus Cornelium cathedram Sacerdotalem conatus inuadere, Nouatianorum, quod Grçcè dicitur καθαρῶν dogma constituit, nolens apostatas suscipere pçnitẽtes. Huius auctor Nouatus Cypriani presbyter fuit. Scripsit autem De Pascha, De Sabbatho, De Circuncisione, De Sacerdote, De Oratione, De libris Iudaicis, De Instantia, De Attalo, multaque alia, & de Trinitate grande volumen, quasi ἐπιτομὴν Operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes, Cypriani existimant. Sic Hieron. in Catal. cum Honorius in suo hunc Scriptorem, Donatum vocet.

Anno Domini 250. Tricena.

N V

NVMIDIAE Concilium in Africa contra Patrum tramitem, atque canonum Statuta Gregorius Magnus aboleri curauit lib. 2. epist. 7. Indict. 12. Vide Baronium Card. To. 8. sub ann. 593.

O B



OBADIA, siue Ouadia. Vide in verbo, Abdias Propheta, designat autem *cultorem Domini*.

O C

OCCO Frisius, Scarlensis, hoc est in Pago Geesterlandiæ *Scharla* natus, Patrem habuit virum nobilissimum *Gaelizionem à Takema*: Hic reliquias auunculi sui magni Salconis Fortemani nactus, quascunque habere potuit, in ordinem redegit, & sarciuit iacturam historiæ Frisonicæ, quam Radbodus Rex prorsus extinctam voluit: Interim ex Actis recentibus de suo supplementum addidit ab exordio gentis ad ætatem vsque suam, continuam rerum in Frisia gestarum seriem deducens. Quod Opus tamen numquam prodijt. Sed in familia Takemmana veluti peculiaris quidam thesaurus magna cura asseruatum est, donec Ioannes Vlieterpius id diuulgauit. Scripserat autem Occo hic, vt & auunculus eius magnus Salco, historiam suam lingua Latina, quam Ioannes Vlieterpius, & eum secutus Andreas Cornelius, Belgica lingua vertentes auxerunt. Vixit Occo circa annum Christi 970. Hæc fermè ex Suffrido Petro lib. De Frisiæ Scriptoribus.

OCTATEVCHVM, hoc est primi Bibliorum octo Libri, ad quos varij scriptores Catholici edidere Commentarios, Catenas, & Notas, siue Paraphrases, quin & Eudociæ Metaphrasim. Vide in verbo, Biblia.

OCTAVIANVS Frangipanus, Mirthus, Episcopus Tricaricensis, & Sedis Apostolicæ per Germaniam, Nuncius, Directorium edidit Ecclesiasticæ disciplinæ præsertim Coloniensi diœcesi accommodatum. Varios item Ecclesiasticorum hominum status, & functiones cum priuatas, tum publicas eiusdẽ Ecclesiæ Statutis, sacrisque Canonibus, & temporum nostrorum necessitatibus conuenienter explicans. Coloniæ Agrippinæ in Officina Birckmannica ann. 1597.

OCTAVIANVS Vestrius, Forocorneliensis, I. C. scripsit Practicam, ad quam Nicolaus Gauatius, Briaticensis, adiecit Adnotationes. De Officijs item, & Officialibus Romanæ Curiæ. Introductionem quoque in Romanæ Curiæ actionem, & Mores iudiciorũ Coloniæ ann. 1573.

OCTAVIANVS Vulpellus à S. Angelo Metaurense, scripsit De libertate Ecclesiastica. Qui liber excusus est Vrbini apud Bartholomæum, & Simonem Ragusios fratres, ann. 1595. cum antea Venetijs emisisset Tractatum De Pace, Inducijs, & Promissionibus de non offendendo, ann. 1573.

O D

S. ODILO, qui fertur fuisse Diei Commemorationis omnium fidelium defunctorum primus Institutor, Cluniacensium Abbas, scripsit plures Sermones, qui extant m. s. Cluniaci, videlicet:

De Natiuitate Domini, Ser. 1. *Dominica Natiuitatis Sanctissimum diem*.
De Epiphania Domini, Ser. 1. *O fraterna charitas*.
De Purificatione B. Mariæ, Ser. 1. *Omnipotens Dei Patris Omnipotens sermo*.
De Incarnatione Dominica, Ser. 1. *Dominica Incarnationis*.
De Resurrectione Domini, Sermo. 3. Quorum Primus incipit, *Certissima fiducia est Christianorum*. Secundus, *Quamuis fratres charissimi*. Tertius, *Hodie dilectissimi fratres*.
De Assumptione Domini, Ser. 1. *Postquam Dominus Saluator noster*.
De Pentecoste, Ser. 1. *Indicibilis, & immensa præsentis diei maiestas*.
De Natiuitate S. Ioan. Baptistæ, Ser. 1. *Ortum Domini præcursoris*.
De SS. Petro, & Paulo, Ser. 1. *In exordio vigiliarum Apostolica sollemnitatis*.
De Assumptione B. Mariæ, Ser. 1. *Congruum satis, & conueniens videtur*.
De Sancta Cruce. *Post illum singularem*. Vixit Eising. ann. 1034.

ODE-

ODERICVS è Foro Iulij, è portu Naono, Ord. Minorum, quem à vitæ sanctitate commendant Eisingrenius, atque Henricus Villot, scripsit Historiam suæ Peregrinationis per varias Asiæ regiones. Sermones varios, & Epistolas. Extare autem eiusdem librum m. s. De diuersis ritibus, & conditionibus huius Mundi, ait Henricus Villot. At locum tacet. Viuebat Ioan. XXII. Pont. Max. ann. 1330.

ODORISIVS Abbas, Ord. D. Benedicti, è nobili Sangrorum Comitum progenie, qui S. R. E. fuit Cardinalis, scripsit librũ Sermonũ ad Festa totius Anni: Obijt ann. 1126. die tertia Iunij. Arnold. Vion.

ODO Abbas Anglus, homilias in aliquot onera Isaiæ egregius scriptor, extat m. s. in Bibliotheca Cartusianorum B. Mariæ in Seytz Græcij in Stiria.

ODO Cameracensis Episcopus, scripsit Expositionem Canonis Missæ: quæ extat in Tomo 6. Bibl. SS. PP. Bignæi.

ODO, è Ceritona, alijs *Schirton*, Anglus, Ord. Cisterciensis, scripsit Opus sexaginta Parabolarum. Homilias De Tempore, ac De Sanctis. Alterum Opus aliarum Parabolarum. Pœnitentiale. Partium Opus. Narrationes quasdam. Commentaria ad Aesopi prouerbia Latinè à se reddita; Quæ Commentaria prænotauit Opus Bestiarium, siue Brutarium. Viuebat ann. 1180.

ODO huius nominis primus Abbas Cluniacensis, scripsit De Corpore, & sanguine Domini. cuius itẽ m. s. duodecim carmina in antiquo m. s. Codice D. Benedicti in Agro Mantuano repertos, descripsit Arnoldus Vion, quos & nos hic damus.

Conuiuas epuli mundos Deus superni,
Vt docet, & Seruis Dominus vestigia lauit,
Muneribus varijs, & pluribus inde reiectis
Frumentum & vinum, cunctis hoc protulit vnum.
Hoc sacrat, hoc nimium, quod sit breue, quod nimis altum,
Tam modicum sumptum tam facile, atque paratum;
Tam sublime tamen, quod totam habeat deitatem:
Sufficit hoc solum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus, quod sit de pluribus vnum,
Corpus hinc capiti, caput cohæret & illi;
Hoc genus, hoc vnum placet, hoc durabit in æuum.
Hoc facile est, nitidum, simplex, Deitateque plenum.

Ceterum qui huic Odoni Cluniacensi Abbati Expositionem Canonis Missæ, & alia ascripserunt, decepti sunt similitudine nominis. Vide autem sequentem.

ODO, siue alijs, *Oddo*, alijs Ade, Abbas Cluniacensis secundus, Vir inter Francos nobilis, quodque caput est, sanctitate insignis, Canonicus primò Turonensis, Remigium Antisiodorensem monachum, in Dialectica, Philosophia, & Theologia præceptorem Parisijs habuit. Vnde Turonem reuersus, ad veram Christi Philosophiam aspirans sub S. Bernone Balmensis cœnobij Abbate, monachus est admissus, cui & postea in Monasterio Cluniacensi, ad quod ex Balmensi translatus fuerat, successit. Scripsit pium illum hymnum. De S. Maria Magdalena, quo vsa est diu Ecclesia Romana *Lauda Mater Ecclesia*.

Sacrorum Hymnorum in honorem Sanctorum lib. 1. Homiliarum, ac Sermonum ad suos Fratres, lib. 1.

De vita S. Geraldi, siue Gerardi, lib. 1. Chronicon succinctum, lib. 1.

Vitam, & translationem S. Martini Episcopi Turonensis, lib. 1. Quæ excusæ sunt Parisijs, cum Sulpitio Seuero ann. 1511.

Abbreuiationum Moralium D. Gregorij Papæ in Iob. lib. 20. Parisijs excusos.

In Hieremiam Prophetam lib. 3. qui extant Cluniaci m. s. vocanturque hodiè, *Liber occupationum S. Odonis.*

De Sacrosancta Eucharistia aduersus aliquot, Ad Odonem Episcopum Cameracensem.

Porrò in To. 7. Bibl. SS. PP. Bignæi extat Epistola Odonis ad Fulconem cognomento, Bonum, Andegauensem Comitem, Tractatus De translatione corporis S. Martini, siue

(vt

(vt ipse ait) Reuerſionis eius de Burgundia, & tractatus alter, quo Beatus Martinus compar Apoſtolis dicitur.

Odo, ſiue Otto, Abbas Monaſterij S. Martini Tornacenſis, primus fuit, qui Canonem Miſſæ, Commentarijs illuſtrauit. Obijt ann. 1113. vt habet Demochares, & Tritemius De Viris illuſtribus, lib. 2. c. 118. Scripſit autẽ Sermones, & Homilias ad Fratres. De Incarnatione Domini ad Vuilbodonem Monachum, Dialogorum librum. De Villico iniquitatis. Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1. In Canonem Miſſæ, quæ aliquoties excuſa, adtexta ſunt quoque Bibl. SS. PP. Margarini ſub nomine Odonis Abbatis Cluniacenſis.

Odo Gallus, Monachus, & primus Abbas Monaſterij Glannofolij in agro Cenoma nenſi, Congregationis Gallicanæ primæ à S. Mauro fundatæ, quæ Floriacenſis appellata eſt, anno Domini circiter 586. ſcripſit De inuentione, & tranſlatione S. Mauri Abbatis, lib. 1. qui extat m. s. in Monaſterio Rubræuallis in Gallia.

Odo Gallus, Monachus, & Abbas Monaſterij, & Cong. Floriacenſis, ſiue alijs, *Abbas Morimundi*, ſcripſit Sermonem De tranſlatione reliquiarum Corporis S. Benedicti ad Floriacum. Extat m. s. in Monaſterio S. Benedicti agri Mãtuani, & plerisque aliis in locis. Item Sermonum diuerſorũ, lib. 1. qui eſt Caſſini m. s. in pluteo quarto ad lęuam. Arnold.

Odo Gallus, qui ſeculo nono à Chriſto nato vixit, quique extat in Bibl. Vaticana, hiſtoriam ſcripſit fide dignam De diuina vltione in occupatorem, & deſolatorem Monaſterii S. Mauri. Vide 10. To. Baron. Annal. ſub annum 845.

Odo Gallus, Ord. Prędic. ſcripſit Poſtillam ad D. Pauli Epiſt. omnes quattuordecim. Extabat Venetiis in Cęnobio eiuſdẽ Ord. SS. Io. & Pauli, incipit, *De comedente exiuit cibus.*

Odo Pariſienſis Epiſcopus, ſcripſit Synodicas Conſtitutiones, quæ extant in To. 6. Bibl. SS. PP. Bignęi.

Odo Seuerus, (quemadmodum teſtatur Gulielmus Eiſingrenius) natus in Anglia, ad Orientalem plagam, ſcripſit De Euchariſtia. Statuta item Synodalia, variaque Poemata. Vixit eidem, ann. 964.

Odo Epiſcopus Tuſculanus, ſcripſit Homilias, ſiue Sermones duobus grandibus Voluminibus per totum annũ. Extabant manuſcripti Romę in Vaticana Bibliotheca, & apud Aſcanium Martinengum Canonicum Regularem, Brixiæ. Veruntamen quis, quouę tempore fuerit Odo, mihi incertum. Planiore Stylo, & ad pietatem apto vtitur, doctrinam, è Theologicis fontibus hauſtam oſtendens.

Odonivs Campanus, Germaniæ Superioris Carmelita, in Cathed. Eccl. Ciuitatis Ydonenſis primò De Cõcept. Beatiſs. Virg. cũ altero Theologo diſputãs, deinde librum De Cõceptionis eius puritate; Collationes itẽ ad populũ plures edidit. Viuebat an. 1350.

Odorannvs onachus S. Petri Viui Senonenſis, ann. 1045. collegerat Chronicon Rerum in Orbe geſtarum, cuius fragmentum cum duodecim Scriptoribus, eius temporis æqualibus, prodiit Francofurti ann. 1594.

Odoardvs Vueſtonus, Anglus, Theologus, & in Collegio Anglorũ Duaci in Belgio, Profeſſor Theologiæ, cuius maiores non ſolum catholici, verumetiam eius maternus auus Ioannes Storæus, & Gulielmus Vueſtonus parens, ille martyrio ob fidem catholicã, hic decennij cuſtodia, bonorumque diſpendio vitam feliciter finierunt, ſcripſit, atque edidit Opus eruditum, ac ſatis grande, quod inſcripſit. *De triplici Hominis officio ex notione ipſius Naturali, Morali, ac Theologica, Inſtitutiones Orthodoxa contra Atheos, Politicos, Sectarios.* Antuerpiæ apud Ioannem Keerbergium, ann. 1602. (Sander. lib. 7. Viſib. monarchiæ. Genebr. libro 4. Chronol. Surius lib. comp.)

In primo autem libro deducuntur ea Præcepta Officij, quæ pullulant ex natura ipſius hominis, vtpote ex eius cauſſis, at fine, ex dignitate quoque, qua alijs antecellit, ſimulac ex infirmitate, & imbecillitate tam corporis, quàm animi propagata: atque oſtenditur in quibus placita hæreticorum hac ex parte officio virtutis nocent, orthodoxorum verò dogmata illi ſuppetias ferunt, & patrocinantur.

In ſecundo diſputatur De Actionibus humanis, & moralibus: Quæ quod verſentur in moderatione perturbationum, de quattuor illis Cardinalibus, nempe amore, odio, triſtitia, & timore, inquiritur: circa quod vniuſcuiuſque obiectum peculiare Tractatus in-

 ſtituitur,

stituitur,inseruntur que precepta,quibus cohiberi possunt,ne in vitia deflectant. Demum conficitur,Orthodoxorum dogmata homines quoque ex hac parte promouere ad honestatem morum, & innocentiam vitæ: hæreticorum verò asserta procliuia admodum esse ad omnem vitæ turpitudinem: nostra esse uirtutũ præsidia,illorũ verò incentiua vitiorum.

In tertio inquiruntur hominis Actiones,vt relatæ in Deum: Proinde disputatur De existentia,Perfectione,Prouidentia Numinis: Mox agitur De Religione,& Speciebus omnibus cultus Superstitiosi: Denique De Fide,Spe,& Charitate: è quibus item capitibus demonstratur hæreticorum dogmata virtutis officium violare, Orthodoxorum verò sententias illud adstruere,& contra vitia vndequaque munire, ac defendere.

Porrò inscripsit hoc Opus Academicis Oxoniensibus in Anglia; qua in Academia eius Parens in Collegio Linconliensi iuuenis operam litteris primum,deinde Londini inter Regni nobiles in æde Linconliensi, legibus addiscendis nauauit. Eiusdem quoque Oxoniensis Collegij Hugo Vuestonus Rector extitit aliquando prudentiss. & insignis Theologus Decanus Vuestmonasteriensis, Patruus eius; vt tot nominibus, & hoc labore eximio Academici illi ad fidem Catholicam allici possint, si sapiant.

Ceterum si cum hoc Opere Lector cõiunxerit, quæ Bernardinus Rossiniolus noster primum De disciplina interioris Hominis, deinceps autem duobus alijs libris De actionibus virtutum doctè, ac piè disseruit, erit quod parum in hoc argumento desideres, si quidem hęc in rem contuleris.

O E

OECOLAMPADIVS hereticus,& inter hęreticos primę Classis prohibitus, quę Patrũ antiquorum è Gręco in Latinum conuersa à se, euulgauit, non est sine facultate, & magna cautione legendus. Conferat cordatus Lector versionem Io. Damasceni factam à Billio, cum ea Oecolampadij,& huius agnoscet esse quisquilias prę splendore versionis Billij.

OECVMENIVS Gręcus Scriptor,quamuis à Sixto Senensi, & ab alijs hactenus habitus sit Auctor Scholiorum ad Epistolas D.Pauli,rectè tamen mihi scripsit Fronto Duçeus noster in antiquis Gręcis Patribus accuratus obseruator, ea non esse Oecumenij, nisi ex parte,neque verò Auctorem illius Catenę tam antiquum fuisse. Neque enim solet Auctor eius Catenę aliquid suum interserere,nisi rarissimè. Quin etiam multa reperiũtur collecta à Niceta Heracliensi Archiepiscopo, cui etiã à plerisq; tribuitur codicibus m.ss. Catena illa in Iob,quæ ab alijs Olympiodoro ascripta est. Vide in verbo, Olympiodorus.

Porrò quę nomine Oecumenij feruntur,siue Gręca,siue ab Hentenio(nõ omnino rectè) versa,ea Sixtus Senensis in sua Bibl.Sancta hunc in modũ enumerauit. Oecumenius,Gręcus auctor,valde doctus,in explicãdis D.Scripturis breuis,apertus,& elegans,atque in veterum Cõmentarijs euoluendis assiduè versatus, collegit solerti cura ex dictis pręstantissimorum Gręcæ Ecclesię doctorum nobiles annotationum Commẽtarios in Octateuchum; quos ipse in Commentarijs suis in Epist. ad Hebr. c.6. se scripsisse testatur. collegit etiã per simili industria in totum nouum Testamentum Catenam explanationum: ex quibus legi,

In Acta Apostolorum, lib. 1. cuius initium est: *Lucas Euangelista.*

In omnes Epist. Pauli, lib. 14. quorum initium est: *Eutalij Diaconi.*

In Epistolas Canonicas lib. 7. *Hanc scribit Iacobus.*

In Apocalypsim librum vnum. *Sciendum quòd vniuersum.*

Nomina verò Auctorum; ex quorum explanationibus Catena contexta est, hæc sunt.

Papias.	Hippolytus.	Acacius.	Seuerianus.
Clemens.	Athanasius.	Isidorus.	Gennadius.
Methodius.	Eusebius.	Photius.	Aretas.
Dionysius.	Basilius.	Chrysostomus.	Andreas.
Irenęus.	Gregorius Nyssenus.	Gregorius Nazianzenus.	Cyrillus.
Origenes.			Theodoretus.

His

His explanationibus Oecumenius suas quoque explanationes proprio nomine prænotatas inseruit; vt ex titulo cognosceret Lector, & quid ab ipso, & quid ab aliis patribus haberet. Transtulit autem hoc Opus in Latinam linguam Ioannes Hentenius Mechliniensis, monachus Hieronymianus, adiectis annotationibus locorum aliquot, in quibus Oecumenii editio differt à vulgata Græca noui testamenti editione. Claruit, vt ex temporibus auctorum, qui ab eo citantur, apparet, post annum Domini 800.

Porrò enarrationes vetustissimorum Theologorum in Acta, & in omnes D. Pauli Epistolas, & Catholicas ab Oecumenio; in Apocalypsim verò ab Areta Cæsareæ Cappadociæ collecta, Ioan. Hentenio Interprete, vnà cum Remigii Altissiodorensis in vndecim Posteriores Prophetas enarratione, primum edita omnia fuere Antuerpiæ apud Ioan. Stelsium ann. 1545. Sed (vt diximus) haud assentiendum est Interpreti Operis huius auctorem asserenti Oecumenium, vt neque aliis prorsus De Olympiodori Catena in Iob. Quin & eodem anno Parisiis apud Carolam Guillard eadem prodierunt; cum multo antea contextus ipse Græcus prodiisset Veronæ, nempe anno 1532. Commentarii autem in Epistolam ad Romanos Latinè redditi à Ioanne Lonicero, Basileę anno 1537. & verò in omnes Epistolas Diui Pauli Maximo Florentino Interprete, Latinè Basileę anno 1513. Sed & postea sequenti prænotatione Oecumenii & Aretæ expositiones antiquę, & valde vtiles, ex diuersis Sanctorum patrum Commentariis collectæ in Acta Apostolorum: in septem Epistolas Catholicas, in Epistolas Diui Pauli, & Ioannis Apocalypsim, Græcè adhuc Veronę, ann. 1568.

In Latina uerò Oecumenii Interpretatione in Apostolorum Acta, quæ Hentenius interpres non uidetur esse assecutus, notat eruditè Iacobus Billius, capit. 21. libro primo, Obseruationum suarum Sacrarum. Quę nos hic aliquanto breuius, in Typographorum gratia m qui ista recusuri sunt, libenter inserimus: simul item, ut viri docti siue concionando, siue docendo, synceriorem ipsum contextum è fontibus Gręcis assecuti hoc loco, habeant ad manum, quę in suas, & aliorum mentes deriuent.

Capite igitur primo, vbi est in Latina versione. *Hic se nihil prætermisisse ait eorum, quæ cohærerent, ac vrgerent;* vox συνεχόντων parum commodè reddita est. τὰ συνέχοντα enim præcipua sunt, maximique momenti, non autem cohærentia. Eodem cap. super illa Lucæ verba. *Igitur qui congregati fuerant.* Græca sic habent: καὶ ἀπαλλαγῆναι τῶν δυσχερῶν ἐπεθύμουν, idest *molestijs ac acerbitatibus liberari cupiebant.* Hentenius *hæsitationibus.* Ac paulò inferius. Vbi Græca habent: πρὸς τὴν παρουσίαν εὐπρεπεστέρους ποιῶν nullo modo dubitem, quin εὐτρεπεστέρους legi debeat, & in Latino, *paratiores* pro *decentiores.* Cap. 3. ἀκροατὰς ἔχων μυκτηρίζοντας, καὶ φωνῶντας. Hentenius *subsannantes & clamantes auditores habens.* Ego, pro φωνῶντας restituo φονῶντας ex Græco Chrysostomi Codice; quem mihi D. Nullius vtendum dedit: ex quo hęc mutuatus est Oecumenius, φονᾶν autem est *cædi inhiare.* Eodem cap. ἔπαθον τὴν ψυχὴν, ἑαυτὸν κατέγνωσαν. Hentenius, *senserunt animam, quæ ipsos condemnabat.* Ego sic malim: *Commoti sunt, seipsos condemnarunt.* Et aliquanto inferius in his verbis: *factus est omni animæ timor.* Græca habent, οὐ γὰρ ὡς τῶν τυχόντων κατεφρόνουν, ἀλλ' ἐπειδὴ πολὺς ἦν ὁ Πέτρος ἄνωθεν, καὶ τὰ μέλλοντα διὰ τῶν ἐπαγγελιῶν δεικνύων, εἰκότως ἐφοβοῦντο, idest, *non enim eos vt vulgares ac plebeios aspernabatur: sed quia Petrus magno verborum impetu superius ferebatur, ac futura per promissiones ostendebat, meritò pertimescebant.* Hentenius autem incommodè sanè. *Neque enim more vulgi despiciebant:* Typographi enim vitio legitur, *desipiebant, sed quoniam Petrus multus erat ac vehemens desuper fluendo siue exhortando & futura promissionibus ostendendo meritò terrebantur.* Nimirum eum fefellit quid significet: πολλῷ ῥεῖν, quod quidem Demosthenes in Oratione pro Corona Pithoni Byzantino tribuit, vtpotè viro summa vi dicendi prædito, quique rapidi cuiuspiã torrentis instar in dicendo ferretur, quod etiam πολλῷ φέρεσθαι dicit Nazianzenus in Basiliana. Cap. 4. vbi de claudo sanato sermo est, οὐδὲ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ τοῦ κυρίου αὐτοὶ ἐφρόντιζον. Hoc est: *Neque proprij ipsius nominis curã habuerunt,* idest *proprium ipsius nomen exprimere minimè curarunt.* Hentenius autem: *Neque cura illis fuit de no-*

mine Domini ipsius: vbi κυρίου vocabulū ob homonymiam ipsi imposuit. Eod.c. in his verbis: *Viri Israelitæ* τὰ κάτω συρόμενα *inferiora detracta* vertit Hentenius, minus rectè meo iudicio. Græci enim Theologi τοὺς κάτω συρομένους eos vocant, *qui humi volutantur, ac terrenis rebus addicti sunt:* eodemq; modo; τὰ κάτω συρόμενα, *res humiles & abiectas.* Cap. 5. super his verbis: *Et nunc Domine aspice in minas eorum, &c.* vbi legitur in Græco: μικρὸν ὑπὸ τῶν δὲ τῶν σαρκικῶν ἀποστρεφομένους μακρὸν lubentius legerim. vel sic potius μικρὸν ὑπὸ τοῦ δὲ τῶν σαρκικῶν ἐπιστρεφομένους. idest, *Parum deinceps carnales homines curantes.* Non longe Græca sic habent ταῦτα γὰρ ὑπαινίττεται διὰ τῆς καρδίας· καὶ τῆς ψυχῆς πρὸς ἓν κατάλυμα τὴν ὁρμὴν ποιουμένων. τὸ δὲ ἓν τὸ πρὸς εὐαρέστησιν συντεῖνον Θεοῦ. idest, *Hæc enim subindicat per cor & animam ad vnum velut diuersorium contendentia, nimirum ad Deo placendum.* Hentenius autem. *Hæc enim subindicat per cor & animam, quæ ad vnum concurrunt compositum. Quod autem dicitur erat, Dei manutenentiam significat ad conseruandam animi placabilitatem.* Quam autē hęc cum Græcis concordent, ipse viderit. Nec enim meum est quenquam insectari. Cap. 5. super illis verbis, *Per manus verò Apostolorum.* Gręca sic habent, ὡς ἂν τῆς σκιᾶς Πέτρου βουνὸν ἐμμεθυούσης τυγχάνωσιν. hoc est, *vt Petri umbra, quæ roboris afferendi potestate prædita erat fruerentur.* ἐμφιθεῖν enim, hoc loco idem planè est quod δύνασθαι. Hentenius autem sic vertit, *vt per vmbram Petri prolongatam consequerentur salutem.* In fine eiusdem Capitis Gręcè sic habent εἰ γὰρ καὶ οἱ ἀπόστολοι μετριοφρονοῦντες, τῷ διδασκάλῳ ἀνετίθεσαν τὰς θαυματουργίας ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ταύτας συμπαιρανομένοι, ἀλλὰ καὶ ὁ βίος αὐτῶν. καὶ ἡ ἀρετὴ ἀποστολικὴ οὖσα, ἱκανὰ τὸ μεγαλεῖον βραβεῦσαι τοῖς οὕτω προαιρουμένοις βιοῦν. Vbi postrema verba nō satis assecutus esse videtur interpres, ad hunc modum vertens: *attamen vita eorum virtusq; verè Euangelica, idonea erat, qua plurimum collaudaretur, magnumq; assequeretur præmium in his qui ita viuere delegissent.* Sic enim potius hæc vertenda mihi videntur: *attamen ipsorum quoque vita, ac virtus Euangelica ad huiusmodi amplitudinem his conciliandam sufficiebat, qui ad hunc modum viuere instituissent.* Loquitur Oecumenius de miraculis editis ab Apostolis, quæ partim diuinæ potentiæ, partim ipsorum virtuti ascribenda censet. At cap. 6. super his verbis, *timebant enim plebem,* grauius adhuc lapsus videtur interpres. Vbi enim in Græco est: ὢ τῆς ἐμβροντησίας τῶν ἐπ' ἀδήλῳ μὲν τῷ φόβῳ τοῦ ὄχλου τὸ σῶφρον ἐπεγνωκότων τοῦ Θεοῦ δὲ προδήλως ἀεὶ τῶν χειρῶν αὐτῶν, καθάπερ πτηνοὺς τοὺς ἑαυτοῦ ἐξαρπάζοντος, μηδὲ ἥν τινα ὤραν ποιεῖσθαι προθυμουμένων. Ille sic reddidit: *O dementiam istorum, qui turba quidem prudentiam latentis timore cognouerant, similiter & Dei, qui manifestè suos semper de manibus eorum tanquam volucres eripiebat: nec tamen vnquam adoptari cupiebant.* Quæ quidem verba, ne quid grauius dicam, ab Authoris sententia longissimè remota sunt. Ego itaque sic reddo. *O amentiam eorum, qui ob incertum quidem plebis metum sese coercere nouerant, Deum autem, qui perspicuè semper ex ipsorum manibus suos, tanquam volucres eripiebat, nullam curam gerere constituebant.* Hoc enim loco, ὤραν ποιεῖσθαι nihil aliud est, quàm ἐπιστρέφεσθαι vel λόγον ποιεῖσθαι. Eodem cap. super his verbis, *Et Spiritus Sanctus quem dedit Deus his, qui ipsi obediunt,* Græca sunt eiusmodi: οὐχ ἡμῖν εἴρηται ἀποκληρωτικῶς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. idest, *Non dictum est nobis separatim, qui diligimus eum.* Hentenius autem sic, *Neque enim dictum est nobis solis qui eum diligimus distribuendo munera.* Vbi certe eum fugit, ἀποκληρωτικῶς hic idem omnino esse quod μόνον. Rursus sub finem eiusdem capitis Græce sic habent: Τοὺς δὲ μαστίξαι τῆς τῶν συμβουλευσοποιοῦ μανίας. idest, vt Hentenius vertit, *Verberare autem Apostolos eorum qui imbuta insania persuasi erant.* Ego autem lubentius ita transtulerim. *Flagris autem ipsos afficere indelebilis eorum furoris erat quibus consilium dabat.* scilicet Gamaliel. Neque enim vir optimus hęc illis persuasit, vt Apostolos virgis cęderent, quippe qui contrarium potius suaderet. Cap. 8. ὡς ἂν ἔπως εἰς ἀπορίαν αὐτὸν παραστήσειαν, αἰσχύνην αὐτῷ προσπορίσωσι τῶν πρεσβευομένων ἀμαθῶς ἔχοντι. Hoc est, *vt si forte ipsum ad infantiam redigerent, probrum ipsi conciliarent, vt qui earum rerum imperitus esset, quas assereret.* Hentenius autem, *vt si fortè ad hæsitantiam consiliique inopiam eum adigerent, pudore suffunderent, tanquam insipienter se habentem in his, quæ sibi delegata essent.* Quo loco eum fefellit quidnam hoc loco πρεσβεύεσθαι significet. Loquitur enim Oecumenius de Stephano, cuius nomini

mini infamiam ſeſe hac ratione aſperſuros eſſe impij homines exiſtimabant, ſi doctrinæ, quam profitebatur, rationem reddere minime potuiſſet: εἰς ἀπορίαν autem παριστάναι idem eſt cum eo, quod mox ſequitur εἰς ἀφασίαν συνελαύνειν. Vernacula lingua Gallica dicere ſolemus; mettre à quia paulo poſt. λῃστρικώτερον χωρεῖν. Quod Hentenius transfert, *clam procedere*. Ego malim, *prædonum more graſſari*: vt etiam aliquanto pòſt, πανταχοῦ λῃστρικοῦ ἔχονται. Verto. *Vbique prædonum morem retinent*: Non vt Hentenius, *furtiuos vbique nituntur aggreſſus*. Neque enim ij, qui Stephanum laceſſebant, furtim, ac velut per cuniculos optimum virum aggrediebantur, ſed aperta vi. Eodem cap. in his verbis: τῷ ὑποδείγματι τούτῳ εἰς ἀπείθειαν ἀποσκάπτων τῶν νῦν. Perſpicuus error in Græco eſt, etenim pro ἀποσκάπτων ἀποσκώπτων legi debet. Itaque ſic verto. *Hoc exemplo eorum qui nunc ſunt inobedientiam inſectans*. Hentenius vitio libri deluſus: *hoc exemplo detegens præſentium inobedientiam*. Eodem cap. ſuper his verbis, *Ipſum audietis*. Græca ſic habent, καὶ ταῦτα ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἔνθα ὑμῶν προειστήκειν μάλιστα. Hoc eſt: *Idque in deſerto, vbi maximè vobis præſidio eram*. Hentenius autem: *Et hæc quidem in deſerto vbi longiſſima fuit mora veſtra*. Vbi ſanè quid illi in mentem venire potuerit, vt ita verteret, non queo conijcere. Cap. 13. de Barnaba loquens ἦν δὲ ἄνθρωπος χρηστὸς σφόδρα. διὸ καὶ υἱὸς παρακλήσεως φερώνυμος ἐλέγετο. Hentenius: *Filius conſolationis ex nomine dicebatur*. Ego autem *Idcirco Barnabas*, hoc eſt, *conſolationis filius* apto nomine appellabatur, *hoc eſt re præſtabat id quod nuncupabatur*. Ac miror quonam pacto ipſe quoque Eraſmus in tam facili vocabulo hæſerat. Etenim cum in Epiſtola D. Hieronymi ad Deſiderium, quæ incipit, lecto ſermone hæc verba legiſſet, *Gratulor tibi, & ſanctæ atque venerabili ſorori tuæ Ferenillæ, quæ Feronomos*, (Feronymos autem legendum eſt) *calcatis fluctibus ſeculi, ad Chriſti tranquilla peruenit*: in ſcholiis ſuis ſcribit, *ſequebatur dictio Græca, quam quidam ſuſtulerant: alij variè poſuerunt: ſed ita vt nihil potuerim conijcere, quod mihi ſatisfaceret. Expectandum eſt igitur exemplar emendatius*. Hæc ille.

Atqui facilè erat conijcere legendum eſſe φερωνύμως. Hoc enim vult Hieronymus fœminam illam appoſitè Ferenillam appellatam fuiſſe, quod ad tranquillum vitæ genus ſe contuliſſet. Verum ad inſtitutum redeamus. Cap. 15. οὐ γὰρ ἠξίου ἀπὸ τοῦ ἀξιώματος αὐτὸν μεταπέμψασθαι. Hentenius, *Nolebat dignitatis nomine eum accuſare*. Ego autem: *Nolebat imperioſè eum accerſere*. Loquitur de Centurione qui Petrum accerſendum curauit: ἀπὸ ἀξιώματος is aliquem alloqui dicitur, qui imperioſius aliquanto eum alloquitur, atque ita vt dignitatis authoritatiſque ſuæ meminerit, contra qui altiſſima dignitate præditus, familiariter, ac veluti poſitis faſcibus cum homine inferioris notæ colloquitur is οὐκ ἀπὸ ἀξιώματος, vel οὐκ ἀπὸ σχήματος (ſic enim loquitur Baſilius in Epiſtola ad Candid.) αὐτῷ προσδιαλέγεσθαι dicitur. Cap. 26. εἶτα καὶ χρῆσιν αὐτοῖς Ἀράτου ἐπάγει. ideſt, *Deinde etiam ipſis locum Arati producit*. Fallitur enim Hentenius, qui χρῆσιν vaticinium exponit: quemadmodum & cap. 29. vbi de his Chriſti verbis loquitur, *Beatius eſt dare, quàm accipere*, χρῆσιν enim παράγειν idem eſt, quod locum aliquem authoris cuiuſpiam proferre, vt mille exemplis planum facere poſſem, niſi in re perſpicua verba conſumere pigeret. Cap. 32. Volens Diabolus Paulum facere participem criminum, quæ ſibi congruebant Græcos ἐκείνῳ, ideſt illi non ſibi. Hoc enim refert ad ſeditioſum illum Aegyptium, non ad Diabolum. Cap. 33. οὐ γὰρ ἐβούλετο εὐκαταφρόνητος φανῆναι τῷ χιλιάρχῳ. εἰ γὰρ αὐτὸς μὲν ἐφείσατο μαστίξαι, ὡς δὴ τοῖς Ἰουδαίοις ἐκδίδοσθαι μέλλοντα ὑπὸ τῶν οἰκετῶν τύπτεσθαι, hoc eſt *non enim volebat Tribuno vilis, & contemnendus videri. Etenim ſi ipſe quidem à flagellando abſtinuiſſet, tanquam Iudæis dedendus eſſet, vt à ſeruis cæderetur*. Hentenius autem *Non enim volebat Tribunum intelligere, quod facile deſpiceretur. Nam quam ille peperciſſet ne flagellaretur, ſi poſtquam ad Iudæos eductus eſt, contigit vt à miniſtris verberetur*. Quæ verba longe à Græcis diſcrepant. Ex hoc autem loco corrigenda eſt tranſlatio Chryſoſtomi Homil. quadrageſimaoctaua, in Acta, vbi hæc ſic habentur: *Si enim ille quidem peperciſſet Tribuno flagellari, Iudæis expoſituro, quòd à ſeruis cæderetur*. Hæc enim verba à Græcis tam diſſident, quàm quæ maximè. Sed & eodem Cap. trigeſimo tertio, paulò inferius, haud ſatis Oecumenij ſententiam expreſſiſſe videtur interpres.

Sic enim Græca habent: ἔστι γάρ καὶ μεταχειρισμοῦ χρήσασθαι ἰσχυροτέρῳ παρρησίας· πολλάκις γάρ παρρησία μὲν ἄκαιρος ἔβλαψε τὴν ἀλήθειαν, μεταχειρισμὸς δὲ εὔκαιρος κατώρθωσε τὸ προκείμενον. Hentenius: *contigit enim vt quis grauiori dispensatione libera locutionis vtatur. Frequenter enim intempestiua loquendi libertas veritati nocuit: tempestiuus autem eius vsus, quod propositum erat correxit.* Quæ verba quàm parum Græcis respondeant, quid me commemorare attinet, cum id cuiuis perspicere promptum sit? Ego itaque sic potius transtulerim: *Licet enim calliditate quoque libertatem loquendi superante nonnunquam vti. Sæpe enim intempestiua libertas veritati detrimentum attulit: contra tempestiua calliditas id quod propositum erat, confecit.* Loquitur enim Author de eo, quod dixerat Paulus, *Nesciebam quod summus sacerdos esset*. Quæ quidem verba etiam si dissimulatione à Paulo habita sint, omni tamen reprehensione carere ait. Licere enim interdum calliditate, ac dissimulatione vti, cum intempestiua verborum libertas plus incommodi quam vtilitatis allatura sit. Itaque μεταχειρισμὸς hoc loco idem est quod προσποίησις, quemadmodum etiam liquet ex his quæ præcedunt προσποιεῖται ἄγνοιαν οὐ βλάπτουσαν, ἀλλ' οἰκονομοῦσαν. Cap. 35. Interpres non satis horum verborum mentem intellexisse videtur τὸ τοιοῦτον. idest, *Quod Diabolo vouetur,* sic enim reddidit. *Quod enim eiusmodi non reponitur, aut deponitur, sed reijcitur.* Itaque sic malim: *quod enim huiusmodi est, non appenditur, sed dependitur.* Hoc enim vult Oecumenius, id quod Diabolo vouetur κατάθεμα potius, quàm ἀνάθεμα dicendum esse, ἀνάθεμα enim id demum propriè dicitur, quod Deo appenditur, atque conseruatur. Atque eodem modo apud Athenæum non illepidè quidem ad eum, qui impropriè verbo ἀνακεῖσθαι pro κατακεῖσθαι, idest mensæ accumbere vsus fuerat, hoc regessit. καὶ δὴ καὶ ἀνακείσο, idest suspendaris, vt donaria ea, quæ dijs consecrantur. Cap. 37. καὶ μετὰ κόπου, καὶ πόνου, καὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα, idest, *tum elaboratè, tum ex tempore.* Hentenius vtrunque cōfundit, sic vertens, *multo cum labore, & molestia, idque protinus.* Hoc vult illic Paulus separatum esse ad fidei Christianæ veritatem vel longa atque elaborata oratione, vel in promptu & ex tempore, si ita Agrippa mallit, asserendam. Cap. 38. τῆς εἱμαρμένης ἐπὶ τὸν προῦπτον κοιμωμένης. Hentenius: *Cum fatum, ad id quod præuisum est, obdormiat.* Ego autem sic. *Cum fatum in perspicuis, ac velut ob oculos positis dormiat.* Eodem capite hæc verba: ἵνα κατάσχοι αὐτούς, ita rursus vertit, quasi in Græco esset καταισχύνῃ. sic enim reddidit, *vt confunderet eos.* sic autē trasferendum erat, *vt eos retineret.* Rursus aliquāto inferius, in his verbis, οὐ γὰρ ἦν αὐτοῖς φροντὶς τροφῆς, ἅτε οὔτε περὶ τῶν τυχόντων ὄντος κινδύνου non mihi cū eo conuenit, sic enim trāsfert. *Non enim erat illis cura cibi vtpote non sinente periculo occupari circa res vulgares.* Ego autem ad hunc modum. *Non enim illis cibi cura erat, quippe qui non in vulgari periculo versarentur.* Cap. 40. καὶ τὰ παριστάμενα λέγει. Hentenius: *Et ea dicit quæ sibi mutuo constant.* Ego autem: *Et ea dicit, quæ promptè ipsi in mentem venerant.*

O F

OFFICIVM, siue Preces Horariæ quæ in Ecclesia recitantur, quamuis passim excusæ sint, cum tamen aut specie pietatis, aut spe lucri à Typographis sæpe vel auctæ vel variatæ fuerint, eæ nunc sunt recitandæ, quas Clemens VIII. Pont. Max. recognitas edi mandauit. Reliqua verò Officia, quæ peculiaria dici possunt, quæ quidem à Religiosis quibusdam concessu S.R.E. recitantur, quibusnam in locis excusa, & qua auctoritate prodiere non hic omnia afferimus, quoniam vnicuique familiæ Religiosæ sunt sua præ manibus.

OFFICIORVM Scholasticorum libri duo, quorum prior munus tam iuuentutis, quā populi Christiani Magistrorum edisserit, posterior Auditorum officia complectitur. Coloniæ apud Maternum Cholinum, ann. 1570.

OFFICIVM Hebdomadæ Sanctæ, secundum consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, ad vsum Catholicorū per Germaniam, cū rubricis. Monachij apud Adamum Berg. an. 1571.

OFFICIVM Diurnum ad vsum Romanū. Officium B. Mariæ. Officium Defunctorum. Septem Psalmi Pœnitentiales, cum multis alijs tum Psalmis, tū Orationibus, omnia ex Decreto Concilij Trid. restituta. Antuerpiæ apud Plantinum, ann. 1570. & Leodij ann. 1571.

OF-

OFFICIVM B. Mariæ Virginis, reformatum, Pij V. Pont. Max. iussu, & figuris æneis quam artificiosissimis, & litteris maioribus, siue ornamentis marginalibus editum. Charta regali in 8. Antuerpiæ apud Plantinum ann. 1573. & 1575. ibidem. Iterum autem ibidem ann. 1590. & 1591.

OFFICIVM integrum De nomine Iesu, iuxta vsum ab Ecclesia receptum. Cui accesserunt Calendarium, duplex Litania, & piæ aliquot ad Iesum Christum Orationes. Vesontione apud Ioannem Exerterium ann. 1590.

O G

OG Regis Basam liber, cuius Moyses meminit Num. 11. & Deut. 3. cap. inter damnatas scripturas refertur, atque reijcitur à Gelasio Distinct. 15.

O L

OLAVS Magnus, Gotthus, Lincopẽsis scripsit Historiam De Gentibus Septentrionalibus, quæ Basileæ ann. 1567. excusa est, cũ antea Venetijs edita eiusdem fuisset ann. 1539. amplissima Tabula Septentrionalium Terrarum, & rerum mirabilium, tum in ipsis, tum in circumiacente Oceano contentarum, vnà cum varijs animalium figuris, & Germanico libello, in quo omnia, quæ depicta sunt in tabula, explicantur. Nam rerum in ipsa tabula inscriptiones ferè sunt Latinę.

OLBERTVS Belga, Monachus, & Abbas Gemblacensis. Cong. Cluniacensis, ad Raginerum Comitem anno circiter Domini 1048. Scripsit De inuentione S. Veroni Confessoris. Qui liber extat m.s. in Belgio. Arnold. Vion.

OLDONIVS Hispanus Monachus, & Prior monasterij Cellæ nouæ, Congreg. Cluniacensis, scripsit Vitam Rodosindi Episcopi, & Monachi.
Rationale Diuinorum Officiorum ann. 1227. vt ex his versibus liquet.

Odonius librum per Christum concedit, vel conficit istum,
Bis denis annis septem supra mille ducentis.

Vtrumque Opus extat m.s. in Hispania, vt refert Ambrosius Morales.

OLEASTER. Vide in verbo, Hieronymus Oleaster.

OLIRA, siue Oliua, Monachus & Abbas monasterij S. Mariæ Riuipollensis, & S. Michaelis Confluentis, deinde Oxomensis (non rectè autem à quibusdam *Ausoniensis*) Episcopus. Floruit ann. 870. Obijtque ann. 885. succedente sibi Anatolo, scripsit nonnulla, quorum extat fragmentum excusum Francofurti ann. 1594. & Epistola, qua egit De pace inter Episcopũ, & Vicecomitẽ Narbonensem, & alios. Annales Aquitanici. Arnold. Vion.

OLIVERIVS S. Bauonis Prior, qui de Eucharistia scripsisse, atque vixisse ann. 1449. dicitur, non est à me visus, quare nec qualis sit iudicium est à me ferendum.

OLIVERIVS Brito, Gallus, Ord. Pred. Theologus Parisiensis, scripsit Commentaria ad libros Sent. Magistri. Lecturam ad D. Lucæ Euangelium. Sermones De Tempore. In Elenchos Aristotelis. Viuebat ann. 1300. Boscono Buriensi. At Ant. Senensi ex Leandro, & Alberto Veneto ann. 1291. quorum vtrumque verum esse potest.

OLIVERIVS Conradus, Gallus, Ord. Minorum, Gallicè Vitam S. Pauli Apostoli, & Librum Parisijs edidit, quem *Speculum peccatorum* inscripsit.

OLIVERIVS Mailardus, quem alij Britannum, quod magis credo, alij Parisiensem fuisse scribunt, Parisiensis quidem Theologus, & Ord. Minorum, sanctitatis vitæ nomine celebris, reliquit Sermones De Aduentu, Dominicales, ac De peccati stipendio, & Gratię pręmio, Quos Henricus Villot inquit prodijsse ann. 1499. At & Argentinæ constat fuisse excusos apud Ioannem Knobloch ann. 1512. Parisijs autem ann. 1516. apud Ioannem paruum, cum iuris quæstionibus vnicuique sermoni apposite insertis.

OLIVERIVS Saxo, Germanus, S. R. E. Cardinalis, Padebornensi Clero constitutiones Synodales De Ecclesiastica disciplina edidit. Viuebat Eisingrenio, ann. 1221.

OLYMPIODORVS Alexandrinę Ecclesiæ Diaconus Catenam ex Patribus Gręcis, atque

atque in ea luculentum Commentarium in totum fermè librum Iob artificiosissimè, atque ingeniosissimè contexuit. Accedo enim lubens ad sententiã Pauli Comitoli, qui eandem Catenam, vt alibi diximus, è Græca Latinam fecit eleganter: Qui item solidis rationibus in editione Veneta, qua prodijt apud Iolitos, ann. 1587. euincit eam esse non Nicetæ Heracliensis Episcopi, sed ipsius Olympiodori.

OLYMPIODORVS alter, qui Monachus, (& quidem Græcus) Enarrationem & ipse in Ecclesiasten, succinctam (vt inquit Sixtus Senensis) eruditam, breuem, & elegantem Græcè conscripsit, ad triplicem scripturæ sensum in ea collineans, quam Zanobius Acciaiolus Florentinus, in Latinam vertit. Quæ & extat in Bibliotheca SS. Patrum, Margarini. Quin idem quoque Olympiodorus Peripateticæ Philosophiæ peritus, insignes Commentarios in Aristotelis Meteora reliquit, quæ iamdudum Græcè, & Latinè prodierunt.

Porrò falsi esse videntur, qui hunc Olympiodorum fecere Alexandrinum, cum superiore Diacono Alexandrinæ Ecclesiæ confundentes. Sanè verò non solū in Meteora scripsisse fertur, verum etiam Commentaria Græca in Platonis Phœdonem, quæ in Bibliotheca S. Saluatoris Bononiæ, & apud Didacum Hurtadum, Caroli V. Imp. apud Venetos olim legatum extabant, sicut item in Gorgiam, & Alcibiadem eiusdem Platonis. Quin & in Phędrum, & in Posteriora Analytica Aristotelis.

OLYMPIODORVS item alius affertur à Photio in sua Gręca Bibliotheca, qui ab Honorio, & Theodosio secundo Impp. vsque ad Valentinianum Placidiæ filium, duos & viginti libros Historiarum Gręcè contexuit, potius vt materiam alijs pararet, quàm vt ipse scriptor accuratus dici posset. Sed cum hic natus esset Thebis, quæ erat in Aegypto, & gentilis esset, non pertinet ad hunc Apparatū, nisi ne similitudine nominis Lectores fallat.

OLYMPIVS Hispanus Episcopus, qui primo Toletano Concilio interfuit ann. Domini 405. quarto autem Innocentij Papæ, Vir magnæ in Ecclesia, & in Christo gloriæ, (vt habet Augustinus contra Iulianum lib. 1. c. 3. & 7.) scripsit Librum Fidei aduersus eos, qui naturam, & non arbitrium in culpam vocant, aduersus Manichæos, dicentes, carnem à malo esse principe tenebrarum. Citat eiusdem scripta S. Augustinus lib. 1. c. 2. in Iulianum. Quæ tamen Opera non extant. Quod verò Suffridus Petrus ad Gennadij Catalogum adnotauit in Gemblacensi Codice, m.s. appellari *Opilium*, non Olympium, nihil nos remorari debet, quibus plerique alij omnes Codices, & adeo ipse S. August. *Olympiū* esse asserũt.

O N

ONITHON Sutrinus Episcopus, Italus, scripsisse Chronica Romanorum Pontificum dicitur à Io. Lelando. Ea quę non vidi linquo alijs, vt si viderint, moneant, & iudicium maturè ferant.

ONKELOS Scripsit Thargum, siue Interpretationem, vel potius Paraphrasim Pentateuchi à Moyse conscripti. De qua nos tum in verbo, Biblia, tum in secundo libro nostræ selectę Bibliothecæ egimus. Vide item in verbo Thargum huius nostri Apparatus.

ONNO, siue alijs, *Onno*, Frisius, Vir nobilis, qui cum secundum Veteres Frisiorum leges sorte postulante, Dijs immolandus esset, suspensus, ac tandem Sancti Vulfranni precibus saluatus fuit, à quo proinde ad Christianam fidem conuersus, monasticam vitam sectatus est in monasterio Fontanellæ, vnde *Fontanelli* cognomen accepit. Hic scripsit, quę nostri allegant, De visione Radbodi Regis, Deque horrenda eiusdem Regis morte. Floruit sub eodem Radbodo, circa annum septuagesimum decimum, de quo plura in Historia nostra Ecclesiastica. Hæc Suffridus Petrus libro de Frisiæ Scriptoribus.

ONVPHRIVS Panuuinius, Veronensis, Ord. D. Augustini, nostra vixit ætate, Vir ingentis lectionis, quem Paulus Manutius Historiarum Helluonem appellabat. Hic cum Historiam Ecclesiasticam, & profanam indefesso labore penè omnem peruoluisset, Rerumque seriem, ac tempora memoriæ, qua plurimum valebat, mandasset, magno fuit adiumento Scriptoribus, qui deinceps extitere, licet si, qui in flore ætatis decessit, diutius vixisset, pleraque alia absoluisset, ac quæ emiserat, diligentius adhuc, hoc æuo erudito, recognouisset.

gnouiſſet. Nos vt litterariæ Reip. conſuleremus, perquiſiuimus dudum, quinam extarent eius labores, atque adeo quinam deliteſcerent, vt & ſuus illi honor conſtaret, atque, ſi qui inde deſumpſiſſent, legitimum Auctorem aperirent.

Libri Ornuphrij Panuuinij, qui prodierunt è prelis.

Epitome Pontificũ Romanorum à S. Petro vſque ad Paulum IIII. Geſtorum, videlicet, Electioniſque ſingulorum, & Conclauium compendiaria narratio.
Cardinalium item nomina, dignitatum tituli, inſignia, legationes, patria, & ſitus. Venetijs ann. 1557.
Platina reſtitutus De Vitis Pontiff. cum ſexaginta ad eas Adnotationibus, & additione Pontiff. à Sixto Quarto, vſque ad Pium Quartum. Qui tamen labor, vt adhuc recognitione indigebat, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ mandato delata eſt eius recognitionis cura viris eruditis, quam expectamus.
De præcipuis vrbis Romæ ſanctioribus Baſilicis, quas ſeptem Eccleſias vulgò vocant, liber. Coloniæ ann. 1584.
Eiuſdem De primatu Petri, & Apoſtolicæ Sedis poteſtate, libri tres. Venetijs apud Franc. Franciſcium ann. 1591.
Chronicon Eccleſiaſticum à C. Iulij Cæſaris Imperio, vſque ad Imperatorem Cæſarem Maximilianum II. Coloniæ apud Maternum Cholinum ann. 1568.
De antiquo ritu baptizandi Catechumenos, & De Origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnus Dei vocantur, lib. 1. De Sibyllis.
Chronicon, Ord. Eremitanorum à D. Auguſtini tempore, vſque ad ann. 1550.
Interpretatio multarum vocum Eccleſiaſticarũ, quæ obſcuræ, vel barbaræ habẽtur, lib. 1.
De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos, & eorum Cæmeterijs, lib. 1.
De Stationibus Vrbis Romæ, lib. 1.
Faſti, & Triumphi Romanorum à Romulo, vſque ad Carolum V. Imp. additis Impp. Occidentalium, & Orientalium iconibus. Venetijs ann. 1557.
Commentarij Reipub. Romanæ libris 3. Venetijs ann. 1558.
Commentarius De Triumpho. Venetijs ann. 1571.
Commentarij in Faſtos Conſulares. ibidem.
Ciuitas Romana, Venetijs ann. 1558.
Viginti ſeptẽ Pontt. Rom. elogia, & imagines accuratiſſimè ad viuũ æneis typis delineatæ.
Libri quattor De Romanis Impp. Græcis, & Latinis: Deque ijs, qui ſummum habuere Imperium in Italia, Gothis, Longobardis, Francis, Germanis, Hiſpanis, & alijs Nationibus, cum eorum Genealogijs, & Arboribus à Cæſare, vſque ad Ferdinandum Imp.
Liber de Ludis Circenſibus cum æneis iconibus apud Ciottum, Venetijs ann. 1602.

Qui libri prodiere manuſcripti, ſed non fuere excuſi.

Quinque libri De Comitijs Imperatorijs, Quibus expenduntur varij, atque adeo omnes modi eligendorum Impp. à Cæſare, vſque ad Maximilianum ſecundum, cum Inſtitutione ſeptem Electorum Imperij. extant Monachij in Bauarica Bibliotheca.
De Eccleſia, Baptiſterio, & Patriarchio Lateranenſi.
Hiſtoria Familiæ Frangipaniæ libris quattuor.
Hiſtoria Familiæ Sabellæ libris quattuor.
Hiſtoria Familiæ Maximorum, libro vno.
Hiſtoria Familiæ Cenciorum, libris duobus.
Hiſtoria Familiæ Matthæorum.

Qui libri abſoluti, ſed non emiſſi.

De Origine ſeptem ſacrorum Ordinum Liber vnus.
Collecta è viginti libris Ritualibus, ſiue Cerimonialibus De Sacrificio Miſſæ, à Chriſti Domini

Domini tempore vsque ad millesimum, & tricentesimum annum: vnà cum plerisque Declarationibus rerum Ecclesiasticarum, Stationum, Indulgentiarum, siue Condonationum; Interpretatione, quoque rerum, seu verborum à Scriptoribus Ecclesiasticis vsurpatorum.

De Dignitate Sedis Apostolicæ, & de Potestate Summi Pontificis contra Centuriatores hæreticos. Quæ & inscripta est *Historia Ecclesiastica*.

Quinque libri De Creationibus Summorum Pontiff. Deque morte ipsorum, interregno, legibus ea de re sancitis à D. Petro, vsque ad Pium IIII.

De Origine Cardinalatus.

Chronicon Ecclesiasticum Summorum Pontiff. Impp. Patriarcharum, Conciliorum, Virorum sanctitate, ac doctrina illustrium.

Vitæ Patriarcharum quattuor primarum Sedilium.

Libri decem De antiquis, & recentioribus Ecclesijs, Monasterijs, Oratorijs, Cœmeterijs, & alijs pijs locis Vrbis Romæ.

Breue Iudicium De Historicis antiquis Latinis, & Græcis.

De Antiquis Vrbis Romæ ædificijs.

De Antiquorum superstitione, sacrificijs, augurijs, Haruspicijs, sortibus, sacris Epulis.

De Porticibus vnà cum tribus millibus inscriptionis Romanis.

Libri decem De Antiquitate, & Historiam Virorum illustrium Veronæ suę Patriæ.

Libri partim delineati, partim semiabsoluti, partim absoluti, sed non recogniti.

De antiquis institutis, ritibus, ceremonijs, & vsibus Ecclesiæ Romanæ.

De Antiquis Officijs, & Magistratibus Vrbis Romæ.

Breuis collectio Conciliorum Generalium, & Prouincialium.

Vitæ Archiepiscoporum, & Primatuum primariarum Ecclesiarum occidentis, Aquileiæ, Gradus, Rauennæ, Mediolani, Moguntiæ, Treueris, Coloniæ, Toleti, Canturberij, Senonensis, Lugduni, Carthaginis, & eiusmodi aliarum.

Historia Ordinis Eremitanorum, & De Origine aliorum Ordinũ Religiosorum, qui sunt apud Christianos.

Historia Ecclesiastica Vniuersalis.

Breuiarium Imperij Romani, cum ijs, quæ Pace, belloue gesta sunt Romæ, & foris à Romulo vsque ad Iustinianum Imp.

Volumen, quo vniuersus Mundi status describitur, tam ijs, quæ ad Religionem, quàm ad Politiam spectant. Itaque & de sectis, hæresibus, Ethnica impietate De vera autem Religione in primis, mox de falsis, siue aboletis, Iudaica, Mahometana, & alijs. Deinde & De Imperijs, Regnis, Rebus publicis, Prouincijs, Bellis inter eas, opibus, Dependentijs, vt vocant, origine vniuscuiusque Principatus.

Decessit autem ex hac vita ann. 1568. Pridie octauo Aprilis, anno ætatis suæ 39. Panormi, cum Alexãdrum Farnesium Card. S. R. E. Procancellarium, eò in Siciliam fuisset prosecutus, cui erat acceptissimus. Extat eius effigies ad viuum expressa ex ære in Ecclesia S. Augustini, cum Epitaphio inciso in nigro marmore ab eius amicis extructo.

ONVPHRIVS Ostecutus, Florentinus, Ord. Augustiniani, Theologus, & cõcionator insignis, quique ob vitę probitatem, atque doctrinã à Populo Florentino acclamatus Episcopus, ac deinceps à Bonifacio IX. Pont. Max. approbatus, reliquit Commentarios in quattuor Euangelistas. In Acta Apostolorum. In Primum librum Mag. Sent. Sermones ad Populum. Extant Perusij in Cęnobio D. Augustini. Eius autem ossa Florentiæ in capitulo Cęnobij S. Spiritus in marmoreo sepulchro hac inscriptione. *Hic iacet R. Dom. Mag. Frater Onuphrius, magnus Theologus, Episcopus Florentinus anno Domini 1403.* quippe hoc ipso anno obijt. Iacobus Bergomensis in supplemento chronicorum. Ioseph Pamphilus. Michael Pocciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

ONVPHRIVS Zarrabinus, è Cutiniola, Canonicus regularis Cong. S. Saluatoris,

edidit

edidit Italicè Homilias vberes totius anni & Quadragesimale. Venetijs apud Iordanum Zilettum ann. 1575.

In Psalmum item, Miserere. De Varietate quoque Vitæ humanę. Sermones Familiares Parochorum in Dies Dominicos, ac Festos Sanctorum. Compendium Logicę.

O P

OPTATVS Afer, Mileuitanus Episcopus, septem Libros scripsit ad schismate Donatistarum aduersus Parmenianum, quorum initium est: *Cunctos nos Christianos, charissimi fratres, Omnipotenti Deo fides vna commendat*, fuisse autem æqualem D. Ambrosij, hoc est eodem tempore vixisse, illud est argumento, quòd ex eius secundo libro ad Parmenianum ipsemet asserit, se Siricio Pont. Max. vixisse, qui Damaso successerat. Et D. Hieronymus in Catalogo sic habet.

Optatus Afer Episcopus Mileuitanus ex parte Catholica, scripsit Valentiniano, & Valente Principibus aduersum Donatianæ partis calumniam libros sex, in quibus asserit, crimen Donatianorum in nos falsò retorqueri.

Cum autem eiusdem Optati Scripta ab Hæreticis corrupta fuissent, non dormitauit, qui custodit Ecclesiam suam Dominus Iesus, quin, quod ipsemet fecerat in defendendis Apostolis, & Magdalena vnguentum illius pedibus aspergente, idem faceret per seruos suos vindicans ab hereticorum calumnijs optimum Africanæ Ecclesiæ columen. Primum enim, vt de ijs agam, qui nostra ætate vixerunt, Doctor Io. Cochlęus in Germania, deinde in Gallia Franciscus Balduinus, Io. Tillius Meldensis Episcopus, Espencęus, & Macercus, ille I.C. hi sorbonici Theologi insignes, Pithæus deinceps V. C. ac denique duo Cardinales Baronius, & Bellarminus, partim collatione veterum Codicũ, partim indicio ipsarum imposturarum ab hæreticis scriptarum, restituerunt, aut propugnarunt Optatum. Et quidem antea Moguntiæ ann. 1549. apud Franciscum Behem, cum Conradi Bruni libris 6. de hæreticis, deinde semel, atque iterum à Balduino restitutus, & Parisijs apud Claudium Fremy excusus ann. 1603. prodijt. Quem item Margarinus Bignęus suę SS. Patrum Bibliothecę To. 4. Edit. 2. deinceps inseruit paucis quibusdam ex eodẽ Balduino decerptis; Commentarijs autem, atque recognitionibus omissis. Atqui, & postea prolatus est in lucem hac inscriptione non solus.

Delibatio Africanæ Historiæ Ecclesiasticæ, siue Optati Mileuitani libri septem ad Parmenianum De Schismate Donatistarum. Victoris Vticensis, libri tres De Persecutione Vandalica in Africa, cum Prolegomenis Balduini, ibidem apud eundem Fremy ann. 1569. Cum adnotationibus ex Francisci Balduini I. C. Commentarijs Rerum Ecclesiasticarum, cuius vberior Epistola, quam Optato, & altera, quam Adnotationibus præfixit, quin & quod scripsit pag. 113. legi cum fructu poterunt ad historicę, & catholicę veritatis notitiam. Sed & legendum, quod post Balduinum scripsit Pythęus melius vtique, nõ solum meo, sed & Abbatis Massę V. C. iudicio, qui viuens plura de hoc, & alijs scriptoribus antiquis mecum egit. Quomodo autem scripta Optati fuere à Donatistis deprauata, & decurtata, quæve sublata de Concilio Arelatenti. Vide Tertium Annal. Baronii Card. pag. 119. & 186. primę Romanæ Editionis.

Porrò non me fugit Optatum recusum fuisse ann. 1599. Vittembergę apud Commelinum. Sed cum neque Ciuitas, neque ipse fuerint catholici, dispiciat cordatus lector, nedũ istius modi Typographi, siue spe quęstus, siue aucupio gloriolæ & ipsi iam soliciti sunt cudere Antiquos Patres, quos antea peius cane, & angue oderant, de iisdem Typographis aliquid altius concipiant, aut si quas addunt Notas, ne potius sint quisquilię, & maculæ, siue adeo, si quid boni est, id à catholicis, celato eorum nomine, vsurpatum.

Ceterum quod Tritemius scribat, Optatum plures Epistolas, aliaque multa scripsisse, vixisse autem ann. 370. cupiuissem nosse, quęnam illa fuissent, atque vndenam id hauserit, quamuis non sit dubitandum, & Epistolas, & alia complura à tanto viro profecta fuisse.

O R

ORACVLA Sibyllarum, & Prophetarum. Vide in verbo, Prophetæ, ac in verbo, Sibyllæ.

Sigeb. c. 34. Vsuardus, Martyrol. Rom.

ORIENTIVS Vir Sanctus, quique anno Domini 516. siue 517. fuit Episcopus Illiberitanus, quem alij Orentium, nonnulli Orientem, siue item alijs nominibus, corruptis videlicet) dixere, à Fortunato in carmine De Vita B. Martini Turonensis, insertus medius Aurelio, Prudentio, & Iuuenco presbytero, vt conterraneis, Scriptor *Florentis Oris* appellatus est: à Sidonio autem Apollinari commendatus his verbis, lib. 9. Epist. 12. *Venit in nostras à te profecta pagina manus, quæ trahit multam similitudinem de sale Hispano in iugis caso Tarraconensibus. Nam recensenti lucida, & falsa est: nec tamen propter hoc ipsum mellita minus, sed sermo dulcis, & propositionibus acer.* Baronius Cardinalis Tomo 6. ann. 484. indoluit omnia Oriesij perijsse monimenta, imò & nomen ipsum penè obliuione sepultum. Attamen non ita multo post inuentum est Sancti eiusdem Orientij Commonitorium, cuius meminit Sigebertus, idque in m. s. mēbranaceo Veteris Abbatiæ Aquicinctinæ, & Antuerpiæ euulgatū à Martino Delrio nostro, Viro eruditissimo, & notulis illustratū ann. 1506. apud Ioachimum Trognæsium. Porrò non heroico metro, vt inquit Sigebertus, scripsit hoc carmen Orientius, sed hexametris, qui pentametris sunt mixti. Incipit autem.

Quisquis ad æterna festinus præmia vitæ
Perpetuanda magis, quàm petitura cupis.
Quæ Cælum referet, mortem fuget, aspera vincat,
Felici currat tramite, disce viam.

Breuis autem, neruosus, & pressus, redolens quidem nonnihil cadentem illius æui latinitatem, verum nec diffluens, neque languens. Putat Delrius Exemplari defuisse, quæ de Gula, Accidia, Superbia, & forsan alia plura scripserat. Quin & Gulielmus Fabricius, nō sine caussa suspicatus est deesse prope finem monita contra Iram, quibus optime subiungi tur laus Pacis: de qua paucis optime disserit.

ORIESIS Monachus scripsit De Institutione Monachorū, vt habet Gennadius. Editus est autem Coloniæ hac inscriptione. *Oresiesis Monachi Regula De Institutis Monasticis* apud Gymnicum, ann. 1536. floruit ann. 420. Porrò Gennadius sic habet in suo Catalogo. *Oriensis Monachus amborum, idest Pachumij, & Theodori collega, Vir in Sanctis scripturis ad perfectum instructus, composuit librum Diuino conditum sale, totiusq; monasticæ disciplinæ instrumentis constructum, & vt simpliciter dicam, in qua totum pene Vetus, & Nouum Testamentum compendiosis disertionibus iuxta Monachorum duntaxat necessitatem, inuenitur expositum. Quem tamen vice Testamenti propè diem obitus sui fratribus obtulit.* Ita Gennadius, At Suffridus Petrus addit: *Hic scriptor in excusis exemplaribus, vt & apud Honorium, & Tritemium, Oriesis; in nostris m. s. Cod. Oresiesis est.* Extat in To. 4. Bibl. SS. PP. Bignæi, secundę editionis hac inscriptione. *Oriensis Monachi antiquissimi Regula de Institutis monasticis Diuino sale condita.*

ORIGENES Alexandrinus, qui ob infatigabile studium, Adamantij, & Chalcenteri, hoc est, ænei cognomen est assecutus, modo summopere ab antiquis, & recentioribus Patribus, atque Doctoribus laudatus, modo acerrimè reprehensus, & hęreticus habitus, atque damnatus, sed tamen numquam ita proscriptis eius Operibus, quin & legi, & cudi, atque recudi possent, requirit, vt de ipso accuratè, ac planius loquamur; sic enim speramus fore, vt accersito huc tamquam ad ferendam sententiam, Ecclesiæ ipsius, & Patrum iudicio, Lector Origenicorum Scriptorum necubi impingat; quod autem rectum sit, hauriat; discat vero quilibet, vel doctissimus timere, quando Vir olim tantis ingenij, & (vt videri poterat) pietatis dotibus ornatissimus, corruit in errores, vnde hęreses aliæ ex alijs pestilentes exortæ, hodieque varias Christi prouincias quatiunt, ne & ipsi sine duce timore Domini, atque Ecclesia Catholica aberrent. Primò igitur, quid de eo sensisse visi sunt Hieronymus, & alij. Deinde quid, contrà, alij scripserint, Hieronymusque ipse contra eum, quem generatim cōmendarat, quid attulerit, dicendum est. Hic autē ita in Catalogo.

Vincētius Lyrinensis cont. hęreses. c. 23.

Cassiodo. de Instit. Diuin. lect. Hieron. in Catalogo.

Ori-

Origenes, qui & Adamantius, decimo Seueri Pertinacis anno, aduersum Christianos persecutione commota, Leonide patre, Christi martyrio coronato, cum sex fratribus, & matre vidua, pauper relinquitur, annos natus circiter decem & septem. Rem enim familiarem ob confessionem Christi, fiscus occupauerat. Hic Alexandriæ dispersa Ecclesia, decimo octauo ætatis suæ anno κατηχήσεων *Opus aggressus: postea à Demetrio, eius Vrbis Episcopo, in locum Clementis presbyteri confirmatus, per multos annos floruit, & cum iam mediæ esset ætatis, ac propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ Epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto, & Alexandro, Cæsareæ, & Hierosolymorum Episcopis, presbyter ordinatus, Demetrij offendit animum: qui tanta in eum debacchatus est insania, vt per totum Mundum sub nomine eius scriberet. Constat eum antequam Cæsaream migraret, fuisse Romæ sub Zephyrino Episcopo, & statim Alexandriam reuersum, Heraclam presbyterum, qui sub habitu Philosophi perseuerabat, adiutorem sibi fecisse* κατηχήσεως, *qui quidem & post Demetrium Alexandrinam tenuit Ecclesiam. Quantæ autem gloriæ fuerit, hinc apparet, quòd Firmillianus Cesareæ Episcopus cum omni Cappadocia eum inuitauit,* & *diù tenuit, & postea sub occasione Sanctorum locorum Palæstinam veniens, diu Cæsareæ in Sanctis Scripturis ab eo eruditus est. Sed illud, quòd ad Mammeam matrem Alexandri Imperatoris, religiosam Fœminam rogatus venit Antiochiam, & summo honore habitus est, quòdque ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem eius litteras fecit, quæ vsque hodie extant, quis ignorat? & quòd tantum in Scripturis Diuinis habuerit studij, vt etiam Hebræam linguam, contra ætatis, gentisque suæ naturam edisceret, & exceptis septuaginta interpretibus, alias quoque editiones in vnum congregaret Volumen, Aquilæ scilicet Pontici proselyti, & Theodotionis Hebionei, & Symmachi eiusdem dogmatis, qui in Euangelium quoque* κατὰ Ματθαῖον *Scripsit Commentarios, de quo & suum dogma confirmare conatur. Præterea, Quintam, & Sextam, & Septimam editionem, quas etiam nos de eius Bibliotheca habemus, miro labore reperit, & cum ceteris editionibus comparauit. Et quia Indicem Operum eius in voluminibus Epistolarum, quas ad Paulam scripsimus, in quadam Epistola contra Varronis Opera conferens posui, nunc omitto: illud de immortali eius ingenio non tacens, quòd Dialecticam quoque, & Geometriam, & Astronomiam, & Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, & Rhetoricam, omnium Philosophorum sectas, ita didicit, vt studiosos quoque secularium literarum sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concursusque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione secularis literaturæ, in fide Christi eos institueret. De crudelitate autem persecutionis, quæ aduersum Christianos sub Decio consurrexit, eo quòd in Religionem Philippi desæuiret, quem et interfecit, superfluum est dicere, cum etiam Fabianus Romanæ Ecclesiæ Episcopus in ipsa occubuerit, & Alexander, Babylasque Hierosolymorum, & Antiochenæ Ecclesiæ Pontifices in carcere pro confessione Christi dormierint. Et super Origenis statu, si quis scire velit, quid actum sit, primum quidem de Epistolis eius, quæ post persecutionem ad diuersos missæ sunt; Deinde & de Sexto Eusebij Cæsariensis Ecclesiasticæ historiæ libro, & pro eodem Origene in sex Voluminibus, possit liquido cognoscere. Vixit vsque ad Gallum, & Volusianum, idest, vsque ad sexagesimumnonum ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri, in qua Vrbe, & sepultus est.* Sic quidem ibi Diuus Hieronymus.

Anno Domini 261. Trit.

Notat Suffridus Petrus p Firmilliano haberi in cod. Sigebergēsi m. s. Firmianū.

At Ecquis est, qui tantummodo eius de Origene verba hæc legerit, quin de illo sentiat, quasi de omnium sanctissimo & doctissimo Viro, & cuius libros non putet illico arripiendos, ac (vt ita dicam) vorandos? Et tamen qui alia Hieronymi Scripta legerit, videbit quot errores in illo obseruauerit, quamdiu hæserit, aut potius crediderit, quæ sub nomine Pamphili martyris fuerat edita Apologia, eam esse verè Pamphili, atque idcirco forsan non omnino assenserit omnibus, quæ Origeni obijciebantur.

Quin & ipse Hieronymus indicauit, quonammodo esset legendus Origenis, his verbis, Epist. 76. *Ego Origenem propter eruditionē, sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatianum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores, Græcos pariter, & Latinos, vt bona eorum deligamus, vitemusque contraria, &c.* Vide verò Franciscum à Messana in verbo, Deus, vbi D. Hieronymum tuetur. Espencęum item in Appendice vltima in Epistola Diui Pauli ad Titum. Sed in primis Diuum ipsum Hierony-

mum Pammachio, & Oceano respondentem, qui eum vrgebant, vt se purgaret, à calumnijs, & suspicionibus hominum dicentium Hieronymum esse Origenistam. Itaque ille scribit semper odisse venenata dogmata Origenis, licet, quæ in eius. Scriptis bona essent secreuisset à falsis.

De Origenis Scriptis, & Vita Quinam pro eo scripserunt.

Et quidem vitam eius Eusebius Cæsariensis libro sexto Ecclesiasticæ historiæ, Doctrinæ item Origenis defensionem sub Pamphili nomine, vt à prudentibus existimatur; Quin & libris sex alijs, quos, vt ipsam Apologiam, expendens Photius in sua Bibliotheca Græca pag. 158. Augustanæ editionis reprobat. Gregorius Thaumaturgus. Didymus Alexandrinus libro vno: Methodius Olympius, Palinodiæ à se quondam vituperati Origenis, libro vno. Ruffinus, libris duobus ad Macarium: Ioannes Picus Mirandulanus, libro vno: Iacobus Merlinus Victurniensis, libro vno, scripserunt: cum itidem Eusebius Cæsariensis de vita Pamphyli Martyris, & Diuus Hieronymus, Epistola ad Paulam Eustochij matrem, quantus vir fuerit Origenes, descripserint. & Dydimus sanè secundum post Apostolos Ecclesiarum Magistrum: Athanasius, fidei suæ locupletissimum testem: Seuerus, qua parte Origenes probatur, neminem post Apostolos habuisse æqualem: Hieronymus, sacrorum omnium Expositorum Victorem, optans cum inuidia Origenici nominis, eius quoque intelligentiam habere, appellant. Sed & nostra ætate cum huius Auctoris laudum, ac librorum Sixtus Senensis fusè libro quarto suæ Bibliothecę Sanctæ, (pręter illa, quæ de ipso in Annotationibus attigit (de quibus postea) meminisset, eo iam Sixto demortuo, Gilbertus Genebrardus, vnà cum aliorum iudicio, qui Origenem emendatiorem edi curauit, cum pręter Epistolam, qua istos Origenis Tomos Carolo Galliarum Nono Regi dicauit, Collectanea adiecisset de Origenis Vita, Operibus, Rebus, & Sententijs; in quibus (quod & in Epistola ad Regem dedicatoria fecerat) Origenem commēdat, atque ex probatissimorum Auctorum testimonijs tueri conatus est.

Extat verò in horum Collectaneorum calce, Tractatio de locis in Origene notatis, quorum alij in deteriorem (vt ait) partem accepti sunt; alij ex libris vel non extantibus, vel supposititijs citantur; alij ab hęreticis corrùpti sunt, vel adsuti.

Sed & vitæ institutionem, castrationem, voluntariam confessionem, labores in Diuina Scriptura, labores contra hęreticos, famam celebrem, Peregrinationes diuersas, qui sub Zepherino etiam venit Romam, & iterum sub Fabiano Papa, ætatem, & obitum; tertio Annal. Tomo Baronius Cardinalis sic attigit, vt tamen eius errores non tacuerit.

De Origenis Scriptis, quinam secus quàm memorati scripserunt.

Sin autem alios seu veteres, siue qui ętate nostra, vel paullò antea vixerunt, afferamus, legendus est Epiphanius lib. secundo, Tomi primi, vbi fusius persequitur Origenica. Ibi autem multa ex B. Methodio, qui & Eubulius est dictus. Videnda item Epistola ad Ioannem Constantinopolitanum, & alibi. Magnum porrò agitatum Iudicium fuit Constantinopoli de Origene, cui nec defuit Maiestas Imperatoris Iustiniani, anno Domini 538. & Siluerij Papæ Secundi, Pelagio Apocrisario Apostolicæ Sedis pro Occidentalibus, & Menna, qui erat Episcopus Constantinopolitanus, pro Orientalibus vicem agentibus Romani Pontificis, vnà cum alijs Orthodoxis Episcopis, à quibus omnibus fuit condemnatus Origenes.

Vide Liberatum Diaconum.

Accessit Epistola siue Constitutio scripta contra Origenem à Iustiniano Imp. ad Mennam, cuius meminit Liberatus, quę diutissimè latuit, quam ex m. s. Codice Antonij Augustini V. C. misso ad Antonium Cardin. Caraffam inseruit septimo Annalium Tomo Baronius Cardin.

In ea verò indicatur, Auctorem hæreseos Arij fuisse Origenem, qui excogitauerit gra-

dus in Sanctissima Trinitate. Intulisse item Paganismum in Ecclesiam. E Platonis Schola plura hausisse. Non abesse à Manichæo. De præexistentia animarum malè sensisse. Cælestia corpora esse animata affirmasse. Corpora hominum orbiculata fore resuscitanda. Damnatos aliquando saluandos. Finitam esse Dei & Patris Potestatem. Ex Diuina Scriptura. Ex Gregorio Nazianzeno. Ex Petro Martyre. Ex Athanasio. Ex Sancto Basilio. Ex Gregorio Nysseno. Ex Theophilo. Ex Anastasio Papa qui approbauit excommunicationem latam ab Alexandrinis in Origenem. Ex Cyrillo Alexandrino. Ex Epistola Synodali Episcoporum Aegypti, & Alexandriæ, aduersus Origenis doctrinam.

In ea item ponuntur Anathematismi aduersus Origenis errores, qui in quinta Synodo recitati, probatique sunt, & iterata Origenis damnatio. Qui errores etiam ex S. Hieronymo collecti fuere.

Atqui & Origenis libri Periarchon, ab Anastasio Papa damnati, cùm editione seu versione Ruffini: & Pachomius ex hac vita decedens, quasi testamento, Origenis errores damnatos reliquit. & Gelasius ait: *Origenis Opuscula, quæ vir Beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum Auctore suo dicimus esse renuenda.* Quisquis autem plura vult nosse, libros Paschales Theophili Alexādrini legat Latinos, interprete Hieronymo, cuius Operibus in Parisiensi editione fuerunt adtexta. Et Epiphanium secutus Ioan. Damascenus vir sanctimonia vitæ, & eruditione singulari in Epitomen contraxit, quas ille fusissimè hæreses est prosecutus. Nam & ex eodem Origene enatam esse Viperinam sobolem Anomæorum, & ex his alias, constat. At Origenes de Principijs: quattuor Orationibus, in quarum prima de Patre, Filio, & Spiritu sancto in qua πλεῖστα βλασφημεῖ, hoc est *plurima blasphemat* inquit Photius, & alia absurdissima, & plena impietatis: Nugatur item de Metempsychosi, hoc est de animarum in alios transmigratione, & animata Sydera faciens:

Vide Photiū in Bibl. Græca, pag. 4. Augustanæ editionis.

In altera verò de Mundo, & rebus in eo creatis, & quòd est vnus Deus legis, & prophetarum, & idem Deus Veteris, & Noui Testamenti, De Incarnatione Saluatoris, & quòd idem Spiritus in Moyse, Prophetis, Sanctis Apostolis, & de anima, de resurrectione, & alijs.

In Tertia De eo, qui liber est sua natura, quomodo Diabolus, & aduersariæ potestates secundum Scripturas militant contra humanum genus: quod genitus sit Mundus, & corruptibilis à Tempore incipiens.

In Quarta De fine: quòd Diuinæ Scripturę finis, quomodo oportet agnoscere, & intelligere Scripturas. Videndus item Suidas qui de Origene agit copiosè.

Neque verò tacendum est, quod Godefridus Tilmannus Pręfatione in Allegorias, & Tropologias vtriusque Testamenti sumptas ab Origene, atque Parisijs editas, ita scripsit: *Dum hic vir tantus litteram occidentem constituit omnibus ingenij neruis consectari, profuit Ecclesiæ Dei. Deinde vbi à littera transcendit ad allegoriam, & anagogem, gustata troporum suauitate, illhic præter omnem modum hæsit, ac stitit ingenij acumen, & repudiata prorsus littera, scripturam reclamantem, violenta interpretatione pertraxit ad tropos. Hinc factum, vt ab Hieronymo toties dictum sit, nunc, semper allegoricus, nunc semper anagogicus. Quàm fædè lapsus sit in excutiendis septuaginta annorum hebdomadibus, idest 490. annis decimo Stromatum volumine, testis idem Hieronymus in cap. 9. Danielis, dum repugnantem Scripturam ad allegoriam trahit, vbi locum non habebat allegoria. Pelliteas illas tunicas, quas legimus Dominum fecisse Adæ, & Vxori eius, traxit blasphemus ad allegoriam.* Hæc ille.

Sed & antea docuit D. Hieronymus in Epistola ad Pammachium, de erroribus Ioannis Hierosolymitani, vbi dicit Origenem sic Paradisum terrestrem allegorizare, vt historię auferat veritatem, dum pro arboribus Angelos: pro fluminibus virtutes cęlestes intelligit; & tunicas pelliceas Adæ, & Euæ corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint.

Errores quidam, qui attributi sunt Origeni, à quibusuam, & quomodo excusentur.

Ac nemini in Patribus versato, eidemque tum oculatiori, tum pio dubium fuerit, quin plerique hæretici, vt muscæ ad scabiem peruolant, sic, cum ansam aliquam statuendi suas hæreses arripuerunt, inde quoque (quod vel in Diuino Codice faciunt) Origenis aliqua ad suam, potius quàm ad illius sententiam detorserint. Quamobrem hic pauca de multis expendenda sunt, quæ si Catholici reprehenderunt, qua parte tamen excusari possent, ingenuè subdiderunt.

Primæ Obiectionis Responsio.

Eus. lib. 6. hist. Suidas. Ruffinus. Quoniam igitur Porphyrius Christiani nominis hostis infensissimus, tertio libro ita scripsit: *Adhærent Christiani Sermonibus Iudaicarum Scripturarum, & ea, quæ Moyses agresti, & simplici sermone conscripsit, Diuinitus sancita; & figuris ænigmatibusque obtecta esse confirmãt, atque vt ingentibus repleta mysterijs exponunt. Cuius expositionis genus initium habuit à viro, quem ego cum adhuc essem valdè puer, vidi arcem totius eruditionis tenentem. Origenes hic est, cuius ingens gloria inter eorum magistros habetur.* Propterea contra Porphyrium afferuntur, quæ ipse Origenes initio homiliæ quartæ in Leuiticum dixit his verbis: *Quam differentiam Iudæi visibilis, & Iudæi inuisibilis non intelligentes impij hæretici, non solum ab his Scripturis refugerunt, sed & ab ipso Deo, qui Legem hanc, & Scripturas Diuinas hominibus dedit, atque alium sibi Deum, præter illum, qui Cælum, & Terram condidit, confinxerunt; cum vtique fidei veritas vnum, eundemque Deum Legis, & Euangeliorum teneat, visibilium, & inuisibilium Creatorem. Quin & cognationem plurimam visibilia cum inuisibilibus seruant, ita* Rom. 1. *vt Apostolus dicat: Quia inuisibilia Dei à creatura Mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sicut ergo cognationem sui ad inuicem gerunt visibilia, & inuisibilia, Terra & Cælum, anima & caro, corpus & spiritus, & ex horum coniunctionibus constat hic Mundus, ita etiam Sanctam Scripturam credendum est ex visibilibus, & inuisibilibus constare: veluti ex corpore quodam, litera scilicet, quæ videtur, & anima, sensus, qui intra ipsam deprehenditur: & spiritu, secundum id, quod etiam quædam in se cælestia teneat, vt Apostolus dicit, quia exemplari, & vmbra deseruiunt cælestium. Quia igitur hæc ita se habent, inuocantes Deum, qui fecit Scriptura animam, & corpus, & spiritum: corpus quidem ijs, qui ante nos fuerunt, animam* Ita Græcus Codex, quod non ita clarè in Latino. *verò nobis, Spiritum autem ijs, qui in futuro hæreditatem vitæ æternæ consequentur, per quam perueniant ad Cælestia, vera legis eam nunc, quam diximus, legis animam non litteram requiremus, quantum ad præsens interim spectat. Si autem tales sumus, ascendemus etiam ad spiritum iuxta rationem eorum sacrificiorum, quæ lecta sunt.*

Secundæ Obiectionis Responsio.

Origenis Sententia in Tomis super c. 3. Gen. quòd Adam peccando amiserit imaginẽ, quem errorem inter præcipuos Origenis recenset Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosol. Episc. si intelligatur secundum substantiam, falsum est; nam ne ipsis quidem dæmonibus sublata sunt naturalia ob peccatum; sin per similitudinem, hoc est, quòd Originalem iustitiam amiserit, vera est. Videndus August. in Retract.

Tertiæ Obiectionis Responsio.

Quamuis Origenis libri de Principijs non paucos errores contineant, tamen neque Epiphanius, neque Hieronymus, neque Philastrius, neque Augustinus inter errores Origenis hanc sententiam numerant. *Omnes homines posse saluari.* Is enim, & hanc rectè astruit, & soluit argumenta contraria, explicans ferè omnia testimonia Scripturarum, quæ ad hunc locum pertinent.

Quarta

Quartæ Obiectionis Responsio.

Origenes quòd visus est sensisse Angelos in die iudicij esse iudicandos. Vide D.Thom. quæst.113.prima parte,& Sixtum Senensem Annot.126.lib.5. Bibl. Sanctæ.
Num item Deum beati videant. Annot.127. ibidem.
Num Sancti statim post iudicium ad Dei contuitum eleuentur. Annot.128.ibidem.

Quintæ Obiectionis Responsio.

Origenes quòd visus est. Ios.8. asserere super illis verbis: *Iosue succendit Vrbem Hay, & fecit eam tumulum sempiternum*, Dęmones, & Inferni supplicia desitura aliquando, Sixtus Senensis expendit Annot.49. lib.5. Biblioth. Sanctæ. ac demum concludit in hæc verba: *Vnde quàm apertum sit Origenem affirmare prædictarum creaturarum reparationem nunquam fiendam, sagax Lector, puto, satis intelliget.*

Sextæ Obiectionis Responsio.

Origenes Clementis discipulus habet quidem in suis scriptis apertissimas blasphemias contra Filium Dei, & Spiritum Sanctum,vt patet ex Epiphanio in Epist.ad Ioannem Hierosolymitanum, & ex Hieronymo in Epistola ad Auitum de erroribus Origenis: tamen valde credibile est,eos insertos ab Arianis postea, vt Ruffinus docet, Apologia pro Origene. Nam inueniuntur in scriptis eius sententiæ omnino catholicæ,& Athanasius in epist. de Decretis Nicęnæ Synodi citat Origenem contra Arianos, & addit Arianos nullum ex veteribus pro suo errore afferre potuisse. Præterea magister Origenis Clemens, & discipulus Origenis Gregorius Thaumaturgus rectissimè de Trinitate sentiunt. Quomodo igitur credibile est,ipsum tam male sensisse? Bellarm. Cardin. To.1. Controu.2. lib.1.de Christo, c.10.

Septimæ Obiectionis Responsio.

Origenem hom.7.in Leuit. aientem Christum adhuc lugere peccata nostra D.Bern. in serm. qui de *Verbis Origenis* inscribitur, fusissimè confutat. Sed ipse Origenes piè exponi potest,quòd & eius sequentia verba indicant; nimirum adhuc in membris suis peccata nostra lugere, quo sensu Apost. Rom.8. dixit Spiritum Sanctum gemitibus inenarrabilibus orare pro nobis. Sixt.Sen. Annot.119.lib.5. Bibl. Sanctæ.

Octauæ Obiectionis Responsio.

Origenes quòd in Psal.36. videtur sentire omnes tam bonos, quam malos adituros in ignem Gehennæ, ex quo boni euadent impunè,mali permanebunt in eo. Sanctus August. libro 21. de Ciuitate Dei,tale dogma,cap.26.& 27.confutat. Sixtus Senensis quęrit Origenem interpretari, quòd locutus sit de igne vltimę conflagrationis. Annot.170. & 171. lib.5. Biblioth. Sanctæ.

Sanè idem Sixtus libro 6. eiusdem Bibliothecę Annot. 205. cum interpretationem aliquam Origeni adscriptam attulisset,inquit, *Hanc ridiculam interpretationem apposui, vt pudore confundantur, qui Origenica condemnant*. Sed reliquas siue obiectiones, siue solutiones (si tamen omnes sunt solutiones) legere poteris cum in ipso Sixto Senensi, tum in Genebrardi Collectaneis ad Origenem, vbi initio Operum eius agit de Vita ipsius, c.9.

Cautio alia in Origene legendo.

Ceterum tamen memores sint docti viri, siue item adolescentiores Patrum studiosi, in quinta Oecumenica Synodo Vigilio Summo Pont.habita,& Iustiniano Cęsare imperãte, supplicãtibus Hierosolymę monachis,& Episcopo,multis anathematismis, & vociferationibus,impia,& absurda Origenis dogmata,fuisse dãnata,quæ extant apud Niceph.lib.17.

c.27.& 28.& in eius Synodi Act.4.c.11. Liberati quoque Breuiario c.13.& Martini I. Synodico Decreto 18. aduersus Monothelitas. Sed non tamen omnia Origenis Scripta fuere proscripta. Gelasius enim primus huius nominis Pont. Max. in capite S. R. E. dist. 18. *Cum hæc* (inquit) *ad Catholicorum manus peruenerint, B. Pauli sententia præcedat, Omnia probate, quod bonum est tenere, inter quæ nonnulla Origenis Opuscula, quæ B. Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, cetera cum Auctore renuimus.* At vide, quæ item Iacobus noster Gretserus lib.1. cap.10. Operis sui De iure, & more prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hæreticos, & noxios satis apposite de hac re agit.

Plenior Enumeratio Operum Origenis, in qua item expensio illorum, quæ falso ei fuerunt ascripta.

At locus hic postulat, vt pleniorẽ hic inseramus Catal. Operũ Origenis, quẽ tãtò facilius facimus, quantò diligentius hoc ante nos prȩstitit Sixtus Sen. ex cuius Bibl. S. hȩc accipe:

Origenes, adhortante Ambrosio Alexandrino, & victum, chartas, libros, impensas, & notarios suppeditãte, edidit prȩter infinitos exotericos libros, etiam in vniuersam Scripturam sanctam innumerabilia Exegematicà, hoc est Explanationũ volumina: quæ quidem Hieronymus in præfatione commentariorum in Ezechielem ad Vincentium triplici genere distinxit, hoc est in Scholia, Homilias, ac Tomos.

Primum quidem genus quod Greci Σχολιαστικὸν dicunt, Scholijs deputauit, quæ latinè vacationes, siue ocia, seu per ocium excerpta dici possunt. quibus quoties ad plenam commentationem ocium deesset, ea tantum, quæ sibi videbantur obscura, breuibus quibusdam annotationibus summatim perstringebat.

In secundo verò genere quod Græci Ὁμιλιαστικὸν vocant, nos Familiare colloquium dicimus, collocauit sermones & conciones; quibus, vt B. Pamphilus testis est, Origenes quotidie, & quasi ex tempore scripturas ad populum enarrabat, excipientibus ex ore eius septem notarijs, totidemque velocissimis in scribendo puellis, alijsque scriptoribus; qui eas ad monumentum posteritatis tradiderunt. Stylus eius in hoc homiliatico genere familiaris est, apertus, ac simplex, & ab omni rhetorici apparatus pompa alienus, breuis, succinctus, & absque prolixis præfationibus, ac longis crebrisque digressionibus; quales multæ apud Chrysostomum, & Augustinum in eorum homilijs reperiuntur. Attingit autem Origenes in homilijs suis parum, ac leuiter historicam explanationem, idque iuxta vulgatam Septuaginta Interpretum editionem: sed ad altioris allegoricæ intelligentiæ sensus ascendit, & ab his iterum ad locos morales, & breues exhortationes descendit.

In tertio genere, quod Origenes Τόμους, nos Volumina nuncupamus, Hieronymus maiores commentarios reposuit, eos scilicet, in quibus Origenes, exponens Diuinas Scripturas iuxta Hebraicam veritatem, tota ingenij sui vela ventis spirantibus dedit; & recedens à terra, ita in medium altissimorum sensuum, & mysteriorum pelagus aufugit, vt doctissimis etiam lectoribus, illuc eum sequi volentibus, metum & periculũ induxerit. In his tamen tam reconditis arcanis pertractandis summa semper animi humilitate, ac verborum modestia vsus est, nihil temerè affirmans; sed, vt discendi auidus, singula humiliter inquirens, & magis excitans lectorem ad commune inuestigandi studium, quàm docens; his perpetuò monendi formulis eum compellans, videlicet Intuere, si fortè hæc, quæ dicimus, Sacrȩ Scripturȩ aptari possint, Videamus, si hoc, quod dicimus, in Diuinis Scripturis inuenire possimus; item, Ego quidem sic suspicor, vide tu, num hoc ita esse possit; atque his similibus excitatiunculis vbique vti voluit, prout decebat hominem penè αὐτοδίδακτον, & qui primus aggressus esset explanationem omnium Diuinarum Scripturarum, nondum ob ingentem earum difficultatem ab aliquo attentatã. Delectatus est etiam tam in hoc, quàm in superiori genere vsque adeò allegoriarum structura, vt ei ab æmulis suis obiectum sit, quòd allegoriæ inuolucris, & anagogiæ ambagibus vim fecerit reclamanti literæ, & veritatem Scripturarum sustulerit. Vtitur quoque in hoc potissimum genere multis ad imitationem Clementis prȩceptoris sui apocryphis testimonijs ex vetustissimis reconditorum voluminum

luminum monumentis,vt ſunt liber Paſtoris,liber Enoch, Euangelium ſecundũ Hebræos, Prædicatio Petri, Oratio Ioſeph, Teſtamentum 12. Patriarcharum, & alia his ſimilia.

His tribus expoſitionum generibus alia quoque duo addit Euſebius, nempe ἐπιστολικὸν,& ἑρμηνευτικόν; ideſt Epiſtolare,& Interpretatiuum. In Epiſtolari quæſtiones ex diuina Scriptura, amicorum litteris ad ſe miſſas, reſcriptis explicauit Epiſtolis: in quibus eſt magnifica illa de Suſannæ hiſtoria, ad Iulium Africanum Epiſtola, inter centum Origenicas Epiſtolas ab Euſebio collectas, maximè celebrata. In Interpretatiuo, ſeu Tranſlatiuo genere demũ ponendæ ſunt omnes Diuinæ Scripturæ tranſlationes, quas ipſe in Hexaplis, Octaplis: & Palæſtinæ editionis codicibus complexus eſt. In hac ergo adeò multiplici laborum varietate, licet ſemper ſe eundem Origenes oſtenderit; Diuus tamen Ambroſius, ad Clementianum ſcribens, cenſet eum longè maiorem fuiſſe in veteri teſtamento, quàm in nouo. Quæ autem ex vnoquoque horum ordinum volumina adhuc extant, vel apud veteres tantum auctores citata reperiuntur, hæc ſunt.

Tranſlationum variarum totius veteris teſtamenti collectanea. Origenes enim, vt Epiphanius in libro De ponderibus & menſuris ſcribit, poſt quattuor editiones, videlicet Septuaginta Interpretum, Aquilę, Symmachi,& Theodotionis, duas alias Græcas traductiones inuenit, vnam cum pleriſque alijs Hebraicis,& Græcis voluminibus, in Hiericunte Vrbe Palęſtinę, quam Quintam appellauit; alteram verò in littore Actiaco in Nicopoli, in dolijs occultatam, quam Sextam editionem nuncupauit, ex quibus ſex verſionibus Origenes duo diuerſa genera exemplarium compoſuit, Hexapla, ſcilicet, & Octapla, & primum quidem Hexapla: in quorum codicibus ſex columnellas per ſingulas paginas ita diſtinxit, vt in prima columnella ipſa verba ſcripturæ Hebraica, & Hebraicis litteris, è regione Hebraica verba deſcriberentur propter eos, qui Hebraica legere neſciebant, in tertia Aquilæ tranſlationem ſubiunxit, in quarta Symmachi, in quinta LXX. interpretum, in ſexta Theodotionis editionem collocauit: & propter eiuſmodi compoſitionem, vt Euſebius annotat, exemplaria hæc ἑξαπλᾶ nominauit, qua de cauſa etiam à nonnullis, vt Suidas, & Ioan. Zonara teſtantur, dicta ſunt Τετραπλᾶ, hoc eſt, Quadrupla, propter quatuor Græcas editiones, LXX. ſcilicet, Aquilæ, Symmachi,& Theodotionis. Deinde poſt hæc ſextuplicia exemplaria Origenes, alia rurſum Octapla exemplaria compoſuit: in quibus diſpoſitis per ſingulas paginas octo columnellis, quintã & ſextam editiones poſt quattuor prædictas adiecit; quas quia ſine titulo ſuorum auctorum inuenerat, ex his alteram Quintam appellauit, præfigens ei inſcriptionem per literam Equinarij apud Græcos numeri indicem; alteram verò Sextam nominauit, eique ſenarij numeri notam ϛ, videlicet quam Græci vocant epiſignon, inſcripſit,& hęc poſtmodum exemplaria propter numerum octo columnarũ, Octapla dicta ſunt. Quæ poſtquam Origenes non ſine ingenti labore expleuit, iterum aliam tranſlationem in quotidianum vſum Eccleſiæ adorſus eſt: quam ex duabus conflauit editionibus, Septuaginta videlicet, ac Theodotionis, ſimul vtramque permiſcens,& aſteriſcis deſignans quæ minus eſſent; obelis verò, ac metobelis, quæ ſuperfluè viderentur appoſita. Quæ editio cum poſtea à Pamphilo martyre, & Euſebio Epiſc. Cæſarienſe inuulgata eſſet, Palęſtina tranſlatio dicta eſt, eo quòd ipſius lectionem omnes Paleſtinæ, & Syriæ Eccleſiæ in quotidianis lectionibus receperunt. Meminit Origenes huius à ſe editi laboris tractatu 8. in Matth.& in Ioan. Tomo 6.

Scripſit etiam librum De interpretatione Hebraicorum nominum, in Sacris litteris extantium; cuius meminit Iuſtinus in libro Quæſtionum, & Epiphanius in libro De ponderibus & menſuris.

Compoſuit quoque Stromateîs, hoc eſt Variegati operis, libros decem, in quibus Sanctarum Scripturarum & Philoſophorum ſententias comparans, omnia Chriſtianæ religionis dogmata ex Philoſophorum dictis confirmauit. horum librorum nonum & decimum, totos in expoſitione cõmatica libri Danielis, atque totius Epiſt. ad Galat. conſummauit.

Dictauit deinde in quattuor prima Geneſeos capita continuatæ explanationis Tomos tredecim, altiſſimis ſenſibus,& myſterijs ſublimioribus refertiſſimos, hoc eſt à principio libri vſque ad illam ſententiam quarti cap. *Omnis, qui occiderit Cain, punietur ſeptuplum.*

In

In cuius expositione, vt Hierony.in Quæst.ad Damasum testatum reliquit, duodecimum & tertiumdecimum Tomum dictando composuit. Horum, vt arbitror, in præsentiarum nihil superest, præter Disputationem quandam De astris,& fato,tribus folijs comprehensam;quæ habetur apud Eusebium lib.6. De præparat. Euangelica, capit.9. Suspicor hos Tomos,ita volentibus priscis Patribus,interijsse,ob multa suspecta dogmata eis inspersa; de quibus nonnulla recensentur libro sequenti in censuris libri Geneseos.

Edidit præterea, vt Ruffinus in 2. contra Hieronymum volumine indicat, homiliarum in Genesim libros duos: è quibus duntaxat decem & septem in varios eiusdem libri locos ad nos peruenerunt, videlicet:

IN GENESIS Caput primum, De Mundi principio, homilia prima.
In Gen. 6. De fabrica arcæ, homilia 1.
In Gen. 17. De circumcisione Abrahę, homilia 1.
In Gen. 18. De tribus viris Abrahæ visis, homilia 1.
In Gen. 19. De Loth & filiabus eius, homilia 1.
In Gen. 20. De Abimelech, Saræ nuptias appetente, homilia 1.
In Gen. 21. De natiuitate & ablactatione Isaac, homilia 1.
In Gen. 22. De Abraham, filium immolante homilia 1.
In Gen. 24. De promissionibus Abrahæ factis, homilia 1.
In Gen. 24. De Rebecca, ad hauriendam aquam egressa, homilia 1.
In Gen. 25. De Abraham, desponsante sibi Cethuram, homilia 1.
In Gen. 25. De conceptu & partu Rebeccæ, homilia 1.
In Gen. 26. De puteis ab Isaac effossis, homilia 1.
In Gen. 26. De Deo,qui ad puteum apparuit Isaac, homilia 1.
In Gen. 45. De filijs Iacob annunciantibus patri imperium Ioseph in Aegypto, hom. 1.
In Gen. 47. De terra Aegypti tempore famis empta à Ioseph, homilia 1.
In Gen. 49. De benedictionibus Patriarcharum, homilia 1.

Elaborauit etiam alias ferè innumeras in Octateuchum lucubrationes, de quarum numero sunt.

IN EXODVM, Excerptorum, siue Annotationum liber vnus, à Ruffino in prædicto loco citatus.

Item homiliarum in Exodum liber vnus, quarum nunc ex versione Hieronymi tredecim tantum extant, scilicet.

In Exo.cap.1. De initio Exodi, homilia 1.
In Exod. 1. De obstetricibus Hebræorum, homilia 1.
In Exod. 4. De decem plagis, homilia 1.
In Exod. 12. De profectione filiorum Israel, homilia 1.
In Exod. 15. De Cantico Mosis, homilia 1.
In Exod. 15. De aqua Marath, homilia 1.
In Exod. 17. De siti populi in Raphidin, & Amalechitarum bello,homilia 1.
In Exod. 20. De initio Decalogi,homilia 1.
In Exod. 21. De muliere prægnante,quæ duobus litigantibus viris abortiuis, &c. hom 1.
In Exod. 26. De Tabernaculo, homilia 1.
In Exod. 34. De facie Mosis velata, homilia 1.
In Exod. 35. De rebus ad tabernaculum offerendis, homilia 1.

IN LEVITICVM, Excerptorum liber vnus,cuius in Opere iã dicto recordatur Ruffinus.

Item in Leuiticum homiliarum ex varijs locis liber vnus, ex quibus 16.habentur à Hieronymo translatæ, nempe.

In Leuit. cap. 1. De principio Leuitici, homilia 1.
In Leuit.2.3.& 4. De varijs sacrificiorum ritibus, homilia 1.
In Leuit. 5. De non reticendis aliorum sceleribus, deque immunda tangentibus,hom.1.
In Leuit. 6. De eo, qui mentitur proximo super deposito & societate, homilia 1.
In Leuit. 6. De lege hostiæ pro peccato, homilia 1.

In

In

In Iosu. 9. De bellis Iosue spiritualiter intelligendis, homilia 1.
In Iosu. 10. De Vrbibus Lachis, Lebna, & Chebron homilia 1.
In Iosu. 11. De Iabin Rege Asor, homilia 1.
In Iosu. 11. De gestis post deuictum Iabin in homilia 1.
In Iosu. 13. De Iesu senectute, homilia 1.
In Iosu. 13. De Leuitis terram non accipientibus, homilia 1.
In Iosu. 14. De initio diuisionis terræ promissionis, homilia 1.
In Iosu. 14. & 15. De finibus hæreditatis tribus Iudæ, homilia 1.
In Iosu. 15. De Caleph accipiente Hebron, homilia 1.
In Iosu. 15. De filijs Iuda non valentibus disperdere Iebusæos, homilia 1.
In Iosu. 16. De tribu Ephrem, & de Chananæis, homilia 1.
In Iosu. 18. De ratione sortium, vbi septem tribus capiunt hæreditatem, homilia 1.
In Iosu. 19. De Amorrhęis habitantibus cum Ephrem, & Iesu recipiente ciuitatem à filijs Israel, homilia 1.
In Iosu. 21. De ciuitatibus & sorte Leuitarum, homilia 1.
In Iosu. 22. De petrinis gladijs in terram sepultis, & aris trans Iordanē extructis, hom. 1.
IN IVDICVM, Cap. 2. De eo, quod populus sub Iosue Domino seruiuit, homilia 1.
In Iud. 3. De Israelitis in manu hostium traditis & de Othoniel, & Aioth, homilia 1.
In Iud. 4. De Semegad, Iabin, & Sysara, homilia 1.
In Idem De Debora, & Barac, homilia 1.
In Iud. 5. De Cantico Deboræ, homilia 1.
In Iud. 6. De Israelitis in manus Madian translatis, homilia 1.
In Iud. 6. De Gedeone, homilia 1.
In Iud. 7. De prælio Gedeonis cum 300. viris, homilia 1.
IN REGVM 1. Cap. 2. De Cantico Annæ, homilia 1.
In 3. Reg. 3. De iudicio Salomonis, hom. 1. cuius meminit Origenes hom. 3. in Iosue.

IN IOB Homilias, siue Tractatus emisit plurimos, quorū meminit Hieronymus in Vigilantium scribens; pro quibus nunc habemus Origenicis Voluminibus insertum duplex explanationum Opus; vnum valde prolixum, in tres libros distinctum, continens expositionem ab exordio historiæ Iob vsque ad dimidium tertij capitis; alterum, quod breuiter admodum, & quasi paraphrasticos totius libri Iob historicum sensum edisserit, industria Ioachimi Perionij nuper è Græco translatum: sed neutrum Origenis est, tametsi vtrumque eruditum, & lectu dignum, nam præterquam quòd amborum phrasis, & docendi methodus longe distat ab Origenica dictione; illud quoque accedit, quòd auctor prior Operis contra Origenis consuetudinem innumeris penè battologijs redūdat, multumque temporis consumit, dum personis orationes plus æquo longiores affingit; & nunc ad Iob, nunc ad diabolum per apostrophen loquitur; & inter hæc Luciani martyris celebrat agonem, & Homousij nomen, & Homousianorum sententiam commemorat. In posteriore vero Opere, in quo præter Origenis morem nudæ litteræ insistit, verba quoque illa vxoris Iob exponit, quæ in Græcis codicibus capite secundo habentur, & ab ipso Origene, ceu apocrypha & ascitia, reprobantur, deinde Luciani Martyris expositionem tertio cap. Iob inducit; & in septimo, & in octauo capitulo Manichæos nominatim refellit; & in trigesimo octauo, capite Homousianistarum mentionem facit. Constat autem & Lucianum Martyrem, & Manichęos post Origenem fuisse: ipsumque Homousij, & Homousianorum nomen longè post Origenis tempora enatum. Rursum in eodem 38. cap. damnat sententiam eorum, qui stellas affirmant animatas, quod proprium Origenis est dogma. Leguntur in vtroque Opere paucula quædam censura digna, quę in sequenti censurarū libro inuenies annotata.

IN PSALTERIVM quoque duplicem laborē exhibuit Origenes, scripsit enim, vt in præfatione Psalmorum indicat Hieronymus, Enchiridion in omnes Psalmos commatico, siue inciso expositionis genere, strictis, ac necessarijs interpretatiunculis annotatum. Composuit deinde in gratiam Ambrosij Alexandrini, in Psalterium latissimas explanationum enarrationes, iuxta editionem septuaginta interpretum, Aquilæ, Symmachi. Theodotionis,

dotionis, & quintæ, & sextæ editionis ordinationem : primusque omnium Græcorum, vt Hieronymus in Epistola ad Augustinum testis est, edidit in integrum Psalmorum corpus Tomos plurimos, de quibus idem Hieronymus refert, vertisse se Tomos, siue tractatus septem, à decimo videlicet Psalmo vsque ad decimum sextum. Notissima est inter alios tractatus eius in Psalterium Psalmi primi expositio; quæ propter varietatem maximarum rerum in omnibus penè veterum Scriptis discutitur. Extant adhuc sub nomine Origenis Tractatus in Psalmos tres, videlicet 36. 37. & 38. quos Ruffinus, non indicato auctoris ipsorum nomine, asserit se de Græco in Latinum transtulisse, & ad maiorem legentium commoditatem in nouem homilias dissecuisse. Tritemius in Catalogo refert se vidisse Origenis in Psalterium Tractatus 150. quorum initium esset, *Beatus vir &c. Hunc Psalmũ.* Apud Epiphanium verò, & in Catena Psalmorum Græca præfatio Origenis in Psalmos sic incipit, Κεκλεῖσθαι καὶ ἐσφραγίσθαι τὰς θείας γραφὰς id est, *conclusas, & obsignatas esse Diuinas Scripturas.*

Post hæc elaborauit Origenes in Prouerbia Salomonis Commentarios, à B. Pamphilo in Apologia citatos.

In Ecclesiasten quoque explanationem, cuius in libro de Resurrectione meminit Methodius, Olympi Episcopus.

Item in Canticum Canticorum, commentariorum libros decem: quorũ primos quinque conscripsit Athenis, alios autem quinque regressus Cæsaream consummauit. Habuit & in eundem librum Homilias aliquas ad populum; de quibus Hieronymus duas vertit, præfixa in fronte earum Epistolari præfatiuncula ad Damasum Papam: in qua tam commentariorum, quàm homiliarum encomium apposuit his verbis: Origenes, cum in cæteris omnes vicerit, in Canticis Canticorum ipse se vicit, nam decem Voluminibus explicitis, quæ ad viginti vsque versuum millia penè peruenerunt, primum Septuaginta interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum quintam editionem, quã in Actio litore inuenisse se scribit, ita magnificè aperteque disseruit, vt inde mihi videatur in eo completum esse, quod dicitur, Introduxit me rex in cubiculũ suum, itaque illo Opere prætermisso, quia ingentis est ocij, laboris & sumptuum, tantas res, tam dignum Opus in Latinum transferre sermonem, hos duos tractatus, quos in morem quotidiani eloquij paruulis adhuc lactantibus cõposuit, fideliter magis, quàm ornatè, interpretatus sum, gustum tibi sensuum eius, non cibum offerens, tu animaduertas, quanti sint illa æstimãda, quæ magna sunt, cũ sic possint placere, quæ parua sunt. Hæc Hieronymus. Fertur & aliud sub nomine Origenis pium, eruditum, ac disertum Opus, vel potius Operis fragmentum; in quo duo prima Canticorum capita eloquentissimè, ac doctissimè explicantur, hoc in vetustis quibusdam codicibus erat nomine Hieronymi prænotatum, diuisit nescio quis illud in quattuor Homilias, cum homiliæ non sint, sed continens, ac perpetua explanatio. Eius initium est, *Epithalamium libellus.* Magister Sentent. lib.3. dist. 29. & D. Thom. in secunda quæst. 26. testimonia citant ex Opere hoc sub nomine Ambrosij. Scripsit præterea.

In Esaiam subscripta volumina, videlicet in totum Esaiam sparsim ΣΗΜΗΩΣΕΩΝ, hoc est Annotationum, vel Excerptorum librum vnum.

Item in partem Esaiæ iuxta quattuor editiones vsque ad visionem quadrupedũ in deserto, hoc est à principio libri vsque ad trigesimum caput continuæ explanationis Tomos triginta, in quibus per liberos allegoriæ campos euagans, interpretando singularũ rerum nomina, ingenium suum fecit Ecclesiæ Sacramenta, ex his autem Voluminibus lib. 26. Hieronymi tempore iam perierat.

Item De visione Τετραπόδων in deserto, quæ incipit, *Onus iumentorum Austri in terra tribulationis & angustiæ,* super 30. cap. Esaiæ ad Gratam illustrẽ fœminam, libri duo: quos plerique falsò de nomine Origenis inscriptos putauerunt.

Item in varios Esaiæ locos Homilias ad populum 25. de quibus tantum infrascriptæ nouem supersunt, videlicet,

In illud ex 4. Cap. Apprehendent septem mulieres virum, homilia 1.

In 6. cap. De prima visione Esaiæ, homilia 5.

In

In Es. 7. De verbis Angeli ad Achaz, homilia 1.
In Es. 8. Super illud, Ecce ego & pueri mei, homilia 1.
In Es. 10. Super illud, Sicut feci Samarię, sic faciam Hierusalem, homilia 2.

IN IEREMIAM quoque scripsisse fertur ingentem homiliarum numerum: ex quibus Rabanus Archiepiscopus Moguntinus in præfatione commentariorum in Ieremiam affirmat, sibi cognitas quinque & quadraginta: de quarum numero tantùm quatuordecim infrascriptas Hieronymo interprete habemus, videlicet,

In Ier. 2. De principio Ieremię, homilia 1.
In Ier. 2. Quòd de Babylone fugiendum sit, homilia 1.
In Ier. 2. De vite in amaritudinem conuersa, homilia 1.
In Ier. 3. Super illud, Et dixit Dominus ad me in diebus Regis Iosiæ, homilia 1.
In Ier. 5. De Malleo totius terræ confracto, homilia 1.
In Ier. 10. De faciente terram in fortitudine sua, homilia 1.
In Ier. 11. Super illud, Audi verba testamenti huius, homilia 1.
In Ier. 12. De terra exterminata, homilia 1.
In Ier. 12. Super illud, Notum fac mihi Domine & cognoscam, homilia 1.
In Ier. 13. De vtribus vino implendis, homilia 1.
In Ier. 13. & 14. De comminationibus Dei ad Hierusalem, homilia 1.
In Ier. 15. Super illud, Heu mihi ego mater, homilia 1.
In Ier. 16. De Missione piscatorum, homilia 1.
In Ier. 17. De perdicis clamore, homilia 1.

IN THRENOS etiàm Ieremiæ scripsit Origenes, cùm esset Alexandriæ, Tomos nouem; quorum Nicephorus meminit in quinto historię volumine, & cum Athenis degeret, iam sexagenario maior elaborauit Eusebio teste.

IN EZECHIELEM Tomos 25. cùm prius in eundem Prophetam homilias plurimas edidisset, de quibus 14. extant interprete Hieronymo, quæ sunt.

In Ezech. Cap. 1. De captiuitate populi Israel, & Ioachim Regis, & visione Ezechielis, homilia 1.
In Ezech. 13. De malis Prophetis prophetantibus in Hierusalem, homilia 1. quæ incipit, *Nullam speciem peccatorum*.
In idem super illud: Fili hominis obfirma faciem tuam, homilia 1.
In Ezech. 14. De peccatis peccatricis Hierusalem, homilia 1.
In idem 14. De duabus plagis, romphęa, scilicet, ac morte, homilia 1.
In Ezech. 16. De parabola ligni vitis, homilia 1.
In Ezech. 16. Super illud, Radix & generatio tua de terra Canaam, homilia 1.
In idem De vestibus à Deo traditis peccatrici Hierusalem, homilia 1.
In idem De increpatione peccatricis Hierusalem constituentis lupanar, homilia 1.
In idem De eo, quod scriptum est, Pater vester Amorrhæus, & mater vestra Cethæa, homilia 1.
In idem De eo; quod scriptum est, Confundere, & accipe ignominiam tuam, homilia 1.
In Ezech. 17. De Aquila magna Libanum intrante, homilia 1.
In idem De Nabuchodonosor Hierusalem intrante, homilia 1.
In Ezech. 28. De eo, quod scriptum est. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, homilia 1.

IN DANIELIS cap. 13. scripsit ad Iulium Africanum pro defensione historiæ Susannę Epistolam vnam ab Ambrosio Mediolanensi Monacho Cassinate, viro doctissimo Latinè versam: de qua Eusebius in 6. histo. Ecclesi. libro sic scribit:

Per id tempus, erat etiam Africanus vir in scripturis Ecclesiasticis nobilis: huius Epistola fertur ad Origenem scripta obijcientis ei, vel proponentis, quòd historia Susannæ, quæ in Daniele scripta est, ficta videatur, & aliena à scriptura prophetica, cui Origenes magnificentissimè rescribens, nequaquam Iudæorum commentis & fraudibus auscultandū, sed hoc solum pto verò habendum in Scripturis Diuinis, quod Septuaginta interpre-

tes transtulissent, nam id esse solum, quod authoritate Apostolica confirmatum sit. Hæc Eusebius.

Rursus totum historiæ Susannæ contextum Origenes in decimo libro Stromaton commatica explanatione prosecutus est, cuius pars nunc in Commentarijs Hieronymianis super Danielem habetur, ab ipso Hieronymo sub titulo Originis inserta.

Scripsit præterea in quattuordecim propbetas minores ἐξηγήσεων, idest, Enarrationum libros quamplurimos: ex quibus Eusebius viginti tantum & quinque se vix inuenire potuisse conqueritur. De his Hieronymus in Catalogo Scriptorum sic loquitur: Reperi in duodecim Prophetas volumina manu Beati Pamphyli Martyris exarata, quæ tanto amplector, & seruo gaudio, vt Cræsi opes habere me credam, si enim lætitia est vnam Epistolam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?

Ex his libris duos particulariter exarauit in Oseam, vnũ, cui titulum imposuit Περὶ τοῦ πῶς ὀνομάζεται ἐν τῷ Ὠσηὲ Ἐφραΐμ, hoc est, *Quare appellatur in Osea Efraim*, volẽs ostendere, quę cunque contra eum dicũtur, ad hęreticorum referenda personam, alterum verò, ἀκέφαλον, καὶ ἀτέλεστον, sic dictum, quòd & capite careat, & fine.

Item in Zachariam scripsit libros duos, vix tertiam partem à principio libri vsque ad visionem quadrigarum allegoricè edisserens.

Item in Malachiam allegoricę expositionis libros tres.

Atque hęc sunt, quæ in vetus testamentum ab Origene scripta reperi, quæ verò ad nouum pertinent instrumentum, hęc sunt.

In Matthęum explanationis genus triplex, hoc est Tomi, Scholia, & Homilię, ex his verò primùm composuit in totum hoc Euangelium Tomos 36. ex quibus decem primi Tomi desiderantur, cæteri supersunt, ab explanatione videlicet eius loci, *Tunc dimissis turbis venit in domum suam*, ex capite 13. vsque ad 27. caput; quos librarij imprudenter in tractatus, siue Homil. 35. diuiserunt; cum nec vestigium in ipsis appareat homiliatici generis, quod semper à breuibus exordijs in præfatiunculas, & doxologias decurrit.

Secundo scripsit etiam in eundem Euangelistam scholastici generis librum vnum, in quo per commata & interualla breuibus quibusdam scholijs, quæcunque sibi videbantur obscura, breuiter annotauit.

Tertio edidit ex homiliatico genere in varios Matthęi locos, Homilias ad populum viginti quinque, harum, quę nunc supersunt, hę sunt.

In Matth. 1. De Matre desponsata, Homil. 1.

In Matth. 2. De apparitione Angeli ad Ioseph, Homil. 1.

In Matth. 6. Super illud, Cum ieiunatis, Homil. 1.

In Matth. 8. De leproso, Homil. 1.

In Matth. 15. De Cananęa, Homil. 1.

In Matth. 25. De aduentu filij hominis ad iudicium, Homil. 1. cuius prior pars resecta est ex tractatu Origenis in Matth. 34. posterior verò pars videtur cõtinere duo Latinorum patrum fragmenta: quorum alterum habetur in fine Commentariorũ Hieron. in Esaiam; alterum apud Gregorium, lib. 15. Moralium, cap. 14. Nec dubium est, pleraque his similia, hinc inde excerpta, inueniri etiam in nonnullis homilijs, quæ sub Origenis nomine in varios Euangeliorum locos leguntur.

In Lucam dictauit Tomos quinque, qui nunc desiderantur, & Homil. plurimas, de quibus 39. adhuc extant, quas, quoniam parum elaboratę sunt, & nonnullis etiã damnatis erroribus inspersæ, Hierounymus, earum interpres, excusat, tanquam ab Origene admodum iuuene enatas, alia enim sunt iuuentutis pręludia, & alia senectutis seria. Ex his tres & triginta priores, Homilię explicant Lucàm continuata expositionis serie, à principio Euang. vsq; ad mediũ 4. cap. sex verò posteriores dispersos quosdam Lucę locos errant, & sunt hę.

In Luc. 10. De eo, qui incidit in latrones, Homil. 1.

In Luc. 12. super illud, Esto consentiens aduersario, Homil. 1.

In Luc. 1. super illud, qui voluerit animam suam facere, perdet eam, Homilia 1.

In Luc. 19. De pullo Asinę, Homilia prima.

In Luc. 19. De fletu Christi super Hierusalem, Homilia 1.

In Luc. 20. De quæstione Sadducęorum, Homilia 1.

In Ioannis Euangelium integræ explanationis ad Ambrosium Alexandrinum To. 39. quos Hieronymus in præfatione 39. Homiliæ Origenis in Lucam, excusat se non ausum vertere in Latinam linguam, deterritum magnitudine laboris ac sumptus. Latuere omnes ad nostram ætatem Latinis incogniti, sed nuper ex his Ioachimus Perionius, monachus, Tomos nouem primus in Latinum conuertit, tot enim solummodo supererant in Græco vetustissimo codice: quem ex clarissima Bibliotheca Regis Gallorum nactus est; & hi quidem multis in locis mutili, minimeque sequentes, & interpolati, videlicet primus, secundus, sextus, decimus, decimus tertius, decimusoctauus, vigesimus, vigesimus octauus, trigesimussecundus.

Quorum primus pręfationem operis continet vnà cum expositione primę tãtum propositionis, videlicet, In principio erat Verbum, eius initium est, *Quemadmodum vetus populus*.

In secundo exponitur illud ex 1. cap. Et verbum erat apud Deum, vsque ad ea verba eiusdem capitis, Qui post me venit, ante me factus est.

In sexto exponuntur verba illa ex cap. 1. Et hoc est testimonium Ioannis, vsque ad illud, Ecce agnus Dei.

In 10. explicatur illud ex cap. 2. Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, vsque ad finem eiusdem capitis, Ipse enim sciebat, quid esset in homine.

In 13. enarratur illud ex 4. cap. Respondit Iesus, Omnis, qui biberit ex hac aqua, vsque ad illud eiusdem capitis, Cum ergo venisset in Galilęam, exceperunt eum Galilæi.

In 18. exponitur illud ex cap. 8. Neque me scitis, neque Patrem meum, vsque ad verba, quę paulò post eodem in capite sequuntur, nisi credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.

In 20. exponitur ex cap. 8. sententia illa, Scio, quia semen Abrahę estis, vsque ad illam in eodem capitulo, Nunc cognoscimus, quia Dęmonium habes.

In 28. explicatur illud ex cap. 11. Dixit Iesus, Tollite lapidem, &c. quæ sequuntur, vsque ad finem eiusdem capituli.

In 32. exponitur illud ex cap. 13. Et cœna facta, cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas, vsque ad ea verba eiusdem capitis, Quęretis me, & sicuti dixi Iudęis, quò ego vado, vos non potestis venire.

Hos nouē interruptę explanationis Tomos Gręculus quidam incerti nominis, nouo imposturę genere dissecuit in Tomos duos, & triginta, vt Opus, numerorum multitudine auctum, & Arithmeticę supputationis ordine cõtinuatum, optabilius redderet, ac maiori precio venderet, cuius fraude illusus Ambrosius Mediolanensis, monachus Cassinas, vir alioqui sagax & solertis ingenij, hoc ipsum Opus Latinè vertit, & triginta duorum Tomorum partitione impressum euulgauit, sic incipiens, *Quemadmodum qui olim populus Dei*.

Edidit etiam in hoc Euang. homil. aliquot, sed nunc duæ tãtum extant, eius titulo inscriptę, vna in principiū Ioan. altera in initium 20. c. de Maria ad monumentū flente, quarum priorem, cuius initium est, *vox spiritualis Aquilæ*, apparet Origenis nõ esse tum ex Manich. tum ex Arrianorum nominibus in ea cõmemoratis, quæ multò post Origenē exorta sunt. Hęc de Euangeliorum explanationibus, post quas Paulū explicare aggressus, elaborauit.

In Epist. ad Ro. Cõmentariorū lib. 15. de quibuslibet subnectit iudicium Hieronymus. ex præfatiuncula, quam iisdem Cõment. à se trãslatis pręfixit, in hunc modū, ad Heraclium scribens: Volentem me paruo subiectum nauigio oram traquilli litoris stringere, & minutos de Gręcorum stagnis pisciculos legere, in altum frater Heracli laxare vela compellis; relictoq; Opere, quod in transferendis homilijs senis Adamantij habebam, suades, vt nostra voce quindecim eius Volumina, quibus in Epist. Pauli ad Rom. disseruit, explicemus: in quibus ille, dum sectatur Apost. sensum, in tam profundum pelagus effertur, vt metus ingens sit, illuc eum sequi, ne magnitudine sensuū, velut immanitate opprimar vndarū. Dein de nec illud aspicis, quòd tenuis mihi ēst spiritus ad implendā eius tam magnificam dicēdi

tubam,

tubam, super omnes autem difficultates est, quòd interpolati sunt ipsi libri, desunt enim ferè apud omnium bibliothecas (incertum sanè quo casu) aliquanta ex ipso corpore voluminis, & hæc adimplere in Latino opere, & integram consequentiam dare, non est mei ingenij, sed vt tu credis, qui hæc exigis, muneris fortasse diuini. Addis autem, ne quid laboribus meis desit, vt omne hoc quindecim voluminum corpus, quod Græcus sermo ad quadraginta ferè, aut eo amplius millia versuum produxit, abbreuiem, & ad media, si fieri potest, spacia coarctem. Dura satis imperia, & tanquam ab eo, pondus operis scire nolit, impo sita, aggrediar tamen, si fortè orationibus tuis, quæ mihi, tanquam homini, impossibilia videntur, aspirante domino possibilia fiant, sed ipsum iam, si videtur, Origenem, qualiter præfationem suscepti operis diriget, audiamus. Hæc Hieronymus. Sunt qui putent versionem horum Commẽtariorum esse Ruffini, sumpta coniectura ex peroratione ipsius interpretis, in fine totius Operis apposita. Scripsit item Origenes.

In epist. ad Corinthios primam Commentarios, quorum meminit Hieronymus in Epistola ad Pammachium; quæ incipit *Christiani pudoris*.

In Epist. ad Galatas secundum triplex genus expositionis varia elucubrauit, hoc est, Continuæ & integræ enarrationis in totam Epistolam Tomos quinque.

Item ex decem Stromateon suorum libris decimum volumen commatico sermone super huius Epistolæ explanatione compleuit.

Item Ἐκλογῶν, seu Excerptorum librum 1.

Item Tractatus ad populum non paucos, quæ omnia temporis iniuria absumpsit. Meminit horum Hierony. in Epist. ad August.

In Epist. ad Ephesios Tomos tres, quos Hieronymus in præfatione Cõment. in Epist. ad Ephes. & in Apologia prima contra Ruffinum se fatetur secutum.

In Epist. ad Colossenses Comment. lib. 3. quorum tertium librum citat Pamphilus in Apologia.

In Epist. ad Thessal. primam, libros plures, ex quibus tertium Hieronymum in Epistola ad Minerium & Alexandrum citat, inquiens. Origenes in tertio volumine ἐξηγηματικῶν Epistolæ Pauli ad Thessal. primæ, post multa, quæ vario prudentique sermone dissemit, hæc intulit; in quibus nulli dubium est Acacium pleraque libasse, &c.

In Epist. ad Titum librum vnum, cuius fragmentum citatur à Pamphilo in Apologia.

In Epistolas ad Hebræos libros plures, ex quibus Pamphilus citat in Apologia fragmentum.

Hæc igitur sunt Origenis in sacras litteras Opera. De vita verò & sanctitate eius, deque cæteris exotericis voluminibus extra explanationem Diuinarum Scripturarum, ab eo compositis, si quis plura scire desiderat, legat Eusebium in 6. Eccles. historiæ libro. Scripserunt pro defensione Operum Origenis multi clarissimi viri varios Apologeticos libros, videlicet Pamphilus Cæsariensis, martyr sanctissimus, librum vnum; cui adiungitur Gregorij Neocæsariensis Episcopi De laudibus Origenis liber vnus; Eusebius Cæsariensis Episcopus libros sex; Didymus Alexandrinus librum vnum; Methodius, Olympius, Palinodiæ, à se quondam vituperati Origenis lib. 1. Basilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus communi labore librum vnum; Ruffinus presbyter Aquileiẽsis ad Macharium libros duos, Ioannes Picus Mirandulanus, librum vnum; Iacobus Merlinus Victurniensis librum vnum.

Clatuit Origenes sub Alexandro Mammeæ filio, vsque ad Gallum & Volusianum, eius filium, id est, vsque ad septuagesimum ætatis suæ annũ, & mortuus est Tyri, atque ibidem sepultus anno à Christo nato 260.

Editiones Operum Origenis.

Cum verò Parisijs ann. 1512. sequentibus verò, hoc est ann. 1536. Basileæ prodijssent Latinè, sed & Venetijs, Commentarij Ambrosio Ferrario interprete ann. 1552. apud Andreã Spinellum. Quin & Salingiaci in Germania ann. 1537. Tropologiæ desumptæ ex Origenis Commentarijs in Genesios, Exodum, Leuiticum, Numeros, Iosue, & Iudicum.

Has omnes editiones aut nondum maturè expensas, aut versas in Latinum aliquas ab ijs, qui sensum Origenis minus fuerant assecuti, excepit Gilberti Genebrardi editio, hac prænotatione. *Origenis Adamantij, magni illius, & vetusti Scripturarum interpretis, & secundi Ecclesiæ post Apostolos Magistri, Opera, quæ quidem proferri potuerunt omnia, doctissimorum virorum studio iam olim translata, & recognita: atque multiplici Indice copiosè locupletata: nunc postremò à Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi, Diuinarum, Hebraicarumque litterarum professore Regio, partim cum Græca veritate collata, partim libris recens versis, & à Regia Bibliotheca depromptis, aucta, Carolo Nono Francorum Regi ab eodem Genebrardo dicata. Parisijs, ex Officina Petri l'Huillier, ann. 1574.*

Elenchus Librorum Origenis.

Primi Tomi.

In Genesim, homiliæ 17.
In Exodum, hom. 13.
In Leuiticum, hom. 16. quæ falsò ascribuntur Cyrillo.
In Numeros, homil. 28.
In librum Iesu Naue, homil. 26.
In librum Iudicum, homil. 9.
In librum Regnorum, homil. 1.
In librum Iob, lib. 3.
In Psal. 36. homil. 5.
In Psal. 37. homil. 2.
In Psal. 38. homil. 2.
In Cantica Canticorum, homil. 2.
In Cantica Canticorum explanationis posterioris, homil. 4.
In Esaiam, homil. 9.
In Ieremiam, homil. 14.
In Ezechielem, homil. 14.
Periarchon, idest, de principijs, lib. 4.
Threni, seu Planctus Origenis, Tractatus 1.
Apologia Pamphili martyris pro Origene.
Ruffinus de deprauatione librorum præcipuè Origenis, lib. 1.
De recta in Deum fide, Dialogus.
Commentaria in Iob, Ioachimo Perionio interprete.
In eundem, homil. 4.

Secundi Tomi.

In Matthæum Tractatus 35.
In Lucam, homil. 39.
In Ioannem, Tomi 32.
In diuersos locos noui Testamenti homiliæ.
In Epistolam ad Romanos, lib. 36.
Contra Celsum Epicureum, lib. 8.
Contra Marcionistas Dialogi, Laurentio Humfrido Anglo interprete.
Philocalia, siue de amore honesti.
De Susannæ historia Epitome.
De eadem historia Iulij Africani Epistola, & ad eam Origenis responsio.

At & postremò recusa sunt Parisijs eadem Origenis Opera, anno 1604. quæ quidem proferri potuerunt omnia.

Adnotata quædam in Versionibus Commentariorum in Iob, qui in Operibus Origenis inserti sunt.

Porrò in Commentarijs in Iob, quoniam cuiuscumque sint, eruditionem, & antiquitatem spirant, quodque ad rem maximè pertinet, quæ in cap. 38. disputatio extat aduersus Genethliacos, ea debet inoffenso pede decurri, sciant studiosi Iacobum Billium plura in capite octauo, primi sui libri Sacrarum Obseruationum notasse, quæ magnum erit operæpretium, si & qui eam versionem legerint, noscant; & typographi cum recuderint, corrigi curent. Nos pauca hic de multis:

Ἠνέθλω vertit Interpres: *Dominus constitutus sum.* cum debuisset vertere: *Laudatus sum.*

ἀμελιστέρους. Interpres, *Ignauos, socordes.* rectius, *ineptos.*

Φισὶ

Φησὶ δ᾽ ὥρων ψεῦσιν παρεξολισθαι ἅπαν. Rectius. *φησὶ δὲ ὡρῶν ψεῦσιν*. hoc est, *ait propter horarum mendacium*, idest, *quia certa horarum spatia non satis comprehensa habuerit, omnem sibi operam periisse*. Interpres autem non est assecutus sensum. Mox pro *animalibus*, rectius, *signa*. Præterea vt multa peccauit Interpres, ne versus quidem ab oratione soluta internouit, quos Billius emendat, & appositè vertit: quem item ibi, vbi supra, percurrere poteris.

At in versione Ioachimi Perionij in Commentarios in Iob, quam quidem versionem suæ editioni Origenis inseruit Genebrardus, multo plura sunt, quę idem Billius in secundo libro eorundem Sacrarum obseruationum adnotauit. Quæ si lucem aspexissent, antequam eam editionem adornasset Genebrardus, haud dubium est, quin tanti uiri laborem accuratum eidem Perionij versioni præfixisset. Nos ea, vt studiosis, & Typographis consulamus, hic ponimus, resectis, quæ de Perionio ibidem attulit Billius. Qui ita habet:

In præfat. Iustorum laudator non ad voluntatem affectionemq. laudat sed falsò quæ in sancto viro insunt, enunciat. Hic Græcè quidem ψευδῶς legitur, sed sensus ipse, vel me tacente, clamat ἀψευδῶς legendum esse, idest *verè*. Paulò post, *videbatur aliquid pati generi Esau*. Gr. *ἀντιπάσχειν, contrario quodammodo affectus esse*: & mox, *vt igitur omnis etiam homo Deo discumbit, sic non omnis, &c.* Gr. *ὥσπερ οὖν καὶ πᾶς ἄνθρωπος τῷ θεῷ ἀνακείμενος, οὐ πᾶς δὲ, quemadmodum videlicet, & quisquis Deo se totum consecrauit, non item quisquis ex Iacob ortus est*.

Cap. 1. *Nulla in re se ipsum deriserit*. Gr. *μωμησάμενος nulla se labe infecerit. Neque enim ratio, qua cum filijs collatus est*. Gr. *σχέσις ἡ πρὸς τοὺς παῖδας*, idest, *affectio erga liberos*. Paulò post, *eademque expiatio cogitationis erat curatio, peccatis non præstantibus*, Gr. *ἁμαρτημάτων οὐχ ὑπαρχόντων* fortasse tamen legendum *ὑπαρχθέντων*, idest, *existentibus*. Inf. *& cum Loth, &cet*. Sic lege, *& Loth cum Sodomitanis, sed in reprehensionem non incurrerunt*. Non longè post, *virum ipsum bonis, &c.* Sic verto, *simul quidem & illum bonis, virtutibusq. suis ornans: & hunc* (scilicet Satanam) *eò pertrahens, vt omnia, quæ in illum cogitarat, in apertum proferret ἐξελκόμενος ἐκρῆξαι* idem quod *εἰπεῖν* vel *ἐκλαλεῖν*. Rursus infra, *si in tanta rerum omnium abundantia, quæ munita esset, &c.* Etsi ad sensum non multum interest, tamen non intellexit interpres in his verbis *τὸν τοσοῦτον ὄγκον πλούτου περιβεβλημένον*, postremum hoc vocabulum idem esse quod *ἔχοντα* vel *κεκτημένον*: Multo grauius est id quod sequitur, *sed ille antenerit vt vinceretur. Tibine satis est iustum munire*, Gr. *ἀλλ᾽ ἔφθη αὐτὸς κρατηθῆναι, ἢ τὸ δίκαιον ἄρκυσι περιβαλεῖν*, idest, *verum ipse prius victus, captusq. est quàm vt iustum virum retibus suis implicare posset*. Ibid. *habes eius res omnes firmare*. Gr. *κύριον*, idest, *populari*. Verbum hoc confundit interpres eum *κυροῦν*. *Nihil enim eorum quæ sunt, &c.* Hæc sic leguntur in Græco *οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ὡς ὂν λελόγισται πρὸς τὴν φύσιν*. Non longè hinc, *effundebatque multitudinem*, sic in Græco *τὸ πλῆθος ἐκχέων*. Vbi tamen non minus aptè fortasse legeretur, *τὸ στῆθος ἐκκαίων*. Mox, *qui non humanitate ductus hoc bellum cum Iob susceperat*. Græcè *ὁ φιλανθρωπίᾳ τοῦ τὸν*, (sic enim lego, non vnica voce *τοῦτον*) *πόλεμον ἀραμένου*, idest, *non humanitate eius, qui bellum inferebat*, idest, *Diaboli*. Hoc enim vult, Diabolum, hoc vno tantum nomine seruo illi pepercisse, vt calamitatem illam Iobo nunciaret. *Sed alterna incidebant*. Gr. *αἱ ἐπάλληλοι conglobata, alia super alias. Omnium pecuniarum, rerumque* Gr. *κτηνῶν χρημάτων, pecudum*.

Cap. 2. Ait, *et qui ad grauiores iniurias, & mala lacessiuisset*, Gręca phrasis, *χειρῶν ἀδικιῶν ὑπάρχειν* de eo dicitur, qui prior iniuriam infert non tamen animo dedito malis, Gr. *οὐκ ἐνδιδόντος τῆς ψυχῆς*. *Succumbenti malis*. Paulò post, *Nihil illic erat premens tota nocte, percutiens interdiu*. Hoc loco corruptè legitur in Græco *οὐδὲν ἐκεῖ τὸ θλῖβον*. Emendo *ὁ δ᾽ ἐν ἑαυτῷ θλίβων*, idest, *ille autem instabat premens*. Ibidem, *siquidem deditus erat is, qui feriebat*. Mox. *Sed immutatus permanebas*, Græcè *ἄτροτος*, vitiosè legitur, pro *ἄτρωτος*, idest, *innulneratus*. Ibidem, *tela inania reddidit*, *ἐκένωσε τὰ βέλη ὁ πονηρὸς*, idest, *malus ille tela omnia sua effudit*. Et infra, *acriter in eam inuolans*. Græcæ *ἀπειδών* legendum autem *ἀτενίζων*, idest, *intuens*. Aliquantò post, *non causam vllam, vt iniustè res administranti exponebat* Gr. *οὐκ ἐγκαλοῦντος*, idest, *non eum reprehendebat*,

bat, vt iniustè res administrantem. Paulò post, pro *se ipsum expiabat* pone, *ipsum iustificabat* Gr. ὁσιῶν αὐτὸν. De Iobo enim loquitur, qui Dei iustitiam omnibus in rebus agnoscebat. Ibid. *Ecquid autem non detraxerat*. Repone, *Quamquam non ille quidem detraxerat*. In Græco, καί τοι legendum, non καί τι. Non ita multò post, pro, *non eis qui ipsi adversi erant, molestum nō fuisse* verto, *non solum sui ipsius curam habuisse*. in Græco enim lego: τῷ καθ' ἑαυτὸν ἐφρόντιζε, non vt mendosè scribitur. τῷ καθ' ἑαυτῷ ἐφορτισεν. Inf. *dare consilium viro vt in Deū diceret* Gr. ἀπηνίσι κατὰ θεοῦ φθέγγεσθαι pro quo lego: ἀπηχές τι, i. ἄτοπόν τι *absurdum aliquid, & inconcinnum*. Rursus infra, pro, *id quod etiā tres amici fecissent*, pono, *id quod etiam tribus amicis accidit*. Mox. *Sine veste esse* Gr. ἀνέστιον sine clare. Paulo inferius, *vt igitur ego ipsa tantum videas non ferens visum procacium hominum, nec tu miserum spectaculum spectantibus propositus, causa damni sis infirmis, quasi non sis curæ Deo nec ipse simili tibi coniunctus sit, collecta mente tua Deo, qui te in lucem protulit, supplica vt tibi celerem mortem inferat, quò facilius morte tua & suspicionem aduersus Deum tollas, &c.* Hoc loco. ἰκέτης idem est, interpreti quod οἰκέτης, *& suspicio aduersus Deum Iobo male attribuitur*. Non longe hinc, *grauitatem dolorem*, Gr. παράτασιν *productionem*. Aliquantò post *labiorum sacrificio*. Gr. προφορᾷ *prolatione* non autem προσφορᾷ.

Cap. 3. magnum certè affligere Gr. κῆτος χειρώσασθαι *cete subigere*. Proximè *vtrumuis dicatur, dicetur accusatio* Gr. ῥηχθεὶν ἀνυπαίτιον lego tamen ἀνυπαιτίως, idest, *citra reprehensionem*. Hanc enim emendationem sensus flagitat. Mox, *aqualemque tributionem, qua inter ipsos est eorum, qui illhic sunt*. Ibidem *vnitatem auarorum*. Corrige, *vanitatem*. Quod sequitur valde in Græco deprauatum est, ac diuinatoris cuiusdam operam mihi requirere videtur: διδάσκει δὲ τὸ παύεσθαι ἐγγεῖσθαι τὴν περί τὰ τοιαῦτα σπουδὴν τοὺς ἀνθρώπους διὰ τὸ παραδεδραμηκέναι λοιπὸν τὸν τῆς πολιτείας λόγον. Mihi quidem non ineptus sensus extiturus videtur si legamus, καὶ τὸ παύεσθαι ἐγκεῖσθαι. Vt horum verborum hæc sit sententiã. *Docet homines illic desinere huiusmodi verum studio incumbere, quod iam Reipublicæ gerenda ratio præterierit*. Cui tamen emendationi non plus tribui volo, quam docti, & candidi doctores tribuendam iudicarint. Mox. *labores corporis*. Gr. καλακοποιοσώματι. idest, *corporis laboribus fracti*. Ibidem *eiusmodi consequentia* Gr. συμπτώματα. *Casus*. Infra. *& iracundia, &c.* Gr. καὶ ὡς ἐν ἡμερεπινεμόμενος ἐξ ὀργῆς pro quo substituo. καὶ ἐσπημέραις πεπραινόμενος. Et rursus. *quanto cum dolore auari nacti thesaurum exhauriunt, profunduntque pecunias*. sic verto, *cum quanto*, scilicet gaudio, *auari nacti thesaurum pecunias eruant*. Hoc enim hic significat ἐξαντλοῦσι *non profundunt*, quod pugnat cum verbis Iobi. Ibidem. *Mori cum dissoluat amentias*. Gr. ἀνίας. idest, *marores* non ἀνοίας. vers. sequenti, *peccatorum quietem afferat*. Aptior mihi sensus videretur, si pro ἁμαρτημάτων, καμάτων scriberetur, idest *laborum*.

Cap. 4. *animi contentionem excluderet* corruptè legitur in Græco. ἐκκλυσῃ emendat interpres ἐκκλυσῃ ego ἐκλύσῃ, idest *frangeret, dissolueret*. vers. sequenti *impellat naturam ad assentiendum Deo*. Gr. εἰς συναίσθησιν ἄγει τὴν φύσιν τοῦ θεοῦ, idest, *naturam eò ducit, vt Deum persentiscat*. Paulò post, *accommodatam rerum effectionem*. Græcè τὴν οἰκείαν δημιουργίαν *suimet structuram*. Ibidem *hominem ingratum nihil esse censeat*. Mihi vox ἀχάριστον vacare hoc loco videtur. Mox. *nec omnium qui contempti sunt, futuram esse rationem, & indicium*. Gr. καὶ ὅτι ἐξέτασις ἔσται ἐν παντὶ τῷ παρεωραμένῳ, idest, *quòdque examinatio futura sit cuiuslibet rei, quam neglectim transmiserimus*.

Cap. 5. *Parricidam persecutus*. Gr. αὐθαίρετον *vltro, ac sponte*. *Deuorabuntur*, lege *deuorabunt*. Mox. *sed superant*. Gr. αἳ ὑπερέχουσι forte tamen legendum, ἀλλ' ἅπερ ἔχουσι. Hoc enim vult, eas demum naturas passioni subiectas esse quæ & mentem & sensum habent. Infra, *facillimè famem explere possunt & facilè percipi, &c.* Græca sic habent: ῥᾳστην ἔχουσι τῆς ἐνδείας τὴν ἀναπλήρωσιν, καὶ εὐμαρῆ τὴν μετάληψιν, τοῦ θεοῦ οὕτω βοηθέντος κατασκευάσει. lego, κατασκευάσαι. s. τὰ τῇ φύσει εὐάλωτα εὐκίνητα τοῖς πτεροῖς, idest, *facillimè famem explere, & nullo negotio cibum capere possunt*: quòd nimirum Deus animantia ita efficere voluerit, vt quæ alioqui suapte natura facilè capi possunt, ea pennarum adiumento facilè mouere se loco possint.

Cap.

Cap.6. *Noli comparare, &c.* Nil hoc loco necesse puto quicquam in Græco immutare, *Suauem odorem efflare in adibus.* Græcè ἐνοίκοις vnico vocabulo, idest, *domesticis.* Paulò post, *nec communis natura pudorem suscipiant* αἰδῶ λαμβάνοντες, idest αἰδούμενοι, idest, *nec communem naturam vereantur*, vel, *communis natura cogitatione commoueantur.* Infra. *Gloria, & diuitia, qua conciderunt.* Verto *gloria & diuitia, stuporeq; afficiant.* Hoc enim significat. πτοῖσθαι. *non concidere.* Inglorius. Gr. ἄναυδος, idest, *sine voce.* Ibidem *vt etiam nulla, &c.* sic verto: *Quare etiam si nullam mei rationem habetis ac certè vulnus meum intuentes metum concipite, communem naturam miserantes.* in Græco. τῆς κοινῆς φύσεως ἔλεον ἐπαιδεσαντες, pro eo, lubens legerem, ἐλεήσαντες, ni sensus repugnaret. Quare αἰδεσαντες potius amplector. Non multo post, *Etenim si quod mihi viaticum ab hominibus praberetur.* Græcè εἰ μὲν γὰρ ἔφοδος τις ἦν ἐξ ἀνθρώπων, idest, *si homines in me aliquem impetum fecissent.* Confundit interpres. ἔφοδον, & ἐφόδιον. Paulò post, *mala veracis verba videntur* φαῦλα *contemptibilia.* Ibid. *cum enim auxilium fert Deus* Græcè ὅταν ἡ ἐκ θεοῦ ὑποχωρῇ ἐπικουρία, idest, *cum autem Dei auxilium se remiserit;* idest, *præsto esse desierit.* Mox. *& mundus sis is qui sciat.* Gr. τοῦ συνειδότος καθαροῦ *cum munda sit conscientia.*

Cap.7. *Vita est approbatio.* Græcè δοκίμιον *exploratio.* Proximè, *vnusquisque quasi hodie mercedem accepturus ita viuet.* Gr. ἀποτίσων est in Græco: sed cum hæc vox non congruat mercenario, in eam sententiam me sensus ipse adducit, vt legam ἀπαιτήσων, idest, *expetiturus.* Sicque ibidem pro εὐημερίᾳ τῇ παρ' αὐτοῦ (quod Perionius vertit *felici successu quem ab eo expectat*) haud paulo lubentius legerim, εὐνοίᾳ τῇ παρ' αὐτοῦ, idest, *vt ipsius beneuolentiam sibi conciliet.* Mox. pro, *sentio semper, &c.* lego, *sentiebam semper: sed percussus sum, animo licet ita comparatus, ac tantis flagris verberatus sum, vt & interdiu, & noctiu contraria concupiscam.* Hic enim in Græco lego, τοσαῦτῃ μάστιγι ἤκισμαι non τῇ αὐτῇ alieno sensu. Infra, *doloris magnitudine victus.* Gr. ἐγχόμενος *præfocatus.* Ac rursus, *imbecillitatem vincit probatio.* Gr. βάσανος, idest, *cruciatus.* Rursus infra, *si homo suo præsidio, & auxilio caret, & ei instat is qui eum considerat.* Gr. εἰ ἄνθρωπος αὐτὸς τῆς σῆς ἐπικουρίας (addo οὐδ' ἔνεστι) τοῦτο δὲ μόνον ἐστὶν ὁ ἐπισκέπτῃ αὐτόν, idest, *si homo extra opem tuam nihil est, hocque tantum est, quod tu visitas eum.*

Cap.8. *Continente etiam ipse sermone inuento omnibus, qui ex vtraque parte infert;* συνεκτικώτατον, καὶ αὐτὸς λόγον εὑρὼν πρὸς πάντα ὁμολογούμενον, idest, *primariam ac generalem ipse quoque rationem, quaque apud omnes in confesso sit, nactus.* Proximè, *id quod quærebatur ex ijs, qua ad partem accommodantur docet* Gr. ποιεῖν καὶ ἐκ τῆς κατὰ μέρος ἀπόδειξιν, idest, *à particularibus id probat.* Mox, *hoc etiam iusto homini ascripto, cum reliqua accommodatè ad persuadendum admonuisset, hoc ait.* Gr. ταῦτα τῷ δικαίῳ λόγῳ ἀναθείς, καὶ τὰ λοιπὰ ἀξιολόγως παραινέσας ἐπὶ τὸ συνεκτικὸν ἧκε sic enim lego, non vt corruptè in Regis lib. ἢ καὶ φάσκων, idest, *Hac cum iusta rationi ascripsisses ac reliqua præclarè admonuisset ad id quod præcipuum erat, se contulit dicens.* Infra, *Omnis natura qua extrinsecus erogatur.* Græcè ἐρανιζομένη *erogat.*

Cap. 9. *contrarium ipsius sustinuit.* Gr. ἐν ἀντίον αὐτοῦ *coram eo.* Mox, *qui magnas res commutat* Gr. ἀναλωθῆναι ποιῶν, idest, *efficit vt consumantur.* Ita vertit Perionius, quasi ἀλλοιωθῆναι esset in Græco. Paulò post non in actionis verbo, sed in illo libertatis, & potestatis cursum conficiens. οὐ τῆς πράξεως λόγῳ, ἀλλ' ἐπὶ τῆς αὐθεντίας ἀναδραμών, idest, *non actionis ratione, sed authoritate.* Mox, *Hyas enim cum oritur, Pleias* est in Græco, non *Hyas.* Infra, *Me abnuere non sinit,* ἀνανεῦσαι *caput attollere; respirare.* Ac rursus, *quod possit omnia,* τῷ πάντων κρατεῖν, idest, *quod omnibus imperet.* Et paucis interiectis, *Deo non obsistat, sed eum celebret* Gr. οὐκ ἀντιλομαχεῖ (lego ἀντοφθαλμοῖ idest, ἀντοφθαλμεῖ) ἀλλ' ὁσιοῖ αὐτόν, idest, *Deum minime ex aduerso intuetur, sed eum iustum prædicat.* Verto etiam paulò post: *Non omnis prorsus qui aliquibus acerbitatibus oppressus est, ob peccatum castigatur.* Aliquantò post sic vertendum; *si enim posteaquam ob eam plagam insignis fui ex hac me rursus eripere volueris.* Ibid. *neque humanitatis.* Latina hoc loco lacunosa sunt, Græcaque haud dubiè vitiata οὐδὲ τὴν φιλανθρωπίαν ἐπιγραφήσῃ mihi certe nõ displicuerit si quis pro οὐδὲ reponat σὺ δέ, idest, *tu autem humanitatis laudem, ac titulum tibi vendicabis.*

Cap. 10. *Non odij & deformitatis plenum*. Græcè μύσους *abominationis*. Mox, *quòd nondum sit figuratus*. Gr. ψυχωθὲν *animatus*. Infra, *Intueris enim omnia, & iustè scrutaris. Non enim dissimilem te delinquentibus præstas, præsertim cum æquitas tua se prodat*. Gr. καὶ δικαίως ἐπεξέρχῃ, οὐ γὰρ ἀδιαφορεῖς ἐπὶ τοῖς πλημμελοῦσι, τὸ γὰρ ἀδέκαστον σου ἐπαλωθει. Vbi tamen ἐπαμύνει legendum censeo, idest, *Intueris enim omnia, ac iustè vlcisceris. Non enim hominum scelera suisque deque habes: quippe cum incorrupta tua iustitia ea vindicet*. In fine cap. *vt interim conquiescam*, Græcè ἀναπνεύσω *respirem*.

Cap. 11. *Nam neque is qui petit*, Gr. τὸ νηχόμενον. *Id quod natat*, idest, *piscis*. Interpres ita vertit, quasi esset, εὐχόμενον. Infra, *Sic nihil malorum tuorum*. Græcè δειμάτων *terrorum*. Paulò post. *Vita autem tibi eueniet tanta*. Gr. ἐπιβορύσει *scaturiet*. Confundit Perionius. ἐπιβαίνειν, & ἐπιβορύειν. Mox, *eorum, quæ exspectant desperationem*, Gr. ἐπ' ἀνελπίστοις ἔχοντες τὰς ἐλπίδας, idest, *in desperatis rebus spem positam habentes*.

Cap. 12. *Qui liberè in causa dicam*. Græcè παρρησιάζεσθαι εἰς τὴν αἰτίαν. *Liberius causam* (scilicet mali) *exponere*. Posset etiam legi, pro αἰτίαν, αἰκίαν eodem sensu. Proximè. *His enim docetne, naturam quidem*, lege. *docet ne naturam quidem*. Ibidem, *vt eum dicamus significare Leones*. Gr. ὡς φέρε εἰπεῖν οἱ λέοντες, idest, *vt verbi gratia Leones, &c*. Mox, *quæ Balaam allocuta est*. Gr. διελέγξασα *quæ coarguit*. Infra, *odit enim improbos, omnesque, qui imperarunt manibus iniquis*. Gr. τοὺς ἄρξαντας χειρῶν ἀδίκων, idest, *qui alios lacessunt, iniuriæque authores sunt*. Non longe hinc, *qui in Dei spe acquiescebant*. Gr. τῷ Θεῷ ἀνακείμενοι, idest, *qui Dei cultui totos se dicauerant*. Paulò pòst, *cum impietatem à Deo euertunt, atque tollunt*. Mendosè hoc loco scribitur in Græco. ὅταν δὲ ἀσέβειαν ὑπὸ Θεοῦ ἀνατραπῶσι. Censet autem eruditissimus mihiq; amicissimus Theologus Genebrardus, εὐσέβειαν legendum. Ego tamen non illibenter legerim, ὅταν δι' ἀσέβειαν ἀνατραπῶσι, sensu hanc mihi correctionem dictante, idest, *cum ob impietatem à Deo euertuntur*. Infra rursus, *clarissima quoque Susanna* σεμνοτάτη *grauissima, pudicissima*. Non longe hinc, *eorum meminerit, quæ ad partem accommodantur*, μνημονεύσας τῶν κατὰ μέρος, idest, *posteaquam particularium mentionem fecit, atque ex his etiam prouidentiam ostendit, ne quis cum ex particularibus duntaxat prouidentiam scire existimaret, &c*. Ibidem, *subijcere etiam*. Græcè ἐπιφέρειν sensus tamen apertissimè ostendit legendum, ἐπιφέρει, idest, *subiungit*. Infra, *Inter se discordias fecerunt*. Gr. διαλλαγὰς ποιησάμενοι πρὸς ἄλληλα, idest, *cum mutuum fœdus fecissent*.

Cap. 13. *Aut quod ipsius persona non accipiatur? qui hoc præcepit*. Græca hoc loco valde deformata sunt, ὁ ἐπὶ τῷ μὴ λαβεῖν πρόσωπον. *Quæ tamen sic mihi formam receptura videntur*: ἢ ἐπιθυμεῖ λαβεῖν πρόσωπον. *An is personam accipere cupit, qui hoc præcepit, &c*. Paulò post, *Quoniam Deum iniuria irruere existimastis*. Gr. ἀδικίᾳ ἐπιτρέχειν, *ad iniustitiam accurrere*, hoc est, *iniustitiæ fauere*. Mox, *reprehensionem causam esse inuentam*, sic in Græco, τὴν αἰτίαν εὑρῶ τὸν ἔλεγχον fortasse tamen legendum τοῦ ἐλέγχου. Ibid. bis interpres, βάσανον *probationem* vertit, cum *cruciatum* potius vertere debuerit. Infra, *Atqui in probatione tamen conscio propinquo, & necessario non obstupesco*. Vbi certè fœdè labitur Perionius. Sic enim habent Græca. καὶ τοι ἐν τῷ βασανίζεσθαι ὅμως (sic lego non ὁμοίως) τοῦ οἰκείου συνειδότος οὐκ ἐξίσταμαι, idest, *Atqui dum crucior, non tamen à mea conscientia excedo*.

Cap. 14. *Si etiam nonnumquam inconsideratè, &c*. Hæc sic verto. *Sed si nonnunquam ob negligentiam* (ἐξ ἀπροσεξίας) *tale aliquid eueniat, ad se mox redit, ne deinceps in illud incidat, quod condemnauit*. Quis enim hoc loco non videat legendum in Græco οὐ κατέγνω non οὐ κατέγνω absurdissimo sensu? In fin. *dentes simul incolumes erunt*, Malim, *obstupescent*.

Cap. 15. *Omnis sermonis contentio ad subiectionem referebatur*. Gr. ἀνθυποφορὰν, Mox, *qui ita es contentus*. Gr. οὕτως ὄντι φιλονείκῳ, idest, *qui tanta contendendi libidine flagras*. Paulò post, *aut in te vno remansit sapientia*. Gr. ἐκκεκένωται *effusa est & exhausta*. Ibid. *Quamquam nihil inimicum*. Gr. καὶ τοι οὐδὲν ἐχθρόν: Quæ verba redundare videntur. Aliquantò inferius. *Eos autem iustos rectè narrasse hinc sciri potest; quòd hoc sibi honori, ac dignitati ij, qui tum pij erant ducebant*. Gr. σημεῖον δὲ ὅτι δίκαιοι εὐθηνοῦντες (sic lego; nō εὐθύνοντες) διηγήσαντο. τοῦτο γὰρ ἦν γέρας τότε τοῖς εὐσεβέσι. *Hoc, autem, argumento est eos iustos fuisse, quòd prosperis rebus vtentes hæc narrarunt. Nam tum pijs hominibus hoc præmium erat*, nimirum

rum sine molestia esse in terra, &c. Non multò post, *& discedens nugatus sit in eum*. Græcè ἐπηνυθάδιάσατο πρὸς αὐτὸν, idest, *arrogantia aduersus eum usus est*. Mox, *Deo fretus erat, sed omnibus armis suis atque voluptatibus vim inferebat*. Sic tamen malim. *In Deo enim non confidebat, sed in armis suis, atque ob luxum, & voluptates contumeliosus erat*, ἐπὶ τῇ τρυφῇ ἐξύβριζε. Non longe hinc: *Non enim beneuolentia laudem facit, &c.* sic verto. *Nec enim beneuolentia ad hanc confessionem adducebatur, sed quod cruciatus minimè ferret*. Nonnullis interiectis, *in terram reponetur*. Gr. ξηρανθήσεται, *exarescet*.

Cap. 16. *Non consolandi mei causa, sed remittendi. Verùm an non Clepsydra lege loquimur, aut contra calamitates, de quibus queritur?* Hæc ad hunc modum reddo, *non consolandi mei causa, sed mœrore afficiendi* τοῦ ἀνιᾶν, non autem ἀνιέναι. *Verùm an ad Clepsydra legem loquimur, ac non potius ad præsentes meas calamitates*. Hoc enim significat πρὸς τὰς ὑπὸ χειμῶνας συμφοράς; versu seq. *Tecum loquor tibi consulens, sed grauia tibi sunt verba mea*. Mendum hoc loco in Græco irrepsit, legendum enim ἢ φορτικός (non φροντικος) σοί εἰμι φθεγγόμενος. *An grauis, ac molestus tibi sum loquens, & grauia, &c.* Mox, *velles ne his talibus verbis vti? Infestusque venirem ad amicos meos, qui decumberent, ac iacerent*. Gr. ἀγαπητὸν ἐὰν ὑμῖν εἶναι περὶ λόγους τοιούτους; idest, *Gratumne vobis esset, me in talibus sermonibus versari, ac tacentibus amicis insultare?* Non longe hinc. *Pericula vniuersa in me immisit*, Gr. πειρατήρια *tentationes*. Aliquanto post, *Dei testimonium probo*. Gr. ἐκδέχομαι, *expecto*, non autem ἀποδέχομαι. In fi. Capitis, *non rectè me circumuenire*. Gr. φαυλίζειν *vilipendere*.

Cap. 17. *Quorum causa oculi ferè euulsi sunt*. Gr. ἐξερρύησαν, idest, *effluxerunt* non autem ἐξερράγησαν.

Cap. 18. *Quòd eius facultates ipsum ad amentiam adegerint*. Gr. ἐπὶ δὲ τῇ οὐσίᾳ γεγηθότα καὶ μονονὴ λέγοντα, idest, *Eum autem ob facultates suas gaudentem, ac modo non dicentem, &c.* Interpres hic γεγηθότα pro μεμηνότα sumpsit. Paulò post, *quiduis etiam inferunt*. Gr. ἐμφορῶνται, *quibusuis etiam cibis se ingurgitant*. Mox, *scelesti hominis viuendi genus*. Gr. καταστροφὴν, idest, *exitum*, finem.

Cap. 20. *Vt eum falsi accuses*. ἐπισκήπτῃ *reprehendas*. Paulò post, *veniam peccatorum consequuntur*. Dura mihi phrasis videtur ἐξιλευμένοις τὰς ἁμαρτίας. Ac suspicio mihi quędam oritur corrigendum esse: ἐξωνημένοις loquitur enim de ijs, qui sola largitione peccata sua se redempturos putant: Non multo post, *Eorum enim apparatus*. Gr. συναγωγὴ, *collectio*. Aliquantò longius, *quod tecta & laquearia non etiam lateant*. Gr. τῶν ὀροφῶν ὄντων μὴ κεκαλυμμένων, idest, *quòd culmina minime tecta sint*. Paulò post, *neque hoc non ei eueniet: verùm etiam clementia ipsa, &c.* Verto, *neque hoc tantum ei eueniet, verum etiam elementa ipsa*.

Cap. 21. *Ex ijs quæ patiuntur*. Grçcè πάσχω *patior*. Mox, *iusti ergo sunt ex ijs, quæ ipsis accidunt*. Gr. ἐξ ὧν πάσχουσι. Vbi tamen addendam particulam negatiuam existimo, & fit sensus. *Si ipse propter calamitates iniustas habendus sit, profecto iustos esse eos, quibus nihil aduersi accidit*. Eodem versu addit de suo interpres, *omnium censentur*. Infra, *nec impium eum, qui cum præclarè agitur*. Gr. οὐδὲ ἀσεβῆ τὸν εὐπραγοῦντα. Vbi tamen ex eo quod præcedit, legendum εὐσεβῆ non ἀσεβῆ, idest, pium non multò post, *neutro modo se in impios gerat*. Gr. ἀδιαφορεῖ, *impiorum scelere non curet*. Non longe hinc, *cum remuneratio causam recipiet*. Gr. ὅταν ἀπολαμβάνει τὰ ἐπίχειρα, idest, *cum scelerum pœnas recipiet*. Paulò post, *nihil enim noui cuiuis affertur præter sua mala*. Græca hoc loco contaminata sunt: καινὸς γὰρ ἅπασι, μηδὲν ἐπιφερόμενος, &c. Sic tamen repurgari posse mihi videntur, κενὸς γὰρ ἅπας, μηδὲν ἐπιφερόμενος, idest, *inanis enim quilibet est, nil secum portans præter sua mala*. Aliquanto interius. *Illum quidem in Regia*. Gr. ἐν ὑγείᾳ, *in sanitate*. Nonnullis interiectis. *Ac de aliorum hominum sapientia detrahatis*. καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων διὰ ἀμαθίαν καταλαλοῦντες, idest, ac de alijs hominibus ob inscitiam detrahatis.

Cap. 22. *Quid ad eũ sanctitas tua attinet?* Gr. συντελεῖ αὐτῷ, idest, *ei prodest*. Paulò post, *Permittebat enim vt tu qui homo esses, &c.* In Grçco nõ συνεχώρει, sed ἐνεχώρει habetur, idest, ἐνεδέχετο. *Contingere poterat*. Infra, *quis sapiens insanit*. Gr. παρεγγυᾷ, *admonet*. Non multo post. *Nec Deum honore afficis*. Gr. ὁσιῶν *iustum prædicas*.

Cap.

Cap.24. *An perspicuè, &c. An non perspicuè.* Mox, *pro supplantato iure* lege, *calcato iure.* Gr. πατήσαντες. Paulò post, *Destatu mentis demoti sunt.* Gr. ἐξοίστρησαν, *velut oestro quodam perciti sunt.* Non longe hinc, *conuiuia latronibus dederunt.* Gr. συμπόσια λῃστῶν ἐποιοῦντο, idest, *latronum more conuiuia celebrabant.* Non multò post. *neglexerunt.* Gr. ἀφιμάτωσαν legendum tamen ἀφιματώσαν *vestibus spoliarunt.* Mox, *cum rori per imbres expositi fuissent.* Gr. τῇ δρόσῳ διαβρόχους γινομένους, idest, *cum rore toti maderent.* Quibusdam interiectis. *Præter modum eorum scelera accusans.* Malim, *maiorem in modum* ὑπερβαλλόντως. Ibidem eis, *qui nulla re ab eis differunt.* Gr. τοὺς οὐδὲν αὐτοῖς διαφέροντας. *Qui nihil ad eos attinebant, in quos nil iuris habebant.* vers.seq. *quod culpa sua ignorarent esse vnquam iustitiam.* Gr. ἐκ μοχθηρίας ἀγνοοῦντες οὔτι ποτὶ ἐστὶν ἡ δικαιοσύνη, idest, *improbitate sua ignorantes, quidnam tandem esset iustitia.* Infra, *quæ rectè coniuncta esse dicta sunt,* τὰ καλῶς ἡρμοσμένα lego, non εἰρημένα, vt in libro Regio. De coniugijs enim loquitur aptè connexis.. vers.seq. *vt etiam prædo ipse.* Hic quoque corruptè scriptum reperi ὡς αὐτὸς pro ὡσαύτως, idest, *eodemque modo prædo alienos labores surripiens, homines veretur,* ὑφορᾶται. Infra autem post, *odit lucem* adde, *& non venit ad lucem.* vers.seq. *Sonumque metuit.* Gr. ψοφοδεὴς meticulosus est. Mox, *Etiamsi tempore improbos supplicio coerceat.* Gr. χρόνῳ, idest, βραδέως. tandem vno versu interiecto, *Sterilis procuratione digna est,* φειδοῦς, idest, ἐλέους, *misericordia.*

Cap.25. *Cur Deum timere existimas ea quæ eis,* sic corrigo; *quid Deum perterrefacturum te putas per ea quæ ais,* φοβεῖν enim est in Græco. non φοβεῖσθαι. Paulò post, *non equidem ratione conuersationis.* Gr. οὐ τῷ τῆς πολιτείας λόγῳ, *non quod ad vitæ rationem attinet.*

Cap.26. *Disputationem peruenire voluisti.* Gr. διαπόρησιν *quæstionem,* Paulò post, *nec motus habitus.* Gr. πνεύματος *venti.* Mox, *aut confundi.* Gr. συνεχεσθῆναι *contineri, conseruari,* sic vertit Perionius, quasi esset in Græco συγχυθῆναι. Infra, *aqua quidem est in mari.* Gr. τὸ μὲν ἐν θαλάσσῃ. *Partim est in mari.* vers.seq. *Dei autem voluntas, etiam eius quasi columna & firmamentum.* Gr. τὸ δὲ καὶ ἐν τῷ στερεώματι αὐτοῦ. sic enim legendum, non τὸ στερέωμα, idest, *partim etiam in ipsius firmamento.* In quo cęcutijt interpres, qui pro τὸ δὲ legit θεοῦ δὲ. Non multò post, *vt enim cum cælum facit, ait,* adde, *Ego manu mea fundaui cælum.* Inf. *Fulgure tutam reddidit.* legendum *fulgure tutos.*

Cap.27. *Iniuria eum sententiam tulissent. Iniquè in eum.* Vno versu interiecto. *Non tamen ego, inquit, vobis cedens innocens esse desinam.* Gr. ὑμῖν πρόσφιλον εἴκων legendum tamen haud dubiè vnica voce, προσφιλονεικῶν, *vobiscum contendens.* Mox, *si quis non loquatur, quod suggeritur.* Gr. τὸ παριστάμενον, idest, *quod in mentem venit.* Non multò post, pro, *etiamsi eum calamitas, &c.* Repone, *Quod si etiam eò necessitas quadam eum adigat,* (scilicet vt Deum oret) *tamen quoniã non amore, &c.* Inf. *cum febris augetur.* Gr. προσγίνεται, *oritur.* Non longè hinc, *perfecto, expletoque modo peccatorum.* Gr. μέτρῳ *mensura.* vers.seq. *Quãdoquidem nil boni disseminauerunt.* Gr. κατεσπαράξαντο corruptè tamen. lego igitur, non inuerecunda, vt opinor, mutatione, κατεπράξαντο, idest, *fecerunt.*

Cap.28. *Lapis solutus calore in æs vertitur.* sic verto, *æs instar saxi caditur.* λατομεῖται. Proximè. *Nemo enim eorum quæ sunt, alius opifex ita loquitur, vt ipse Deus.* sic corrigo. *Nemo enim eorum, quæ sunt, alius est opifex quemadmodum ipsemet Deus quodam loco ait, meum est aurum.* Gr. καθὼς αὐτός που φησίν. Non multò post, *& mensuram torrentis et constituit.* Emendo, *mensura torrentis et cognita est,* αὐτῷ ἔγνωσται. Vno versu interiecto, *subitò obiectam terram superent.* Corrige, *subito ingruant* (ἐπιῶσιν) *ac subiectam terram interrumpant.* Infra, *terræ inconstantiam.* Gr. ἀτονίαν *imbecillitatem.* Aliquantò post, *Excelsos montes ex gradibus euellit.* Gr. ἐκ βάθρων *radicitus, ab imis fundamentis.*

Cap.29. *Sectantem etiam solium, vt ius eis, qui iudicium venirent redderet.* Sic malim, *Sequente etiam subsellio, vt litigantibus ius diceret.* Gr ἑπομένου, ita enim perspicuè legendum, non ἑπόμενον τοῦ θρόνου πρὸς τὸ κρίνειν τοῖς δικαζομένοις. Neque enim alioqui ἕπεσθαι, Genitiuo iungitur. Paulò post, *silentium obseruantiam, &c.* Sic lubentius verterim, *silentio obseruantiam ostendebant, digito nempe ori admoto, vt cæteros in officio continerent.* τὸ καταστέλλειν. vers.seq. *tamen iustitiam parem excitauisse.* Repono, *tamen pari iustitia præditum fuisse:* atque in Græco pro ἐκαιννητο, quod mẽdosum est, substituo ἐκέκτητο. Mox, *parit enim licentiam*

satietas,

ſatietas. Gr. ὕβριν *petulantiam*. Infra, *ne bonum amare putaretur*. Gr. τῷ κτηματωνὶ ἐρᾷν *opes amare*. Et ſtatim, *ad pulchritudinem accommodata*. Gr. ἀπαράθετα, ideſt, vt opinor, ἀσύγκριτα. *incomparabilia*. Non longè hinc, *ita vt ipſi putarent, quorum membra male affecta eſſent*. Corrigo, *ita vt ipſi putarent, ſe integris membris eſſe, ac per membra mea operari*. Gr. ὅτι ἄρτιοι τὰ μέλη διάκειντοι Aliquantò poſt. *expectabant ſententiam*. Gr. προσεῖχον, ideſt, *animum attendebant*. Non longo interuallo, *ridendum cenſuit*. Malim, *ridere dignatus eſt*. In fine, *exquiſiti primum locum*, πράγματα eſt in Græco, ideſt, *negotia*.

Cap. 30. *Eorum animum coniunxit*. Gr. ἐφρόνωσεν, ideſt, *ſapientem reddidit*. Infra, *omni ex parte, qui circum me habitant, me opprimunt*. Gr. παντόθεν οἱ κακοῦντες ἀναβρύουσι, ideſt, *vndique exiſtunt, qui me vexant*. Interpres κακοῦντες pro κυκλοῦντες, accepit. Mox, *vt viæ eorum in me ferentes deletæ ſint*. Gr. ἐκτριβῶσι *extritæ ſint*, Gall. que les chemins en ſont tous rompus. Paulò poſt, *vt nerui diſſoluantur*, addendum ex Græco, ἐκ τῆς συμφυΐας, vbi tamen ſuſpicor legendum, συμφορᾶς. Neque enim nerui ἐκ τῆς συμφυΐας diſſoluuntur. Non multò poſt, *mutatus es mihi in crudelem*. Septuaginta Interpretes hic habent: ἐπέβημοι ἀνελεημόνως. *Inſiliſti in me ſine miſericordia*. Infra rurſus, *ſi quid verò meorum non requirebat*. *Si quis verò facultatibus meis minimè indigebat*. In Græco enim aptius multo videtur, vt τις legamus, quàm τι Aliquanto poſt, *cupientemque proferre non patitur*. Hic librariorum oſcitantia, *proferre* irrepſit pro *perferre*. Gr. καρτερεῖν. Non ita longe hinc, *ob deſertam ciuitatem quæ ſine Deo efficitur*. In Græco non eſt χωρὶς θεοῦ ſed χόλῳ θεοῦ, ideſt, *indignatione Dei*.

Cap. 31. Propterea oculi tui repetiti ſunt ad pœnam. Hæc ſic legenda. *Quãnam ob cauſam pœna ab oculis tuis expetita ſunt?* verſ. ſeq. *adhæſiſſent*. Gr. προσεῖχον *perſpexiſſent*. Quod autem ſequitur, valde à Græco diſſentit, *vt inquam ei, qui eum leuiter pulſaſſet*. Gr. ὡς οὖν πρὸς τὸν ὑποκρίναντα, ideſt, *vt igitur ad eum qui hac cum quæſtione interpellaſſet*, ideſt, *qui hoc ab eo quæſiuiſſet*. *Sic ergo beatus Iob, agebat, &c.* Gr. ὡς οὖν τινὸς ἐξετάσαντος τὰ κατ' αὐτὸν οὕτως ἔπραττεν, ideſt, *tanquam igitur non defuturus eſſet, qui res ipſius examinaret*. Mox, *Eos qui ridebant*. Gr. γελωτοποιούς, *ſanniones*. verſ. ſeq. *Non ſedi in Concilio eorum gradientium*. Gr. αὐτῶν πεζόντων. legendum tamen παιζόντων *ludentium*. Paulò poſt, *quenquam contempſit*. περιβλέψα legendum eſſe in prima perſona luce clarius eſt. ſed fœdius eſt quod ſequitur, *ſine progente & culpa moriar*. Vbi quis tam obtuſi ingenij eſt, quin ſtatim videat pro ἀνέτιος (quod nihil ſignificat, & ſi interpres ἀναίτιος tentat corrigere) ἀνεστιος legi debere? ideſt, *ſine lare*. Paulò poſt, *vnum in duo diuidit, rurſum mutat propoſitum mulieris, & ſibi inſidias ſtruit per maritũ*. Gr. τὸ ἓν τῇ σχέσει εἰς δύο διαιρεῖ, μεθίστησι τὴν πρόθεσιν τῆς γυναικὸς εἰς ἑαυτόν. ἐπιβουλὰς ἀρτύει κατὰ τοῦ ἀνδρός. Sic enim hæc interpungi debēt, ideſt, *quod affectione vnum eſt, in duo ſecat, mulieris animum, ac voluntatem in ſe transfert, ac marito inſidias ſtruit*. Paulò poſt, *cum ſurrexerit ad iudicandum Dominus*. Gr. ὅταν ἐτασιν lego, ἐξέτασιν ποιήσηται, ideſt, *cum vitam meam diſcuſſerit*. Mox, *conciliare eorum amicitiam*. Gr. εἰς αὐτοὺς *inter eos*. verſ. ſeq. *ſi quid verò quod reprehenſione dignum erat faciebam, clemens, ac mitis, abſtinens reprehenſionem amabam*. *Hoc mihi perſuadebam, &c.* Gr. εἰ δ' ἐγὼ πρὸς (addo με) ἔλεγχοι ἐποιοῦντο πρᾴως ἀνεχόμενος. Sic lego, non πρᾶος ἀπεχόμενος) ἔστεργον τὸν ἔλεγχον. ὑπετιθέμην ἐμαυτῷ ὅτι ὡς, &c. ideſt, *quòd ſi me coarguebant, leniter id ferens, eorum reprehenſioni acqueſcebam. Illudq́ mihi proponebam, quod quemadmodum, &c.* Inſ. *vidua oculum non conſideraui*. Corruptè hic eſt in Græco, ἐξέτηξα pro ἐξέτηξα, ideſt, *colliquefeci; lachrymis confeci*. Infra, rurſus, *ſi vidi ſolem cum fulgeres*. ſeptuaginta habent. *An non videmus ſolem, cum fulget*. Atque ad eum ſenſum commentator explanationem ſuam accommodat. Duobus verſibus interiectis, *quomodo meipſo contentus ſum*. Sic malo, *quomodo mihi ipſi ſufficere poſſum?* Proximè: *Non adoraui manibus meis oblitione ſolem*. In Græco certè legitur, ἐπιλαθόμενος mendosè tamen, ni fallor. Ac fortaſſe ἐπιλαβόμενος vnica litera immutata ſcribendum. Non longè hinc, *qui manus effecit*. Gr. ἐπεργοὺς *ad opus aptos*. Mox, *ſi fui prouerbium, &c.* Hæc apud ſeptuaginta imprecandi modo dicuntur, *ſim prouerbium*. ver. ſeq. ſic corrigo. *Hoc enim fuiſſet Deum meum contemnere, perinde atque aduerſus, &c.* Paruo interuallo, *omnium ſermonis parerem*. Emenda, *paterem*, θρυλληθήσομαι. Ibid. *quæ cum temperantia humanitatem coluerant*. Gr. αἱ ὑπ' αὐτοῦ ἀσκηθεῖσαι, ideſt, *quæ ab eo erudita, atque inſtituta fuerant*. Nõ longo

go interuallo, *conscientiam mordicus tenentes*. Gr. δακνόμενοι τὸ συνειδός, idest, *conscientiæ stimulo vellicati*. Infra, *in me ingemiscens diceret*. Corrige, *in me ingemisceret*. Ac rursus, *non vt arrogans aliquis, & aliquid esse videatur*, περιαυτός τις καὶ φαντιῶν, idest, *non vt iactator quispiam & ostentabundus*. Aliquantò inferius, *quòd Dei seueritatem sciebant*. Gr. τὸ ἀδέκαστον *integritatem in iudicando*. Et post pauca, *an nullum rerum delectum probant*. Gr. ἀδιαφορεῖ. Non longè à fine, *quòd existimaueritis Deum propitium fore*. Corrige *Deo gratum fore*. ver. seq. *vt enim ei omnia, &c*. Hoc loco stellula appicta mēdosus esse locus indicatur, quod tamen interpreti potius quàm libro, quo vsus est, ascribi debet. Sic enim Græca habent, εἰ γὰρ καὶ τὰ πάντα εὐτρεπίζετε, idest, *quamuis enim omnia etiam ei proyciatis*, idest, *largiamini*: & linea vna interiecta, *Non enim ausi estis dicere*. Gr. ἐξ ὧν γὰρ, &c. idest, *Ex eo etenim quod non audetis dicere, magnum est vitium tuum, sed verum propositis, per hanc dubitationem osten ditis nullum vos, &c*.

Cap. 32. Primum respondebant. Gr. ἀντίλεγον. longius aliquantò, *quoad aliquid fregerint*. Gr. ἀπορρήξωσι, idest, *sermonem aliquem emiserint*. Græci enim ῥῆξαι λόγον dicunt.

Cap. 33. *Noli negligenter audire quæ dicam, nec muta sentētiam*. Gr. καὶ οὐ μεταγνώσῃ, idest, *nec te pœnitebit*. Mox, *vt putauerunt, qui inani verbo sapientiam ponunt*. Græca sic lego, οἱ κενοφωνίαν τὴν σοφίαν τιθέμενοι, idest, *qui verborum inanitatem sapientiam esse censent*. Paulò post. *In enim qui me audit hæc dixisti* Gr. εἰς ἐπήκοον μου, idest, *ita hæc dixisti, vt ego exaudierim*. Infra, *vt sibi tanquam homini homo responderes rogares*. Gr. ἐπιτάττεις, *imperares*. Non longè hinc: *mille angeli, qui inferant ei mortem*. Gr. θανατηφόροι pestiferi. Aliquantò post, ita tamen vt de ijs quidem, quia occuparunt, confiteatur. Gr. περὶ τῶν φθασάντων, idest, *de præcedentibus culpis*. Et sub finem capitis, *pœnas repetit eorum, quæ quis violauerit*. Gr. τῶν παραβεβημένων *transgressionum*.

Cap. 34. *Docuit, inquit, superiore sermone*. Emendo, *docui*. Aliquantò post, *quasi Iob refellisset*. Gr. ὑποκρινάμενος *obyciendo dixisset*. Infra, *neque eosdem inferi obruent*. ἐπισκιάσουσι *obumbrabunt, occultabunt*. Paulò post, *sic ea quæ facinorosi homines*. Adde, *clam*. Græcè ἐν παραβύστῳ.

Cap. 36. *Hæc autem amicis premens eos dicit*. Gr. πρὸς τοὺς φίλους ἀπὸ τυθόμενος legendum tamen est vnica voce ἀποτινόμενος, idest, *Hæc autem in amicos inuehens ait*. Aliquantò longius; *Nec habitus est sine eo, qui ordinat*. Hic quoque mendum insedit in Græco. legitur enim ἡ τάξις quod malè corrigit interpres, οὐθ' ἕξις substituendum est autem, ἡ τάξις, idest, *ordo non est sine eo qui ordinat*. longe inferius. *Itaque natus sensu fontem lactis percipit*. Vnica litera deprauata sensum valde inficit, νεκρὸς enim, (quod interpres *natum* vertit) legitur, cum tamen legi debeat νεβρὸς, idest, *hinnulus*. De animantibus enim rationis expertibus loquitur, quibus ea de causa cibum facilè suppetere ait, quòd ratione careant. Paulò post, *à primo ortu non audit*. Gr. ἄναυδος *mutus est*. Non longè hinc, *lene facileque ad concoquendum alimentum*. Gr. εὐμαρεστέραν τροφὴν *comparatu facilius alimentum*. Mox, *constitutis, præscriptisque vescendi, lege, commercia faciendi*. Gr. τεταγμένως ἐσθίειν, νόμῳ τὰς μίξεις ποιεῖν, idest *compositè, atque ordinatè comedendi, legitimeq́; venereis vtendi*. Hoc enim hoc loco significatur his verbis: τὰς μίξεις ποιεῖν. Et duabus lineis interiectis, *equorum tarditatem corrigendis vecturas iumentorum, & asinorum, qui maximum laborem perferunt*. Gr. τὴν βραδύτητα ἵπποις παραμυθεῖσθαι, τὰς μὲν ταχομίδας ἀδιαφόροις· καὶ κανθῶσιν ἐπιπονωτάτοις, idest, *tarditatem equorum adiumento consolari, vecturas iumentis, & asinis ad perferendum laborem per quam accommodatis*.

Cap. 37. *Calor enim qui à te proficiscitur, incendit per relationem, & ignescit*. Gr. ἀνάκλασιν καὶ πυροῖ, idest, *per reuerberationem, & inflammat*. Mox, *vt enim is, qui intelligit inuetur q́; aliquid*. Gr. ὁ συνὼν, quo quidem in vocabulo cum vnica litera desideretur, putauit interpres idem esse quod συνιεὶς at legendum est σκεύους, ac sic vertendum, *vt enim qui in aliqua cogitatione defixus aliquid intuetur*. Gall. qui resue à quelque chose. Proximè, *etiam si rigeat*. Gr. ἀλγήσῃ, idest, *etiam si in dolore versetur*. Paulò post, *qui hæc præparauit*. Gr. κατεσκεύασε. *condidit*. Infra, *& is qui generatus est, factus est et vita, non ei participauit*. Græcè γεγονὼς αὐτοζωὴ (sic enim lego, non αὐτῷ ζωὴ) οὐ μετέλαβε, idest, *factus est ipsamet vita, non autem*

tem ei participauit. In fi. *funtq; serui eius humanitatis*. Gr. ἱκέται supplices, nō autem οἰκέται.

Cap.38. Simul Deus. Gr. ὁμουθεὸς fortassetamen legendum ὁ θεός. Nam alioqui Græci dicere solent, ὁμόθεος non ἁμουθεός. Paulò post, habitu verò & specie postea. Gr. ἐν ἕξει δὲ γενομένῳ, idest, *postquam autem ad virtutis habitum peruenisset*. Infra, *pro suapte sensu, & captu rectè facta*, idest, vt ita dicam, *iustificationes*, lege *suopte sensu ipsis iustificationes*. Infra rursus rationibus reprehensi. Gr. ἀπολλυθέντος *obruti*. Longius aliquantò, *firmum quiddam substraui*. Gr. ἕδραν τινὰ *fundamentum aliquod*. ad verb. *sedem aliquam*. Quædam autem hic transilio, quòd ea superiore libro annotarim. Sequitur igitur longo interuallo, *omnisque malorum auctor*. Gr. ὀρυμαγδὸς *tumultus*. Paulò post, *nisi insit in eo spiritus*. Corrige, *cum non sit in eo spiritus*. Infra adhuc. *Hic cum iacebat cum omnibus societatem*. Emendo. *Hic cum habeat cum omnibus societatem*. Sicque etiam non longo interuallo legendum, *cuius apud inferos non relicta sit vita, cum via typis excusum sit*. Nonnullis interiectis. *Et potestati in ijs quæ fiunt status*. Gr. καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῖς γιγνομένοις ἡ ὕπαρξις. idest, *& potentia mea existunt ea, quæ oriuntur*. Non longe hinc. *Circulus in guttas incidens refertur*. Gr. ἀνακλᾶται, *reuerberatur*. Non ita multò post, *appetitu, & non voluntate*. Delendum hoc loco particulam negantem censeo. *Homines enim natura & appetitu, ac voluntate oriuntur*. Pau cis interpositis, *magnam rerum speciem præbent*. Malo, *magni aliquid portendunt*.

Cap.39. Denunciat multitudinem ciuitatis. Gr. καταγελᾷ non καταγγέλλει, *deridet*. Proximè sic legendum, *nam & solitudinis amans est hoc animal*. Mox, *in ea autem quæ mihi data sunt, non habes imperium*. Hoc loco μὴ legi debere puto, non μοι, idest, *In ea autem, quæ non data sunt*, scilicet tibi. Neque enim hoc Deo quadrat, cui nihil datū est. Paulò post. *Dei voluntas ea excludit*. Gr. ἐκτρέφει *alit*. Infra, *sextodecimo*, substitui *quartodecimo*, vt etiam versu seq. *quatuordecim*, pro *sedecim*. Non longè hinc, *In cœlo versatur, vt pleraque alia*. Gr. ὡς τὰ πολλά, idest, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. *vt plurimum*. Haud multo post, *quemadmodum ipsum lætificauerit*. Gr. εὐφραίνωσιν. sed corruptè. lego ἐφρένωσεν *solertia donauit*. φρένες enim pro prudentia sępè vsurpatur. Duabus lineis post. *Delectatur ijs, quæ odorem efflant*. Gr. ὀδωδόσι *fœtidis*.

Cap.40. *Erige enim, inquit, à te manum, & ecce vt fœnum te deuorant*. ἦρα, idest, *sustuli à te manum, & ecce vt fœnū deuoraris*. Paulò post. *Idem mobile esse dicit* Gr. τὸ αὐτὸ κινητὸν vni co tamen vocabulo legendū, αὐτοκίνητον, i. *quod à seipso mouetur*. Inf. *Ea quæ sunt carere principio dicit*. Gr. ἄναρχα εἶναι, i. ἀβασίλευτα *principe, ac moderatore carere*. Proximè hinc, *immortales eosdem esse dicit, & æmulos*. Corrigo, *dignitate æquales*. Ibid. *in marès & fœminas mutat*, lego *formas*.

Cap.41. *Bestia autem quæ intelligitur* νοητὸν ζῷον, idest, *animal illud, quod intellectu percipitur*, i. *Diabolus*. Mox, *at non permanebit*. Gr. ὑπομένει *sustinet, resistit*, non autem παραμένει. Et post pauca, *neque enim infirma est pœna*. Gr. ἡ δίκη, i. *vis numinis vltrix*. Aliquantò post, *quam magna sit ea quæ ei similis est bestia*. Gr. ὁπόσον ἀντιτυπές. sic enim lego, nō ἀντιπές. Vt in regis Codice, i. *quam duris, ac renitentibus squamis*. Int. *ferrum secare non potest*. lege, *quem ferrum secare non potest*. vers. seq. *Ipse prior repercussus perforat*. Gr. θρύπτεται διὰ τὸ ἀντίτυπές, i. *ipsummet* (scilicet ferrum) *ob renitentem duritiem frangitur*. Int. adhuc, *Principem exercitus metuere*. Gr. ἀρχιστρατηγὸν τῆς πλάνης *ducem erroris*. Multis interiectis; *& eorum qui nu di sunt, manus armat cōtra charissimos*. Fęda macula inhęsit in vocabulo γυμναιδίων, quod cū nihil significet, in eius vicem substituere voluisse Interpretem apparet γυμνῶν, absurdissimo sensu. Ego verò nullo prorsus modo dubito, quin γεινομένων, i. τοκέων legendum sit. Vult enim Author Diabolum parentum etiam manus aduersus charissima sua pignora armare. Mox, *Spe sua frustratus iterum cucurrit*. Malim pedem retulit, παλινδρομήσει. Eodem vers. *Hic est qui casto Ioseph, eos qui ipsius castimoniam tentauerunt, excitauit*. Emendo, *qui casto Ioseph tentationes* τοὺς πειρασμοὺς *excitauit*.

Cap. vlt. *Non enim finē intellexistis concessionis meæ*. Gr. οὐ γὰρ τὸν σκοπὸν ἐπίστασθε τῆς ἐμῆς συγχωρήσεως, i. *Non enim intelligebatis, quod mihi propositum esset cum eum affligi permitterem*. Mox, *nisi quod omnes boni, ac pij, & Dei notitiam habent*. Sic fortasse aptius. *Quāquam omnes illi boni, ac pij erant, & Dei notitiam habebant, & eius prouidentiam non ignorabant*. In imper-

facto enim tempore hęc leguntur in Græco. Aliquantò post. *Nisi enim ipse mihi persuadeat.* Gr. ἐὰν δυσωπήσῃ *me flectat, ac miseratione afficiat.* Inf. *Cum Deus iustum eum declarauisset.* καὶ τὸν μὲν θεὸν δικαιώσαντα,i.*ac Deum quidem iustum prædicarat.*longo interuallo,*tamen cum Diabolus non credidisset,voluissetque eum tẽtandum accipere.* Gr.οὐχ ἧττον τοῦ δυσπιστήσαντος διαβόλου, καὶ εἰς διάπειραν ἑαυτὸν ἐθελήσαντος ἐνέγκαι τἀνδρός. Quo quidem in loco nihil mihi desiderari videtur. Hoc enim vult Author,eum qui Dei verbis fidem non habet,non minus impium esse,quam Diabolum,qui nõ credidit, sed Iobi virtutem periclitari voluit. Mox,*Eum resurrecturum esse cum ijs,quos suscitauit Dominus* lege *suscitabit.*Ibid.*Resurrectionẽ verò cultum.* Græca vox θεραπεία *cultum* quidem aliquãdo significat,hic tamen *curationem plagæ*,vt patet ex antithesi præcedente. Linea vna interiecta,*rursus addens,vnam quidem resurrectionem esse.* Gr.πάλιν προσθεὶς,i.*addens hanc voculam.* Rursus, *ita vt vna quidem resurrectio sit à calamitate liberatio, altera autem ea quæ ei sit communis, &c.* Inf.*quod legem acceperit, iurisque dijudicationem.* Gr. τοῦ δικαίου διάγνωσιν *a qui ab iniquo internotionem.*

Origenis m. s. Opera, quænam in Vaticana Bibliotheca.

Tomus decimus, siue sectio vsque ad duodecimum in Matthæum.
Liber Quæstionum ad Diuinam Scripturam spectantium, & Solutionum ex varijs Libris ab Origene elucubratis à DD. Basilio, & Gregorio Nazianzeno, collectus.
Sermones Origenis contra Celsum.

In Bibliotheca Imp. Viennæ Austriæ.

De Sacra Scriptura quomodo cognoscenda, & intelligenda.
Homiliæ in Pentateuchum S. Hieronymo interprete m. s.
Expositio Psalmorum. m. s.
In Epistolam ad Romanos Ruffino interprete m. s.

In Bauarica.

Origenis in Matthæum Tomus secundus initio mutilus. Item Tomus 12. 13. 14. 15. 16. Eiusdem in Ioannem To. 1. 2. 6. 13. 19. 20. 32. contra Celsum libri 8. Philocalia, hoc est, Quæstiones variæ cum solutionibus ex Origenis Operibus collectæ à Basilio, & Gregorio Nazianzeno. Origenis Refutatio omnium hæresum.

In Anglicis Bibliothecis, quas antiquiores Theologi, qui omnes erant Catholici, reliquere.

Contra Celsum, Græcè exemp. 1. Oxon. in Bibl. coll. noui. vol. 94.
Homiliæ in Genesim exemp. 1. Oxon. Bibl. Mert. vol. 252.
In Exodum, & Leuiticum, exemp. 1. Oxon. ibidem.
In libros Iudicum, Iosue, Cantica, & Esayam, exemp. 5. Oxon. in lib. Mert. vol. 255. & 251. Cant. Pet. 143. Pub. 125. & Pen. 192.
In lib. Numerorum, exemp. 1. Cant. in Bibl. pub. vol. 41.
In Lucam, exemp. 1. Cant. in Bibl. Ben. vol. 113.
In Epist. ad Romanos. exemp. 1. Cant. in Bibl. pub. vol. 41.
De lamentatione Magdalenæ, exemp. 1. Cant. in Bibl. Ben. vol. 252.
Super Marcum, exemp. 1. Oxon. in Biblioth. Corporis Christi, vol. 42.
Super hoc, *Cum esset desponsata.* exemp. 1. Oxon. in Bibl. Orial. vol. 26.
In Cantica, exemp. 5. Oxonij in Biblioth. Mert. 226. 251. & 255. Cant. in Bibl. D. Petri, vol. 66. Pent. 202.
Moralitates excerptæ ex libris eius, exemp. 1. Oxon. in Bibl. Mert. vol. 254.

Prodijt autem Augustæ Vindelicorum, ann. 1602. Græcè Adriani Isagoge sacrarum literarum, & antiquiorum Græcorum in Prophetas fragmenta; inter quæ etiam duæ sunt

Africani,

Africani, & Origenis epistolæ ἀμοιβαῖαι De historia Susannæ, cum fragmento de Susanna Ioan. Chrysostomi.

ORONTIVS Finæus, Delphinas, Gallus, Regius Mathematicarum Professor, delineauit Chorographiam ad Sacræ Scripturæ intelligentiam necessariarum, quam vocant D. Pauli Peregrinationem, ann. 1540.

OROSIVS. Vide in verbo, Paulus Orosius.

O S

OSBERTVS Anglus, Carmelita, scripsit Commentarios in Magist. Sentent. Librum itē Quæstionum disputatarum. Alterum Sermonum. Alium variarum determinationū. Trit. in vtroque Opere. Iacobus Philippus in supplemento Chronici Augustinianorum.

OSBERTVS Clarentius, siue è Stockclare, monachus D. Petri, quod cænobium erat Londini, congregationis Cluniacensis. scripsit Vitam S. Regis Eduardi confessoris, à quo cænobium illud fuerat auctum. Vitam S. Ethelberti Regis, & confessoris. Vitam S. Edburgæ Virginis. Miracula S. Eadmundi Regis, martyris. Epistolas ad diuersos. Viuebat ann. 1136.

OSBERTVS Dorosbernensis, Anglus Cantuariensis, congregationis Cluniacensis, scripsit Vitam S. Dunstani Archiepiscopi, quæ extat in Tomo 3. Surij, 19. die Maij. Vitam item S. Elphegi Archiepiscopi, & martyris. Quæ extat in 2. Tomo Surij die 19. Aprilis. Librum de Consonantijs Vocum, siue de Musica. Viuebat ann. 1020.

OSBERTVS Claudianus, siue Glocestriensis monachus, scripsit Commentarium in librum Iudicum ad Gilbertum Episcopū Herefordensem. Librum item de Incarnatione Domini. Alterum de Natiuitate Christi. Alium de Passione ipsius. Alium de Resurrectione. Panoraciam, puto Paunoniram ad Hamelmum. Quin & fertur scripsisse in Genesim, In Exodum, In Numeros, & In Deuteronomium.

OSBERTVS Byckenham, Anglus, ex Lymnensi Nordouolcarū cænobio Carmelita, scripsit de Conceptione Beatiss. Virginis. Postillas Bibliorum. In libros Sententiarum Mag. Viuebat ann. 1320.

OSCENSE Concilium in Hispania celebratum anno. Do. 598. Gregorij autem magni, 9. Ex quo 2. tantum canones inueniuntur, quorum vnus est de castitate seruanda à Clericis, &c. Rege Sisebuto. Huius autem Concilij mentio fit in Concilio Tarraconensi, siue Egarensi. *Extat in Concilio Hispa. lensi.*

OSCENSE Concilium, anno tertiodecimo regni Reccaredi Regis. Era 636.

OSEE, siue Oseas Propheta, filius Beeri, de Tribu Isachar progenitus, vt Epiphanius scribit, quem Hieronymus interpretatur *Saluatorem*, & Dei iussu, fornicariam ducens vxorem, Christi figuram gessit, ex gentium fornicatione sibi Ecclesiam iungentis. prophetauit in Iudæa, & Ierusalem, regnantibus in Iudæa Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia; In Israele autem Ieroboam: æqualis verò Esayæ, Ioelis, Amos, Abdiæ, Ionæ, & Michææ: prophetans contra decem Tribus, & prænuncians Dominum venturum, & Iudæos postremo tempore ad Christum rediturors; mortuusque est in pace, ac in patria humatus. *De vita, & interitu Prophetarum.*

Huius Prophetiæ partitiones, tamquam vatis, iudicis, præconis, Patris expostulantis cum filijs, amici, vide in sex Tabulis breuibus, sed pulchris, quas in Oeconomia sua ponit Ederus.

Scripsere autem in eum, quicumque vniuersam Diuinam Scripturam sunt interpretati, præcipuè vero, qui Commentarios in ipsos duodecim Prophetas minores edidere, de quibus vide in verbo Abacuck. Sed & separatim in eum Hieronymus Guadalupensis, Hieronymus Osorius, Leo Castrius, Picrius præter antiquiores, Theophylactum, Ruffinum, Cyrillum, Didymum. Porrò vide varias lectiones in Græcis Biblijs Sixti V. Pont. Max. iussu editis.

OSIVS Cordubensis Episcopus, qui Constantino Magno Imp. frequenter aderat, quique Legatus à Syluestro Pôt. Maximo ad Nicænam primam Synodum primas tenuit,

cum & in alijs Synodis tum voce, tum scriptis fidem Catholicam constanter defendisset, tandem metu, ac tormentis adactus à Constantio Ariano Imp. subscripsit Arianismo; In quo tamen haud perstitisse euincitur ex Athanasio, & alijs, quemadmodum copiosè, ac solidè comprobat Baronius Card. in tertio Annalium Tomo, sub Ann. Christi 357. quid quid Auctor, qui asseritur Isidorus Hispalensis libro de Viris illustribus, secus scripserit in verbo, *Osius*. Vide ibidem Baronium; qui simul Marcellinum presbyterum sectæ Luciferianæ, qui de Osij pertinacia, & morte turpi scripserat, confutat. Et quidem Isidorus ita habet. Osius Cordubensis Ciuitatis Episcopus, scripsit ad Sororem suam de laude Virginitatis Epistolam pulchro ac diserto comptam eloquio. In Sardicensi Concilio quā plurimas ipse edidit sententias. Hic autem post longum senium vetustatis accersitus à Constantio Principe, minisque perterritus, metuens ne senex ac diues damna rerum, vel exilium pateretur, illico Arianæ impietati consensit: Cuius quidem vitam, vt meruit, confestim exitus crudelis finiuit. Nam post impiam, (vt ait quidam) Osij præuaricationem, dum Sanctus Gregorius Eliberitanus Episcopus in Cordubensem Ciuitatem iuxta Imperiale decretum fuisset adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Osius dicit Clementino Constantij præfecti vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille non audeo (inquit) Episcopum in exilium mittere, nisi prius eum ab Episcopatu deieceris: vt autem vidit Sanctus Gregorius, quòd Osius vellet dare sententiam; appellat Christum totis fidei visceribus exclamans. Christe Deus, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, non patiaris hodie humanam proferri sententiam aduersus me minimum seruum tuum, qui pro fide nominis tui, vt reus assistens spectaculum factus sum: sed tu ipse quæso in causa tua iudica, ipse sententiam proferre dignare per vltionem. Non ego quasi metuens de exilio fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum supplicium graue sit, sed vt multi præuaricationis errore liberentur, cum præsentem viderint vltionem. His dictis ecce repente Osius residens fastu quasi regalis imperij, cum sententiam conaretur exprimere, os vertit distorquens, pariter & ceruicem, ac de sessu in terram eliditur, atque illico expirauit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille gentilis expauit; & licet esset iudex, tamen timens, ne in se simile supplicium vindicaretur, prostrauit se ad pedes Sancti Viri, obsecrans vt sibi parceret, qui in eum Diuinæ legis ignoratione peccasset, & non tam proprio arbitrio quàm mandantis imperio. Inde est, quòd solus Gregorius ex numero vindicantium integram fidem, nec in fugam versus est, nec passus est exilium. Hæc Isidorus ille. Porrò ipsum formasse Fidei Confessionem in Nicena Synodo constat; scripsisse autem ad Sororem De virginitate ait etiam Tritemius.

Osivs Episcopus (ait Sigebertus in Catalogo) scripsit librum De obseruatione Dominicæ disciplinæ, quem vixisse ann. 360. inquit Tritemius.

Osmvndvs Neustrius, è nobili familia Normannorum, scripsit Consuetudinarium Ecclesiæ. Canones officiorum eiusdem. Vitam B. Althelmi siue Adelmi Episcopi. Obijt ann. 1199. Eisingrenius autem scribit Osmundum fuisse Sarisburiensem Episcopum, & Commentarios quosdam reliquisse Ecclesiæ, quos non nominat.

Ossinvs ex Alba Rupe, Carmelita, Gallus, scripsit librum Sermonum. Viuebat ann. 1570. Tolosæ Bibliotheca.

Ostophorvs Pharensis Monasterij Alumnus reliquisse traditur Homilias eruditas. Vixisse autem ann. *690*.

Osvaldvs Anglus, Cartusianus, scripsit tum Meditationes solitarias, tum De remedijs tentationum. Viuebat ann. 1450.

Osvaldvs Fischerus, Arespergēsis Bauarus, scripsit De vera studendi Sacræ Theologiæ ratione libros tres, & septem Psalmos Pœnitentiales Commentarijs illustrauit. Viuebat ann. 1565.

Osvaldvs à Lasco, Saxo, Ordin. Minorum, Vicarius Prouinciæ Hungariæ, edidit quartam partem Rosarij Operis Pelbarti; sed reliquam mors abrupit. Henr. Villot.

Osvaldvs Odonius Vuintoniēsis in Anglia Episcopus, scripsit Statuta Synodalia. Viuebat ann. *991*. Eisingrenio autem *977*. Quod quidem haud pugnat.

OSVVALDI Vuigorniensis Episcopi in Anglia, viri Sancti vita apud Surium die 15. Octob. Baron. Card. Tom. 10. Annal. sub ann. 992. inquit migrasse Osuualdum in Cælum.

O T

OTFRIDVS Germanus, monachus Ord. D. Benedicti Vuissemburgensis monasterij Congreg. Luxouiensis, Rabani Moguntini Archiepiscopi Auditor, qui viuebat ann. 870. scripsit in Euangelia Opus pergrande, quod prænotauit *Gratia Theotista*, lib. 5. Incipit, *Dignitatis culmine gratia*. Extat m. s. Gallicè.

Ad Ludouicum Regem, lib. 1.	*Ludouico Orientalium.*
Ad Salomonem Episcopum, lib. 1.	*Salomoni Episcopo: Otfridus.*
Ad monachos Sancti Galli, lib. 1.	*Otfridus Vuissemburgensis:*
In Psalterium, lib. 3.	De Iudicio extremo, lib. 1.
De gaudijs Regni cœlestis, lib. 1.	Carminum diuersi generis, lib. 2.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.	

OTHOMARVS Luscinius, Germanus, Patria Argentinus, monachus, & Lector Cœnobij, & SS. Vdalrici, & Afræ Augustensis, scripsit ad Vuolfgangum Ramū Sueuiæ Triumuirum, Librum Isagogicum ad mysticam Psalterij intelligentiam, in quo (inquit Sixtus Senensis) omnes reconditas, & magis abstrusas Psalmorum dictiones secundum ordinem literarum digessit, earumque spiritales, & allegoricos sensus purè, aptè, & germanè explicauit. Viuebat ann. 1520.

OTTO Abbas ad Turpinum (alij Turpionem) Episcopum De Institutione Diuina libri sex. Extabant Viennæ Austriæ m. s.

OTTO Abbas, Ord. Cistertiensium Eremitarum in Natiscis, scripsit Annales Abbatum suorum prædecessorum. Viuebat ann. 1306.

OTTO Constantiensis Episcopus, scripsit librum, qui inscriptus est, *Obsequiale*, siue *Officiale*.

OTTO ad Finem, Parochus Ecclesiæ Lorichianæ edidit libros duos Germanicè, Moguntiæ. Quorum alter est prænotatus, *Scaturigo fontis pro anima sitiente gratiam*. Alter, *Quæstiones de vniuersali, & constanti Christianismo inde à temporibus Christi vsque ad nostra tempora*.

OTTO Frisingensis Episcopus, (& Frisinga in Noricis, qui Bauari dicuntur, est sita) Germanus & ipse, quem nonnulli existimarunt Frederici huius nominis primi Imp. fuisse nepotem, historiam, siue Chronicon texuit à Mundo condito vsque ad Eugenij Tertij Pont. Max. & Conradum III. Imp. libris octo. At alijs duobus libris De Gestis Frederici primi Imp. qui dictus est Aenobarbus. Qui cum antea prodijssent Argentorati an. 1515. apud Schurerium vnà cum Radeuico Frisingensis Ecclesiæ Canonico, deinceps, an. 1569. emissi sunt Basileæ recogniti à V. C. Petro Pythæo ad vetera exemplaria, cum nonnullis alijs Germaniæ Historiographis. Sanè verò Monachi cuiusdam Patauini S. Iustinæ Congregationis Cluniacensis, cuius non extat nomen, quique scripsit ab ann. 1207. vsque ad ann. 1270. De rebus Insubribus, & Euganeis, hoc est de Longobardia, & vicina Marchia Taruisina, tres libri excusi fuere cum eodem Otthone Frisingensi, Francofurti ann. 1585. Atqui sub nomine Otthonis Frisingensis Historia Austriaca extabat m. s. Viennæ apud Vuolfgangum Lazium, scripsisse verò aiunt Otthonem De Dialectica, & quædā Opuscula alia. Meminit autem huius Otthonis cum laude Aeneas Syluius, qui postea Pius Secundus Pontif. Max. in Oratione Francofordiæ habita, quemadmodum item vbi de Frisia in Europa agit, putauit similitudine vocum fuisse Frisieusem, siue Phrisium, qui Frisingensis in Bauaria fuit Episcopus.

Ceterum Leopoldi S. Marchionis Austriæ filius fuit, ac primo Monachus, & Abbas Morimundi in Gallia, deinde (vt diximus) Frisingensis Episcopus. Obijt Morimundi inter fratrum manus anno 1158. quamquam Tritemius scribat, (ni lapsus sit in numero) cum claruisse ann. 1260.

OTTO Sueuus, Germanus, monachus monasterij S. Blasij in Hercinia Sylua, prope Albam fluuium in Diœcesi Constantiensi, Congregationis Cluniacensis, qui viuebat anno 1190. scripsit Chronicon primum, in quo omnes Sacræ historiæ genealogiæ ad Timotheum, Titumque Pauli discipulos vsque figuris scitè distinctæ sunt. Incipit, *Considerans historia Sacra prolixitatem, necnon & difficultatem.* Extat m.s. Basileæ.

Appendicem ad Librum septimum Chronicorum Ottonis Frisingensis Episcopi, incipiens ab anno Domini 1146. vsque ad ann. 1210. quæ excusa est cum ipso Ottone Episcopo Francofurti ann. 1585.

OTTOMARVS Epplinus, qui ann. 1560. edidit Regiomonti Borussiæ, librum grandem, cuius inscriptio est. *Selectiora vetustissimorum, ac probatissimorum Patrum Iudicia De præcipuis Euangelistarum narrationibus*, etsi inter damnatos Auctores in Romano postremo Indice non extat, fuit tamen pestilens, & manifestus hæreseos prædicator. Epistola eius Operi præfixa, quæ sat prolixa est, id indicat: præterquam quòd hæretici Principis à concionibus, (si conciones dicendæ sunt, blasphemæ illorum declamationes) fuit. Is liber, quoniam in Italia minus venalis erat, & vero subito eius labes non agnita fuisset, non innotuit Romanis, qui sine dubio illum proscripsissent. Ne quem verò alicubi fallat, testimonium de eo, quale meruit huc inseruimus.

O V

OVETENSE Concilium in Gallæcia, mense Martio, ann. 901. celebratum est, quemadmodum à Ioanne Pont. Max. huius nominis Octauo, decretum fuerat, sed ob ingruentia bella dilatum. In quo, præter reliqua ipsa Ouetensis Ecclesia, cum Adefrasus Magnus illhic Regiam Sedem collocasset, est aucta dignitate Metropolitana. Adfuere 17. Episcopi. Inter quos Theodulphus Episcopus Legatus missus à Rege Francorum, Ermenegildus Antistes Archiepiscopus est appellatus. Actum est De disciplina Ecclesiastica. De Synodo bis in anno facienda. Vtque Episcopi Ecclesiarum, quæ fuissent à Sarracenis destructæ, Ouetum sese reciperent, ac stipem consequerentur: Quare & ciuitas Episcoporum nominata est.


Finis Secundi Tomi ad Dei O. M. Gloriam.




APPENDIX [illegible]

SECVNDVM [illegible]

[illegible]



APPENDIX AD SECVNDVM TOMVM APPARATVS SACRI.



Ad literam H.



ARMENOPVLVS — adde ad finem — Vide item in verbo, Constantinus Harmenopulus.

S. HARVICVS Salisburgensis Episcopus, cum sanctè vitam egisset, mortuus est ann. 1024. cuius Gesta scripsit eius discipulus ęque S. Eberardus, quas diligentia Henrici Canisij iam assecuti sumus in eius tomo secundo Antiquæ lectionis.

HEDVENSE Concilium in Burgundia ann. 1055. Victore II. Pont. Max. vbi Hugo Abbas Cluniacensis vir sanctus pacem composuit inter Ducem Burgundiæ, & Episcopũ, quem vexauit, miraque alia gessit. Vide To. 11. Cæs. Card. Baronij sub eundem annum.

HELGALDVS, monachus Floriacensis, scripsit res præclarè gestas Roberti Regis Christianissimi Galliæ, qui obijt ann. 1033.

HENRICVS Costerius, scripsit librum, quem inscripsit, ***Modus orandi Deum***. qui item figuris ligneis, atque æneis prodijt apud Io. Moretum. Antuerpiæ ann. 1605.

HENRICI à Segusio Card. Hostiensis, aurea Summa, Nicolai Superantij adnotationibus, & quibusdam excerptis ex Summa Fr. Martini Abbatis contemporanei Azonis, & Accursij illustrata. Venetijs apud Societ. ann. 1605.

HERACLIDIS, Cappadociæ Episcopi, ad Lausum Prępositum, Epistola. To. 7. Bibl. SS. PP. edit. 2.

HERMAS — adde ad finem. — Porrò Hermæ istius libri 3. extant in To. 5. Biblioth. Sanctorum Patrum edit. 2.

HERMIAS Philosophus — adde — Extat autem in To. 4. Bibl. SS. PP. edit. 2.

HIERONYMVS Llamas Theologus Monasterij S. Bernardi de obseruantia in Hispania Carrauetensis Alumnus, scripsit Summam Ecclesiasticam siue Instructionem Confessorum, & Pœnitentium. Cui addita expositio Extrauagantium editarum post Cõcilium Tridentinum. Moguntię apud Balthasarem Lipium, ann. 1605.

HIERONYMVS Marafiniotus, Polistinensis, Calaber, Theologus, Ord. Minorum ob-

HIERONYMVS Pouodouius—adde—Quin & Christologiã, siue sermones de Christo edidit, cuius pars secunda prostabat Coloniæ Agrippinæ apud Mylium. ann. 1604.

HIERONYMVS Stridonensis—adde ad finem—cęterum Hieronymi, ad Paulinianum, in Didymi libros de Spiritu Sancto, Præfatio extat in To. 9. Bibl. SS. PP. edit. 2.

HILARION, hoc est, Quintus Iulius Hilarion scriptor perantiquus reliquit Chronologiam, siue de Mundi duratione libellum extat in To. 7. Bibl. SS. PP. edit. 2.

HILARIVS Pictauorum Episcopus—adde ad finem—ceterum & postremò prodiere D. Hilarij Opera. Parisijs apud. ann. 1605.

HILDEPHONSVS Toletanus—adde ad finem—Atqui in To. 9. Bibl. SS. PP. 2. editionis, sequentibus inscriptionibus, atque ordine extant Hildephonsi Opera: Nimirum libellus, de illibata Virginitate Sanctę, ac gloriosę genetricis Dei Marię, contra Infideles, ordine Synonymorum conscriptus. Eiusdem, liber contra eos qui disputant de perpetua virginitate S. Mariæ, & de eius parturitione. Homilia eiusdem, contra eos qui mendosè affirmant, Mariam Virginem, contra legem, Dominum peperisse. Eiusdem sermones sex de Assumptione Beatissimæ, & gloriosæ Virginis Mariæ. Eiusdem, sermo in Natiuitate B. Mariæ Virginis, & de Purificatione sermo. Omnia partim nunc primùm edita, partim verò ad m.s. Codices collata, & emendata per R. P. F. Franciscum Ferardentium, Theologum Parisiensem. To. 9. Bibl. SS. PP. edit. 2.

D. Iuliani Pomerij Toletanæ Sedis Diaconi, in Sancti Hildefonsi librum de laudibus intemeratæ S. Dei genetricis Mariæ, quæ in die Assumptionis suæ apparuit ei visibiliter, eique vestimentum dedit, Præfatio. Tomo 9. Bibl. SS. PP. edit. Vide autem in verbo Illefonsus, est enim idem ipse, quem vtroque in loco collocauimus non sine additamento.

HISPANA Synodus per Legatos Sedis Apostolicę habita Giraldũ Card. Episcopum Ostiẽsem, & Raimbaldũ Subdiaconum, in qua aliquot deposuere Episcopos, Vide To. 11. Annal. Card. Baronij sub ann. Domini 1073. Gregorij autem VII. Pont. Max. primo.

HONORIVS Pont. Max.—adde—porrò id Epigramma de Ascensione Domini extat in To. 8. SS. PP. edit. 2.

HVGO Carensis—adde—Porrò eius Opera omnia in vniuersum Vetus, & nouum Testamentum In 7. Tomos diuisa, addito octauo Tomo Noui Indicis locupletissimi, & aliàs non impressi, Venetijs apud Sessas. ann. 1600. prodierunt.

HVGO Eterianus—adde ad finem—To. 9. edit. 2. vnà cũ libris tribus, de Hęresibus, quas Gręci in Latinos deuoluunt: siue, quòd Spiritus Sanctus ex vtroque Patre scilicet, & Filio procedat, contra Græcos.

HVGOLINVS Martellus—adde ad finem—sed & alter Hugolinus Martellus Florentinus Aloysii Vgolini filius, Episcopus Liciensis, & deinceps Narniensis; cui non tantum Latina, sed Græca sic familiaris lingua erat, vt potius Gręcus, quam Italus crederetur, cùm plura tum Gręcè, tum Latinè patrioque idiomate conscripsit; quę manu scripta apud eius familiam asseruantur. Diem Obiit Florentię ann. 1517. & in ędibus Cathedralis Florentinę sepultus est. Michael Pocciantius.

HVGOLINVS Prior Generalis Ord. D. Augustini ab Vrbano Quinto Pont. Max. creatus Episcopus Ariminensis, & Patriarcha Constantinopolitanus Parisiis vbi primam Cathedram tenuit, maximo in pretio est habitus: *Erat quippe*, (vt Tritemij & Corani verbis vtar) *disputator acerrimus, ac in Diuinis scripturis longo studio exercitatus, & satis eruditus, ingenio subtilis, moribus & vita spectabilis.* Quod pręclarã illius testantur Opera; Videlicet. Cmomentaria super quattuor libros Sententiarum: *Exemplo veri summique magni.* Extant Mediolani in Bibliotheca S. Marci. Quæstiones super libros Physicorũ, lib. 8. Quęstiones super Prędicamenta, & Perihermenias, lib. 2. Quodlibeta multa, lib. 2. 31. De Idiomatum differentia, lib. 2. De Deo triuo & vno, lib. 1. 31. Sermones de tempore, lib. 1. Sermones de Sanctis, lib. 1. Commentaria in Boetium de Consolatione Philosophica. Quę omnia Bononię in Italia, & Parisiis partim asseruantur in Bibliothecis Ordinis. Tandem rediens è Gallia in Italiam, mortuus est Aquilæ, cuius corpus transfuectum est ad Vrbem veterem, & in D. Aug. templo conditum. Ioseph Pamphilus.

HVGOLINVS Verrinus, Florentinus, Michaelis Pater, Petri Criniti præceptor, Lan-

dini auditor, cuius hæc extant. Teſtamentum Nouum & vetus Romano carmine contextũ. Libri tres de Illuſtratione Vrbis Florentinæ, carmine, in quo de Vrbis Florentinæ, de viris Illuſtribus eiuſdem Ciuitatis, & nobilitate ac origine Familiarum Florentinarum, ex Archetypo apud Franciſcum Verinum Piſis Philoſophiam profitentem, & initium eſt: *Inclyta Scillaria referam primodia gentis*. Rurſus libri quattuor, Hymnorum Sapphicis verſibus elaborati in laudem Chriſti Do. & Sanctorum. Vita item D. Antonini Archipręſulis Florentini heroico carmine conſcripta, quam ſic exorſus eſt: *Antonij dum geſta volo paſtoris*. Præterea libellus *Sylua* inſcriptus in laudem B. Philippi Florentini de Benitijs, Ordinis Seruorũ B. M. V. Inſtauratoris, quæ incipit: *Nobile & antiquum genus eſt Benitia proles*. Commentatus eſt quin etiam Horatium, Epigrammata multa Latino carmine confecta ad Sereniſs. Beatricem Reginam Vngarię, Ferdinandi Regis filiam, initium eſt: *Aragonum ſoboles regina*. Et pleraque alia, quæ apud memoratum Franciſcum reperiuntur. Ipſe autem monumenta à ſe edita commemorans ita ſcribit:

Sum teſtamentum Romano carmine vtrumque.
Complexus, pariter myſteria ſacra retexi.
Vt nitor eloquij pariter cum lacte bibatur.
Sanctus & in tenero formetur pectore Chriſtus.
Quattuor in libris Sapphicis verſibus hymnos.
Digeſſi ſacros, Senior iam vertice cano.
Gratum opus Eccleſiæ, relegent fortaſſe minores.
Occiderit poſtquam natis, poſt funera liuor.
Siqua in dicta mea plebeia eſt carmine proles.
Det veniam, quoniam è nobis incognitus author.
Quando Vrbem petiere agris, villiſque relictis.
Quæ ſunt in pretio, atque vrbis funguntur honore. Viuebat ann. 1490. Mich. Poc.

HVMBERTI Syluæ Candidæ, S. R. E. Epiſcopi Card. Diſputatio ex Bibliotheca Vaticana deprompta, quam ipſe Humbertus Conſtantinopoli habuit aduerſus Græcos, de Azymo, & Fermentato, extat in Appendice vndecimi Tomi Annalium Cæſ. Card. Baronij, quæ nunquam antea fuerat edita, ſed quæ perdigna lectu, & Græcis euincendis, rectiſſimę verò S. R. E. Fidei manifeſtandæ percommoda. quamobrem, & hic, & in verbo, Vmbertus ſine aſpiratione poſuimus, vt quærentibus ſit obuiua.

Appendix ad literam I.



IACOBVS Bayus ſcripſit tres libros De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, & ſacrificio cõtra Sacramentarios, & Lutheranos, Antuerpię ann. 1605.

IACOBVS Caſtellanus, ſcripſit Compendium Cõſtitutionum Summorum Pontificum, quę extant, à Gregorio Septimo, vſque ad Clementem Octauũ auctiores apud Societatem Venetam, ann. 1605.

IACOBVS Graffius—adde—ſcripſit quoque, atque edidit ſermones Spirituales in Euangelia De Dominicis, & Feſtis aliquot ſollemnitatibus totius anni. Acceſſit Franciſci Panigarolæ Epiſcopi Aſtenſis Rhetoricæ Eccleſiaſticæ libellus primum Editus Coloniæ Agrippinæ apud Ioan. Hontemium. ann. 1605.

IACOBVS Gretſerus—adde—denique liber prænotatus Bauius, & Męuius, ille, vt delirus Alchymiſta, Antimonio, hic, tamquã inſipiens Prædicans Helleboro nigro curatus,

IACOBVS Suarez à S.Maria,Lusitanus,Minorita, scripsit 23.Cõciones in tria prima capita Apocalypsis. Additi sunt sermones sex pro diebus Dominicis Aduentus, ac Festis Conceptionis B.Virginis & Nat. Do. nouissimè autem duos sermones. Vnum de S.Stephano protom. alterum de S.Io. Euang. Lugduni sumptibus Horatij Cardon. ann.1605.

IACOBVS Strotius scripsit Tractatum de officio, & potestate Vicarij Episcopi eiusdẽ additionibus,apud Societatem Venetam. ann.1605.

IACOPONVS Tudertinus—adde—Eadẽ verò auctiora prodierũt,ann.1558.Romę.

ILDEPHONSVS—adde—Vide autem in verbo, Hildefonsus.

ILLEFONSVS Giron,Hisp.Ord.Præd.scripsit Promptuarium Concionum Aestiualium Do.Iesu Christi, Sanctiss. Dei Genitricis, atque omnium Sanctorũ Moguntiæ apud Balthasarem Lippium, ann.1605.

IOANNES Bonifacius in Societate Iesu, scripsit Historiam Virginalem de Beatiss.Mariæ perpetuę Virginis Vita,& miraculis.Parisijs autem apud Michaelem Sonniũ,an.1065. prodijt, & Coloniæ apud Gualterum.

IOANNES Capetius—adde—De vera Christi Ecclesia, & obscuræ cõparationis Scripturæ,& Ecclesiæ demonstrationem. 1605.

IOANNES Lopez Episcopus Monopolitanus,—adde—Sed & eiusdẽ Epitomes Tomus primus auctior recusus est Venetijs ann.1605.apud Euangelistam Deuchinum, hac inscriptione, *Epitomes Sanctorum Patrum, per locos communes, qui ad virtutum, & vitiorum tractationem, & ad Fidei nostræ mysteriorum expositionem pertinent, ad sacras conciones, ex Origene, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio, Bernardo desumpta, nouissimè aucta recognita, & in quinque Tomos distributa, Tomus primus.*

IOANNES Hessels—adde—anno autem 1601. prodierunt Antuerpiæ eius etiam Commentaria in Ioannis Epistolas Canonicas.

IOANNES Longinus,Canonicus Cracouiẽsis,qui & *Dluglosshus*, dictus,cuius Operis autographum extat in Vallicellana Bibliotheca Romę,scripsit res Polonicas, quidque Boleslaus Rex fecerit in locupletandis, & redditibus stabiliendis Ecclesijs eius Regni.

IOANNES Maldonatus—adde ad finem—prodijt autem Summula Casuum Consciẽtiæ,tamquam hausta è Scriptis,siue è doctrina Io.Maldonati. Quæ tamen Sũmula,vt abundat nęuis, ita à Ioannis Maldonati doctrina longè abest,vt credibile sit,eo nomine quasi cohonestatam, futuram esse vendibiliorem.

IOANNES Moschus, addendum. Vide verò alia in verbo Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, versus finem; corrigenda porrò sunt verba Græcè impressa ibidem in Ioan. Moscho, vt legatur ἐξ ἁπάντων τῶν χρησίμων.

IOANNES Mulhusinus—adde—Item contra Dauidis Parei Heidelbergensis disputationem de S. Scripturarũ auctoritate, eiusdemq; Epist. dedicatoria,cũ vendicatione censuræ Moguntinæ,& discussione Exegeseos eiusdẽ Parei Moguntię apud Albinũ, ann.1605.

IOANNES Scharbius scripsit,& edidit conciones ad totius Anni Euangelia (vt vocãt) Dominicalia Ingolstadij apud Hersthroy, ann.1605.

ISIDORVS Pelusiota—adde—scio autẽ prodijsse Isidori Pelusiotę Epist. plusquã centum Epistolis auctores cũ notis Rhitersusij Græcolatinas apud Comelinũ in folio,an.1605. At quoniã Comelinus nõ fuit Cathol. optamus,vt eiusmodi libri circũspectè perlegantur.

IVO Carnotensis—adde—Eius autem Epistolæ, Parisijs excusæ sunt ann.1584.

IVSTINVS Martyr—adde ad finem—sed & postea Heidelbergæ idem Iustinus Græcè,& Latinè prodijt cum Notis, annis 1597.de quibus id dictum volumus, quod de Isidori Pelusiotæ Epistolis ibidem editis innuimus.

IVSTI Baronij, Pseudolubilæi Vuitebergensis aduersus Aegid.Hunniũ, & Lutherũ, liber singularis, recens emendatus. Mogũtiæ apud Albin.ann.1605.Eiusdem Epist. sacrarum ad Pont.Max.& ad Card.lib.6.ibid.eod.anno,apud eundem. Deinde pręscriptionum aduersus hæreticos perpetuarum, Tract.6. Vindicijs aduersus Io. Reinoldum auctæ, apud eundem. Prostant etiam Vindiciæ seorsim,ibidem, ann. eodem.

IVSTVS Lipsius—adde—Anno autem 1605. Admiranda, siue de Magnitudine Romana libri quattuor. Tertia Editio correctior, auctiorque Antuerpiæ,apud Io.Moretum.

LAVREN-

Appendix ad literam L.

LAVRENTIVS Bononiensis—adde—Is sanè cũ Doctor fuisset Parisiensis, & Parisijs publicè eadem, quæ diximus, cõmentaria suis Auditoribus cõmunicasset, anno denique 1532. studio Dominici Docti, è Castro Franco, prodierunt in lucem. Chron. Ord. Seruorum.

LAVRENTIVS Suslyga, Polonus, Artium liberalium, ac philosophię magister, lib. edidit Grecij apud Georgium Vuidmanstadium ann. 1605. quem pręnotauit: *Velificatio seu theoremata de anno ortus ac mortis Domini, in quo vniuersa Iesu Christi, in carne Oeconomia exhibetur*. Præfuit ei Disputationi Io. Deckerius Soc. Iesu Theologiæ Doctor, ac Gręcensis Vniuersitatis Cancellarius: cuius interior, & solida Chronologię notitia in eadem Velificatione vbere cum fructu cernitur.

LEANDER Albertus—adde—At de obitu S. Dominici prodijt Bononiæ, ann. 1531. Historia verò Bononiensis, ann. 1541.

LEMOVICENSIS Synodus in Gallia primò, nõdum reuoluto anno à dedicatione Basilicæ Saluatoris, an. 1029. quã attingit Bar. Card. sub eund. ann. in To. 11. Annal. Acta autẽ alterius Lemouicẽsis Synodi post Roberti Regis obitũ celebratę, ostendũt confirmatã fuisse de Apostolatu S. Martialis sententiã. Vide ibid. Baron. nam ex Actis Lemouicensibus indicat opus fuisse etiã alia insuper congregare Concilia, Bituricense posterius, Lemouicense, atque Pictauiense ad quęstionem illam de nomine Apostolatus in honorem S. Martialis.

LEONARDVS Lessius—adde—deinceps autem de iustitia & iure, cęterisq; virtutibus Cardin. lib. 4. ad 2. 2. D. Th. à quęst. 47. vsq; ad q. 171. Louanij, apud Io. Masium, an. 1605.

LEONTIVS Aduocatus—adde—To. 4. edit. 2.

LIRINENSIS Monasterij excidiũ Anonymus auctor scripsit, cuius fragmentũ extat, & cuius initio adiectũ est breue, de illius Historię tẽporib. scholion Bignęi in to. 7. Bibl. SS. PP.

LISIARDVS Gallus—adde—Quin & scripsit de ortu Ludouici filij Philippi Regis ab eodẽ Arnulpho Suessionensi pręnuntiato, & alijs ab eo in Episcopatu rebus gestis, scripsit. Vide Lisiardum in vita S. Arnulphi. c. 26. apud Surium. To. 4. die 13. Augusti, & c. 27. 28.

LITVRGICARVM Antiquarum Arcana ex disertis auctorib. tribus Tomis cõprehensa. Duaci apud Bellerum ann. 1605. deest inscriptio Auctoris, siue collectoris, at adest Fides Barth. Petri Liutron, S. Th. Doct. & Professoris, & Georgij Coluenerij, librorum in Academia Duacena Visitatoris.

LVCENSE Conciliũ circa an. Do. 564. celebratũ est ad confirmandã fidem Catholicã, & constituendũ Ecclesiæ statum. In eo Concilio Ecclesiæ Bracarensi Metropol. & alijs Gallęciæ ecclesijs Cathedralibus sui cuique fines assignati sunt, quos ne excederent. Ex archiuo Ecclesiæ Bracarensis; vbi pro Nigesio Lucensi Episcopo, legitur Netigio. Meminit huius rei Lucas Tudensis in Rege Vuamba, & dicit Adaulphum Episcopum Legionensem huic interfuisse Concilio. Hæc ex annalibus Vasæi. To. posteriori, ann. 364.

Ego verò (inquit Garsias Loaysa) accepi hoc Lucense Concilium à D. Io. Ruizio Episcopo meritissimo Lucensi, studio sapiẽtiæ, & religione claro, qui illud mihi rescripsit, se descripsisse, ex C. M. scripto ecclesiæ Lucensis perantiquo. Subdit autem: hęreo in exordio Concilij, an legendũ sit: Tẽpore Sueuorum sub Era 600. septimo die Calendarũ, an. sub Era 607. die Calendarum Ianuarii. Et quamuis mihi prior lectio magis placeat, tamen posteriorem propter auctoritatem Ambrosii Mori, & Io. Vasæi, sequor. Ponuntur in hoc Cõcilio xiij. sedes Prouinciæ Gallæciæ. Bracara prima sedes, Portucal, Lamero, Conimbrica, Veseo, Du

est in flagitiosorum histrionū comœdijs ablegādis, rationē etiam hoc quo monstrauerit, qua omnis omniū hominum status iuuari possit cum vera iucunditate. Res verò ipsæ tam variæ, atque multiplices, adeo Latinè, & propriè, idq; non soluta, sed ligata oratione, enunciatæ indicant, quænam inde ad excolendam etiam linguā promi queat vtilitas. At si qui obmurmurent, leges Poeticas veteres in ijs haud esse obseruatas, legant obsecro, quā idem Ludouicus Crucius scripsit Epist. Beneuolo, amicoq; Lectori, initio earūdem Actionū, & fortasse aliud

LVGDVNENSE Cōcilium per Subdiaconum Hildebrandum fuit celebratū in Gallia, missum à Victore II. Pont. Max. à latere suo, cum quibusdam Episcopis. Vide To. 11. Annal. Cæs. Card. Baronij. Habitum est autem ann. 1055.

LVGDVNENSE Concil. in Gallia an. Do. 1080. octauo autem Pontif. Greg. VII. Pontif. Max. Præfuit Apostolicæ Sedis Legatus Hugo Diensis Episc. & Manassis Rhemensis Archiep. agitata per plura annorum spacia finē accepit, damnato iterū, atque è throno deposito eodem Antistite, qui vocatus sæpe Romam ad dicendam caussam, obtemperare noluisset. Vide To. 11. Annal. Card. Baronij sub eundem annum. Hæc autem duo Concilia interponenda sunt alijs suo loco iuxta seriem annorum.

Appendix ad literam M.

MACARIVS Aegyptius — adde — fuere autem Græcolatinæ recusæ Francofurti, ann. 1594.

S. MACARIVS Patriarcha Antiochenus, natione Armenus, educatus à seniori Macario eiusdē Sedis Antistite, cui successit, plura miracula patrauit. Eius res gestas eiusdem sæculi auctor conscripsit post annos ab eius obitu quinquaginta. Extat apud Surium die 10. Aprilis. To. 2. obijt autem ann. 1012.

MANTVANVM Cōcil. Alexandro II. Pont. Max. — adde — In eo enim se Pont. Max. purgauit calumniæ à Gadaloo pessimo Pseudopontifice illatæ, qui & tertiò condēnatus est. Vide sub ann. 1064. in To. 11. Cæs. Card. Bar. præcipuè vero pag. 554. primæ Romanæ edit.

MANNIAE Regum Chronicon, quod in Britanniæ Chirographia impressum est, a fol. 727. vsque ad fol. 741. scriptum fuit ann. 1520. à Monachis Monasterij de Rusin, quod situm erat in Insula Mona, quæ nunc *Mannia* dicitur.

MANVELIS Comneni Legatio ad Armenos Græcolat. prodiit Basileæ, ann. 1578. sed viderint, quibus hoc in Eccl. Cath. incumbit, si quid in ea est, quod egeat lima.

MANVELIS Patriarchæ Respōsa ad Bellæ Episc. interrogationes. to. 6. Bibl. S. P. edi. 2.

MARCELLINVS Comes — adde — Extat item in To. 7. Bibl. SS. PP. edit. 2.

MARCHIAE constitutiones Aegidianæ. Romæ ann. 1543. prodierunt.

MARCVS Eremita — adde — in To. 5. edit. 2. fuit autē antea excusus Parisijs Latinus.

MARCVS è Grandual — adde — ann. 1518.

MARCI Hidruntis Episcopi Hymnus in magnū Sabbathum. To. 8. Bibl. SS. PP. edi. 2.

MARTIALIS Apostolus — adde — Extat in To. 3. Bibl. SS. PP. edit. 2.

MARTINVS ab Azpilcueta — adde ad finem. & apud Somaschum, ann. 1605.

MARTINVS Becanus, scripsit disputationē aduersus Caluinistarum prædestinationē desperatā. & an alius sit Caluinistarū, alius Catholicorū Deus. Mogūtiæ apud Albinū. 1604.

MARTINVS Delrius — adde vbi agitur de Martini Delrij Commentarijs in Cantica impressis Ingolstadij, deinde item Parisijs eodem anno apud Petrum Cheualerium.

MARTINVS Sabariæ natus — adde ad finem — extat verò Professio fidei facta à B. Martino Archiepiscopo Turonensi. To. 4. Bibl. SS. PP. edit. 2.

MARTYRES, & Martyrologia — adde ad finem. — Porrò Martyrologiū iussu Basilij Imp. conscriptū, idq; in folio, manu exaratum, extabat apud Vincentium Pinellum V. C.

MATHILDA — adde ad finem — Vide autem in verbo, Mechtilda, siue Mechtildis: sed & deinceps Mathildas quattuor fuisse eodem tempore, ad declinandos errores historicos, probè declarauit Cæs. Cardin. Baronius sub ann. 1074. Gregorij autem VII. Pont. Max. 2. To. 11. Annal. pag. 449. Romanæ editionis.

MATTHAEVS Raderus Soc. Iesu Viridarium Sanctorum ex Menæis Græcorum ab se

lectum

lectum,translatum,& Annotationibus, ſimilibuſq; paſſim hiſtorijs Latinis Græcis ineditis illuſtratū edidit Auguſtæ Vindelicorū ann.1604. Quo item anno emiſit Acta Occumenici Concilij Octaui Conſtantinop.Quarti tunc primū è m.s.Codicibus illuſtriū Bibliothecarū Græcè cū Latina Interpretatione,Notarumq; additione. Vide in verbo, Octaua Synodus.

MATTHIAS Faſanus,ex oppido Optato,Ord.Prȩd. ſcripſit Italicè vberè ſeptem mortalium Peccatorum Expoſitionem. Venetijs ann.1605.apud Societatem.

MAVRVS Ant. Berarducius—adde—recuſa porrò eſt tertiò ibidem, ann.1603.

MAXIMVS Conſtantinop. ſiue confeſſor—adde ad finem—At poſtea cū in Germaniam miſiſſem, quæ apud me erant Opuſcula à Fran.Turriano noſtro Latinè reddita, ſed nunquā euulgata,hæc prodierūt Ingolſtadij,ann.1605.apud Andreā Angermariū.Ea verò ſunt. 1. Epiſtola ad Marinum presbyterum. 2. De Operationibus,& Volūtatibus capita L. Ex eodem Tractatu Capita LI. 4. Epiſtola ad Georgium Presbyterum, & Abbatem De myſterio Chriſti. 5. Contra eos, qui dicunt oportere dicere vnam Chriſti operationem ſecundum exſuperantiam. 6. Tomus dogmaticus ad Marinum Diaconum. 7. De illo. *Pater ſi poſſibile eſt transfer à me calicem*. 8. Definitiones variæ.9. Epiſtola ad Nicandrū Epiſcopum De duabus in Chriſto operationibus. 10. Epiſtola ad Præpoſitos,Monachos,&c. Siciliæ, &c. 11. Gnomæ demonſtratiuæ duarum in Chriſto voluntatum. 12. Diſtinctio multiplicis vnionis. 13. De duabus Naturis Chriſti.

MECHTILDIS Virgo—adde—ceterūm Mechtildis Viſiones, atque Opuſcula prodierant etiam Venetijs, ann.1522.

MELCHIOR Canus—adde—demum omnia eius Opera Coloniæ, ann.1604.

MELDENSIS alia Synodus per Hugonem Dienſem Apoſt. Sedis Legatum in Gallia anno Do.1080. Pōtificatus autem Gregorij VII. Octauo, in qua depoſitus eſt Vrſio Sueſſionenſis Epiſc.& in eius locum ſuffectus, cuius Diuinitus factam electionem,& alia proſecutus eſt omni fide eius ſucceſſor Liſiardus, Vide Liſiardum in Vita S.Arnulphi, cap.26. apud Surium To.4.die 13.Auguſti,& cap.27.28.

MELFITANVM in Apulia Concilium ann. Dom.1090. tertio autem Vrbani Secundi Pont.Max. in quo Concilio Rogerius Dux Vaſallus S. R. E. inueſtitur. Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in ſuo Chronico. Acta autem reliqua eiuſdem Concilij ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia Vide in 10. Tomo Annal. Card. Baronij.

MEROBAVDVS Hiſpanus,ſcholaſticus ſcripſit Carmen de Chriſto Do. Vide To.8. Bibliothecȩ SS.PP.edit.2.

MICHAEL Ayguanus,Carmelita,qui vſq; ad hȩc tēpora dicebatur Incognitus Auctor in Pſalmos. Editus eſt autem iam ſuo cum nomine apud Guerilium Venetijs, ann.1603. & alios.

MICHAEL Chellus vnà cum alijs quibuſdam ſcripſit Theſaurum Euangelicæ Sapientiæ,apud hæredes Io.Mariȩ Leni,ann.1599.

MICHAEL Pſellus—adde ad finem—In qua item extant in Cantica Canticorū verſibus Politicis Grecè m. s. Et opuſculum de Conciliorum. Et compendioſa Expoſitio in libros Ariſtotelis De Phyſico auditu.

MINVTIVS Felix—Adde ad finem—Porrò Minutij Octauius reſtitutus à Franciſco Balduino, extat in to.9.Bibl.Margarini.SS.PP.edit.2.

MISSA—Adde ad finem—ſed & inſertæ ſunt To.6. Bibl.SS.PP. Miſſa Mozarabum, D.Leandro Hiſpalenſi Epiſc.in Hiſpanijs vſitata. Liturgia,ſeu Miſſa S.Marci è Græco in

quam malis artibus assequi conatus fuerat, regressus ad Magdeburgensem Ecclesiam sexto Kal. Iunij obijt.

MOGVNTINVM Concilium à Gregorio VII. Pont. Max. ann. 1075. indictum aduersus concubinarios, siue coniugatos Sacerdotes, his præualentibus, & prauè se gerente Sigefrido Archiepiscopo Moguntino, non fuit absolutum, in quos quadrauit illud: *Qui fordescunt, sordescant adhuc.* Vide sub eundem, ann. Baron. Annales.

MONACHVS, cuius nomen haud prænotatum est, at Ord. D. Benedicti librū emisit, inscriptum: *Paradisus Deliciosus in Apparitione Domini.* Incipit: *In nomine Do. N. Iesu Christi, ac eius Genitricis gloriosa semper Virginis Mariæ,* Parmę apud Franc. Vgoletum 1505. distributum in capita septuaginta.

MONACHVS eiusdem Ord. sed qui vixit in Monasterio, Hispaniæ scripsit sermone Hispanico in tria priora cap. Apocalypseos S. Io. Euang. tres Tractatus. Primum in caput 1. 37. capitibus, secundum in 2. cap. 109. Tertium in 3. cap. 103. Hispali apud Ant. Aluarez ann. 1546. Quo tempore Auctor vixisse creditur.

Appendix ad literam N.



NICOLAVS Formanrius, siue *Fourmanior* concinnauit Sanctæ fidei Catholicæ confessionem, complectentē summam dogmatum, quæ catechesi ex præscripto sacri Concilij Tridentini traduntur Antuerpiæ, ann. 1605.

NICOLAVS Meldensis, Vide in verbo, Durandellus.

NICOLAVS de Montmorency, siue Memorantius inter Proceres nobilis, & Baro de Hauesberke, Venedegij, Stegriæ, & Pameliç Dominus, in Belgis (licet publico munere Quæsturę præfectus distentus) collegit Opus, quod incipit: *Flos Campi*, ad Peccatores cōuertendos, & ad Meditationes quotidianas, & alia in singulos hebdomadę dies distributas. Louanij, apud Io. Riuium, ann. 1604. & Antuerpiæ. 1605.

NICOLAVS Orem, siue *Oresmius*—adde ad finem—Hic autem fuit Lexouiensis Episcopus, cuius Tractatus de mutatione Monetarum adtextus est To. 9. Bibl. SS. PP. edit. 2.

NOVATI Catholici, de humilitate & obedientia, & calcanda superbia; Homilia, ad fratres. Tomo 2. Bibl. SS. PP. edit. 2.

Appendix ad literam O.



OCTAVIVS Pantagathus, qui Vir Religiosus, & doctus, viuebat ann. 1550. & quod excurrit, scripsit Chronographiam, quæ m. s. in fol. extabat in Bibl. Vincentij Pinelli, quæ post eius mortem fuit transuecta Patauio Neapolim.

S. ODILO—adde—cum Baronio Card. 1048. obijt; qui mirificè celebratus est à Petro Damiani in Vita ipsius. Fulbertus Episc. Carnotensis ep. 51. 52. 53. 54. Glaber eius temporis Scriptor lib. 5. cap. 1. Sigebertus anno Do. 998. Quin, & Fulbertus ob egregias virtutes illum vocauit Archāgelum. Vide Baronium sub ann. 1049.

OSBORIENSE Concilium, in Germaniç loco, qui dicitur, *Osborium* (qui tamen locus hactenus Card. Baronio, qui eius meminit, est incōpertus) celebratū est ann. 1062. ex Episcopis Germaniæ, & Italię illis, quos tunc apud Regē reperiri contigit, Alex. II. Pont. Max. an. 2. In quo dānatus est Gadalous pseudo Pontifex, quem Petrus Damiani scribēs ad Coloniensem Archiepisc. meritò nominat: *Sanctæ perturbatorem Ecclesiæ, Euersorem Apostolicæ disciplinæ, inimicum salutis humanæ, radicem peccati, præconem diaboli, Apostolum Antichristi, sagittam productam de pharetra Satanæ, Virgam Assur, Filium Belial, filium perditionis, qui aduersatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

Finis Secundi Tomi ad Dei O. M. Gloriam.